This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Venerando Seni,

PETRO MOLINÆO,

S. Litterarum in Eccleſiâ, & Academiâ Sedanenſi Doctori celeberrimo.

V*Enerande Senex*, neque enim aliud quod eſt, quo gratius compellari poſſis, quodque in ſummâ doctrinâ tuâ, paribuſque de Eccleſiâ meritis excellentius, quàm te eſſe ordinis noſtri Theologum maximè veteranum. Hoc virtutis, eruditionis, honoris, ætatis denique tenes nunc faſtigium: quod quo rarius, eo majorem omnibus admirationem, tibi gloriam conciliat. Iſta eſt corona pretioſiſſima, quam in viis juſtitiæ reperiri, ſenectutem bonam, Sapiens affirmat. Vera καλογηρεία: unde Græcorum dicti calogeri: & cujus argumenti ultimum atque emortuale Affinis tui ſcriptum eſt, quo & nos, pro ſuâ benevolentiâ,

donavit, *de Senectute bonâ*. Quid enim optatius homini häc in vitâ contingere queat, quàm vitam ſic agere & ſic producere, ut in ipſâ quoque canitie fructus, eoſque optimos doctrinæ & librorum, quod tu eâ quâ nunc es ætate nunquam deſinis, proferat? Alia cum ætate marceſcunt atque intercidunt, tu verò vegetam adeo florentemque agis, ut nunc maximè vivere videaris, quo magis in propinquo ex communi humanæ vitæ curſu mors reputatur. Eſque eâ jam ætate, niſi & ſuperaveris, quâ Cato Major, quando apud Ciceronem, de ſenectute diſputabat; & quod ille de ſe, tibi quoque dici patieris, plane nec enervaſſe eum, neque afflixiſſe ſenectutem: atque quartum agebat annum ſupra octogeſimum. Rara hominum ætas, illorum præſertim qui à juventute acri ſemper occupatione ſtudiorum ſuos pridem ſpiritus detriverunt. Quomodo Tu, qui ab anno ætatis vigeſimo quarto publicæ in Academiâ profeſſioni admotus fuiſti. Utque mirabili Dei providentiâ, quando puer ad necem quæreba-

rebaris, in horrendâ clade Bartholomæâ, ſervatus ancillæ maximè induſtriâ fuiſti; ita diutius vivere, propter illos, qui ipſam tibi vitam, nedum longam invidebant, debuiſti, ut hoc quaſi fœnore illis inviſæ vitæ ſtudium remunerares, ſcirentque, nullo alio te tum omine ſervatum fuiſſe, quàm ut illis diutiſſimè ſupereſſes. Atque hinc tibi primam conſtantemque hæſiſſe curam oppugnandi & confundendi Papatus, à teneris adeo impreſſam commendatamque, colligimus. Quo in opere quantâ cum aſſiduitate, dexteritate, fructu & fœlicitate verſatus hactenus ſis, neſcio an Nos, an Adverſarii magis ſentiant. Certè totus orbis ſcripta tua loquitur & veneratur, gaudebuntque poſteri Molinæum, & tamdiu, tamque bene aliorum quam ſuis commodis vixiſſe. Venerabilis Beza annorum erat ſeptem ſupra octoginta, quando quieſcebat: magnus Rivetus, affinis ille tuus, meique, dum viveret, amantiſſimus, & qui in poſtremis ſuis ad me, de Te prolixe loquutus, annos attigit lxx i x.

Sicut fortis equus ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Illâ ætate legimus Athanaſium; provectiori etiam Hieronymum fuiſſe. Adeo notata à Veteribus quoque ætas, quando in eminentibus in Eccleſiâ Viris eam ſingularem, & ſolito grandiorem obſervarunt. Neque ullis magis vovenda, aut gratulanda ubi adeſt, quam iis, qui viam juſtitiæ ingrediendo, eamque alios docendo, hoc ejus præmium referunt, ut longævi ſint. Eſt סימנא טבא *bonum ſignum*, dicunt Hebræi, סבא בביתא *ſenex in domo*: atque ita quoque in Eccleſiâ, cujus regimen non aliis quàm *ſenioribus* committitur: ut ne quidem quæſtioni locus hic ſit, quam Plutarchus egregiè tractat; an ſeni gerenda ſit reſpublica? quum talis ad docendam regendamque Eccleſiam ita præ aliis idoneus habeatur, ut niſi ſenili inſtructum benè prudentiâ ſapientiâq; ad illam admittere liceat neminem. Ex quo vel ſolo, quæ muneris noſtri ſit ratio, quidque requiratur in homine, qui illud dignè obiturus ſit, perſpicuum. Senes, ὄντως tales, בעלי זקנה

זקנה ἁπλῶς τιμῇ venerandi, non qui ſolis annis & canitie tales, vel ſenectutem ignavam, moleſtam, aut turpem, ſed qui gravem, & omni virtutum genere decoram, ſemperque in publicum utilem ducunt, hi ſeu numina quædam, cœleſtem abitum quaſi in noſtri gratiam comperendinantia, ſuſpicendi. Sic vivis tu jam, & totus aliis vivis, ut tibi vivere, & tibi mori peræquè ferè negligere videaris. Deo interim gratias, quod eo adhuc es vigore & robore, ut munus in Eccleſiâ, & Academiâ, & in ſcribendis etiamnum libris alacriter & conſtanter peragere valeas: quodque juvenes ſenem audiant, quem juvenem ſenes audiverunt; ut, quod de ſe Auguſtus olim, hic uſurpem. Si cauſam roges, (quamvis non rogabis) quid Te compellem? vel librum hunc, Controverſias dictarum in orbe religionum, aut illarum capita exponentem, (ut alii, ut ſtudioſi. illa in promtu habeant, magnâ abſque hoc difficultate colligenda: additis de ſtatu religionum hodierno Diſſertationibus) tuo nomini inſcriptum eam?

cauſam me nunc juſtam ſatis expóſuiſſe confido: atque hanc exſpectavi occaſionem, ut Tuis ad me litteris, quamvis tardius, publicè reſponderem. Hoc denique precatus, in quo finio, ut Deus Te diutiſſime Eccleſiæ, nobiſque ſoſpitem conſervet: atque tandem æternùm beet.

Ultrajecti, in Muſæo meo, die VI. *Maji anno* CIↃ. IↃ C.LIII.

Venerandi tui Nominis

Cultor obſervantiſſimus,

JOHANNES HOORNBEEK.

IN

Summam Controverſiarum

VIRI CLARISSIMI

D. D. JOHANNIS HOORNBEEK,

Theologiæ in Illuſtri, quæ Lugd. Batav. eſt, Academiâ Profeſſoris eminentiſſimi.

Hactenus obductis quæritur Lux Alma tenebris
Tartareâ ſe ſalce meti, ſtrepituſque nefandos
Ætheream damnare minus, proh numina! gentem.
Sic ſe Erebi oſtentant acies, fauceſque doliqueque
Et quicquid nox dira parit. Veſana libido
Heu! domitis graſſatur agris, nec meta furori eſt.
Quis mihi Cajanos, Alogos, Baſſoſq; Secundoſque
Angelicos, Blaſtoſque canat (ſat nomina priſcis
Nota) Diotrephi, Gorthæi, ac fata Menandri?
Quis mihi vel fando memoret Barbaſq;, Nœtoſque,
Ammonios, Buddaſque, & cætera nomina gentis
Barbarie celebrata gravi. Renovare dolores
Impatiens mens horret adhuc. Si Tartara plaudant
Ut vis eſt veſana illis, ſi vincere cordi eſt
Et Domini calcare acies longo ordine, gyris
Inflexis, nec ſcire modum; Tu ſurgis in hoſtes
Impavidus, vir magne, truces, & vindice cœlo
Diſjicis unanimem magno diſcrimine gentem,
Sicque alios, Te ipſe beas. Nihil arma Pelagî
Mentibus officiunt cautis, nihil arma Socini

Imperio ſubjecta tuo. Deus eſſe triunus
Creditur invitis tenebris, quas mentibus almis
Objicit, & propriis cadit incurabilis armis.
Non Chriſti vis ulla perit, dum Filius aſtra
Deſerit, & patrias ſedes, æternaque regna
In terris prognatus homo. Non illa poteſtas
Quâ mortem devicit, & omina mortis amara
Fregit, & inferno vitam produxit ab alveo,
Queis mortis ſtat certa fides & gloria Fati.
Sic age, ſic Domini bellum gere ſerve fidelis,
Sic Domino ſic victor eris vincente fideli,
Et Magnus majora dabis; ſic gloria multum
Te vehet excelſum numen, ſic gloria cœli
Impetet audaces animas queis gloria vilis.
Et meritum cœleſte jacet, ſordetque prophanum.
Macte animo, Vir magne, Tuos, Chriſtique triumphos
Aſſere, & invictas Te defenſore tiaras.
Siquid ego vel Præco queam, faciliſque Poëta
In laudes id verto tuas, nomenque per orbem
Diffundi me vate velim. Myſteria Nomen
Si qua habeat, Vir celſe, Tuum, myſteria redde
(Sæpe vel externâ lateant Oracula voce)
Summaque diffuſo fundatur Copia Cornu.

EP I-

EPIGRAMMA
IN EANDEM SUMMAM,
Et luſus ad Nomen
H. O O R N B E E K.

HUloqueris, voxque illa Dei eſt, Tua bella, triumphus,
Et quæ vix cupias, perficis arte gravi:
Sic urges, ſic ora domas, ſic hoſtibus inſtas,
Et potuit qui vult vincere, velle mori.
Quid mirum eſt, Vox illa Dei, tua Copia Cornu eſt,
Et Tu qui Cornu Copia, Summa Dei es.

FRANCISCUS PLANTE.

AD
Virum Celebetrimum, Theologum Venerandum,
D. JOHANNEM HOORNBEEK,
Super ejuſdem
SUMMA CONTROVERSIARUM RELIGIONIS.

HOſtibus ex multis ut Religionis apertis,
(Quorum mille dolis ille vel ille perit)
Primus ἀπιςῳ ſit locus, Hæreticoque ſecundus,
Poſtremum teneat qui grave Schiſma fovet.
Horum & quiſque iterum ſe ſectis dividat amplis,
Omnia vix quarum nomina noſſe datur:

Ex

Exprimis hâc Summâ. Licet hac permulta requirant
Magnum opus, at tamen id pagina parva refert.
Et, quod miramur, varia arma doloſa retundis,
Atque hoſtes proprio ſic jugulas gladio.
Cæterà quæ promunt breviter ſolidèque refellis,
Quin ſimul incautos hos ſuperare doces.
Controverſarum fidei compendia rerum,
Sic igitur tutò, te Duce, ſcire licet.
Nunc Summas Scotiſta tenax, Thomiſtaque ceſſet,
Ut benè digeſtas commemorare ſuas.
Sunt miſera, elumbes, vana, ſunt deniquè falſa,
Queîs tua non unis anteferenda modis.
Hâc gravior, brevior, ſuccinctior, aptior haud eſt,
Solaque, quam ſcribis, Summa probanda venit.
Judicio Summiſta probo ſi perlegas illam,
Ut Symmyſta tibi, ſic mihi teſtis, erit.

JACOBUS BASELIUS, Eccleſiaſtes Kerckwervienſis, L. M. Q. C. die Maji III. Anni CIƆ IƆ CLIV. cum Summam ipſam, cum ſummâ voluptate, nec minori utilitate, legiſſet.

DISSERTATIO DE CONTROVERSIIS, ET *Diſputationibus Theologicis.*

Controverſiarum uſus. Sunt illæ, vel problematicæ, vel fidei. Hæ aut cum Infidelibus, aut Hæreticis, aut Schiſmaticis. Infideles, illi, ſunt Gentiles, tum Judæi, denique Muhammedani. Hæretici ſunt, Papiſtæ, Anabaptiſtæ, Enthuſiaſtæ & Libertini, Sociniani. Schiſmatici, ſunt Lutherani, Remonſtrantes, additâ diſtinctione, Brouwniſtæ, atque in Oriente multùm Græci. De controverſiâ Theologicâ, Diſputatione, & ſtudio controverſiarum in Scholis. Controverſiæ primæ exordium, & præcipua capita oſtenduntur in diſputatione Diaboli, cum Adamo, Geneſ. III, Primùm eſt religio; tum circa eam error; ex errore, controverſia; hinc diſputatio. Religio quid naturalis; Moſaica, vel Vet. Teſtamenti; Chriſtiana. Adverſus illam eſt Gentiliſmus, adverſus iſtam Judaiſmus; contra hanc, cum plenâ apoſtaſiâ, Muhammediſmus. Quid Schiſma, quid Hæreſis: & qui, ſive Hæretici, ſive Schiſmatici. Supremus erroris, atque apoſtaſiæ gradus eſt, peccatum in Spiritum Sanctum: hoc quid ſit. Controverſiam alius eſt qui movet, & qui eam ſuſtinet ac repellit alius. Videndum quis moveat, & quare, & quomodo. Quidam ex ſolâ contendendi libidine, de rebus futilibus, de verbis diſputant, & multiplicant quæſtiones, non minuunt. Illorum conſueta vehementia. Attendenda probè non res ſolum, ſed quoque animus opponentis. Quæſtio eſt vel primaria, vel ſecundaria. Diſcrimen inter controverſiam, & momentum ejus. Hoc neque elevandum nimis, neque aggravandum. Æſtimatur-

turque, ad fundamentum fidei, praxim, communionem Eccleſiæ, & ad ſtatus hominum. In reſponſione ad controverſiam, videndum inſuper quis, & quando reſpondeat, tum quo modo. Diſputatio alia ore fit, alia ſcripto: privatim, aut publicé. Uſus, & modus diſputationum. Quæ non etiam cuivis concedendæ. In Cenſura librorum non ſolum libri examinandi, ſed primum Auctor, cui concedi ſcriptio debeat; & libri, antequam ſcribatur, argumentum, atque delineatio. Diſputatio alia habetur cum Orthodoxis, alia cum Heterodoxis. Finis illius eſt duplex, vel convincere, vel componere. De ſtudio controverſiarum. Alia in ſtudioſo requiruntur, alia in ſtudiis. Ibi ante omnia ut ſit probus, & diligens, & modeſtus. Hic prærequiritur ſtudium linguarum, Hebreæ præſertim, Græcæque; etiam Philoſophiæ. Studium controverſiarum inchoanti neceſſaria ſemper precatio, & jugis lectio Scripturæ. Notitia controverſiarum prima habetur rudis, tum diſtincta, ex ſcriptis utriuſque partis elencticis. Adverſaria. Lectio librorum. In diſputatione bene ponendus controverſiæ ſtatus: non feſtinanter proſiliendum ad argumenta: tenendum filum veritatis: non multis argumentis ſtandum, ſed validis. Diſputandi dexteritas.

POſtquam eò tandem religionis res devenerunt, ut diſputationibus præcipue agi videantur, peculiare & non minimum Theologici ſtudii argumentum fuit hoc quod in tractandis ejus occupatur *controverſiis*. Siquidem non inſtituere ſolum & tradere dogmatica Theologiæ, vel ſolam praxim (prout nunc res ſunt) urgere ſufficit, niſi & in ſingulis etiam Theologiæ capitibus Adverſarios denotemus, & movere controverſiam, ac diſcutere, diſputationem inſtituere, & vel corroborare argumentis veritatem, vel falſitatem & errores redarguere etiam, atque diluere queamus. Unde in nullo doctrinæ genere tot vel libri deprehenduntur, vel quod libros tantopere extendit & excreſcere facit eſt aliud, quam quod habetur elencticum.

Duum autem generum controverſiæ noſtræ ſunt. Aliæ *problematicæ*, inter Orthodoxos ipſos, vel de rebus

bus fundamentum fidei non proxime concernentibus: *problema* etiam Tertullianus vocat, lib. de fuga in perſecut. *quod pertinent fratres ad tuum problema, habes ſententia noſtræ reſponſionem & exhortationem.* Aliæ ſunt controverſiæ *fidei*, quæ Eccleſiæ ſunt cum extraneis, cum *Infidelibus*, cum *Hæreticis*, adde & cum *Schiſmaticis.* Illæ graviores, proindeque cum majori animorum contentione, & divortio agitatæ; in quibus etiam cognoſcendis & decidendis majus momentum hæret, atque neceſſitas. Ea ſcire omnium intereſt, qui ad ſe aliquâ ratione pertinere putant, diſcrepantes in Chriſtianiſmo ſectas, aut extra eum generales illas, quibus maxima mundi pars ſubjacet, ſuperſtitiones, & infidelitatem noſſe. Non quod ad rationem fidei requiratur, etiam alia ab ipsâ, & repugnantes ubique errores ſcire: ſatis eſt tenere ſimpliciter religionis capita, neque neceſſe errores, vel quaſcunque in religionis negotio cognoſcere quæſtiones: hoc enim tu interrogaberis, quod ipſe, non quid alii crediderint. Veruntamen ad declinandas varias in vitæ noſtræ fideique curſu cautes & ſcopulos, dum ubique & ſub ſingulis fere capitibus errorum aut hæreſium latibula tenet Diabolus, valde expedit comperta habere errorum aut omnium, aut præcipuorum ſaltem, nobiſque viciniorum, argumenta. In Theologo certe id ſumme neceſſarium: quippe cujus hoc eſt negotium, quoſcunque à fide aberrantes erudire, & convincere; dum non poteſt, velle ſaltem, & ſcire tum à quibus extricandi homines ſint malis, tum in quem perducendi veritatis portum, ac aſylum. Quare de eo dubitare nolumus, nos aliquam gratiam, à Theologiæ Studioſis noſtris, quorum formandis in omnem Eccleſiæ operam ſtudiis à Domino præpoſiti ſumus, ituros eſſe, ſi hâc etiam in re juvare illorum laborem conemur, oſtenſo illis omnium per Theologiam controverſiarum indice, juxta ſingulas ſectas falſoque dictas religiones; facto ordine

à *Gentilibus*, ad *Iudæos*, tum *Muhammedanos*, quos omnes merito pro Infidelibus habemus; inde pergendo ad Hæreticos, *Papiſtas*, *Anabaptiſtas*, *Enthuſiaſtas* & *Libertinos*, *Socinianos*; denique ad Schiſmaticos, *Lutheranos*, *Remonſtrantes*, *Brownniſtas*, ſeu *Separatiſtas*; poſtremo & in Oriente *Græcos*. De illis omnibus agere ſtrictim inſtitui, & præformare diſputationem. Nam & controverſias ordine enumerabo, & quis tum ſingularum pſeudo-religionum genius ſit, tum quo modo diſputandum ubique; quique celebres hic ibi diſputatores, quid ultra agendum, meo quidem judicio, videatur, ad ſingula exponam. Quibus proinde ſingulares inſcribo libros, nequidquam exiguâ eorum mole deterritus: ubi cum me aliorum tueri poſſim exemplo, tum præſens res, materiæque momentum, & diſcrepantia adeo argumenta, &, quod præſertim hic reſpexi, ſtudiorum Theologicorum forma ac manuductio, quibus diverſi libri, Auctores, adverſaria, & curſus παιδείας conveniunt, diviſionem illam noſtram efflagitare viſa fuerunt.

De tribus impræſentiarum dicendum arbitror, de *controverſiis* Theologicis; de *diſputatione*, ſuper illis; denique de *ſtudio* controverſiarum, in Scholis bene inſtituendo & proſequendo. Initium omnis controverſiæ & diſputationis Theologicæ eſt à contentione primâ Diaboli, cum Protoplaſtis, Geneſ. III. Ubi adverſus hominem, quin Deum quoque, (ita omnis diſputatio contra fidem, utramque impetit) de graviſſimis & fundamentalibus religionis articulis ſuſcepta diſputatio fuit, de *Deo*; de ejus *obedientiâ* & cultu; denique de hominis *ſalute*, an in Deo, an extra eum collocandâ: quæ deinceps tria ſumma capita manſerunt, in quibus oppugnandis & evertendis omnem poſuit Diabolus induſtriam. Geneſ. III. *etiamne dixit*] *Deus, non comedetis de quâlibet horti arbore*? verſ. 5. *Verùm novit Deus, quo die comedetis ex eâ, oculos veſtros aperiendos*,

& ſi-

& ſicut Deus vos futuros, cognoſcentes bonum ac malum: Quo attentius ſæpiuſque hæc verba conſidero, eo certius in iis præcipua, adeoque fundamentalia diſputationis de religione capita deprehendo. Etenim hinc origo omnis Theologicæ diſputationis petenda, & ſumma articulorum controverſorum, qui potiſſimum ſemper agitati à Diabolo contra hominem, ejuſque religionem, & ſalutem fuere. Primò omnium *dubitationem* homini injicit, quæ ut fidei ſoliditatem ac conſtantiam vellicat, ita primam infidelitati, atque apoſtaſiæ januam pandit, ac viam: *adeone dixiſſet Deus*? Primus aberrandi gradus eſt, de veritate dubitare; & Diabolus, qui non auſit ſtatim objicere homini apertam à Deo defectionem, eam ſub incautæ dubitationis formâ proponit, & urget. Dubitationem movit Dæmon de Dei *veritate:* an Deus id dixiſſet? videlicet hoc proſtrato, ut non amplius Deum credamus verum aut veracem eſſe, nihil religionis ultra ſupereſt. Inſuper quaſi *malus* eſſet Deus, ita eum homini depingit, invidum nempe felicitatis humanæ: unde ſponte jam ſequebatur, *non* eſſe quod tali Deo, ejuſque mandatis amplius *obtemperaret.* Atque hoc eſt homini ſuadere, Deum *ut tentet*, probam videlicet ejus capiat, experiaturque, annon, contra ac minatus erat, per fructum arboris iſtius vetitæ guſtatum, ad divinam perventurus fuiſſet ſapientiam, adeoque felicitatem. Quippe & hoc diſtinctum controverſiæ caput erat, diſputatione hâc mire involutum implicatumque, in quo conſiſteret hominis *felicitas:* an in præcisâ abſolutâque Dei & mandati ejus obedientiâ? quod unicè impugnatum ivit ſuâ tentatione Diabolus. Et ſane evictis illis omnibus, facillimum eſt Satanæ ſeipſum *Dei loco* ingerere, apud illos quibus iſta perſuaſerit. Et hoc ejus in jugi, quâ homines vexat, diſputatione molimen, hic ſcopus eſt, dejectâ Dei reverentiâ & cultu, ejus thronum locumque invadere, & ſe Deum facere. Manifeſtum id quoque in ge-

geminâ tentatione, quâ Chriſtum initio adortus eſt, Matth. IV. Ita ſc. oportuit, utrumque Adamum non multum diſſimili tentatione aggredi, eventu licet longe diſpari. Uti illic, ita & hic, Chriſtum à Deo avocatum avulſumque voluit & ſubjectum ſibi, tum, ne ſe Dei filium crederet, quin præberet clientem Diaboli, eum adoraret & coleret. Conveniebat prætterquam in re, etiam in modo, tentatio ac diſputatio utraque, initio, vel hypotheſi factâ à dubitatione: ibi, num Deus dixiſſet? hic, num verum, quod itidem dixiſſet Deus, [illegible] Chriſtus ſciebat, ſe eſſe Dei filium? Obſervemus ergò, præcipua, quæ in contentionem Diabolus trahit, capita ſuper religionis negotio, hæc ſemper I. eſt de Deo *dubitatio*, ſive de naturâ ejus, ſive de verbo. II. an Deus per omnia *verax*? adeoque an *fides* ei ſemper habenda ſit? Noverimus, Diaboli eſſe has objectiones, quarum nunc inſtituimus analyſim. III. an omnino *bonus* Deus? IV. an ubique & ſemper ei *obediendum*? V. quid, annon *tentare* eum aliquando conveniat? VI. in quo hominis ſita ſit *beatitudo*? an in individuo cum Deo nexu & conjunctione? VII. ſi non forte præſtet *Diabolum* pro Deo accipere & colere? Hæc illa ſunt capita, quæ ut in primâ Diaboli tentatione omnia ceu totidem ſpicula conjuncta & contortiplicata (ut Plauti verbo utar) fuerunt, ita poſtquàm iis ceſſit homo miſere victus, perpetuum fuerunt diſputationum adverſus hominem, & quam Deus præſcripſit homini religionem, Diabolo argumentum. Cedo quid in omni errore & peccato Diabolus agit, vel committit peccator homo: quam ut de Deo dubitet, & Deum tentet, neque ei obediat? nec etiam eatenus in ſolo Deo, ejuſque cultu, & communione ſummum bonum collocet. Et hoc quanto ſtudio quæſitum à Gentilibus fuit, in quo ſitum eſſet? idque omne ex primâ illâ Diſputatione, ſecutâque ad eam infelici hominum deviatione & lapſu. Omnis diſputatio aliquo nititur

erro-

errore, ut eum vel inducat, vel amoliatur: atque ubi errori nullus, non quoque diſputationi ſeriæ locus eſt. Vtrumque hic ſpectatur, quatenus cadit in negotium *religionis*, ſeu *error*, aut *controverſia*, vel *diſputatio*: illaque ſe ita mutuo ſubſequuntur, ut ſuper religione primùm naſcatur error, inde controverſia, demum de controverſiâ diſputatio.

Religio, vel *ſtrictè* ſumitur, pro cultu Dei ſpecifico, qui primâ legis tabulâ injungitur, & ſolum Deum habet pro objecto immediato, ac proprio, quæ aliter pietas *εὐσέβεια* dicitur; vel *latè*, pro omni virtutis probitatiſque officio, ſive Deum proximè, ſive homines concernat, à Deo nobis in lege, ſeu utriſque Decalogi tabulis, imperato. Vti elogium juſti in Sacris, quando homini tribuitur; vel quomodo in Scholis dicitur juſtitia univerſalis; pari latitudine accipitur etiam religio. Certè in epiſtolâ Jacobi, cap. 1. verſ. ult. & penult. religionis dicitur eſſe linguam ſuam benè cohibere, viduas & orphanos inviſere, quæ præcepta aliàs referuntur ad ſecundam tabulam. Eodemque tendit diſtinctio Scholaſticorum de religionis actibus, in proprios & immediatos ſeu *elicitos*, per quos homo ordinatur ad ſolum Deum; quod convenit cum religione, priori & ſtrictâ acceptione: & in actus ejus *imperatos*, quos producit mediantibus aliis virtutibus: omnes tamen ultimò in cultum ac reverentiam Dei ordinantur, qui elicitive ſunt ſuarum virtutum. v. g. viſitare orphanos viduaſque, actus elicitus à miſericordiâ; & immaculatum ſe cuſtodire à mundo, actus temperantiæ: ſed imperantur à religione, à quâ habent, ut omnia hæc religiosè fiant; quod convenit cum religionis acceptione noſtrâ ſecundâ, latiori. Vide *Thomam* II. II. *qu.* lxxxI. *art.* I. Quâ ratione Religio commodè definiri vel deſcribi poteſt, ex Clementis Alexandrini Pædagogiâ, *Pædag. lib.* I. *cap.* VII. *παιδαγωγία ἡ θεοσέβεια, quæ eſt doctrina divini cultus, & eruditio ad adſequendam*

veritatis agnitionem, & recta inſtitutio, vitaque agenda ratio, quæ in cælum deducit. Religionem Græci θρησκείαν, Hebræi עבודה dicunt, quod *ſervitutem* ſonat: atque religionem omnem falſam, & nominatim idololatriam, iidem appellant עבודה זרה, contractè עז, de quo extat integer codex in Talmude. Græci θρησκεία & θρῆσκος, quod utrumque occurrit Jac. I. verſibus indicatis, à θρᾴξ, θρῇξ *Thrax*, (unde & θρασκίας ventus), quia apud Thraces ſcilicet Orpheus primus Deorum cultum introduxerit, derivant: in Sacris N. Teſtamenti in genere pro religione venit, ſive de verâ Jac. I. 26. 27. ſive de falſâ ſermo ſit, uti Phariſaiſmum ſuum Apoſtolus, Act. XXVI. 5. vocat τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας. & Coloſſ. II. 18. θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. *Religionis* vocem alii à *relegendo* derivant, uti *Cicero*; & ex eo Iſidorus, *qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & quaſi relegerent, ſunt dicti religioſi à relegendo.* Alii à reëligendo, ut dicat, nos Deum reëligere atque redamare: qui potius in verbo luſus videtur, quam ejus derivatio. Cum Lactantio malimus à religando vocem trahere, *lib.* IV. *de verâ ſap. cap.* XXVIII. ubi & Ciceronis illam ſententiam rejicit: *diximus nomen religionis à vinculo pietatis eſſe deductum, quod hominem ſibi Deus religaverit, & pietate conſtrinxerit: quia ſervire nos ei, ut domino, & obſequi, ut patri, neceſſe eſt, melius ergo id nomen Lucretius interpretatus eſt, qui ait, religionum ſe nodos exolvere.* Quò & Auguſtinus reſpexit, dicens: *religet nos religio uni omnipotenti Deo*, lib. de vera relig. cap. lv. atque paulo ante: *ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas noſtras, unde religio dicta creditur.*

Omnis vera religio, & quæ à Deo, triplex unquam fuit, *Naturalis*, ex principiis & jure naturali: *Moſaica*, in Veteri Teſtamento; *Chriſtiana*, in Novo: illa omnium hominum fuit, & prima; iſta Judæorum; hæc nunc eſt Chriſtianorum: niſi quod ante Moſaicam Dei popu-

populus præter naturalem etiam *inſtitutam* habuerit, cum Moſaicâ poſtmodum ſubſecutâ convenientem, quæque utrobique & legem, & Euangelium variè docuit; atque ita alia poſt aliam ſucceſſit religio, vel diverſus Deum colendi modus, priore plenior, ad ſalutem una ſemper eademque, uſque ad poſtremam hanc noſtram Chriſtianam conſummatiſſimam: non quod legi, aut doctrinę morum ſub antiquo etiam Teſtamento quidpiam defuerit, ſed quod τῷ τρόπῳ religionis, alia perfectior atque abundantior œconomia fuerit ſurrogata, *ſuperducto Euangelio expunctore totius retro vetuſtatis*, inquit Tertullianus, lib. *de Oratione.*

Jam *errores* quod ſpectat (circa vocem non hærebo, quæ deviationem quamvis denotat, ἁμάρτημα, inde quodcunque peccatum error habetur, reveraque eſt: & nos hic, à veritate quando peccatur, errorem appellamus) ſunt ii ſuper religionis nunc dictæ negotio, vel adverſus Naturalem; aut Moſaicam; aut Chriſtianam. Adverſus illam errando peccant *Gentiles*; iſtam, *Iudæi*; contra hanc totam videlicet, ex univerſali & plenâ apoſtaſiâ, *Muhammedani:* nam adverſus Chriſtianam religionem ex parte erratur, ſub nomine etiam Chriſtiano, ab hæreticis, aliiſque. Ex Naturali Theologiâ aut religione convincendi ſunt Gentiles; ex Moſaicâ, Iudæi; ex quâcunque, & Naturali, & Moſaicâ, & Chriſtianâ, Muhammedani, quia illam omnem aliquâ ratione admittunt, & in quamcunque etiam peccant.

Succedunt *Hæretici*, qui ſub profeſſione Chriſtianiſmi, religionem tamen Chriſtianam vehementer lædunt, ejuſque veritatem in multis oppugnant: atque uti iſti religionis hoſtes ſunt, quamvis ſub unâ ejuſdem profeſſione; ita *Schiſmatici* ſub unâ haberi volentes aut viſi Eccleſiâ, tamen in nonnullis hujus, & quoque ſinceræ religionis adverſarii exiſtunt. Religionis ergo trium generum homines inimici ſunt, vel qui extra omnem religionem & Eccleſiam Chriſtianam ſunt, *Infide-*

fideles; vel qui ſub eâdem religione Chriſtianâ ſe quaſi obtegunt, *Hæretici*; vel qui etiam ſub eâdem fere Eccleſiâ, *Schiſmatici*. Quum enim à noſtrâ parte ſe teneat & religio, & Eccleſia, apud quam religio eſt, adverſarii tum religionis, tum Eccleſiæ, vel extra utramque degunt, & nihil ſibi cum utrâque commune volunt, quales ſunt primæ claſſis infideles; vel religionem eandem impugnant, nihil cum eâdem commune habentes Eccleſiâ, Hæretici; vel quaſi fere ejuſdem Eccleſiæ, & huic tamen, illique in nonnullis adverſi, Schiſmatici. Omnium illorum errores, & vel Infidelitas, vel Hæreſis, vel Schiſma, alterum altero majus eſt, aut minus. Infidelitatem apoſtaſia facit, eâ minor eſt Hæreſis, hâc Schiſma, omnium una mater Error, ex errore contentio, inde tum reliqua. Vnde Apoſtolus ſignanter utrumque conjungit, ſchiſmata & contentiones, 1. Cor. 1. 10. *ne ſint in vobis ſchiſmata*: v. 11. *indicatum mihi de vobis, quod lites inter vos ſunt*. Sic à Scholaſticis, apud Thomam. II. II. qu. XXXVIII. *de contentione*: alterâ ſequente quæſtione agitur *de Schiſmate*.

Schiſma, uti & *Hæreſis*, vel late ſumitur (quin vox hæreſis aliquando in bonam etiam partem, & quælibet ſententiarum animorumque ſciſſura ſchiſma quaſi aliquod eſt: *ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus*), vel ſtrictè. Nam ſenſu Eccleſiaſtico illa ferè opponi ſolent, ut minus hæreſi ſchiſma ſit. Hoc, propter aliquam (ſed hic, vel ibi majorem) cauſam doctrinæ eſt, aut diſciplinæ, quæ uti proponitur, per ſe & primò non videtur tollere fundamentalem religionis articulum; hæreſis immo. Quo ſenſu doctrinam *Lutheri*, ex quâ Lutherani judicandi; tum *Brownniſtarum* Anglorum; etiam *Arminii*, unde Arminiani (diſtinguendo illos ſemper à Sociniano-Remonſtrantibus), denique & *Græcarum* in Oriente Eccleſiarum, inter Schiſmata numeramus. Quæ unitatem Eccleſiæ, cujus communionem

nem non videri voluerunt omnino abjicere, lędunt, alia aliis graviora. *Oportebat quidem nihil non ferre, ne Eccleſiam Dei ſcinderes*, ſcribit apud Euſebium lib. vi. cap. xlv. Dionyſius Alexandrinus Novato. Hæreſes, nec propter doctrinarum divortia, nec animorum, poſſunt aut volunt Eccleſiæ ejuſdem unitatem colere; ſed quæ fundamentales fidei articulos apertè convellunt, religionis, & Eccleſiæ æque inimici ſunt. Horum cenſu veniunt nobis *Papiſtæ*, *Sociniani*, *Enthuſiaſtæ* ac *Libertini*, ſi aliqua ipſorum religio dicenda ſit: *Anabaptiſtæ*, quia varium hominum genus eſt, & ignorans paſſim, vixque aliquando præter anabaptiſmum, aut juramenti, & officii Chriſtiano-politici negatum ſibî uſum, & ignoratam carnis Chriſti originem præ ſe ferens, aliàs verò ultra procedunt ad Pelagianiſmum, & Socinianiſmum, pro re natâ ferendum de illis judicium erit. Hæreſis Schiſma (de quâ diximus etiam in Apparatu ad Confutationem Socinianiſmi); illam apoſtaſia ſuperat, peccati & malitiæ gravitate. Apoſtaſia eſt præterquam in *doctrinâ*, alia in *vitâ*. Et Schiſma, & hæreſis, & apoſtaſia eſt vel *naſcens*, vel *conſummata*: quâ de diſtinctione conferſis Iohannis Raynoldi, eruditiſſimi Theologi, *prælect.* 1. *de libris Apocryphis*. Summus errandi gradus eſt apoſtaſia; apoſtaſiæ autem gradus ſummus *peccatum*, quod dicitur, *in Spiritum Sanctum*, ubi non ſolum deficit aliquis à veritate, verum & eidem, & convictioni de eâ apud conſcientiam ſuam claræ opponit ſe quantum poteſt malitioſe, & perſequitur eandem, ac blaſphemat, unde non peccatum ſolùm, ſed blaſphemia dicitur: quod quid ſit, ob rei difficultatem, lubet penitius inveſtigare.

Blaſphemiam eſſe βλάπτειν τὴν φήμην, famam alicujus nocere, Græci tradiderunt. Hebræi dicunt חרפה *opprobrium*, contumelia. גדופה: & חללה, & קללה *maledictio*. ברך utrumque & *benedixit* ſignificat, & *maledixit*. Ita ſecundum inter ſeptem univerſalia Noachi

præ-

præcepta, tantopere à Iudæis deprædicata, eſt, על ברכת השם *de maledictione Dei.* Ac Iobi primo, & ſecundo capite hæc vox ברך iſto ſequiori ſenſu occurrit, atque etiam alibi: an per antiphraſim, ut multis placet, pro minime benedicere? quemadmodum *bellum*, quaſi minime bellum, apud latinos: an *benedicere*, pro *maledicere*, atque hoc demum pro renuntiare, ſeu numen abnegare? uti apud Seldenum, *de Iure naturali Ebr. lib.* II. *cap.* II. Martinus de Roa. annon potius, quod & Seldeno placet, pro ſingulari linguæ ſanctæ idiotiſmo, in utramque partem æque pro circumſtantiâ loci accipiendum? ut apud Latinos, *ſacrare*, & *imprecari*: etenim in ברך nihil proprie, quo, juxta Hebræos, benedicere aut maledicere ſignificetur. Blaſphemia in genere dicit contumeliam alicui impactam, ad ejus honorem vel excellentiam deprimendam. Committitur vel in *Deum*, vel in *Creaturas*; præcipuè quidem *ſanctos*, & *Angelos*; vel *homines*. Tit. III. 1. *neminem blaſphemare*. ubi proximè reſpicit magiſtratus & poteſtates, quibus verſ. 1. ſubjectionem deferri & obedientiam, imperat. Eph. IV. 31. *omnis blaſphemia tollatur à vobis*. 1. Reg. XXI. 10. contrà Nabothum, ברכת *maledixiſti Deo, atque Regi*. Iudas, epiſt. verſ. 8. *κυριότητα ἀθετοῦσι. δόξας δὲ βλασφημοῦσιν.* Sed & hæc in Reges, qui Dei ſunt *ἀπαυγὴ*, blaſphemia, in Deum ipſum indirectè vergit.

Multipliciter & haud uno modo committitur in Deum blaſphemia. Quatuor ejus habes ſpecies I. quando contumelioſe, atque per ſummum *contemtum* quis in genere de Deo malè loquitur: uti Pharao, *quid eſt Dominus*? &c. Exod. V. 2. II. Quando quis *detrahit* Deo ea, quæ ipſi debentur & propria ſunt: ut ſi quis neget Deum, juſtum, ſapientem &c., vel Deo filium &c. III. Quando *attribuuntur* Deo, quæ ei neutiquam conveniunt, & cum divinâ ejus naturâ apertè pugnant. Vt quando Phariſæi Christum dicebant hominem edacem,

ac bibonem. Matth. XI. 19. vel quod per Beëlzebub dæmonia ejiceret, Luc. XI. 15. ſimiliaque plura. IV. Denique quando *creaturis* adſcribitur, quod ſoli Deo proprium eſt: ut quando homini adſcribunt poteſtatem remittendi peccata. Blaſphemia alia magis *directè*, alia fit magis *indirectè*: atque *apertior* alia eſt, alia magis *palliata*. Apertæ, atque directæ exemplum horrendum dedit P. Iulius II. *al diſpetto di Dio*, blaſphemiâ Italis uſitatiori: de quâ, an blaſphemia ſit, & ut ab hoc crimine uſum ſuum loquendi purgent, quærant Iuriſconſulti, Baldus de Vbaldis, *Vol.* 3. *Conſil.* 3, 6, & Thomas Grammaticus, *deciſ. Neapolit.* 50. nobis res illa extra quæſtionem ponitur, ac dubium.

Quid blaſphemia in Spiritum Sanctum, explicari debet ex Matth. XII. 31. 32. *quodnam* hoc peccatum ſit? quare dicatur *irremiſſibile*? denique quomodo *dignoſcatur*? I. Quis *Spiritus S.* adverſus quem hoc peccatum propriè dicitur committi? quid *peccatum*, vel *verbum*, vel *blaſphemia*? quibus vocibus & notionibus peccatum hoc in Scripturâ deſignatur. Per Spiritum Sanctum, ſunt qui intellexerunt, ipſam *Dei eſſentiam*; nomine Spiritus S. eſſentialiter ſumto. Sunt qui tertiam in S. Trinitate, Spiritus S. *perſonam*: vel Spiritus Sancti dona, effecta, *&* *operationes* in homine. Hoc bene: ita tamen, ut peccatum adverſus opus Spiritus S. in veritate homini oſtendendâ, etiam adverſus Spiritum S. Deumque (nam blaſphemia proprie perſonam reſpicit) commiſſum habeatur. Syrus, & Arabs habent, *in* Spiritum S.: in Græco eſt κτ̃ τȣ̃ Πνεύματ☉ τȣ̃ ἁγίȣ. Non omne peccatum in vel adverſus Spiritum Sanctum eſt blaſphemia. Contra Spiritus S. perſonam, etiam opera, gratiam & dona peccatur, non ſemper tamen ex malitiâ, vel cum blaſphemiâ. Hoc peccatum quod dicitur blaſphemia, atque in Spiritum S. à multis variè explicatur. Toletus in Lucam *cap.* XII. octodecim ejus adfert expoſitiones: quas Corn. à Lapide in

Matth XII. ad ſeptem contrahit. Nos nec has, neque illas ſectamur, quæ videri ſuis locis poſſunt, atque examinari. Attamen quia aliorum ſententias in hujuſmodi quæſtionibus audire quam maxime convenit, primo ſunt qui intelligunt hoc peccatum, de peccato *ex malitiâ*; uti peccatum ex ignorantiâ, peccatum contra Patrem; ex infirmitate, contra Filium; ſic ex malitiâ quod peccatur, eſſe hoc peccatum in Spiritum Sanctum: quæ ſententia placuiſſe videtur Magiſtro Sententiarum, II. *diſt*. XLIII. & Thomæ, 22. *qu*. XIV. ſed rejicitur, & refutatur à Bellarmino, *lib*. II. *de pœnitent*. *cap*. XVI. vide & Sixtum Senenſ. *bibl*. *lib*. VI. *annot*. LVI. Ejuſce peccati conſtituunt tum ſex ſpecies, ſc. deſperationem, præſumtionem, impoenitentiam, obſtinationem, impugnationem veritatis agnitæ, & invidentiam fraternæ gratiæ. De quibus Thomas, *art*. II. Et ante eum, Alex. Alenſis, *part*. II. *qu*. CLXVIII. *memb*. III. Secunda ſententia eſt, exponentium hoc peccatum, de finali *impœnitentiâ*; quæ fuit Auguſtini: redarguitur autem ab Eraſmo, in *Notatis contra Bedam*, *pag*. 17. 18. Bellarmino, Gomaro, *in Matth*. XII. Tertia ſententia exponit, *de peccato poſt baptiſmum*; quæ fuit Origenis olim: ſed ab Athanaſio, aliiſque merito rejecta. IV. intelligitur ab aliis, *de negatione fidei* in perſequutione. V. de odio, convitio ac *contumelia in Deum* VI. de peccato *ſimoniæ*. VII. de Pneumatomachis, negantibus *Spiritus S. Deitatem*. Verùm hiſce omnibus omiſſis, quæ judicamus rem non explicare; refutare autem non eſt hujus loci: dicimus; blaſphemiam in Spiritum Sanctum, eſſe peccatum, quo, qui de veritate religionis Chriſtianæ ſatis certò & evidenter eſt convictus, idque Spiritus S. gratiâ & operatione, tamen tandem illam, de quâ adeo perſuaſus eſt, veritatem ſcienter, volenter, malitioſè, ac totis viribus abnegat, oppugnat, blaſphemat. Materia peccati eſt, veritas doctrinæ Sacræ, omnis quidem ejus, legis

gis & Euangelii, potiſſimum tamen Euangelii, Chriſtique: non enim videtur aliud ſingulare & ſpecificum peccatum eſſe irremiſſibile, & irreconciliabile peccatori apud Deum, quam quod mediatorem Chriſtum impetit, eumque & ejus notitiam ac fidem deſtruit. Requiritur in homine ſic peccante, ut ſit illuminatus, perſuaſus & convictus de ſacrâ veritate, ſufficienter, ne excipiat aliqua ſe quidem veræ doctrinæ ſcire, non autem præcipua, nedum omnia capita, & certò: quouſque enim dubitat de veritate, quales tempore Chriſti multi inter Iudæos erant, non eſt convictio, neque ex malitiâ abnegatio, vel oppoſitio. denique etiam *evidenter*: ne obſcuritatem, vel tenebras ignoratæ veritatis prætendat. At, dices, quomodo id fieri poteſt, ut quis ſic contra mentem ſuam, illuminatam & inſtructam probè, peccet? quomodo id poſſibile, per naturam? præſertim ſi ſtatuamus, voluntatem ſemper intellectum ſequi, ab eoque determinari, neque poſſe ab ejus dictamine vel regulâ abire, ne in incognitum, aut malum feratur, quà malum? Hæc quidem objectio graviſſima eſt, contra illam ſententiam de determinatione voluntatis à judicio intellectus, atque maximè ab aliis urgetur in contrarium: ſolvi tamen poteſt perquam commodè, unâ vel alterâ adhibitâ diſtinctione. Quare notandum primò, aliud eſſe judicium intellectus *theoreticum*, aliud *practicum*. Theoreticum peccantibus in Spiritum S. benè conſtat, eoque ſatis ſuperque norunt veritatem ſibi patefactam, perſuaſamque; ſed practico, quo judicatur, quid agendum, vel ſequendum ſibi ſit, aberrant: hoc enim ſpeciem boni malo imponit, quando determinat ſequendum, quod in ſe theoreticè videt quidem malum, at, vel ut malitiam ſuam oſtendat homo & experiatur, ob φανόμενον, ſequendum tamen arbitratur. Deinde etiam diſtinguendum in judicio intellectus practicò, *abſolutum*, vel *comparatum*. Abſoluto quidem videt homo, caveri à

ri à ſe oportere peccatum iſtud; at judicio comparato, circumſtantiis omnibus expenſis, & ſui ſuæque malitiæ habitâ potiſſimum ratione, videns quamtumvis meliora, probanſque, deteriora tamen mavult ſequi. Vti fur, qui in ſe abſolutè, & theoreticè novit ſatis furtum malum eſſe, & ſibi quoque cavendum, at lucrum reſpectans, hoc præfert ſuumque commodum, & furatur. Vel judicium practicum diſtingue, in *primum*, & *ultimum*. Primo judicas facilè aliquid non agendum, quod mutato conſilio, & ex ultimâ προαιρέσει ſecus ſtatuis amplectendum. Videre itaque licet, quomodo, quantumlibet in peccato adverſus Spiritum S. mens peccatoris bene ſit illuminata, etiam contra eam peccare nihilominus fœde homo queat. Alterum requiſitum eſt ad hoc peccatum, præter *convictionem* & perſuaſionem de S. veritate, ut quis à *Spiritu S.* ſit illuminatus, & convictus, forte & ſentiat in ſe hoc effectum Spiritus S. eſſe, illuminantis, quamvis non ſanctificantis. Deſignandum enim in doctrinâ hujus peccati venit, quare non contra veritatem adeò dicatur peccatum, ac quidem contra Spiritum Sanctum: quod hinc petendum. Formam peccati conſtituit veritatis iſtius, atque per Spiritum S. illuminationis *abnegatio*. Deinde *oppugnatio*, in *ſe*, & in *aliis*. Oppugnat veritatem & ejus auctorem Spiritum Sanctum, θεόμαχος, vel πνευματόμαχος, atque ejuſdem profeſſores fideles. Quia veritatem illam oppugnat in ſe, ideo & in aliis quoque: pari odio armatur in eandem veritatem quomodocunque, & contra ejus promotionem, Auctoremque ipſum. Denique accedit veritatis, & Auctoris *blaſphematio*: non enim peccatum eſt ſimpliciter, vel peccatum in Spiritum Sanctum, ſed blaſphemia, unde veritas, ejuſque auctor Spiritus Sanctus diriſſimè calumniantur, & quæ quis ſentit eſſe diviniſſima, damnat tamen, clamatque eſſe Diabolica. Atque hæc adjuncta peccati ſunt, ut homo faciat *ſciens* contra conſcientiam,

tum

tum *volens*, atque ex *odio* & malitiâ, & omni adeo conatu, totiſque *viribus*. Vide ſententiam, & explicationem ſynodi Lingonienſis, de peccato in Spiritum Sanctum, anno 1404 apud Bochellum, *Decret. Eccleſiæ Gallicanæ, lib* I L. *tit*. IX.

Quæritur, an ad hoc peccatum neceſſe ſit, omnem ac totam veritatis doctrinam atque capita oppugnare; an vero *ſatis* ſit, nonnulla, ſed ea præcipua & maximè *fundamentalia*, impetere? *Reſp*. non requiritur neceſſario ad hujus peccati conſtituendam eſſentiam, ut omnis veritas, & quæcunque religionis capita blaſphementur; ſufficit ſi unum, ſed illud præcipuum, v. g. Chriſtus. Vt ſiquidem Phariſæi peccarint, vel eorum aliqui hoc in Spiritum S. peccato, non neceſſe neque etiam veriſimile, illos, ut Chriſtum, ſic quoque Moſem, & omnem religionis Moſaicæ vel Iudaicæ veritatem oppugnaſſe: quamvis facilè ad illud peccatum hoc ſequatur, ut ab uno articulo ad reliquos blaſphemandos pergat hominis impietas. Vide de hoc Iuſtum Fewrbornium, Theologum Lutheranum, in ſingulari hujus argumenti Commentario, lib. *de peccato in Spiritum S. cap*. XII. Quæcumque ad hoc peccatum diximus pertinere, conjungenda, neque divelli quîdpiam debet. Alioqui facile evenit, ut quis etiam optime de veritate perſuaſus, atque à Spiritu Sancto, eam tamen neget, qui non ideo in Spiritum Sanctum dicetur peccare: quales qui in perſequutione labuntur, qualis etiam Petrus Apoſtolus; at defuerunt hic poſteriora ad peccatum iſtud pertinentia: quippe quamvis negavit ille Chriſtum, contra animum egit, neque Chriſtum oppugnavit, vel blaſphemavit, non ex malitiâ, pronoque vel toto animo. Contrà, Paulus *ἐμμανίαν ἀπειλῆς καὶ φόνου*, ex odio quidem Chriſtum, ejuſque veritatem blaſphemavit, ſed defuerunt priora: non enim negavit ſciens, volens, aut de veritate inſtructus, vel convictus. 1. Tim. 1. 13. *antea qui fui blaſphemus & perſecutor & ca-*

lumniator; ſed miſericordiam conſecutus ſum. ὅτι quia ignorans feci in infidelitate. ὅτι, non eſt particula αἰτιολογικὴ ſed διακριτικὴ, peccatum Pauli deſcribens, & diſcernens ab aliis peccatis, etiamque ab hâc in Spiritum S. blaſphemiâ.

Quid jam quod hoc peccatum dicitur *irremiſſibile*? nam dicitur non remittendum, οὐκ ἀφεθήσεται, tum οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. Irremiſſibile volunt aliqui non abſolute & ſimpliciter intelligendum eſſe, ſed vel quod *ut plurimum* & ordinariè non remittatur; vel difficulter: quod ferè eodem redit; quod enim difficulter, id ut plurimum vix fieri ſolet: illud Bellarminus, aliique. Deinde alii putant irremiſſibile dici, videlicet niſi peccator iſtius nominatim peccati ſeriam egerit *pœnitentiam*; ſic Socinus explicat in Ioann. v. ſed ſic fere omnia peccata dicenda erunt irremiſſibilia eſſe, non hoc peccatum ſolum. Exiſtimamus autem hoc peccatum dici irremiſſibile, quod revera, & ſimpliciter nunquam à Deo remittatur alicui hoc peccati *genus*. Non quod impoſſibile Deo ſit per abſolutam potentiam, quod Dei vel Chriſti impotentia hic aliqua ſit in remittendo aut expiando: nec ſufficit, meo judicio, dicere peccatum hoc irremiſſibile eſſe non propter ſe, ſed propter aliud, ſc. ob finalem impœnitentiam; nam ita omnia peccata irremiſſibilia: ſed per juſtitiam Dei impoſſibile eſſe hoc genus peccati alicui remitti, quia nempe de iſto peccato ita conſtituit Deus, ne remittatur alicui, & hoc juſte quidem, propter ſummam iſtius delicti atrocitatem, quod contra unicum ſalutis medium, & gratiam Spiritus Sancti, qui ſolus converſionem, fidem & ſalutem efficere poteſt, tam indigne committitur, dum is, ejuſque gratia in Chriſto nobis revelando, procaciter contemnitur, oppugnatur, atque ex mero, & contra conſcientiam, odio blaſphematur. Hoc eſt, quod Apoſtolus dixit, *iterum crucifigentes ſibi Filium Dei & proſtitu-*

ſtituentes. Heb. VI. 6. quod vero *ἐξηγήσεως* cauſa Chriſtus addit, non remiſſum iri peccatum iſtud in hoc, neque in futurô ſeculô, neutiquam Purgatorio extruendo facere, ut quidem Papiſtæ vulgò velint, hinc ſatis manifeſtum. I. quià nullô modô ſequitur, peccata in altero ſeculo remittuntur, vel non remittuntur; ergo datur, vel neceſſe eſt hic intelligere Purgatorium. II. imò punitio *hujus* peccati etiam ſecundum Papiſtas non poteſt intelligi in Purgatorio fieri, nedum remiſſio, quia peccatum hoc in ſupremo gradu mortale, non in Purgatorio, etiam ſecundum ipſos, ſed in inferno puniendum. III. In Papiſtico Purgatorio dicuntùr puniri, qui purgantur, & pœnis debitè perpeſſis ſuperiòres tandem evadunt: at peccatum in Spiritum S. dicitur nunquam non puniendum; ergo non in Purgatorio. IV. *Neque in hoc, nequè in futuro ſeculo*, non diſtinguit remiſſionem, alia ut hic, alia ut tum fiat; ſed durationem non-remiſſionis, ſive punitionem perpetuam ſignificat: unde Vulgata, Marc. III. 29. appellat, *æternum delictum*. V. Remiſſio peccatorum aliqua fiat in futuro ſeculo; at nòn ideo in purgatorio: ſed in judicio poſt reſurrectionem ſupremo & univerſali. Futurum iſtud ſæculum non incipit à morte: ſed à reſurrectione. Luc. XX. 34. 35. *filii hujus ſæculi uxores ducunt, & nuptum dantur.* hoc eſt, ut benè Gomarus, hoc ſuper negotio, in Matth. XII. qui ante finem & conſummationem hujus ſæculi erunt, illi nubent; & ut Luc. XVII. 26. 27. *qui verò digni habiti fuerint, ut conſequantur illud ſæculum & reſurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur.* Sic Marc. X. 30. Eph. I. 21. hoc ſæculum, & futurum opponuntur. Hebræi dicunt עולם הבא & עולם הזה. VI. ſenſus phraſis ſimpliciſſimus eſt, nec reſpiciendum propriè ad ſæcula; quod remittetur *nunquam εἰς τὸν αἰῶνα* Marc. III. 29. Quid quod inter Papiſtas ipſos non defuerunt, qui hunc locum pro Purgatorio confirmando fruſtrà adduci viderunt: qualis fuit Petrus à Soto.

Difficillima eſt peccati illius dignotio, quo pacto vel argumento cognoſcatur. Habetur autem, vel per *divinam* manifeſtationem extraordinariò, cui fini in primâ Eccleſiâ, inter dona & chariſmata Spiritus S. extraordinaria, feciſſe διὰ κρίσεις πνευμάτων multi exiſtimant, vel etiam προφητείαν, 1. Cor. XII. 10. quamvis hanc propriè in alium & magis communem uſum ſerviiſſe credibile. Cognitio ejus per Spiritus ordinarium & *humanum* judicium, habetur ex effectis, peccatis ſceleribuſque illud demonſtrantibus: atque vel *peccatori* ipſi ſe oſtendit, vel etiam *aliis*: illud certius eſt: Spiritus enim hominis, qui in ipſo, novit quæ hominis ſunt. 1.Cor. II.1. At de altero judicare, num peccet in Spiritum S. id ſane per quam difficile, ni impoſſibile: tum quia difficulter ſtatui de animo alicujus poteſt, an de veritate doctrinæ S. probè ſit convictus; tum etiam an ex merâ malitiâ, & contra conſcientiam ſe opponat: quod negat veritatem, atque oppugnat eam, etiam blaſphemat, facilè ſciri & videri atque audiri poteſt; ſed quo animo id faciat, in quo tamen ratio hujus blaſphemiæ & peccati ſpecifica quæri debet, id quis facilè de altero dixerit? Quare omninò caute de peccatore hoc judicandum, vel potius ſuſpendendum judicium, atque Deo iſtud piè reſignandum. Tum etiam ideo, quia videmus judicia de hujuſmodi peccatoribus nonnullis, qui pro talibus vulgo habiti, incerta valde eſſe. Phariſæos, quibus Chriſtus loquitur, vulgo hujus peccati reos faciunt: at Chriſti ſermonem & textum potius *admonitorium* eſſe adverſus hoc peccatum, quò quidem tendere illos Chriſtus videbat, quam *indicatorium* peccati hujus jam reorum, ſi intelligamus cum Georgio Vechnero, *conc. in hunc locum*, Germanicè, incertum faciet illud de Phariſæis commune judicium. Sane ſi contextum verborum Chriſti reſpiciamus, illud necdum voluiſſe Chriſtum eos peccati iſtius reos eſſe probabile fit, præterquam ex verbis non ſignanter hoc

pec-

peccatum Phariſæis exprobrantibus, etiam ex occaſione accepta, *ideo dico vobis*: videlicet pro fideli admonitione, *quicunque verbum dixerit contra* &c. quaſi dixerit, hactenus graviſſimè peccaſtis in Dei Filium, quod ſi pergatis, contra tam apertam veritatem, & Spiritus S. omnimodam convictionem per tam manifeſta mea opera & verba, vos opponere, & addere blaſphemiam; videte, ne peccetis & blaſphemetis in Spiritum S., peccato adeo atroci horrendoque, ut nullo unquam tempore ſit expiandum. Et, ſi voluiſſet Chriſtus ſignificare illos peccati iſtius jam reos eſſe, vel ibi, vel poſtea, ubi ſæpe acriter in eos invehitur, hypocritas, cœcos, viperas appellando, incitatior credo & hic fuiſſet Chriſti adverſus eos oratio. Ex adverſo quamvis eum edacem, bibacem, Samaritanum, Diabolicum paſſim calumniati fuerint, pro illis tamen precari haud deſtitit, etiam in cruce, additâ hâc ratione, diverſitatis peccati indice, *Pater remitte iis, quoniam neſciunt, quid faciant*: Luc. XXIII. 24. Non quod auſim affirmare, Phariſæorum nullos tum temporis in Spiritum S. peccaſſe, quod me utique latet, neque ego eos abſolvo; ſed indico duntaxat quam difficile ſit illud judicare, & ex Chriſti ſermone probari id ſatis certo non poſſe. Idem ferè de Iuliano Imp., famoſo iſto in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ apoſtatâ, dixero: in Spiritum S. illum peccaſſe, fere omnes ſtatuunt; ſed quia (non abſolvo hominem, neque ei patrocinium volo) haud facilè oſtendi poteſt, an probe convictus & perſuaſus de veritate religionis Chriſtianæ fuerit; annon potius ſimulavit illam profeſſionem, in gratiam Conſtantii Imp. cui ſucceſſor deſtinabatur, uſque dum liceret animum & religionem prodere, ſtudiis & Scriptis Libanii Sophiſtæ, & præceptoris ſui Maximi Philoſophi ſemper nimium addictus, haud immerito de illius peccato, aut peccati genere judicium quis cohibeat ſuum. Fuit peccator graviſſimus, & apoſtata, & blaſphemus, ſed non omnis blaſphemia

eſt hæc quæ dicitur in Spiritum Sanctum. Certè quando pater ejus Conſtantius ſedulò caverat, ne Iulianus gentilem audiret præceptorem, & nominatim illum non Libanium, Conſtantinopoli ejectum, *vetabatur autem Iulianus eum accedere*, Nicomediæ agentem, *eo quod religione gentilis eſſet; nihilo tamen minus libris ejus delectabatur, illiſque clanculum comportatis utebatur.* Et alter ille Maximus Philoſophus, quem poſteà Valentianus præſtigiatorem necari juſſit, Nicomediam, in gratiam Iuliani, convolavit, *cumque apud hunc Iulianus philoſophica guſtaſſet, confeſtim etiam Præceptoris religionem imitari cœpit, qui ei quoque imperandi ambitionem indidit.* Cujus rei famâ ad Imperatorem delatâ, quo offenſam ejus devitaret & periculum amittendi imperii Iulianus, *tonſus monaſticam vitam ſimulat, ſed & clanculum philoſophica exercet, manifeſtè vero Sacra Chriſtianorum ſcripta legit, & Nicomedianæ eccleſiæ lector conſtituitur.* Additque, qui hæc refert Socrates, hiſtor.Eccleſ.lib.III.cap.I. *& hæc quidem propter metum facit, ſpem autem imperandi interea non abjicit.* Quibus rite expenſis, quis certò de Iuliani animo ſibi perſuadeat, eum de veritate religionis Chriſtianæ ſufficienter ac manifeſtò convictum fuiſſe; atque poſtea, quum Ethniciſmum palam fovere ac promovere decrevit, contra conſcientiam egiſſe, & ex mero odio Chriſtianiſmum oppugnaſſe, non potius illum ſemper à Præceptoribus Gentiliſmum retinuiſſe, & religionem Chriſtianam contra conſcientiam & ſimulatè fuiſſe profeſſum? Adeo dubia hæc ſunt, quæ alterius animum, noſtrumque de eo judicium concernunt. Interim valde blaſphemum fuiſſe hominem, eumque peccandi modum prope ad blaſphemiam in Spiritum S. accedere, nemo negarit: præcipue qui illa conſideret, quæ refert Theodoretus *hiſt.lib.*III.*cap.*XXV. illum in mortis articulo, ſagittâ mirabiliter transfoſſum, dixiſſe; ſed ex relatione aliorum habet: *Iulianum quidem*

vul-

vulnere accepto, impleſſe manum ſuam ferunt ſanguine, & ſparſo illo in aëra dixiſſe, viciſti Galilæe, ſimulque & victoriam confeſſum & maledictum auſum eſſe, ita erat attonitus.

Denique eſt & alius, cujus recentior hiſtoria, *Franciſcus Spira*, à quo peccatum in Spiritum S. commiſſum, in veritatis Euangelicæ, coram nefando iſthoc Iohanne Casâ, Papæ Venetiis legato, annis abhinc centum, abnegatione, vulgò exiſtimant: ſed temerè meo quidem judicio, qui hunc, ex iis quæ de eo conſtant ex hiſtoriis & relationibus Baſileæ editis Anno 1550. in epiſtolis *Cælii S. Curionis, Grybaldi, Calvini, Henr. Scoti, Geloji, Borrhai, Vergerii Apologiâ, Sleydano, lib.* XXII. atque aliis, ad hoc crimine vindicandum cenſeo. Negavit veritatem, non tamen illam oppugnavit, nedum quod blaſphemarit; & quodcunque egit, contra conſcientiam quidem, non autem ex malitiâ odioque, ſed ex infirmitate, metu honoris, opumque amittendarum ſibi & familiæ, commiſit: ſed de eo etiam alio loco diximus, imo neque eum in cenſu reproborum collocavero, ob profundos illos dolores, pœnitentiam & ſuſpiria, atque ad gratiam anhelantes emicanteſque, inter horrendas anguſtias & tentationes, ejectiones. Quomodo etiam de eo, & benignius judicant, Muſculus, in *loc. Comm. de deſperatione*; Voetius, *de deſert. Spiritual.* & alii. Gomarus item à peccato in Spiritum S. commiſſo eum abſolvit; non item à deſperatione.

De peccato Angelorum quæritur, an fuerit peccatum in Spiritum Sanctum? Formaliter ſecundum omnia membra idem hoc peccatum fuiſſe, & quidem contra Chriſtum, qui illis ſe revelatus, ut futurus mediator, cui unico accepta ferenda eſſet omnis Angelorum hominumque beatitudo &c. & cui ſe noluerint Angeli ſubmittere, ut nonnulli ſentiunt, neutiquam dicendum: verùm peccatum Angelorum huic in Sp. S. crimini analogum, & in multis ſimile fuiſſe, quod ſpe-

ctat apoſtaſiam, & blaſphemiam, contra manifeſtam veritatem, atque ex odio ſeu malitia, tutius aſſeras. Vnde & nomen retinuerunt, ut διάβολοι dicantur, & prima Diaboli tentatio, quâ tum homines aggreſſus, tum Chriſtum, ad blaſphemiam fuit, in Deum: adeoque illorum peccatum, ſupra hominum, fuit irremiſſibile. Hæc de illo peccato obiter diximus, cujus cognoſcendi difficultate Deus nos exercere voluit, *cum in omnibus Scripturis Sanctis forte nulla major, nulla difficilior inveniatur*, haud ſine causâ loquitur Auguſtinus *ſerm.* x I. *de Verbis Domini*. Quare etiam, in ſermonibus ad populum, quæſtionis hujus difficultatem & moleſtiam ſe vitare ſolitum, ibidem teſtatur. Eraſmus inter loca in Euangelio inexplicabilia, ſuâ quidem ſententiâ, & illum habuit de peccato in Spiritum Sanctum. Quod cenſuram Natalis Bedę non effugit. Socinus, in Notis ad Dialogum, de Iuſtificatione, ubi hujus Auctor dixerat, *Quia præſens ſalutis tempus non ſolum contemnunt, ſed & agnitæ veritati contradicunt, quod eſt peccatum in Spiritum Sanctum*, apponit, *præſtat hæc verba non addere. Nimis enim adhuc controverſum eſt quid ſit peccatum in Spiritum Sanctum.* Vnde quæ ejus tum temporis ſuper hoc ſententia fuerit, colligas.

Atque hæc de erroribus, & errorum variis modis, ac gradibus; de Schiſmate, Hæreſi, Apoſtaſiâ, deque ſupremo erroris crimine, Peccato in Spiritum S. Pugnant hi omnes adverſus unicam veritatem, quæque iſtam tenet, religionem, denique & quæ hanc, Eccleſiam. Nos ex adverſo illis fortiter obſiſtere, & repugnare debemus, armis videlicet Theologicis, hoc eſt, diſputando, & convincendo. Atque uti in bello ſpectatur fortitudo, & alacritas, ita in hoc conflictu, ubi ſunt militiæ Domini, ſanctus pro Dei causâ ardor, & in contendendo dexteritas, ac vis. Hæc à ſtudiis eſt, quibus primùm controverſias diſcimus, & tum quid Adverſarii ſentiunt, aut pro ſe adferunt, tum quibus im-

pugnandi & dejiciendi ſint armis, ſive argumentis. Quem in finem ea Theologiæ pars facit, quam *elenchticam* nominamus, ſeu Controverſiarum.

Controverſia dupliciter ſumitur, vel pro re & *materiâ* quæſtionis; vel pro ipsâ, quæ ſuper illâ movetur, *diſputatione*: hinc dicimus, ſtatum controverſiæ; & controverſiam movere: quorum illud materiam ſpectat controverſam; hoc, diſputationis actionem. Vti apud Græcos ζήτημα, & ζήτησις, vel συζήτησις (συζητεῖν, in Novo Teſtamento aliquoties) Ἀμφισβήτημα, & ἀμφισβήτησις. Apud Quintilianum, *Inſtit. Orator. lib.* III. *cap.* XI. videbis diſcrimen inter ζήτημα, αἴτιον κρινόμενον.

Controverſiam alius eſt qui *movet*; alius, qui motam *ſuſtinet*, & repellit. Illud primo attendere omni curâ oportet, *quis*, & *quare*, & *quomodo* controverſiam moveat. Nam talis poteſt eſſe Auctor, qui contemni potius, quam ut ſerio ei quis ſe opponat, merebitur. Et vel nulla, vel levis forte, quæ eum impellit, cauſa: quod ſi gravis aliqua, juſta hinc oritur diſputatio. Sed quis, qualiſve ſit, & quo animo in campum prodeat, modus quo utitur, tum in re, quam agit, tum erga perſonas, quibus ſe objicit, faciet manifeſtum. Sunt, quos ſola eaque pervicax *contendendi* libido in arenam protrahit, quorum inquies animus primum & jugiter ipſos vexat, inde alios: quod hic quidem eo pernicioſius, quo conſcientias hominum, & religionem turbare, res eſt peſſimi facinoris & exempli. Atque hinc immenſa quæſtionum undiquaque ſeges, non oblata, ſed indagata, & multâ ab ipſis vi protracta. Ne nihil ſc. agerent homines, in res inquiſiverunt valde *futiles*, non in Scholis Litteratorum tantum, uti, quem numerum remigum Vliſſes habuerit; prior ſcriptane ſit Ilias, an Odyſſea; tum, an ejuſdem Auctoris; uti hæc Seneca ſalſe ridet: vel qualibus Grammaticos ſuos paſſim vexaſſe Tiberium Imp. ſcribit Suetoni-

us, quæ mater Hecubæ; quod Achilli nomen inter Virgines fuerit, quid Sirenes cantare ſolitæ? ſed & in Scholis quoque Theologorum hujuſmodi: ubi quantâ curioſitate Scholaſtici, qui vulgò appellantur, ſe immiſerint in quæſtiones multùm inutiles, audaces, ἀνεξερευνήτους, omnibus notum. Inde illæ, quas Apoſtolus nominat βεβήλους κενοφωνίας, 1.Tim.VI. 20. & ejuſdem capitis verſu. 4. qui languent περὶ ζητήσεις ἐ λογομαχίας; quæ Scholaſticæ Theologiæ haud immeritò adaptat Nicolaus Clemanges. Scripſit eximium *de Quæſtionibus* opuſculum, Iulius Rugerius, Protonorarius, uti appellant, Apoſtolicus, & Abbas Lamularum, ubi, an, & quales quæſtiones movere Theologo liceat, & quæ ſtultæ, quæ utiles cenſendæ, exponit. Etiam in Scholis Theologorum nimis frequens concertatio de *verbis*, λογομαχία, quaſi nil rerum, de quo quæratur, amplius ſuperſit. Quos Critolaus Phaſelites, apud Clementem, *Stromat. lib.* II. non ineptè vocavit ὀνοματομάχους, id eſt, qui pugnant de nominibus. Hujuſmodi innumera ubique, & magnâ animorum contentione agitantur, quippe contendendi ſtudioſo peræque eſt, de re, an de umbrâ, modò diſputet. Atque hi quæſtionem ſemper, ubi aliqua forte videtur, in plurimas extendunt, & *multiplicant*. Quod nuſpiam fit majori præjudicio, ac in controverſiis fidei, inter diverſarum (ut ſic dicam) religionum ſectas. Vbi alii ex ἀκρισίᾳ & defectu *judicii*, alii ex *malitiâ*, illas multiplicant, quo oſtendant ſcilicet haud ſine causâ bellum concitari, vel ut divortium, quod non invenitur, ipſi faciant, aut promoveant, extendantque. Peſſimi profectò, quos cum ſua profeſſio ad quæſtiones minuendas vel tollendas movere oportebat, animo potius & rixandi cupiditati indulgentes, ſepem quam communire debebant, diſcindunt, ac perrumpunt; & hiatum non obſtruunt, ſed dilatant. Quales ſunt, qui dum aliis doctrinam attribuunt ab ipſorum opinione remotam,

tam,

tam, inde & controverſiam faciunt; & ex conſequentiis, ſuo arbitrio formatis, quæſtiones iterum alias. Id quod nonnullis Lutheranorum, adverſum Noſtros diſputantibus, nimis quam familiare. Vnde tum & tantâ *vehementiâ* rixoſi homines diſputant, clamant, tumultuantur, nihil attendentes, nec ſe, nec alios, neque quod agunt argumentum, omnia potius commovent & commiſcent, perfringuntque, quam ut vel deſiſtant, vel deferveant; unde illorum χολὴ nil videtur aliud, quam quod de Euclidis, Diogenes, χολὴ; eorumquè διατριβὴ, quod idem de Platonis, κατατριβή. Quare magni refert in diſputatione, præterquam ad *rem*, attendere etiam ad diſputantis *animum*, quo animo ſua agat, quid reſpiciat, quò collimet: Atque hinc ſæpe apparebit, unam theſim ab illo teneri, non adeo propter ſe, ac propter aliam.

Vnde diſcrimen controverſiarum ſequitur; in *primarias*, & *ſecundarias*, vel principales, & conſequentes, quæ ex præcedentibus oboriuntur. Verbi gratiâ, in controverſiis Arminianis, prima fuit de negotio prædeſtinationis: de apoſtaſiâ Sanctorum dubitanter primo, dein aſſertivè docuerunt nempe ubi ſenſerunt, ex prioribus de prædeſtinatione theſibus, prout eam explicabant, ſequi tum alteram opinionem circa vires liberi arbitrii, tum illam de apoſtaſiâ, Arminio primùm non ita perviſa. Sic quoque apud Papiſtas, præcipua contentio eſt de authoritate Eccleſiæ, vid. Romanæ, ſuæ, neque enim aliò velint facere quodcunque de Eccleſiâ tantopere diſputant; & dein de authoritate & poteſtate Romani Pontificis: hinc, ſi examines, conſtabit omnia ferè Theologiæ ipſorum capita derivari. Quæ multum refert in ipsâ diſputatione noſſe, apud Adverſarios quid ex quo ſequatur, & quâ facturâ iſthic omnia naſcantur.

Deinde ex illis ſequitur aliud hic etiam diſcrimen obſervandum, inter *controverſiam*, & ejus *momentum*: illic

illic qualitas, ſic controverſiæ quantitas attenditur. Nam prout gravè aut leve eſt momentum, ita controverſia æſtimatur, & vel incitanda eſt, vel remittenda. Multi ſolam ſpectant controverſiam, ſæpeque (quod dicitur) fluctus movent in ſimpulo, dum vix tanti res erat, ut in contentionem veniret, fortaſſis non in tantam. Pro veritate ut reſpondeatur, ipſa exigit; ſed quantum reſponderi debeat, ex ejus dijudicandum momento; præſertim quando veritati vindicandæ jam factum ſatis videri queat. & obſervari ultra debet, ne à charitate latius, quam à veritate, diſcedatur. Momentum controverſię alii *elevant* nimis; alii plus juſto *aggravant*. Magna requiritur prudentia, ne hic temere, vel, aliter quam oportet, judicemus. Optimum de controverſiæ momento examen inſtituitur ad fundamentum *fidei*, quatenus ei accedit, vel derogat; ad vim & *praxim* pietatis, prout eam vel promovet, vel evertit; ad communionem *Eccleſiæ*, quid hæc patiatur; denique ad *ſtatum* & conditionem hominum, quatenus ea diverſa eſt, aliique quos Apoſtolus infantes & carnales appellat; ſpirituales, adulti, perfecti alii. 1. Cor. III. I. Epheſ. IV. 13. Heb. V. 13. 14. iſta omnia reſpicere oportet eum, qui de momento ventilandæ controverſiæ ſtatuat.

Præterea & alia etiam reſponſuro ad motam controverſiam tenenda, ut, *quis* reſpondeat; neque enim hoc quorumcunque, vel ſibi aſſumere, vel ut ipſis concedatur: tum & *quando* reſpondeatur. Eſt in diſputationibus, ut in rebus aliis, permultum ſitum in benè captandâ temporis oportunitate, quam qui omittit, ut non tum reſpondeat quando res agitatur, & hominum exſpectatio reſponſionem efflagitat, ſc. in eximii uſus negotio, inſuper ubi ad reſpondendum laceſſitur & provocatur, æque rei negligens habendus eſt ac ſui, ſi poſt tranſactam tempeſtatem & fervorem contentionis idem iterum recoquat argumentum, & poſt bellum aciem reſtauret, & nec rei quid adeo neceſſariæ, neque

que id ſuo tempore, proferat. Aliud eſt, ubi nova provocatio, & rei momentum, prælium perennant. Sed ferè quemadmodum in ludis puerilibus videmus, per totum annum habere ſingulos ſuas periodos, extra quas nemo illos multum æſtimat vel ſectatur, ita & controverſiarum nonnullarum in Scholis ſua ſunt tempora, quibus maxime florent.

Denique & diligenter obſervandum, *quomodo* in diſputatione reſpondeas, quo animo, animique moderatione, aut fervore, & quam diu: tum ut diſcrimines rem, & perſonam, & quo pacto utrumque excipias. ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή, inquit Plato, in Protagorâ: quamvis difficulter ſe contineat animus inter diſputandum, quin in contentionem & rixas facile erumpat. Sed viri ſapientis eſt ſe temperare, ſuique nunquam non eſſe compotem, tum ut mens judicio ſemper polleat, promptaque ſit in eruendâ veritate; tum ut huic ſua conſtet apud omnes reverentia & dignitas, quæ inter jurgia vehementer concutitur, & tantum non amittitur. Præterquam quod aliis etiam per ſtrepitum pulvis offunditur, ut à ſtudio & indagine veritatis abſtrahantur, ad tumultum potius audiendum, quam veritatis neceſſariæ diſquiſitionem. Scripſit Eraſmus, in epiſtolarum initio, ad Petrum Barbirium, anno clↄ Iↄ XXI. *Mihi ſane adeo eſt inviſa diſcordia, ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa.* Zuinglius, in Comment. de verâ & falsâ relig. *Tam mihi infenſa ſunt contentiones illa, que citra fratrum offenſionem vulgari nequeunt, præſertim de iis rebus, quæ rem Chriſtianam non produnt, ut nullum videam nocentius venenum ſubdi poſſe adoleſcenti Chriſto, quam contentionem.* Oecolampadius, in præfatione libelli ſui anno clↄ Iↄ XXV, *de genuinâ verborum Domini, hoc eſt corpus meum, expoſitione*, ad Doctores Suevicos: *error condonari poteſt*, inquit, *modo fides adſit in Chriſtum. Diſcordiam, neque ſi ſanguinem fundamus, expiabimus.*

DI-

Diſputatio omnis fit vel *voce*, vel *ſcriptô*: vel *privatim*, vel *publicè*. Publica quæ *coram* inter partes inſtituitur, plurimùm poteſt in exordio controverſiæ, quandò primum naſcitur; vel ubi ſingularis aliqua ſe offert occaſio, & ſpes fructus per illam conſequendi non vulgaris: cæteroquin ex ſolâ animi quâdam generoſitate illam inire, vel contendendi (ut ferè fit) ſtudio, id quanto plus rixarum, eo minùs uſus habet ac commodi. Cujuſmodi Colloquiis veriſſimè adſcribas luculentum judicium, quod olim dedit Petrus Moſellanus de diſputatione Lipſicâ, a. cIↄ Iↄ XIX. habitâ inter Eccium & Caroloſtadium, in epiſtolâ ad Bilibaldum Pirckamerum: quam ex bibliothecâ Pirckameri exhibet in Annalibus Reformationis, ad annum jam nominatum, Abrahamus Scultetus: *Mihi* (inquit) *hoc diſputandi genus theatricum nunquam viſum eſt manſuetiſſimâ Chriſti doctrinâ dignum. Nec adduci poſſum, ut credam: Spiritum Sanctum, pacis authorem, ad ejuſmodi pugnas unquam ſeſe demittere. Chriſtianæ Theologiæ veritas citiùs impetratur orando, quàm invenìatur diſceptando.* Atque inde exiſtimo, in talibus Colloquiis, poſt Deum, & nominis divini invocationem, (cui primæ ſemper partes antè actionem omnem tribuendæ: quod egregiè à Noſtris, cum magno Adverſariorum pudore obſervatum fuit in Colloquio Poſſiaceno) prius quam ad rem, ipſos Actores deſcendere debere in ſe ipſos, & bene ſe examinare, illudque polliceri, quod depoſito omni contendendi vincendique ſtudio, nil propriis daturi ſint affectibus, ſed ita ſe intentos fore veritati, ut à quâ parte illa deprehenſa fuerit, etiam ſi ab adverſâ, tam lubentes manus daturi & ſequuturi eam ſint, quam ſi eſſent victuri, atque omninò componendæ, quantùm fieri poteſt, controverſiæ, animiſque, operam ſe daturos; ad ſolam Dei gloriam, & Eccleſiæ ædificationem. Vnde Zuinglius, in epiſt. ad Matthæum Alberum Rutlingenſem miniſtrum, (eſt operum ejus Tom. II.) ſententiam de Cœna Domini

expo-

expoſiturus, ſic præfari non veretur: *Deum ergo Opt. Max. precor, ut vias noſtras dirigat, ac ſicubi ſimus Bileam in morem veritati pertinaciter obluctaturi, Angelum ſuum opponat, qui machera ſuæ minis hunc aſinum (inſcitiam & audaciam dico noſtrum, ſi ſaltem ex audaciâ gloriæque cupiditate quicquam nobis hic agitur) ſic ad maceriam affligat, ut fractum pedem, hoc eſt impurum illotumque carnis ſenſum auferamus, ne ultra blaſphememus nomen Domini Dei noſtri.* Modeſtè & piè, ut qui oſtendit ſe memorem ſuæ imbecillitatis, & Deum vereri; tum diſputaturum debere omnino à ſe amovere omnem arrogantiam & φιλαυτίαν. Secus, quid attinet diſputare, & concitare moleſtiam, ſi quis in principio moneat, quemadmodum Ioachimus VVeſtphalus in Colloquio cum Martino Micronio anno cIↃ Ic LIV. d. III. Martii: *nos quidem noſtri, ſed veſtri duntaxat cauſa* diſputabimus: *Sumus enim de noſtrâ* (in quiebat) *doctrinâ certi.* Ex quali colloquio, vel hominum genere fruſtra tibi aliquem fructum pollicearis; quo imo in deteriùs omnia abeunt, & rupturam faciunt longè quam prius erat immaniorem.

Sed ante omnia cave, ne *imparatus* unquam & non bene inſtructus munituſque diſputationem incipias, ne victus magnum ſcandalum exiſtas alteri, & confirmati erroris cauſa. Quod Auguſtino ante converſionem ſæpe obtigiſſe, ipſe ſeriò poſtmodum doluit. lib. de duabus animabus, contra Manichæos, cap. IX. *quædam noxia victoria penè mihi ſemper in diſputationibus proveniebat diſſerenti cum Chriſtianis imperitis.*

Iam *Scriptis* quæ inſtituitur diſputatio, haud minùs obſervat quæ poſuimus, quin eo magis, quo quæ chartis inſcribuntur ad plures perveniunt, atque perdurant. Vbi primum & nimis vulgare vitium hoc in Scriptoribus eſt, quod adeo promiſcuè *quilibet*, & valde *leviter* ſcribunt. Quod uti inter cauſas, cur diſciplinæ meliores intereant, retulit Maturinus Simonius, in eximio

mio *de literis pereuntibus* libello; ita non minus inter diſpendia rei eccleſiaſticæ poni debet, quando in Theologiâ negligitur. Certe ut non omnibus committenda eſt præſens diſputatio, quæ ore fit, quam nec quivis arripiet; ita neque ſcribere omnium eſt. Haud tolerandum, ut quicunque vult, ſcribat; ſed ut qui poteſt ſcribere, velit, hoc urgendum. Benè ac ſapienter habetur librorum *cenſura*: ſed uti *libri* examinantur, ita velim ut primùm ipſe *Scriptor* dignus æſtimetur, ſive per Cenſores, aut Verbi Miniſtros, aut Theologiæ Profeſſores, (ſic Synodus Emdana anno 1571. art. 51.) ex ratione profeſſionis ſuæ, aut experientiâ & uſu, qui ad ſcriptionem cum fructu ſeſe applicabit. Nam ut pro arbitrio quiſque calamum ſumat, & Theologiæ controverſiis ſe immiſceat, plurimorum malorum exiſtit cauſa. Scribunt aliqui ea quæ ipſi neſciunt, qui nec ſeipſos attendunt: alii, quę ſciunt, & ferè ideo ſolum quia ſciunt; ſed ii parum reſpiciunt an iſta alii ignorent: hi quidem non adeo male, ſed uti ſui cauſa illud agunt, non aliorum; ita is demum dignus Scriptor eſt, qui omiſſis quæ obvia & paſſim haberi poſſunt, in illis pedem figit, eaque proſequitur ulterius, quæ reſtant, aut indaganda, aut in uſum referenda meliorem. Scite Bernardus, ſerm. XXXVI. in Cantica: *Sunt namque qui ſcire volunt eo tantùm fine ut ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Qui profectò non evadunt ſubſannantem Satyricum, & ei qui ejuſmodi eſt decantantem, ſcire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa pro pecuniâ, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt ut ædificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant.* Scripſit Franciſcus Sanchez libellum facetum magis quam utilem, *de mul-*

multum nobili & primâ univerſali ſcientiâ, quod nihil ſcitur: ubi, *o quantum eſt hominum, qui etiam quæ neſciunt, ſciunt*, inquit. Duo autem ut agamus iſta fere ſuperſunt, tum ſupra cognita, *alia* adinvenire & producere; tum quæcunque habentur, ſuo maximò *uſui* adaptare, & elocare. *Adeo* hodiè qui ſcripturus, oportet ſit nonnullæ lectionis, quo ſciat antequam ad ſcribendum ſe accingit, ea quæ vulgò ſciuntur, ut, non nota & dicta aliis, & longe ſæpe ac ipſe facturus ſit melius, ſed alia, & aliquam partem aut meliora, aut utiliora, aut quo vis pacto neceſſaria, proferat. Sic Jacobus Acontius, in epiſtolâ ad Johannem VVolfium, *de ratione edendorum librorum*, non indignâ lectu: *tum autem videndum, quid extet, quid deſiderari poſſe videatur.* Ne ad idem argumentum proferam magni judicii virum, Franciſcum Verulamium, quem nominaſſe ſuffecerit. Non ſatis eſt u t quis *bona* ſcribat, niſi quoque ſe aliquâ commendent *neceſſitate.* Hieronymus, ad Ruſticum Monachum, *ne ad ſcribendum cito proſilias, & levi ducaris inſaniâ. Multo tempore diſce, quod doceas.* Virgo Veſtalis (auctor eſt Plutarchus, in vitâ Numæ) primis decem annis diſcebat ea quæ officii ſui erant; altero decennio ea exercebat; tertio, eadem alias docebat. Quod autem non major ratio habetur eorum quibus ſcribere liceat, facit quod tot habemus, & incondita, & ſuperflua Scriptorum volumina, quæque rebus noſtris, quibus tamen explicandis aut defendendis data videri volunt, haud parum intercedunt, & nocent. Nec in Cenſurâ librorum ſufficere videtur, ut Auctorum habeatur ſolum ratio, ſed omnino antequam liber ſcribatur, & de *argumento*, & ſcripti *diſpoſitione* velim haberi conſilium, an è re forte futurum ſit operam hic impendere, annon potius in alterius argumenti negotio? tum quia ægre adducitur quis ut omittat, aut deleat quod aliquo labore jam perfecit opus, & in profluentem abjiciat, quod agebant olim Gentiles, qui in Scriptorum certami-

ne ad aram Lugdunenſem in Galliis Poëtæ aliive Scriptores ſuccubuiſſent: tum quod difficulter (quamvis habeamus ante nos exemplum Auguſtini, & poſt eum Thomæ Aquinatis, atque Æneæ Silvii) ſua quis retractet. Iam olim in Eccleſiâ ratio & cenſura librorum habita fuit; nec quivis promiſcue tolerati ſcriptores: quin canon Apoſtolorum (uti dicitur) lx, deponendum dicit, qui ſcripta divulgat δημοσιεύει ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου. Ergo non *quivis* ſcribat; ſed nec *quodvis*.

In eriſticis eo diligentius ſecernenda *res* eſt quæ agitur, *à perſonâ*, & adverſario, quo majus hic periculum, ſi utrumque imprudenter aut malitioſe commiſceas, & à realibus tranſeas ad perſonalia, ſeu quod tum ferè fit, ad convitia, quibus plus noceas, quam cauſæ cæteroquin bonæ, aliàs proſis. Refert de ampliſſimo Thuano Caſaubonus, & hæc illius verba, in epiſtolis, ep. cxc. *Memini divinum virum Thuanum, quum illi ſæpe quorundam è noſtris ſcripta commendarem: ſolitum reſpondere, non poſſe ferre ſe illos, qui genere ſcribendi plus deſtruerent, quam doctrinâ ædificarent.* Is, quocum diſputatur, vel eſt *heterodoxus*; vel *orthodoxus*, in quæſtione nempe problematicâ. Vbique in diſputando requiritur eruditio, ſed hic inſuper magna prudentia, ut eo religioſius perſonam caveamus, quo ejuſdem nobiſcum eſt & fidei & ſocietatis: adeoque vel nomen ejus à nobis ſileatur prorſus, vel debite ubique veneremur, obſervemuſque ſemper ut alteri faciamus, prout nobiſcum fieri cupimus.

Duplex diſputaturo propoſitus ſit finis oportet, ut *convincat*, vel ut *componat*, id eſt, ut vel alium in ſuam perducat ſententiam, & ab errore dimoveat; vel (ubi id quidem datur: non enim ubique hoc licet) ſententias & controverſiam componat. Zuinglius, in exegeſi Euchariſtici negotii, ad Lutherum: *fecialem tibi mitto librum, non qui res repetitum, ſed compoſitum veniat.* Atque illud valde attendere unumquemque oportet, qui

non

non unius adverſarii majorem haberi cupiat rationem, quam totius Eccleſiæ, ejuſque tranquillitatis. Verum in tuto collocatâ ante omnia veritate, de pace cogitandum, & communione mutuâ. Quod eſt ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, Epheſ. IV. 15. Quomodo Cyrillus, in Concilio Epheſino, ſcripſit ad Neſtorii quendam amicum: *tantum fides integra & ſalva ſit, & carus amicus omnibus ero. Neque alli concedam ut religioſiſſimum Epiſcopum Neſtorium ardentius ament, quam ego.* In Actis Conc. Epheſini. part. 1.

Sed ultimo nunc loco de *ſtudio* Controverſiarum benè dirigendo ſermo nobis inſtituendus. Ubi primum in *ſtudioſo*, tum in *ſtudiis* nonnulla requirimus. Illic quidem ut tribus illis ſit præditus virtutibus, ad quas ſtudioſum quemque examino, ut de eo capiam præſagium, ſi ſit *probus*, & *diligens*, & *modeſtus*, quæ ſingula vitam ejus, & ſtudia, & mores effingunt, commendantque. Nihil iſtorum in vero ſtudioſo deeſſe patior. Niſi etenim coram Deo probus, & apud ſe diligens, erga alios modeſtus ſit, ſi in aliquo deficiat, ubique hæret. Quippe iſta illorum omnium eſt inter ſe affinitas, & cum ſtudioſo ſociabilis neceſſariaque cognatio, ut niſi adſint, vel dici ſtudioſus nequeat. Non fero vitæ improbæ aut non ſatis caſtigatæ juvenem, præſertim qui noſtri ordinis eſſe cupiat, cujus alioqui exiſtit merum dedecus & propudium. II. Paral. XXIX, 5. *At dixit eis* Rex Jehiskia, *auſcultate mihi O Levitæ: jam ſanctificate vos, & ſanctificate domum Iehovæ Dei majorum veſtrorum.* Nehem. XII. 30. *Cumque mundaſſent ſe Sacerdotes & Levitæ, mundaverunt populum.* Primum illi ſancti, hinc populus; quem non ſanctificabunt, niſi prius ſanctificati ipſi. קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים dicunt Hebræi: *orna te ipſum, & poſtea orna alios.* Certe multum poteſt vita Theologi, ad ædificationem ſi bona ſit; ſin mala, ad deſtructionem: & grave ejus judicium futurum eſt, qui moribus doctrinæ ſuæ adverſis vitâ plus

obeſt, quam doctrinâ proſit. Dixit Nilus, in Aſceticis: *neminem manent certiora ſupplicia, quam illum, qui multos vitiorum ſuorum facit diſcipulos*. Quamvis in iſtis imitandus magiſter non ſit, tamen qui ſe magiſtrum ſcit, peccans, eo graviùs delinquit. Et temerè *aliorum curam ſuſcipiunt, qui ſuas nondum curaverint cupiditates*: uti Idem ibidem loquitur. Qui hiſtoriam hodiernorum Bachmannum in Indiâ, nuper ſcripſit Abrahamus Rogerius, refert, illorum religioſos, quos Sanjaſios appellant, ut ad rerum divinarum meditationem ſe dignos prẹſtent, primùm operam dare in debellandis ſex quos appellant hoſtibus, cupiditate, irâ, avaritiâ, ſuperbiâ, amore mundano, & vindictâ: quibus ſuperatis ſic demum aptos ſe putant qui rerum Sacrarum contemplationibus vacent: Atque ii Gentiles. Commendo noſtris hominibus, huic fini ut legant elegantiſſimos Chryſoſthomi libros, quos ſcripſit *de Sacerdotio*. Summum viri Theologi eſt elogium, quod Polychronio Apamenorum Eccleſiæ Antiſtiti fert Nicephorus, lib. XIV. cap. XXX. *& optime vixit, & optime docuit, vitâ ſcilicet ex æquo doctrinæ reſpondente*. Etenim *erubeſcit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conſcientia*, uti benè Hieronymus, in Epitaphio Marcellæ. vel uti Abbas Antonius, in Meliſſis: *nihil doctore frigidius, verbis tantum philoſophante: hoc enim non doctoris, ſed hiſtrionis eſt*.

Tum *diligentiam* in ſtudiis adhibeat oportet, qui proficere annititur, & acquirere multi magnique operis titulum, καλοῦ ἔργου ἐπισκοπήν. I. Tim. III. I. ad exemplum maximi virorum Calvini, qui uti ſemper, vel indignantibus amicis, ſollicitè agebat, ne ipſum Dominus veniens otioſum deprehenderet; ita nihil frequentius in ore habebat, quam nullam ſibi acerbam vitam eſſe, prẹter otioſam. Scribit Ludovicus Vives Budẹo, eſt in Centuriâ epiſtolarum Goldaſti: equidem *ἀβίωτον ipſe dicis, & plane θανάτῳ ὅμοιον exiſtimo eſſe eam vitam, quæ abſque ingenii cultu traducitur*. Juxta illud Senecæ: *otium ſine litteris*

teris mors eſt, & vivi hominis ſepultura. Benè iterum Hieronymus, ad Ruſticum Monachum: *facito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum.* Cavere nobis atque ingenio noſtro debèmus quam maxime, ne unquam ſimus planè otioſi, quia alioqui hoc ipſum otium negotium faceſſit, & non tantum ardorem mentis extinguit, verum etiam multo infelici lolio animum conſerit. Semper in opere & labore ſit, ſi non manus, ſaltem mens noſtra. Perpetuum hoc mobile quieſcit nunquam, atque idcirco occupari quam optimis debet continuo, & utiliſſimis. Quomodo Alexander ajebat, quod mundi dominus brevi adeo factus eſſet, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Muſæo Zachariæ Urſini ſcis quid inſcriptum fuerit? *Amice, quiſquis huc venis: Aut agito paucis, aut abi: aut me laborantem adjuva.* Simile ferè, pro foribus Oporini, celebris Typographi: *Quiſquis es, rogat te Operinus, etiam atque etiam, ut, ſi quid eſt, quod à ſe velis, perpaucis agas: deinde actutum abeas: niſi, tanquam Hercules, defeſſo Atlante veneris ſuppoſiturus humeros: ſemper enim erit, quod tu agas, & quotquot huc attulerint pedes.*

Denique *modeſtia* præcipuum juventutis ornamentum, adeo ſtudioſum & Theologum decet, ut hâc ſolâ deficiente, ſtudia quævis oneri ſint, non honori. Modeſtia videlicet, qua quis humillimè ſemper *de ſe* ſentit, aliis omnibus ſe *poſtponit*, & neminem facile *offendit* vel experitur inimicum. Hinc non tantum apud Gentiles, qui ſapientes cenſebantur, ſe ſubmiſſionis causâ amatores ſapientiæ, philoſophos, non ſapientes appellari volebant; ſed quoque apud Judæos, Doctores & Rabbini veniunt eodem nomine, quo diſcipuli, & dicuntur non modo חכמים ſapientes, ſed תלמידי חכמים diſcipuli, aut ſtudioſi ſapientiæ, vel ſapientum. Non admodum multi inter ſtudioſos, qui eruditione excellunt, pauciores modeſtiâ: adeo, quæ ætatis iſtius eſt lubricitas, difficile, modeſtiam profiteri: quæ tamen virtus, quam cor-

corpori gratiam pulchritudo, iſtum moribus decorem conciliat, & pluris facienda, majorique ſtudio paſſim ambienda quam vulgo fit. Eruditus, ſed immodeſtus juvenis pari pretio eſt, atque apud Salomonem mulier formâ præſtans, & ſimul impudica. Quod in viris, prudentia id modeſtia eſt in juvenibus, utque ibi nullus uſus eruditionis eſt, niſi illam adjunctam habeat, ita neque hic ſuum ei pretium, niſi ſociata modeſtiâ. Modeſtos Iudæi vocant Abrahami diſcipulos; alios, Bileami. Quinam diſcipuli Abrahami? quibus eſt oculus bonus, ſpiritus contritus, & anima humilis. Huc ſpectat Iulii Rugerii opuſculum, *de Auditore Theologiæ*, ubi qualem eum eſſe oporteat, moribus, & externis diſciplinis, imprimis verò Philoſophiâ, imbutum, copioſe & eleganter ediſſerit.

Nam *ſtudia* ut bene inſtituat, eaque quæ porrò cognoſcendis agitandiſque controverſiis (de quo impræſens) occupantur, prærequiritur ante omnia cognitio *linguarum*, & uſus *philoſophiæ*: abſque quibus nemo unquam fæliciter diſputavit. *Linguarum* puta, *Hebræ*, & *Græcæ*, quas nonnemo, eximius ſcilicet magiſter, fontes omnium hæreſium eſſe, coram Rege Galliarum Franciſco, adſtante litteratiſſimo Budæo, vocabat. Si Platinæ fides, P. Paulus 11, promiſcue hæreticos appellabat omnes in Academiis ſtudioſos: adeo humanitatis ſtudia, & nomen Academiarum oderat atque deteſtabatur. Quibuſcum confero, quod in Talmude Ieroſolymitano, tractatu *Peah*, *fol.* 15. *col.* 3, lego, Rabbi Iehoſuam interrogatum, quando quis doceret filios linguam Græcam יונית, reſpondiſſe: tempore, quo neque dies ſit, neque nox. Quoniam ſc. ſcriptum: & meditaberis in lege die, ac nocte. Quam eandem ob cauſam, juxta eum, prohibitum quoque fuerit docere artes liberales. Acute! Auctor Iuchaſin, maledictum pronunciat ארור, qui filium ſuum docuerit diſciplinam Gentilium. Attamen Græcam linguam facilius con-

cedunt Iudæi ut quis addiſcat, vel eâ utatur, atque illâ etiam ſcribat ſacra. Verùm omnino neceſſe eſt Theologo linguas illas ſcire, ut ipſum Scripturæ textum (de quo inter Theologos omnis vertitur diſputatio) in originibus intelligat; & non per interpretem agere, ſed propriis frui oculis & judicio, in diſcernendis verbis verborumque ſenſu, queat. Inde Clementina eſt, *lib.* v. *tit. de Magiſtris*, (quæ confirmata in concilio Baſileenſi, ſeſſ. xix. & hoc ſæculo anno cIↃ IↃ cx. à Paulo v.) de conſtituendis omnibus in Scholis, Romanâ, Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, Salamantinâ, aliiſque Profeſſores linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ. Illo conſilio Zuinglius Epiſtolas Paulinas omnes Græce ſua manu deſcripſit, memoriæ mandavit, adeò ut Græcè poſteà facilius illas ſciret, quam Latinè: qui illius codex aſſervatur in Bibliothecâ Tigurinâ. Atque de eo ipſe, in Exegeſi Euchariſtiæ ad Lutherum: *de me ipſo coram Deo teſtor, Euangelii vim atque ſummam, cum Ioannis, Auguſtinique tractatuum lectione didici, tum diligenti Græcanicarum epiſtolarum, quas hiſce manibus ante undecim annos exſcripſi; quum tu annos jam octo regnes.* Beza in ſenili adeo ætate, debilitatâ ferè omnium memoriâ, tamen ex juvenili ſtudio, uſque perpetuò hoc retinuit, ut totos Pſalmos Hebraicè, & quodcunque caput ex epiſtolis Pauli Græcè recitaret. Solida jaciunt fundamenta, qui inde à Scholis ſe aſſueſcunt primigenio Sacrorum librorum ſermoni, quem poſtmodum quibuſvis linguis adaptando, nequaquam id moleſtiæ ſentiunt, quod non immani per omnia ſtudia fructu ſe compenſet. Victorinus Strigelius, dum adhuc in Papiſmo hæreret, quatuor cauſas recenſebat, ob quas Lutheranorum Scholas præferret Papiſticis; quod illic vigeret ſtudium linguarum, eloquentiæ, Hiſtoriarum, & denique propter docendi Methodum magis expeditam & facilem, quam ullibi.

Sanè neceſſariæ προπαιδεῖαι ſunt ad Theologica, *lit-*

teratura, & philoſophia. Quò facit Abrahami Sculteri Oratio, *de conjungendâ Philologiâ, cum Theologiâ,* in Curriculo vitæ, pag. 103. Nam *magna dicendi facultate ſacerdoti eſt opus, quin etiam Dialectices valde peritum eſſe oportet,* dixit Abbas Antonius, Meliſſarum lib. 11. Dialectica, non qualis olim in Scholis, ex Tartaretis, Bricot, Perverſore, Eckiis, Copulatis Burſæ Montis, Exercitiis Taurinis & Caninis docebatur, quibus ſe conqueritur Melanchton (orat. *de Studiis corrigendis*) totos fere ſex annos detentum fuiſſe & excarnificatum; ſed quæ, cum cæterâ philoſophiâ eò dirigatur, ut mentem hominis in veritatis inveſtigatione fortiter juvet, atque ſtudiis omnibus quam maximè conducat. Hujus proba cognitio mentem dirigit tum in percipiendâ rectè veritate, tum in deprehendendo facilius errore, eoque deſtruendo. Oſtendit hoc exiguo, ſed egregio, tractatu Lambertus Danæus, quem ſcripſit de *Elenchis Hæreticorum*: ubi per omnes Sophiſmatum ſpecies eundo, declarat, quomodo ex iis ad propoſitas objectiones prompte reſponderi poſſit. Ne Fauſtum Socinum dicam, qui quoque *de Elenchis Sophiſticis* inter opera, tractatum reliquit, exemplis Theologicis quidem, ſed iis ad ſubverſionem fidei factis, illuſtratum. *De uſu Logices in Theologicis* vide etiam lectionem XIV. Iohannis Prideaux, habitam in Veſperiis. Illa ergo ſive Dialectica, ſive philoſophica ſcire Theologum oportet, nec ſcire perfunctoriè, ſed uſum illorum habere familiarem promtumque, quid ni & facultatem, ubi opus aliquando, quod perſæpe fit, docendi? Uti in Argentoratenſi Scholâ Martyri evenit, & Zanchio, Profeſſoribus Theologis, quorum illi vacante Philoſophicâ profeſſione, impoſitum Ariſtotelis Ethicam exponere; huic, Phyſicam, alternis ſeptimanis. Novimus quidem philoſophiæ abuſus, atque uti Tertullianus loquitur, etiam de philoſophorum ingeniis omnem hæreſim animari; ſapientia ſecularis *temeraria interpres divinæ naturæ & diſpoſitionis*, uti

in libro Præſcriptionum Idem. Eodem libro: *quid ergo Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Platonem, *omnium hæreticorum condimentarium* appellat, lib. de animâ. Et de Ariſtotele, inquit, *neſcio an ſua paratior implere, quàm aliena inanire.* In Apologiâ: *Quid adeo ſimile Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus & cæli? famæ negotiator & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator & deſtructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & expreſſor, furator ejus & cuſtos ejus antiquior omnibus ni fallor?* ſimilia ejus diſcipulus Cyprianus, lib. *de bono patientiæ.* Sed vitium illa ſunt, non philoſophiæ, verùm philoſophorum, iſtâ abutentium. *Quomodo repudiamus ſecularia ſtudia, ſine quibus divina non poſſunt?* inquit alibi, lib. de Idololatriâ. Clemens Alexandrinus, Stromatum lib. I. *Alii autem philoſophiam etiam cum maximo malo & ad hominum perniciem veniſſe in vitam exiſtimant, ut quæ profecta ſit à maligno aliquo inventore:* ipſe verò probat eſſe divinæ originis, θείας ἔργον προνοίας καὶ Φιλοσοφίας. Oſtenderunt quidem paſſim veteres, varios in philoſophiâ gentili errores, Chriſtianæ veritati inimicas, Iuſtinus Martyr, libr. ἀνατροπὴ, ſive *Everſio quorundam dogmatum Ariſtotelicorum*; Tatianus, in *Oratione, contra Græcos*, ſtatim in initio; Epiphanius; *Panarii lib.* I *Tom.* I. Auguſtinus, *de Civit. Dei, lib.* VIII. ſed neque negarunt, boni permultum fructuſque in philoſophia eſſe, eamque continere talia, quæ non modo cum ſacris bene queant conciliari, ſed & ex iis defluxerint. Vnde in Apol. Tertullianus, *quis Poëtarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? inde igitur Philoſophi ſitim ingenii ſic rigaverunt, ut quæ de noſtris habent, ea nos comparent illis.* Atque doctiſſimus Seldenus,

nus, *lib.* I. *de jure Natur. Hebr.cap.* II. ex Iudæis, Patribus Chriſtianis, & Paganis oſtendit, veteres philoſophos Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, alioſque multâ cum Iudæis communione, hinc varia in philoſophiam ſuam tranſtuliſſe. Quare ab eâ ſe non continuerunt Patres, ſed reddiderunt ſibi admodum familiarem. De Origene nemo neſcit. Videantur compendio ejus *Philocalia*, *cap.* XIV. & *Homil.* XIV. *in Geneſim*. Auguſtinum adde, *de Doctrinâ Chriſtianâ lib.* II. *c.*xl. *Et contra Creſconium Grammat. lib.* I. *cap.* XII. XIII. XVII. De Clemente, Hieronymus, epiſt. ad Magnum. *Clemens Alexandrinus, presbyter Eccleſiæ, meo judicio omnium eruditiſſimus. Quid in illius libris indoctum? imo quid non è mediâ philoſophiâ?* Apud Iudæum Maimonidem, More Nevochim part. I. caput. v. eſt, *non eſſe ad contemplationem rerum divinarum accedendum ſine præeunte cognitione & intelligentiâ aliarum ſcientiarum, & ſine emendatione vitæ*. Vide hoc caput, & etiam cap. XXXIII. *Non eſſe curſum ſtudiorum ab ipsâ Theologiâ incipiendum, ſed exercendum prius animum in aliis artibus & diſciplinis*, adde cap. XXXIV. & lv.

Neque ipſam prorſus *Scholaſticam* excludo, cujus mentionem facio; quia ad philoſophiam potius, quam Theologiam referenda videtur: *ut hos multi potius* (de Scholaſticis loquitur) *philoſophos appellandos cenſeant, quam Theologos*, inquit Beatus Rhenanus, in præfat. ad Tertullianum. Sed hi conſulendi, quemadmodum Chamierus, in epiſtolis Ieſuiticis, ad Cottonum, ſcribit ſe feciſſe, non aliter, quam ſi quis aliquando palatium viſitans, poſt aularum, cubiculorum, cœnaculorum magnificentiam, etiam latrinas non dedignetur aſpicere, ſed parcè, ob fœtorem. Non ſoli noſtri Scholaſticam varias ob cauſas reprobarunt, ipſi Doctores Papiſtici ſæpe, multiſque illorum ſtudium reprehendunt, acutum quidem, ſed audax, protervum, litigioſum, & inane, multam videlicet partem. Neque nos ſimpliciter illos reji-

rejicimus,ſed cum diſtinctione, & cum judicio aliquando fructum etiam aliquem ex iis colligere annitimur: quemadmodum, ſimilis enim fere ratio, ſtudio Rabbinico, non propter deliria ipſorum & nugas, ſed propter aurum, quod etiam ex ſtercore colligitur, & ut adverſarios eâdem armaturâ retundamus, ſic Scholaſticâ, ſive Theologiâ, ſive Philoſophiâ utimur, eamque commendamus. Twiſſus, Vindiciar. de Electione, lib. 1. part. 11. pag. 281. *Neque hoc ideo obtinere volo, quia ſic viſum eſt Scholaſticis; ſed quoniam optimâ mihi videatur ratione niti. Verum nollem etiam à noſtris iſta rejici, propterea quod ſic viſum ſit Scholaſticis. Neque enim fingunt omnia Cretes. Et quamquam in multis plus juſto curioſi deprehenduntur, & vani; attamen quamplurima, præſertim de Deo & attributis divinis, ſolidâ ratione fundata apud ipſos comperiuntur. Et quis unquam è Scholaſticis, tot tantaque opinionum portenta procreavit, quot quantaque & parturivit & peperit Conradus Vorſtius, & conſimiles Sociniani, dum nihil magis crepant, quam non audiendos eſſe Scholaſticos, cum ſuis inanibus, & vanis ratiocinationibus?* Qui eâdem Digreſſione, ſe in laudes eximii Theologi, Iohannis Piſcatoris multum diffundit, propter accuratam ejus Theologica non vulgariter, ſed ſcholaſtice tractandi rationem, quam aſſecutus fuerit ſolâ ſacrarum litterarum profeſſione, communibus tantum diſciplinis in ſubſidium vocatis, Grammaticâ, Rhetoricâ, & Logicâ, ut in eo exemplum extare Deum voluiſſe cenſeat, quò demum accuratæ & ſcholaſticæ in rebus ad ſalutem conducentibus eruditionis, vel ex ſolâ ſacrarum ſcripturarum lectione, aſſiduâ meditatione, in eaſque commentatione provehi poſſimus, miſſis Summiſtis, Sententiariis, & Scholaſticis ad unum omnibus. Vt nil neceſſe habuerit adverſum nos diſputationem inſtituere Gabriel Vaſquez, Scholaſticus operoſus, in 1. Tom. 1. qu. 1. diſp. 11. *de utilitate Theol. Scholaſtica.* non enim Nos omnem Scholaſticam contemnimus

mus, quod vel ſola exempla Danæi, Junii, Trelcatii Iun. Twiſſi, Ferrii, Spanhemii, Rhetorfortis, aliorumque evincunt, ſed quidem *meram* ſcholaſticam: uti Lutherus ajebat, *Thomiſtam purum, eſſe aſinum verum, ſive ſit Italus, ſive Germanus*, in Reſp. ad Catharinum. Eâque ratione non ſoli hæretici, quos appellant, ſed *nonnulli etiam catholici* in Scholaſticam Theologiam ita invehuntur, ut Vaſquez hæreticos facit adverſus eam objicientes. Vide Cornelium Agrippam lib. *de vanitate ſcientiarum, cap.* XCVII. & Melchiorem Canum, *loc. Theol. lib.* IX. *cap.* VII. ubi ad inanes illorum ſubtilitates inquit: *puderet me dicere, non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui hæc tractarunt.* Ex Noſtris & Proteſtantibus, quid de Theologiâ illâ Scholaſt. haberi debeat, vide, ex ipſis adeo Papiſmi Doctoribus confirmantem, Iohannem Gerhardi, *Confeſſ. Cathol. lib.* I. *part.* II. *cap.* XV. Robertum Parkerum, obiter, *Polit. Eccleſ. lib.* II. *cap.* XXXIV. Et venerandum noſtrum Voetium, in peculiari de eâ *Diſputatione.* Atrox verò in Scholaſticos, & Noſtros, veritatem autem maxime, eſt calumnia Socini, quaſi à Scholaſticis demum doctrinam de ſatisfactione Chriſti accepiſſemus, *part.* IV. *de Chriſto ſervat. cap.* III. Non mala ſunt, quæcunque Scholaſtici tenent, neque ab ipſis primum nata quæ tuentur omnia. Sed cum propter *res* à Theologicâ veritate & modeſtiâ alienas, tum tractandi eas *modum*, non ſatis caſtum & religioſum, poſthabentur. Vbi in aliis probatæ fidei articulis ſæpe egregios ſe præbent. & acutos diſputatores. Iohannes Staupicius, Lutheri & præceptor, & promotor, Conradum Summerhard, Theologum Tubingenſem ſæpe hæc verba uſurpare ſolitum, retulit; *Quis me miſerum tandem liberabit ab iſtâ rixoſâ Theologiâ!* Scholaſticos innuens. Verè rixoſa Theologia: quando, uti benè obſervavit virorum judicioſiſſimus Verulamius, in Novo Organo, Scholaſtici, præterquam quod Theologiam ſatis pro poteſtate in ordinem redegerint, & in artis ef-

finxe-

finxerint formam, hoc inſuper effecerunt, ut pugnax & ſpinoſa Ariſtotelis philoſophia corpori religionis, pluſquam par eſt, immiſceretur. VVeſſelus Gansfortius, lux mundi ſuo tempore dictus, trium Facultatum Doctor, inter duces Reformationis merito numeratus, quando in *diſputationibus* ſibi authoritas Scholaſticorum, hinc Thomæ, inde Seraphici Doctoris objiceretur,
„ haud inſcitè ſic reſpondere erat ſolitus: Thomas fuit
„ Doctor, quid tum poſtea? & ego Doctor ſum. Tho-
„ mas vix latinè intellexit, & unilinguis fuit: ego tri-
„ um principalium linguarum mediocrem peritiam aſ-
„ ſecutus ſum. Thomas vix umbram Ariſtotelicam
„ vidit: ego Ariſtotelem Græcum in ipſâ Græciâ didici. Nam in Græciam peregrinatus, Græca addidicerat, & à Græcis ſibi nomen retinuerat Baſilii.

Ad *controverſias* quandocunque acceditur, ſive inquirendas, cognoſcendas, aut tractandas, *precibus* ad Deum ſemper communire animum oportet, & implorato antè divino Spiritu, ſic demùm ſe committere iſti pelago. Quemadmodum quibus periculum eſt ab infecto aëre, aliquo adverſus venenum antidoto ſe corroborant; ita ubi inter hæreſes & errores multifarios verſandum nobis eſt, opus habemus ſingulari Dei gratiâ, quâ conſervemur. Lutherus Georgio Spalatino ſtudiorum methodum præſcribens, hoc inter alia monuit, ut à feriâ ad Deum oratione ſemper inchoaret: *nullus enim*, bene ait, *eſt divinorum verborum Magiſter, præter ipſummet verbi ſui auctorem.* Tom. 1. Operum Lutheri Lat. Benè oraſſe, inquiebat Idem, eſt benè ſtuduiſſe. Iac. 1. 5. *Si quis eget ſapientiâ, petat à Deo.* Bernardus, Serm. ad fratres de monte Dei: *quo Spiritu Scripturæ factæ ſunt, eo Spiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt.* Pſalm. cxix. 18. Vnde in legibus Academiæ VVittembergenſis, à Melanthone conſcriptis, fuit: *ſic piæ mentes ſtudia inchoent, ut ardentibus votis hanc precationem aſſiduè repetant; fac cum ſervo tuo ſe-*

cun-

cundum miſericordiam tuam, & juſtificationes tuas doce me. Retege oculos meos ut intuear mirabilia legis tuæ. Auguſtinus, Serm. 112. de tempore: *qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, & legere.* De Didymo Alexandrino Veteres referunt, quod *miſcuit precibus ſtudia, & laborem*, Ruffinus, hiſtor. lib. II. cap. VII. Quod ipſum Senex ille ſuaſit Iuſtino, qui veram ſapientiam, quam fruſtra in Scholis Philoſophorum, apud Pythagoricos, Platonicos, & Peripateticos quæſiiſſet, nullibi repertum iri monebat, quam apud Chriſtianos in S. Scripturis: *Tu*, inquiebat, *votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perſpiciuntur aut intelliguntur, præterquam ſi Deus & Chriſtus eis conceſſerint intelligentiam.*

Deinde qui velit Controverſias Theologicas benè diſcernere & tractare, ſe addicere debet *S. Scripturæ*, & continuæ ejus lectioni: hinc enim omnis veritas, & de dogmate quovis Theologico habetur judicium. Quilibet Iſraëlita, dicunt Iudæi, tenetur aliquam partem diei & noctis conſecrare ſtudio legis, propterea quod ſcriptum: *& meditaberis in ea die ac nocte*, Menaſſe ben Iſrael, in libro Hiſpanico, *Theſouro dos Dinim, part.* II. *cap.* I. Quanto magis Theologus id agat, & Theologiæ conſecraneus? Biblia Sacra, Inſtitutiones Calvini, Confeſſio Bezæ, & Grammatica Hebræa Cevallerii, Bibliothecam Franciſci Iunii, quando primum ſtudio Theologico Genevæ incumbebat, conſtituerunt, quibus ſolis libris diu, ſed diligentiſſimè, uſus fuit. Et in agrum Limburgicum Idem quando poſtea excurrit, Euangelii annunciandi causâ, ſolis quæ ſecum ſumeret, Bibliis contentus fuit. Apud VValdenſes, qui Sacris deſtinabantur, nihil fere ultra ſtudebant, quam ut integros S. Scripturæ libros ediſcerent: unde apud illos plurimi extitere, etiam ex vulgo, qui univerſas Pauli epiſtolas, alii qui Proverbia Salomonis, librum Iobi, aut Pſalmos Davidicos memo-

moriâ tenerent. Idemq; uſus obtinuit olim in Collegio Monachorum Auguſtinianorum Feſulano, quod Florentiâ diſtat unum lapidem, quo tempore ei ſe aggregavit Petrus Martyr; ut qui memoria valerent integros ex S. Litteris libros memoriæ mandarent, recitarentque. Quod ſi noſtri quoque Studioſi imitarentur, magnum hinc fructum ad ſtudia, quę Verbo Divino ceu cœleſtibus aquis jugiter irriganda, redundaturum, certum eſt. Hoc eſt *Teſtamenti Chriſti ſtudioſum* eſſe, quemadmodum Gallicana Eccleſia Irenæum denominat, in epiſtolâ commendatoriâ ad Eleutherum, epiſcopum Romanum, apud Euſebium, lib. v. cap. i v. Siquidem non male dixit, quiſquis ille fuerit Dionyſius, lib. *de divinis nominibus*, Scripturam eſſe ſubſtantiam noſtri Sacerdotii. Et quare non S. Scripturæ recitatio, aut repetitio æque haberi vel introduci poſſet, atquę concionum? Eraſmus, de Ratione veræ Theologiæ: *nec, meâ ſententiâ, fuerit inconſultum divinos libros ad verbum ediſcere, vel non intellectos, autore Auguſtino.*

Atque illis ſubſidiis ad ipſas dignoſcendas controverſias feliciter jam ſe accinget, & tum *privatim* apud ſe, tum *publice*, & *cum* aliis, & *ſub* aliis ſtudia ſua provehet. Primùm leviter & *rudi* magis cognitione capita controverſiarum, ex libris obviis addiſcet: deinde *diſtinctius*, ex primis & præcipuis utriuſque partis antagoniſtis Scriptoribus, cognoſcet ipſam diſputationem. Nam, quemadmodum in trivialibus claſſes ſunt, & per gradus adſcenditur, ita in toto ſtudiorum curſu ordo obſervatur, ut ad altiora non præruptè, ſed ordine quodam perveniatur. *In litterario ludo*, verba ſunt Origenis, quibus ille rationem Scholarum ſuo tempore obſervatam nobis ſignificat, *ubi pueri prima elementa ſuſcipiunt, abecedarii dicuntur quidam, alii ſyllabarii, alii nominarii, alii jam calculatores appellantur.* Sic in Academiâ quoque gradatim itur, & qui ordo eſt in naturâ, idem etiam in Scholâ, ut à rudioribus

bus initiis progreſſus fiat ad perfectiora. Ita in Controverſiis Studioſus confuſam primo earum habet notitiam, tum diſtinctam; & quæ non agit in curriculo Academico, ea perſequitur poſtquam illum ſuperavit. Nam qui multorum mos, ut poſt emenſa non infœliciter ſtudia Academica, & adeptum gradum aliquem, aut nactam promotionem, ſtudiis ferè nuntium mittant, ſaltem iis non inſiſtant, neque ea promovere ulterius, & pergere indies indefeſſo pede laborent, peſſimus eſt, & cauſa quod tam pauci gradum ſuum tueri poſſint, vel doctrinâ aliquando excellant. Apud Chinenſes, gentem uſquequaque ſollertem, lex obtinet, ut quam in opificiis vel artificiis urgent ubique apud ſuos diligentiam & laborem improbum, ſimilem ſtudiis præſcribant, eumque non ab illis tantum, qui operam dant ut gradum aliquem aſſequantur, ſed à promotis jam quotannis etiam efflagitant. Quippe tenetur hic eidem ſe examini ſingulis annis ſiſtere, uti quando primùm promoveretur, nempe ut videatur, an & quos progreſſus fecerit, & num ad altiora evehendus, vel gradu privandus ſit, aliiſque multandus pœnis. Vnde fit, ut omnes quotquot ſe ſtudiis unquam dedere, diligentiam adhibere ſummam debeant, aut ad aſſequendum gradum, aut ad retinendum. Et ſe vidiſſe hominem ſenem, qui quamvis quadrageſimum ageret ab accepto gradu annum, tamen continuo ſe affligebat exercendo poliendoque ſtylo, & memoriæ mandandis facultatis ſuæ libris, quomodo apud nos adoleſcentes in trivialibus ſolent, ſcribit in epiſtolâ, *de ſtatu rei Chinenſis*, anno CIↃ IↃ XCVIII. ad Claudium Aquavivam, Ieſuitarum Generalem, Nicolaus Longobardus.

Denique & facit jam Noſter ſibi *Adverſaria*, ſeu Locos, quod ajunt, communes Controverſiarum, in quæ obſervata hinc inde colligit & conſervat, quod ſi ita videatur, ſingulis ſectis aut religionibus diſtinctos libros; quem

quem in finem nos quoque in hâc Summâ totidem libros fecimus. Sunt illa Adverſaria ad inſtar ciſternarum, quæ aquam undiquaque collectam ſervant. Quare is ferè eruditorum mos eſt, ut memoriæ imperfectioni, imparis ad omnia quæ continuo ei obveniunt retinenda, tali *adjumento* occurrant, præſertim in initio. Iſaacus Caſaubonus, in Exercitationibus ad Baronium, loquens de *libro* Nicolai Cabaſilæ; legi eum librum, inquit, magna cum voluptate, *& more meo excerpta confeci nonnulla.* Ita quoque veteres. Inter libros Ariſtotelis meminit Diogenes Laërtius, Τά ἐκ τῶν νόμων Πλάτωνος. Τὰ ἐκ τῆς πολιτείας. Τὰ ἐκ τοῦ Τιμαίου. Atque ita jam quævis legit Studioſus, & ex omnibus obſervat, quæ in ſuos ſingula uſus ſeponat. προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, commendat Apoſtolus Timotheo. 1. Tim. v. 13. Legendum autem, quomodo Ambroſium legere ſolitum Auguſtinus ſcribit, Confeſſ. lib. VI, cap. III. *cum legebat, oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quieſcebant.* Lectioni ſuccedit *meditatio*, abſque quà illa ſarcinam menti facit, non fructum. Multa lege quidem, ſed plura meditare: illud eſt cibum in os ingerere, hoc ac ſi illum ſtomacho tuo digereres, & ſic demum in ſuccum ſanguinemque ille revera convertitur. Multa legere, & in lectione ſubſiſtere, eſt onus in ſe accipere, ſub quo fatiſcas; meditatio autem explicat illa, & ſuperat, & fructum inde capit utilem jucundumque. Atque non ſolum docendi in Scholis ſunt homines, legere varia: verum etiam meditari poſſe, & ruminare, diſponere, uti denique poſſe lectis. Hoc pacto mens acuitur, quæ aliàs nimium legendo facilè obtunditur. Quæ ſi obſerves, tum animum tutò diſparge per quoſvis libros: nam hinc jam vera erga libros oritur cupiditas & ardor. Non libros, aut librorum titulos, vel pretium, aut raritatem noſſe; ſive magnâ librorum ſtrue & bibliothecâ te efferre, quaſi hoc virum doctum arguat:

ſed libros, quia boni, quia utiles, atque neceſſarii, licet pauciores, habere convenit. *Non refert quam multos, ſed quam bonos habeas*, Seneca, epiſt. xlv. *Non tam multos quam optimos libros colligere*, inquit Beſſarion Cardinalis, in epiſtolâ, quâ Venetis ſuam donat bibliothecam, quæ extat in Centuriâ Epiſtolarum Philologicarum Goldaſti; & prima eſt inter epiſtolas Principum, collectas ab Hieronymo Ruſcelli, ex Italico Gallice factas, per E. Belleforeſt. In iſtius epiſtolæ initio (ſcripſit eam anno cIↄ cccc lxv i i i.) ſic loquitur, & ſtudium erga libros quale ſuum ſit, exponit: *Equidem ſemper à tenerâ fere puerilique ætate omnem meum laborem, omnemque operam, ſtudium, curamque adhibui, ut quoſcunque poſſem libros, in omni diſciplinarum genere, compararem. Propter quod non modo pleroſque, & puer, & adoleſcens manu meâ conſcripſi, ſed quicquid pecuniola ſeponere interim parca frugalitas potuit, in his coëmendis abſumpſi. Nullam enim magis dignam atque præclaram ſuppellectilem, nullum utiliorem praſtantioremque theſaurum parare mihi poſſe exiſtimabam.* In quem finem eſt quoque Richardi Buri Epiſcopi Dunelmenſis ſcriptum *Philobiblion*, ubi cap. III. Auctor, nullam cariſtiam (parcitatem intelligit) hominem debere impedire ab emtione librorum, cum ſibi ſuppetat quod pro iiſdem petitur; niſi, inquit, in duobus caſibus: vel quando videtur cedendum eſſe malitiæ venditoris; vel tempus emendi exſpectandum oportunius. Capite ſecundo autem non male dicit, quod *contemplatio veritatis nunquam eſt perfectior quam per libros*. Apoſtolus quoque quam ſuorum librorum curam habuerit, indicat illis ad Timotheum verbis, in poſteriori ad eum epiſtolâ, circa finem: *τὸν φελόνην, quem Troade reliqui apud Carpum, adfer quum venies, & libros, maxime membranas.* Τὸν φελόνην *penulam.* Syrus vertit בית כתבא: *domum ſcriptorum* habet Tremellius, arcam quâ ſcripta conſervantur: vide de penulâ hâc, præter alios, Baronium *Tom.* I. *ad*

annum

annum lviii. exactiſſime autem iſtud argumentum tractantem Bartolum Bartholinum, Caſp. F. in ſingulari *de Penula* Commentario, ubi veſtimenti genus fuiſſe, & quale, multis atque erudite oſtendit. & *membranas*, Syrus כרכא דמגלתא *faſciculum voluminum* explicat.

In libris autem controverſiarum evolvendis, & præcipuè in ſcriptis hæreticorum multo cum judicio verſari oportet, ac prudentiâ: quomodo Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium, *lib.* VII. *cap.* VII. ſcribit ſe feciſſe, quum jam ſciret omnia benè expendere & judicare, ideoque illorum ſermonibus non modo non commoveretur, ſed uſum quoque inde apud ſe hunc faceret, ut illa dilueret, & magis poſtea abominaretur. Cribrum ſe præſtare æquum eſt, quod excuſſo furfure ſimilam retinet; non ſaccum, qui fæcem, poſt expreſſum vinum, ſervat. Quomodo Judæi dicunt, quadruplicem diſcentium ſortem eſſe: alios ſpongiarum inſtar, omnia promiſcuè attrahere; alios clepſydræ in modum, quod unâ aure accipiunt, alterâ mox amittere; tertios, quaſi ſaccos fæcium; optimos, cribris ſimiles eſſe. Duo hæc præſertim, quia circa illa multum peccari animadverto, obſervanda in ſtudio controverſiarum moneo: ut imprimis attendatur ad *ſtatum* controverſiæ benè conſtituendum; in quo nimis oſcitanter multi verſantur, & quaſi mutuum ab aliis acceptum, quem vix ſemel vertunt, inhærent, citra diligentius examen, formæ quæſtionis, prout ab aliis ſæpe ſatis leviter jacta eſt: quum tamen hinc, ut juſtiſſime ponatur controverſiæ terminus, non modo multum lucis accedat toti diſputationi, ſed & ipſa levior reddatur, & fructum, quem oportet, felicius ſic aſſequamur. Hoc eſt, quod Tertullianus dicit, ſummam quæſtionis certis lineis determinare; ad *lineam* diſputare: ad unam lineam congreſſionem dirigere. Alioquin id multoties evenire cernimus, ut nec de eadem re diſputent ſæpe, qui non leves tamen turbas cieant; nec ſe mutuo (fermè quaſi id unum ſtudioſe

intenderent) intelligant. Plures quæſtiones faciliùs in initio, circa poſitionem controverſiæ, finiuntur, quam poſt inchoatam, vel habitam diſputationem. Ego ſemper ſic ago, & agendum alios doceo, ut in ſtatu quæſtionis genuinè formando ſignandoque potiſſimum operæ impendatur: quò ita quæſtio melius intelligitur, & alieni nihil Adverſario tribuimus, faciliuſque argumenta ex re benè poſitâ, quodam naturâli ductu quaſi profluentia, capiuntur. Plus equidem hic ſemper ſum ſollicitus, quam de argumentis: hæc etenim, res benè intellecta de ſe ſponte ſatis promit, ſuggeritque. Benè Plato, in Cratylo, ſub finem: δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴτε ὀρθῶς εἴτε μὴ ὑπόκειται, ἐκείνης δὲ ἐξετασθείσης ἱκανῶς, τὰ λοιπὰ φαίνεσθαι ἐκείνῃ ἑπόμενα. *Debet quiſque circa rei cujuſque principium ſtatuendum multa diſſerere, diligentiſſimeque conſiderare, utrum rectè decernat necne, quo quidem ſufficienter examinato, cætera jam principium ſequi debent.*

Alterum quod etiam monendum duxi, eſt de *argumentis*, vel diſputatione ipsâ; ubi non uno peccatur modo. Primùm quod nimis *feſtinanter* multi ad argumentandum proſiliunt, antequam bene jacto quæſtionis cardine, inter partes convenerit, quid illud propriè ſit de quo controvertitur, vel priuſquam tentatum ſit, annon fortè alio quo modo tranſigi res poſſit, quam contentione. Perinde ac ſi in bello, vel aliâ quâ diſcordiâ mox ad arma quis properet, ubi ſpecies modo diſſenſionis apparet. Deinde non ſatis accuratè attendunt ad *filum veritatis*, ut ſic illud appellem, quo hoc ante omnia indagentur, teneant, & per certa eaque proxima veſtigia premant ac ſequantur. Eſt quippe, uti in fodinis, ita in veritatis indagine, vena, cujus aliquod caput ubi habes ἀναμφισβήτητον, per continuum ductum, nullo facto ſaltu, religioſe id ſequaris oportet, fermè uti in diſciplinis Mathematicis ſolemus,

imus: quamque agendi rationem multum ſecutus Bradwardinus, in diſputatione *de causâ Dei*, contra Pelagianos: niſi quod hic ſervandum ſemper fidei principium ſolum Dei verbum, ex quo regula eorum quæ tenenda ſunt, conſtruenda, & quæ neutiquam cum naturâ vel ratione commiſcenda vel confundenda eſt: ut hoc pacto per certa veſtigia veritatem ex Dei verbo acquiramus, & ſimul caput controverſum quod ſpectat, Adverſarius ſe potenti quaſi & continuo fluxu delatum in veritatis portum, mirabili & certâ viâ, ſentiat. Veritas ubique ſibi eſt ſimilis, omneſque ejus articuli ita ſunt inter ſe conjugati, ut levi, dummodo prudenti & non deſultoriâ, declinatione unum ex alio ad oculum ferè ſequatur. Quare mihi ſemper probata fuit ratio diſputandi Socratica, quâ per continuas preſſaſque interrogationes & reſponſiones, veritas in fine ita certo colligitur, concluditurque, ut aſſenſum ſui ab omnibus facile impetret: quam cum alibi, tum præcipuè obſervat Plato in *Hippiâ*, ubi de pulchro diſputatur; eamque ſe à Parmenide accepiſſe, ait in *Sophiſtâ*: adde ejuſdem quoque *Theatetum*, vel, de ſcientiâ; & alium, *Politicum*. Quo quidem modo impoſſibile fere eſt in errorem incidere, niſi vel non benè primò *arripueris* filum illud, quod dixi; vel, non fueris rectè *ſequutus*, aut aliquid prætermiſeris, & non bene collegeris veſtigia. Vel in limine erraris & non apprehenderis veritatis portam illam neceſſe eſt, vel ſaltus feceris, quibus à recto tramite facile tum aberratur. Quorum illi occurres, ſi meditatò pedem fixeris in theſi manifeſtâ, & ab utrâque parte agnitâ, quantumvis à τοῦ κρινομένου remotiore: huic, ſi quod in malè ſubducto calculo fit, per proxima repedes, quantum fieri poteſt, veſtigia. & ſenſim pedem promoveas in apertiora. Quod errorem quis committit hinc eſt, quandoquidem ex abrupto in rem mens involat, & non mature, & gradationis ſecura, temerarios inſultus facit, progreſſus nullos.

Vltimum quod moneam eſt, ne arbitremur *numero* & copiâ argumentorum in diſputationibus rem agi. Sunt qui putant ſolâ fere multitudine victoriam obtineri, quos ſua ratio vehementer fallit. Non numero, ſed pondere argumenta æſtimanda, & pauca malo, quam plura. Argumentum mihi eſt, non quælibet ratio, quæ in diſputatione forte adferri, ſed quæ conflictum ſuſtinere poteſt integrum, & ſibi ſufficit, ut adverſus omnes exceptiones perſiſtat. Talia vero haud adeo multa ſunt, quæ rebus ipſis quaſi enata & ordinem ſuum, & vim omnibus commonſtrant, ſimulque Diſputatoris probant tum judicium, tum eruditionem. Ad quæ demum ultimo loco accedit, eorum bene utendorum *dexteritas*: ſcilicet ne de nobis dici poſſit, quod de Caroloſtadio Zuinglius; idem ei accidiſſe, quod Tyroni, cui arma quidem ad pugnandum non deeſſent, ſed armorum peritia.

Atque hæc nos impræſentiarum de Controverſiis, & Diſputationibus Theologicis. Conferſis quæ habet eximius Theologus, Georgius Sohnius, Tom. 1. de verbo Dei, lib. 11. *de tractatione Scripturæ Sacræ elenſticâ, id eſt de diſputatione, ſeu diſputandi ratione.* Chemnitius, in Prolegom. *ad locos Theologicos.* Nam libellum Matthiæ Höe, *de Diſputationibus Theologicis*, ne commendem, ipſe ſatis facit futilis: niſi convitiari & calumniari malis, quam quod eſt vere & Theologice diſputare. Ego verò potius ſuadeo, ut hoc in loco legantur Auguſtini libri quatuor, *de doctrinâ Chriſtianâ*, (quibus, quando Scriptorem hunc commendo, jungere ſoleo ejuſdem *Confeſſionum* libros, Scriptorum ejus facile optimos, inque primâ editione Baſileenſi Amorbachianâ, ante alteram Eraſmi, eâdem parte, quartâ videlicet, conjunctos) addito ejus quoque *Enchiridio*; tum ob doctrinæ utilis materiam, tum ob guſtum aliquem capiendum Scriptorum antiquorum, quibus quantum debeamus, ſoli ignorant, qui ea non legerunt. Atque,

ex

ex Auguſtino quidem, & libro quem diximus, Confeſſion. x i. cap. 1 1. hanc, ante ſtudia dicendam precationem, nobiſque ſæpe uſurpatam, hic exhibere, tandem ut finiam, haud inconſultum duxi:

DEus meus, intende orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum; quoniam non mihi ſoli æſtuat, ſed uſui vult eſſe fraternæ charitati; & vides in corde meo, quia ſic eſt, ut ſacrificem tibi famulatum cogitationis, & linguæ meæ, & da, quod offeram tibi. Inops enim & pauper ſum, tu dives in omnes invocantes te, qui ſecurus curam noſtri geris. Circumcide ab omni temeritate, ab omnique mendacio interiora, & exteriora labia mea. Sint caſtæ delitiæ meæ ſcripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Largire inde ſpatium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque adverſus pulſantes claudas eam. Neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta; per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Amen.

Summa Controverſiarum

RELIGIONIS.

Liber Primus,

DE

GENTILISMO.

MUlta huc ſpectantia rejiciuntur in Tractatum alium. Interim neceſſitas harum diſputationum commendatur, & argumenti præſentis Scriptores, antiqui & poſteriores, recenſentur. Schema & ſeries controverſiarum cum Gentilibus.

QVum conſtitutum nobis ſit, ſingulari tractatu agere *de Converſione Indorum*, ubi datâ operâ in *ſtatum* Gentiliſmi, præcipuè hodierni, ſumus inquiſituri; tum *diſputationem*, ac denique de eorum *converſione* diſſertationem inſtituturi, illa quæ eò ſpectant, jam omittere, & in iſtum locum ſervare viſum, annotatis hic duntaxat controverſiarum hujus argumenti capitibus, quantum ſtudioſo ſcire ad diſputandum, & tum ad ſtudia, tum collegia elenctica inſtituenda neceſſe videbitur. Neque omnino abs re in hoc negotio, quod

multis videri poſſit peregrinum nimis, ſi non ſupervacuum, ubi tanta ſcilicet aliarum & inter Chriſtianos agitatarum quæſtionum, quæ nos exercent, copia, occupamur: quinimo propter idipſum laudabile videri debet propoſitum noſtrum, quod, quum ultra modum ferè Chriſtiani inter ſe litigent, provido conſilio, neque neglectis quæ alibi ſunt juſtis controverſiis, Veteres Romanos, & Germanos imitati, qui quos domi habebant bellicoſos ſpiritus, ad externa & remotiora deſtinabant, ita nos juvenum animos ad diſputandum pronos, in illa ſubinde revocamus quæ Eccleſiæ cum extraneis ſuperſunt, ne hæc ignorent, vel ne curent minus, neutiquam ſanè levioris momenti, quam reliqua. Quomodo Germani, Romanique, ita & Alexander, apud Græcos, pro inferendo Perſis bello, olim diſſeruit: *Domeſtica quieti eâ ratione proſpectum iri, amotis occupatiſque longinquâ militiâ, qui ocioſi diſcordiis & audaciâ res turbare conſueviſſent.*

Multos quidem magnique nominis Theologos pro nobis habemus, qui Theologię hoc cum Gentilibus tractarunt argumentum, præcipue inter Veteres, quando ex Gentiliſmo Eccleſia quotidie colligebatur, & augeſcebat; etiam inter Poſteriores, qui quamdiu Gentilium tanta ubique copia eſt, & officium noſtrum perpetuum pro illorum invigilare converſione, non omnino hic otiandum benè cenſuerunt, quos tum ſequimur, & hoc in loco recenſemus, ut ſtudio huic ſe traditurí cognoſcant, quos Auctores vel volumina conſulere liceat. Inter Veteres ſunt, *Juſtinus Martyr*, *Athenagoras*, *Theophilus Alexandrinus*, *Tatianus Aſſyrius*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Euſebius*, *Athanaſius*, *Nazianzenus*, *Chryſoſtomus*, ex Græcis. Inter Latinos, primus *Tertullianus*, *Minutius Felix*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Auguſtinus*. Hi antiqui. Ex Poſterioribus, *Thomas Aquinas*, *Marſilius Ficinus*, *Raimundus Sebon*, *Ludovicus Vives*, *Ioh. Fridericus Lumnius*, *Ludovicus Grana-*

tenſis, Petrus Charron, Philippus Mornaus, Antonius Poſſevinus, Thomas à Ieſu, Martinus Fotherby, Iohannes Yates, Alexander Roß. Hugo Grotius, Miræ lius, Amyraldus. De quibus omnibus & ſingulis judicium alibi interponimus.

Omnis autem cum Gentilibus diſputatio eſt, vel de illis quæ ex *naturâ* oſtendi, docerique poſſunt; vel de aliis, quæ ſupra naturam, aliunde ex ſupernaturali revelatione aut Theologiâ, quæ in Dei *verbo* eſt, petuntur. Quippe cum duplex omnino ſit Theologia, *naturalis* prima, ſed imperfecta; altera *ſupernaturalis*, & conſummata: quarum illâ Gentiles abutuntur, hanc ignorant, utraque illos docenda venit, illiuſque defectus hinc ſupplendi, ut ad fidem, atque ſalutem perducantur. Super illius, Theologiæ naturalis puta, capitibus diſputamus ex communi principio naturæ, & rationis, quamdiu aliud non habent. Inde ad perſuadendum hoc ſupernaturale divinæ veritatis principium, per remotionem omnium adverſus id, quæ habere poſſint, præjudiciorum & objectionum, progredimur. Etenim præter *defectus* Theologiæ naturalis, oſtendimus hic *nihil rationis* adverſus Dei verbum adferri poſſe, quo minus *divina* ejus *veritas*, tot teſtata inſititiis notis, aliiſque argumentis, agnoſcatur; ubi *nec improbabile*, tale aliquod Dei verbum dari, quum & ipſi Gentiles hic ſua jactent, ſive oracula, ſive Sacros codices; uti Brachmanni ſuum Vedam, alii alia, manente quæſtione, utra lex, illorum, an noſtra, & quam habemus, Scriptura S. præferenda ſit? Ad Theologiam naturalem, juxta capita Decalogi, quæſtiones diſpartiri poſſunt in illas quæ *Deum*, & quæ *hominem* concernunt. Ibi quæritur, de Dei primum *naturâ*, ſeu eſſentia, *an*, & *quid*, & *quis* ſit? Deinde, de ejus *operibus*, nempe de *creatione*, tum *providentiâ*. Tertio de *cultu* Dei, in *genere* primum, tum in *ſpecie*: nam diverſi generis Gentiles ſunt: alii barbariem profeſſi; ex adver-

verſo ſpeciem ſaltem quaſi religionis, alii: utrique peccant, illi quia nullam, hi quia malam habent, & ſequuntur religionem. Ergo & *colendum* Deum eſſe, & non per *idololatriam*, aut multiplicem *ſuperſtitionem*, ſed & abjuratâ omni (cui plurimi inter illos ſunt addictiſſimi) *magiâ*, docendum. Secundo, poſt Deum loco, agendum de *homine*, deque eo conſiderato primum in *ſe*, tum erga *alios*. Ibi de *animæ* humanæ *immortalitate*; hominis *autophonia*; de animarum *metempſychoſi*: quæ poſtrema apud multos Gentilium in uſu, & creduntur.

Homine conſiderato in ſocietate humanâ, ut cum aliis, & inter eos vivit, controverſiam facit primùm *nuditas* corporis, palam in hominum convictu uſitata inter Gentilium multos, qui abſque veſtimentis incedunt; ipſorum *feritas*, quâ ſe mutuo cædunt & dilaniant; tum vulgata inter ipſos *fornicatio*, *inceſtus* etiam, & *polygamia*. Hæc hactenus capita ex lege & Theologiâ naturali decidi queunt: præter quæ, ut vides, multa adhuc ad veram religionem & ſalutem cognitu ſunt neceſſaria; ſed quæ ex illo naturali principio non habentur. Quare altius figere pedem jam neceſſe eſt, & ſublimiorem rerum ſphæram adſcendere, videlicet ad veritates Theologiæ ſupernaturalis, quæ ex ſolâ Dei revelatione habentur, & *verbo*.

Sed in anteceſſum duo prælibanda mihi videntur, quorum primum ad ſuperiora pertinet, & claudit ea, nimirum de *vanitate philoſophiæ* & philoſophorum, in ordine ad ſalutem; tum, quod ad ſequentia ſpectat aliud, *de præſtantiâ religionis Chriſtianæ*, in genere, quæ ipſa præſertim in eo conſiſtit, quod librum iſtum, quo ſupernam veritatem conſignavit Deus, poſſidet. Hic ergo de *verbo Dei* agendum prius, ejuſque divinitas quibuſcunque adſtruenda argumentis. Tum ex iſto Dei verbo plenius jam oſtendenda illa capita, quæ ſuprà ex naturali cognitione aliquantum, ſed imperfecte ex-

expoſita fuerunt: circa Deum, de Perſonarum in Deo *Trinitate*; de *hominis creatione*, & *lapſu*: de *Chriſto*; de *juſtificatione*; *ſanctificatione*; denique de hominis extremis, *de reſurrectione, judicio, cœlo, & inferno*. Inter quæ ſunt, quorum nulla apud Gentiles, vel in illorum Theologiâ ſtrictura apparet, ut de S. Trinitate, Chriſto, vel noſtrâ ex mortuis reſurrectione; alia nonnullam partem nota illis fuerunt, quamvis obſcure & imperfecte: hæc jam ex Dei verbo confirmantur, & docentur plenius. Verùm ſciendum, quod illa, quæ ex Dei verbo dicimus ultimo docenda eſſe, non per diſputationem, ſed ſolâ ex Dei verbo oſtenſione & expoſitione debeant peragi, admiſsâ ſemel Verbi divinitate, poſt quam fide accipere oportet quæ à Deo nobis revelantur, non ea rationibus diſceptari, niſi quod ſcrupuli interim, & , ſi quas habent aut movent, difficultates eximendæ ac ſolvendę ſemper ſint. Atque illa quæſtionum capita, ex quibus formandæ controverſiæ, ſuper quibus cum Gentilibus inſtituitur diſputatio.

Controverſiæ autem hæ ſunt, vel ſuper hiſce capitibus: nam pro re natâ illas vel ſub interrogatione, vel aſſertivè proponere viſum fuit.

I. Deum eſſe, certis ex naturâ rationibus probari poteſt, & debet.

II. Deus eſt ens perfectiſſimum.

III. An Deus ſit unus? an plures Dii. *Reſp.* prius.

IV. Deus eſt incorporeus, & incorruptibilis.

V. Quis ſit Deus? *Reſp.* Creator cœli, terræque.

VI. An mundus à Deo ſit creatus? *Aff.*

VII. An quoque Deus mundum à ſe creatum providentiâ ſuâ ſuſtentet, ac gubernet? *Aff.*

VIII. Deus ille omni religione à nobis colendus eſt.

IX. Nulli, præter iſtum unum Deum, Dii alii habendi, aut venerandi.

X. Nullæ Dei faciendæ ſunt imagines, aut ſimu-

mulachra ulla religioſe habenda.

XI. Vana eſt omnis ſuperſtitio, ut & divinatio.

XII. Nefas eſt Magiam exercere.

XIII. An anima hominis ſit immortalis? *Aff.*

XIV. Hominem ſeipſum interimere, eſt contra naturam, & rationem.

XV. Num à morte hominis, ejus anima commigret in aliena corpora, ſive hominum, ſive beſtiarum? *Neg.*

XVI. Hominem nudo corpore incedere, & verſari inter homines, indecorum.

XVII, Alium cædere, nedum interficere, aut devorare, haud humanum eſt.

XVIII. Fornicari, vel inceſtum committere, aut polygamiam exercere, illicita.

XIX. Gentilium Philoſophia nequit hominem perducere ad verum & ſummum bonum, vel ſalutem.

XX. Sola ſalutem præſtat religio Chriſtiana.

XXI. S. Scriptura complectitur verum Dei verbum, eſtque divinæ authoritatis.

XXII. Ex Dei verbo certò docetur:

In Deo Perſonarum Trinitas.

Hominem fuiſſe creatum ſanctum, ad Dei imaginem.

Per peccatum primorum Parentum prolapſum fuiſſe hominem in omnem miſeriam, peccati, & pœnæ.

Chriſtum Θεάνθρωπον eſſe noſtrum redemtorem.

Homines coram Deo juſtificari per juſtitiam Chriſti.

Nos à Deo per ejus Spiritum ſanctificari.

Poſt mortem iterum hoc in corpore nos reſurrecturos.

Ad generale omnium judicium.

A quo beatos manet in cœlo æterna felicitas:

Improbos gehenna.

Liber Secundus.

DE

JUDAISMO.

NEceſſitas ſtudii Controverſiarum Judaicarum. Scandalum aut non, aut male hic diſputantium. Notitia & uſus linguæ Hebrææ. Controverſiæ.

QVod in legibus Athenienſium erat, ἀναφαίνειν ὁδὸν πλανωμένοις, cumque Dei lege multis modis conveniens, ut aberrantibus viam oſtendamus, id ſicubi locum habet, apud Iudæos certe, miſeram hodie, quantum olim felix, gentem omnibus verè Chriſtianis magnâ operâ obſervandum venit: *diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine ſine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur*, inquit de illis Tertullianus, in Apolog. & poſt eum, de iiſdem ſimiliter ejus diſcipulus, Cyprianus. Quinam uſpiam homines miſerandum magis in modum errant, quam Iudæi, qui antea Deo proximi, ſoli gaudebant veræ religionis notitiâ, & ſalutis æternæ ſpe, quâ utrâque nunc juxta carent? Scripturam retinent adhuc, & non quotidie minus, quam Sabbathis legunt, vectigali libertate, uti Tertullianus amat loqui: *Sed & Iudæi palam lectitant, vectigalis libertas vulgò aditur, ſabbathis omnibus.* verùm eo infeliciores, quo non intelligunt illa, quæ ſolâ iis pridem indulta, quæque, quo minus ab ipſis capiuntur, capiunt eos, & per ipſorum vitia tenent magis irretitos. Interim priſtini temporis memoria, & futuræ, forte etiam inſtantis, liberationis ſpes ut magis animum erga eos noſtrum commovet, & ad commiſerationem provocat, ita alacriores facit ad ſtudium & nego-

gotium omne noſtrum ipſorum converſioni quanto ocyus impendendum. In quo nolo ut meorum ullus deſit, & opus detrectet, ob omiſſam hâc in parte, ſi qua à me fieri poſſit, inſtitutionem; aut non excitatum animum, zelumque, meâ quà doctrinâ, quà exemplo. Quippe dignius nullum novi argumentum, in quo occupemur, & ubi majori ſpe opera noſtra collocetur, quam hic Alii aliter ſentiant, ac malint vires ingenii animique ſui convertere in proximiores ipſis Chriſtianos, ego à primo ſtudiorum, quin adoleſcentiæ tempore, ſingulari me impetu erga Iudæos, & eorum diſputationes, converſionemque actum ſcio: unde, ante quemcumque Theologum elencticum, legiſſe memini, quia alium hujus argumenti copioſiorem ignorabam, Galatinum. Ex quo hæſit animo, ut in Academiâ vel præcipuè Iudaicà commendem, & tum publicis, tum privatis Lectionibus, & Diſputationibus hoc in argumento me, alioſque, crebrius exerceam, ſi forte placeat Deo, ut periodus, quam populi iſtius converſioni præſcripſit, ſit præ foribus, ibique noſtrâ, vel noſtrorum eâ in re operâ, uti.

De Conrado Pellicano ſcimus; cum à primâ juventute vehementi ardore flagraſſe erga Hebraica; hâc occaſione, quod puer audierat aliquando diſputantem cum Iudæis Chriſtianum, adeo infœliciter, ut non à Iudæo ſolum, ſed etiam Iudæâ muliere Doctor Theologus turpiter confunderetur: id quod animum Pellicani tantopere cruciabat, ut hinc inſatiabili ſtudio ad Hebraica & Iudaica pernoſcenda indeſinenter agitatus fuerit, inque iis adeo profecerit; quamvis ſummâ difficultate, maximâ quę iſtius temporis erat, librorum Hebraicorum & Magiſtrorum penuriâ, ut in Rabbinicis, Chaldaicis, Talmudicis etiam, quod fere miraculi loco habebatur, multo cum fructu verſaretur. Equidem valde vereor, ne quod Pellicano videre obtigit, multis noſtrum quoque eveniret, ſi quando cum

Iudæis committerentur: quod quam turpe & infandum eſt, tam ne contingat, omni modo ſingulis providendum, tum ſibi, tum aliis; de his præſertim hoc dixero, qui formandi in Scholis veniunt Theologiæ Candidati. Iulianus Pomerius Toletanus, in præfat. libri *de ſextâ mundi ætate*, contra Iudæos diſputaturus, inquit: *ubi de Deo, vel contra Deum aliquid agitur, periculoſum eſt paſtori, ſi taceat; infame, ſi fugiat: mortiferum, ſi ſuccumbat.* Veriſſime, & in negotio quidem Iudæorum, ante omnia probroſum. Nota eſt Auguſtini hiſtoria, quodque de ſe teſtatur, ut in Manichaiſmo detentus fuerit per infœlices quas videbat Manichæorum à Chriſtianis, in frequentibus diſputationibus, reportatas victorias.

Vulgare impedimentum in re Iudaicâ ex *linguæ* ignorantiâ eſt, quod ante omnia depellendum, nunc præcipuè, ubi Deus tam copioſa ſuppeditat linguarum Orientalium omnium diſcendarum media, præ illis tempoſuit, quando vix codices iſtarum erat reperire, quum, quod Lavaterus ſcribit, ſe à ſene Pellicano haud ſemel audiviſſe, per totam Germaniam nullum Græcum Teſtamentum, quamvis multo emendum, proſtaret: primum quippe ejus exemplar ex Italiâ allatum fuit. Ioh. Reuchlinus, (Hermolaus Barbarus ei Germanicum Reuchlin, commutavit in nomen Græcum Capnionis) quando primus Grammaticam Hebræam compoſuit, præceptori Judæo, à quo linguam diſcebat, pro ſingulis horis totidem tribuebat aureos, & maximum rariſſimumque munus merito æſtimabat Biblia Hebræa M. S. quæ ei Imperator, ad quem legatus à Duce VVittembergico miſſus fuerat, donabat, trecentis aureis æſtimata. Per Dei, & magnam certe eam, gratiam hodie commodior & vulgatior illarum linguarum habetur inſtitutio, & librorum copia. Hieronymus, Tom. 11. epiſt. ad Sun. & Fretelam: *Quis hoc crederet, ut Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret*

veri-

veritatem: & dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipſa Germania, Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur? Vt, quemadmodum, poſt primam Apoſtolorum prædicationem, in Reformatione Eccleſiæ, linguas renituiſſe obſervatum, hoc ominis inſtar nunc quoque haberi queat, inſtantis circa Iudæos & eorum converſionem, periodi. Dicunt Iudæi, in Pirke abbot, cap. IV. התקן עצמך בפרוזדור, *prepara te ipſum in veſtibulo, ut intres in triclinium.* Quod ſi ullibi, omnino cavendum hâc in re, ne quis imparatus, ne viribus impar in diſputationem cum Iudæis prodeat, ne vel victus, vel dubiâ aleâ diſcedens, cauſam prodidiſſe judicetur. Accipe conſilium Victoris à Carben, ex Iudæo converſi Chriſtiani, (qui poſtea Coloniæ docuit in templo Vrſulano, unde ibi in foribus templi ferro inſcriptum, & jam vetuſtate fere exeſum: *Victor olim Iudæus*) lib. I. adverſ. Iud. cap. ult. *Commonendus hic es, ſi tibi congrediendum eſt cum Iudæo aliquo in certamen diſputationis, cogites prius neceſſarium fore, uti ſagittis teliſque pharetram refertam habeas, quibus te ab incurſione illius tueri poſſis. Quibus verò ſi careas, conſilium meum plane eſt, nequaquam tibi cum illo conſerendas manus eſſe, quin abſtineas potius. Nam ut & alias te ſæpe commonefeci, illorum mos eſt à pueritiâ fermè, & ab incunabulis ad diſputandum adverſum Chriſtianos inſtitutos eſſe, atque indies inſtitui à ſuis majoribus. Etenim id ita cautum apud eos, imprimis de doctrinâ ſuæ legis, ſibi provideant ſemper ut ſciant in promptu reſpondere unicuique vel hæretico ſuæ ſectæ, vel aliàs utcunque infideli, ut ipſi arbitrantur, ſi quid ſciſcitatus ille ab eis fuerit.* Præcipuum quidem hujus rei adjumentum ſitum in *linguæ* Iudaicæ cognitione, citra quam nihil agitur. Vnde Clementina, in concilio Viennenſi edita, de Profeſſoribus linguarum Orientalium, in Academias introducendis, *ut inſtructi & edocti ſufficienter in linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.*

Quod Hieronymi fuit, de ſuo in linguam Hebræam ſtudio, (quod ſub variis Rabbinis multo labore excoluerat, jam ſub præceptore Tiberienſe, tum ſub alio Barrabano, *qui timebat* (inquit) *Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum*,) encomium & teſtimonium, idem omnium noſtrum eſſe debet, quod perhibet in Epitaphio Paulæ, his verbis: *Hebraam linguam ego ab adoleſcentiâ multo labore ac ſudore ex parte didici, & indefatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab eâ deſerar.*

Vnde nemo opinor mirabitur, non dicam vitio vertet, quod Studioſos cum in aliis, tum in hiſce, idque vel imprimis, manuducimus controverſiis, quæ res concernunt Iudaicas. Neglectum quamvis à nonnullis ſtudium, non minus tamen utile ſemper eſt, & valde neceſſarium: atque cogitare hic debemus illud Athenienſium ſolemne juramentum, *pugnabo pro Sacris ſolus, & cum aliis.* Vel Hebræorum vulgatum admodum verbum, במקום וגו׳ *in loco ubi nemo vir, tu te virum præſta.* Satis benè & diligenter illa apud nos traduntur, tractanturque, quæ ſpectant controverſias Chriſtianorum, quæ ſunt v. g. cum Pontificiis, Anabaptiſtis &c. ſed hoc uti benè agitur, ita neque illud, quod de Iudæis diximus, omittendum fuerat. Vulgus, neque omnino abſque ratione, reprehendit in Politicis noſtris, quod arma Chriſtiani Principes in ſe vertunt mutuò, quæ adverſus Turcas potius, pro redemtione oppreſſorum Chriſtianorum, contorquenda eſſent: idem annon multam partem Theologis quoque juſtè exprobari poſſit, viderint, quorum intereſt, Chriſtianos quidem acriter inter ſe decertare, ſed raro cum Infidelibus, cum Iudæis, aliiſque iſtius generis: vehementer illos inter ſe pugnare, ſæpiuſcule de apice aliquo, & ſubtili magis quam neceſſario articulò, viderique potius ingenii certamen eſſe quam fidei, interim paucos iſtorum diſputationem ſuſtinere poſſe cum Iudæo, vel cum eo in are-

arenam deſcendere. Ita nobis contingit, quod Iſidorus Pelusiota ſcribit, lib. II. epiſt. CXXXIX. *τὰ γὰρ τὰ ἑαυτῶν μόνον σκοποῦντες, τὸν κοινὸν ἐχθρὸν ἀφέντες, κατ᾽ ἀλλήλων ὁπλιζόμεθα. Propria duntaxat reſpicientes, communem hoſtem negligimus, armamur adverſus nos invicem.* Frivolum eſt, quod Papa Romanus obſervat inter ſolemnitates ſuæ coronationis, ut proceſſuro ſibi ad Eccleſiam Lateranenſem, ſub montem Iordanum Iudæi obviam veniant, legem offerentes, eamque commendantes, quibus ille tum nihil aliud ſcilicet reſpondeat, quam ex formulâ: *Sanctam legem cari Hebræi & laudamus & veneramur, utpote quæ ab omnipotente Deo per manus Moyſi patribus veſtris tradita eſt: obſervantiam verò veſtram, & vanam interpretationem damnamus, atque improbamus: quia Salvatorem, quem adhuc fruſtra expectatis, Apoſtolica fides jam pridem adveniſſe docet, & prædicat, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Qui cum Patre, & Spiritu S. vivit, & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum.* Vti hæc leguntur in Pontificali Romano, fol. 47.

Controverſiæ Iudaicæ variæ ſunt, interque eas, uti notum, præcipua, & tritiſſima de adventu Meſſiæ, Tertullianus, *nec alia magis inter nos & illos compulſatio eſt, quam quod jam veniſſe non credunt.* Profecto non de *aſelli umbrâ*, uti Celſus, apud Origenem, *lib.* III. improbe calumniatur; ſed de ſummâ & centro religionis ac ſalutis eſt concertatio. Quamvis an, quod vulgo quidem fit, inde ſemper incipienda diſputatio ſit, ego dubitem; magis forte conſultum aliquando, quod prudentiæ diſputantium relinquo, non hinc exordiri, ubi ad ſingula fere promtas habeant reſponſiones exceptionesque, ſed vel à veritate aut præſtantiâ religionis Chriſtianæ, à Chriſto, vel articulo de hominis coram Deo juſtificatione, aliiſve, pro re natâ. Sed de hoc, & de aliis huc ſpectantibus quia in ſingulari hujus argumenti opere ex profeſſo ago, ita jam omitto, ſolum-

modo ſyllabum controverſiarum, quod præſentis inſtituti eſt, exhibiturus. Quod verò ad controverſiarum diſpoſitionem & ſeriem, alio eas ordine collocavi alibi, quam hic, neque in eo quidpiam ſitum, quo loco, modo bene, tractes, & liberum cuique variare hæc, prout viſum. Quæritur ergo,

I. Num Moſes, in monte Sinai quum eſſet, præter legem ſcriptam, acceperit quoque oralem שבעל פה, traditiones, vivâ tantum voce docendas? *Neg.*

II. Num Talmud, quo contineri (ajunt) legem oralem, ad ejus uſque conſcriptionem non niſi ore traditam, tradendamque, tandem autem propter temporum injuriam colligendam & conſignandam, ſit divinæ certitudinis, atque authoritatis, & juxta, ſi non ſupra Scripturam, amplectendum? *Neg.*

III. Num Kabaliſtica Iudæorum doctrina, quæ conſiſtit potiſſimum in litterarum permutatione, per *Temuram*, uti appellant; vel in earundem ſupputatione arithmeticâ, per *Gematriam*; & vocum diverſarum ex ſingulis formatione, per *Notaricon*; præter reliquos modos, vel regulas, quas in univerſum tredecim faciunt Iudæi, præter jam dictas, *Zura*, *Raſe tebotve ſophe tebot*, *Chaſer Vmela*, *Setumot Vpetuhot*, *Kare vela Quetib*, *Quetib vela Kare*, *Ketannot Vgedolot*, *Hiluf*, Nekudot, *Taamim*, num illa doctrina divinæ ſit originis, & authoritatis? *Neg.*

IV. Num diviſio librorum S. Scripturæ, ut apud Iudæos fit, in Pentateuchum utrumque, Prophetas, & Hagiographa, ſit optima? *Neg.*

V. An in Deo uno ſint tres Perſonæ, Pater, & filius & Spiritus Sanctus? *Aff.*

VI. Num aliqui Angeli ſint corporei, compoſiti ex aëre & igne, & alati, quique cibis veſcantur, generent, atque etiam moriantur? *Neg.*

VII. Num Dæmones ſive Diaboli ſecundo creationis die, cum inferno, creati ſint; vel, ex Angelorum cum

cum mulieribus congreſſu aliqui nati, aut ex coitu Adami cum Lilith, aliiſve Dæmonum matribus? *Neg.*

VIII. Num omnium hominum animæ ſint creatæ ſimul primo die, & pares ſeu conjuges? *Neg.*

IX. Num cœlum ſit animatum, & quidem animâ rationali? *Neg.*

X. Peccatum Adami primum fuit commune totius naturæ humanæ, unde omnes homines naſcuntur cum peccato originali.

XI. An Meſſias, in Scripturâ S. promiſſus, & expectatus olim, omnino venerit, eoque, quo prædictum à Prophetis fuit, tempore? *Aff.*

XII. Num Meſſiæ regnum debeat hâc in terrâ eſſe mundanum? *Neg.*

XIII. An Ieſus Chriſtus, in quem Chriſtiani credimus, ſit verus ille Meſſias? *Aff.*

XIV. An Euangelium Ieſu Chriſti ſit veritatis, & authoritatis divinæ? *Aff.*

XV. An Ieſus Meſſias ſit verus Deus & homo? *Aff.*

XVI. An, & Meſſiæ erat, & Chriſtus pro peccatis noſtris paſſus fuerit, atque ſatisfecerit? *Aff.*

XVII. An per illam Ieſu Meſſiæ, noſtri loco præſtitam ſatisfactionem & juſtitiam, coram Deo juſtificemur? *Aff.*

An verò per noſtra ipſorum opera? *Neg.*

XVIII. Num homo ex ſe, & ſuis naturæ viribus ~~valeat præſtare~~ bona religionis opera? *Neg.*

An verò per ſingularem Dei gratiam, & virtutem Sp. S. ut convertatur neceſſe habet, & hinc ſanctificetur, ut cultum Deo præſtare potens ſit & idoneus? *Aff.*

XIX. Annon omnia contra Dei legem peccata ſint mortalia? *Aff.*

XX. Num Iudæi ex Dei præcepto teneantur facere *Tephillim*, vel ligamenta coriacea, quibus inſcriptæ ſint quatuor ex lege ſectiones, ubi habetur additum, *ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam, & in memoriale inter*

oculos tuos. videl. Exod. XIII. à verſu 2. ad 10. Ibidem à verſ. 11. ad 16. Deut. VI. à verſ. 4. ad 9. Et cap. ejuſdem libri XI. à verſ. 13. ad 21. quæ inter precandum geſtant alligata fronti, & ſiniſtro brachio? *Neg.*

XXI. Non licet jurare vel per hominem, vel per creaturas alias.

XXII. Sabbathi Iudaica obſervatio eſt ſuperſtitioſa, & carnalis.

XXIII. Polygamia, & repudium ſunt illicita.

XXIV. Improba eſt Iudæorum, in Chriſtianos quam exercent, uſura.

XXV. Num mendacium aliquando ſit licitum? *Neg.*

XXVI. Num homo legem Dei in hâc vitâ perfectè implere poſſit? *Neg.*

XXVII. Homo fidelis & pius poteſt ac debet divinæ erga ſe gratiæ, & ſalutis ſuæ eſſe certus.

XXVIII. Lex Moſis cæremonialis & politica nos non ulterius obligant.

XXIX. Populus Iudaicus, inde à contemto ab ipſis vero noſtro Meſſiâ, à fœdere Dei rejectus fuit.

XVX. Tandem etiam populi Iudaici futura eſt ad Deum & Chriſtum converſio.

XXXI. Non tranſeunt animæ, poſt hominum mortem, in aliena corpora.

XXXII. Omnium & ſingulorum hominum futura eſt ultimo die reſurrectio.

Liber. Tertius.

DE

MUHAMMEDISMO.

DE, Muhammede, ejus ortu, vitâ. & tradito ab eo Alkorano. Hujus verſiones; & Scriptores adverſus id Chriſtiani. Nomen Sarracenorum, Turcarum

carum unde. Origo ſectæ Muhammedicæ. Schiſma Turcarum, & Perſarum; ejus cauſæ, & capita. Muſulmannus. Janizari. Controverſiarum Muhammedicarum ordo. De illorum curanda converſione.

NAtus dicitur *Muhammed* Abulcaſimus, celebris & execrandus impoſtor, anno ſupra ſexcenteſimum vigeſimo: alii, non hoc tempore natum, ſed celebrem fuiſſe, aſſerunt; natum autem anno DXCVII. imperante Mauritio, quum illud ſub Heraclio, qui Arabibus Herchil, fuerit. Baronius obitum ejus refert in annum DCXXX. Marquardus Freherus, in ſuâ, ad jus Græco-Romanum Leunclavii, Chronologiâ, anno DIX. natum, & obiiſſe anno DCXXXII. ait; quo etiam quidem anno obiiſſe eum, at natum anno IↃXCIII. ſcribit in Lexico, Scindlerus. Erpenius, circa anno IↃLXXX. Elmacinus, in hiſtoriâ Sarracenicâ, quem multi ſequuntur, ponit annum, juxta noſtrum computum, IↃLXXI. Alii paulo aliter. In eo omnes conſentiunt, poſt initium anni ſexcenteſimi, circa vigeſimum iſtius ſeculi, aut trigeſimum annum, natum, vel notum maxime fuiſſe, quippe ad iſtud tempus omnes iſtius mentionem faciunt. מחמד, eſt à חמד dageſſato, quod ſignificat *valde celebravit:* unde participium paſſivum מחמד *valde celebratus*, celebris; convenitque cum Chaldæo חמד *deſideravit*, optavit. חמוד deſideratus. Daniel cap. IX. 23. & X. 11. איש חמדות *vir deſideriorum*; *deſideratiſſimus.* Latinè, Deſiderius. Parentes Muhammed habuit Abdalla (quod ſervum Dei עבדאללה ſignificat) & Eminam, vel Amenam, VVahebi filiam, non, uti vulgò perſuaſum, ignobili & abjectâ, ſed ex illuſtri familiâ, quamvis tum temporis forte inopi & paupere, fuit, & proſapiæ inter omnes Arabes præcipuæ, de ni, bu Koreiſchitarum, qui Meccæ rerum potiebantur, anque Muhammedis primi & ſummi adverſarii, tribulum

ac civem ſuum, quam primum res novas moliretur, urbe expulerunt: cumque iis dein bello decertavit Muhammed, à Medinenſibus acceptus & adjutus, illoſque iterato prælio ſuperavit. Avum ejus Abdalmutalibum Schickardus, in præfat. ad *Tarich*, inter Arabiæ reges refert. Meccâ prognatus Muhammed, non Medinâ, uti multi ſcribunt: ſed Meccâ à Proceribus Koreiſchitis (quos in Alkorano ſæpius diris devovet, ut præcipuos ſuos hoſtes) pulſus, ob novas quas diſſeminare incipiebat opiniones & leges, anno ętatis ſuę LIII. vel LIV. quod fuit annò decimo quarto novæ ſuæ religionis, diciturque incidiſſe in annum Chriſti DCXIV. ſecundum alios XXII. Medinam, antea dictam Iathrib (diſtat Meccâ itinere decem dierum) aufugit, à quâ ejus fugâ Muhammedani æram ſuam inchoant, quam Hegeram appellant, quod ſignificat *fugam*; uti Iudæi, à mundi initio; Græci, à primâ Olympiade; Romani, ab urbe conditâ; nos Chriſtiani, à nato Chriſto annos ſupputamus; & urbs illa Iatrib, per antonomaſiam, Medina & Medinath-alnabi, hoc eſt civitas Prophetæ dicta. Mecca urbs eſt Arabiæ, non Felicis, uti oſtendit Gabriel Sionita, *de nonnullis Orientalium urbibus cap.* VII. ſed Desertę: magnitudine accedere ad Amſtelodamum, dicit Erpenius: ubi natus Muhammed, educatus, & plurima Alkorani capita ſibi revelata, alia autem Medinæ, in Alkorano ſcripſit. Hic & templum illud religioſiſſimum, de quo mira fabulantur, & quod laborioſiſſimis inviſunt Muhammedani peregrinationibus: de quo nos in ſequentibus. Genealogiam Muhammedis uſque ad Adamum explicant ejus aſſeclæ, & per omnes generationes, ajunt, jubar aliquod in fronte iſtorum refulſiſſe, ex quorum lineâ eſſet aliquando oriundus Muhammed, quod in hoc ſe totum denique effudit hæſitque. Admiranda fingunt cum nato Muhammede, præterquam in ipſo, etiam alibi contigiſſe. Per univerſum orbem thronos omnes & judi-

cio-

ciorum ſedes concidiſſe, illi videlicet facturas locum; & terræ rerumque omnium, adeoque & hominum magnam ſterilitatem eo nato ſolutam; idola omnia ſe tum inclinaſſe; Luciferum, præ aliis timentem ſibi, aufugiſſe; adfuiſſe Muhammedi in nativitate ex improviſo obſtetrices mirum quam ſpecioſas & elegantes; aves advolaſſe roſtris hyacinthinis, ab Oriente in Occidentem uſque fulgentibus, & neſcio quæ non, ementita omnia, nec ipſis eo tempore Arabibus, nec in mundo aliis unquam comperta. Scribit Leunclavius, *Hiſtor. Muſulmannæ Turcorum lib.* 1. circa illud tempus ſacrum Perſarum ignem, Orimaſda appellant, quemque, antiquiſſimo cultu, Solis loco venerabantur, extinctum fuiſſe. Muhammedani hoc in gloriam Muhammedis trahunt, quaſi igne ſponte extincto: at certius edocent nos Hiſtoriæ, factum illud ab Heraclio Auguſto, in expeditione contra Perſarum Regem Coſroëm, quodque tum Chriſtiani milites idolum hoc ſuſtulerint. Ridiculum valde eſt, quod Muhammedi quatuor annorum puero contigiſſe ajunt, ab Angelis (quorum cuſtodiæ videlicet datus fuerit, patris ſui poſthumus), qui tres puerum acceperint, & in montem ſeorſim abductum diſſecuerint circa ventrem, citra ullum tamen dolorem, inteſtinaque adeo pulchrè laverint, ut nive fuerint facta candidiora; cor etiam diſſecarint, atque ex eo nigrum granum, vel atram guttam (quam ſingulis ineſſe, ceu ſemen aliquod Diaboli, quo homines vexantur, credunt) abſtulerint. Denique redditis ei ſic inteſtinis, & corde, benè lotis purgatiſque, nitidus puer ad ſuos reverſus dicitur. Vecors certe ſit, hiſce qui fidem adhibeat: quæ tamen ſic narrant Muhammedani, uti videre eſt apud Johannem Andream, *Confuſ. Sectæ Muhammed. cap.* 1. &: in Alkorano Germanico, *cap.* IV. Sed ad vitam Muhammedis quod facit, mercatoriis rebus operam primò dedit, ſerviitque Domino ſuo in conducendis & agendis camelis, reliquoque ju-

mento, familiari Arabum commercio, uſque dum illo mortuo, viduam ejus prædivitem in matrimonium accepit Chadigam, qui primus ei emergendi gradus extitit. Sed quum morbo laboraret epileptico, & hinc Chadiga animo ab eo fieret alienior, ut quam pœnitere inciperet, viro tam abjecto & imbecilli nupſiſſe, ille jam majora animo verſare, faſtiditâ mercaturâ, occœpit, & ad comminiſcendas ecſtaſes & divinas Angelicaſque apparitiones, inſomnia ac enthuſiaſmos animum tranſtulit: ad quod frequens iſte morbus prætextum & occaſionem ſuppeditare videbatur, dicendi eſſe paroxyſmos cœleſtium revelationum, quas tum pateretur ſcilicet, quando epilepſiâ corripiebatur; unde in Alkorano vocatur *vir pannis laneis opertus*, Surat. VII. quibus illum ejus morbum ſignificari haud fruſtra creditur. Atque ſub Diabolico illo faſcino capita vel fruſtula Alkorani ſui è cœlo accipere ſe fingebat. Non enim integrum Alkorani codicem vel ſimul edidit, aut accepiſſe ſe commentus eſt, ſed per partes & membranulas jam hoc, tum illud caput, vel verſum, pro re natâ, prout videbât hoc vel iſtud de ſe credi conſultum eſſe, & ad adverſarios ſuos (Meccenſes præcipuè) coarguendos, iiſque os quaſi cœleſtibus oraculis obſtruendum, protulit: unde ille materiarum toto Alkorano eſt nuſpiam cohærens ordo, ac mera confuſio, unum alteri raro conveniens. Anno ætatis ſuæ quadrageſimo cœpit jactare revelationes & prophetias, quas acceptas vel confictas primum manifeſtare ſolitus erat uxori Chadigæ, inde aliis, neque reliquit niſi acervum ſchedarum prophetias ſuas continentium, quas non ipſe redegit in iſtum, quem habemus, codicem, ſed ſucceſſores ejus collectas in unum, ita prout nunc ſunt, compegerunt. Jam dicunt, per particulas ei ſingula à Gabriele Angelo (quocum fuerit valde familiaris) adducta & revelata fuiſſe: jam à Deo ipſo in cœlis, quò admirandâ equitatione pervenerit, accepiſſe. Sic ipſe aliquando

ſuis

ſuis narravit Muhammed, ſe quâdam nocte, dum cubaret inter undecim (tot enim habebat) uxores, excitatum ab Angelo Gabriele fuiſſe, juſſumque mulum conſcendere Alborach, pervicaciter primò recalcitrantem, quouſque promiſſum accepiſſet, quod una cum Muhammede Paradyſum eſſet ingreſſurus, quo vectus illâ nocte pervenerit Jeruſalemum, ibi juxta ſcalam de terrâ in cœlum erectam aſcenderit cum Gabriele, qui eum manibus prehendebat, vel (juxta alios) geſtabat humeris, ad primum cœlum uſque. Hic Adamum, primum hominem conſpexit, unaque terrenarum rerum omnium formas, ideas opinor, hominum, animalium, atque ita porro; inter cætera, gallum ejus magnitudinis, ut pedibus conſiſteret in cœlo infimo, & caput ſecundo insereret, cujus cantillantis vocem reliqui qui aderant gallorum figuram habentes Angeli excipiebant, à quorum clamore expergefacti terreſtres galli clamorem edant infra. Salutato Adamo, in cœlum perrexit ſecundum, ubi offendit Noachum, quo etiam inter mutuos complexus & commendationes valedicto, atque obſervato inter alia ibidem proceræ ſtaturæ Angelo, qui caput tertio hinc cœlo inferret, abiit. Ad tertium ubi appulit, Abrahamum vidit, Angelum etiam cui bini, ſuo oculi diſtabant à ſe itinere mille & ſeptuaginta dierum: erat hic (ne neſciatis) Angelus mortis, valde occupatus aſſiduè in annotandis, ſive qui naſcuntur, ſive qui moriuntur, hominibus. In quarto cœlo (quod totum erat ſmaragdinum) Ioſephum Iacobi patriarchæ filium conſpexit, plurimos item Angelos, interque eos aliquem continuo plorantem, nempe hominum peccata, & conditionem damnandorum. In quinto cœlo Moſes commorabatur, cum longe adhuc pluribus Angelis. Sextum tenebat Iohannes Baptiſta, cum Angelis aliis. Septimum incolebat Chriſtus, qui ſe ſcilicet Muhammedi ulterius ad Deum tendenti commendabat: hic

An-

Angelos vidit omnium maximos, vel millies toto etjam mundo majores, quibus ſingulis erant ſeptuaginta mille capita, totidem linguæ, quæque totidem emittebant, quotieſcunque, nempe ſonabant, voces, quibus tantus dabatur ſonus, ut niſi alii aures obturaſſent ſuas, ocyus obſurduiſſent. Hic Gabriel ſocio Muhammedi valedixit, quem comitari ulterius non licuit: Muhammed verò, voce Dei ut propius accederet, invitatus, per excelſa montium nivêſque aquaſque ad Dei ſolium perrexit, uſque ad duos fere ſagittæ jactus, Deique faciem vidit, nempe ſeptuaginta mille velis luminis cœleſtis obductam. Hæc ſi quæras, num vera? ab eo pete, *qui Druſillam euntem in cœlum vidit, Idem Claudium vidiſſe ſe dicet iter facientem, non paſſibus æquis.* Deſcripta autem reperies, apud Ioh. Andræam, *cap.* VIII. In Alkorano Germanico, *lib.* I. *cap.* V. apud Richardum, *Confut. legis Saracen. cap.* XIV. Ioh. Cantacutzenum, *orat.* VI. *in Muhammedem.* Philippum Guadagnolum, *Apolog. pro Chriſt. relig. contra Achmedem Perſum, cap.* II. *ſect.* II. Thomam à Ieſu, *de Converſ. Gent. lib.* X. *pag.* 674. Ipſeque Muhammed illa ita de ſe credi voluit, Surat. LXIII. Sed uti ſatis indicat, à ſuis hæc minime tum accepta fuiſſe, ita præmiſſo vano juramento, rem confirmare anniſus eſt: *per ſtellam veſpertinam* (ſequor latinam verſionem Retinenſis) *nullatenus errans, nil ex proprio velle, niſi tantum divinitus ſibi mandatum loquitur: qui ſublevatus ad oriZontis celſitudinem ad Deum ipſum inſtruentem illum atque docentem efficaciter acceſſit, tanti tamen ſpatii intervallo, quantum ſagitta arcu miſſa bis tranſcurreret. Qui tunc precepta Deum ſibi dicentem audiens, animum minime dubitantem inde tulit, ubi nec vos eum de divinâ viſione calumniemini.* Miror quod illa apud aliquem ſanæ mentis hominem aſſenſum reperire poſſunt, confiĉta unice ab Auctore ad fidem ſibi comparandam, & ſtolidis nugis, ridiculis falſitatibus, mendaciis, calumniiſque in Sanctos Prophetas, Chriſtum-

que

que, refertiſſima. Sed bene eſt, quod fabulam hanc inter ipſos Muhammedanos ſunt qui dedignentur, negantes unquam Muhammedem in cœlo cum Deo locutum fuiſſe. Alii à Gabriele acceptam legem, dicunt: contrà alii, ab hominibus compoſitam, viris ſapientibus ac diſertiſſimis. *Surat.* xxi. ſequenti xxii. dicitur, à Deo compoſitam, atque ab eo ad homines miſſam per Angelum Gabrielem, primò ad Muhammedem, *Surat.* xlix. & l. & li. Uti azoara liii, & liv. quod noctu à Deo fuerit tradita Muhammedi, Azoar. lv. quod ipſius Dei ſcripta fuerit manu. Azo. lvi, & lxvi. jurat à Deo compoſitam, *per locum occaſus ſtellarum, quod magnum ſcientibus eſt ſacramentum, hic Alkoran optimus à Rege mundi compoſitus eſt atque poſitus.* Az, lxxxii. *mihi divinitus miſſus eſt.* Una & tempus ſignificat, quando ei de cœlo miſſus ſit, azo. cvii. *in nocte alchiderâ*, nocte ſc. omnium fœliciſſimâ. Tandem ex febri obiit, ætatis anno lxiii. quorum xl. tranſegit, ante inchoatum ſc. Propheticum ſuum munus. xiii. annos Meccæ; decem reliquos, poſt fugam, vel Hegiram, Medinæ.

Alkoran dicitur אלקוראן, *al* articulus eſt; vel ἡ, koran vel Alkoran eſt *lectio*; aliis videtur, quod ſit præceptorum *collectio*: aliis à קרך confeſſus fuit, *confeſſio*: aliis, quaſi *correctio* Veteris ſc. & Novi Teſtamenti. A Muhammedanis, & in Alkorano appellatur *Alphorhan*, à פרק *diviſit*: vel, ut ſit quaſi *diſtinctionum volumen*, i.e. diſtinctis regulis & capitibus traditum: vel, *diſcretivum boni & mali*; ſic verſio Roberti Retinenſis Angli. Sed quemadmodum Koran, vel Alkoran, à *legendo* dicitur, quomodo קראה vel מקרא apud Iudæos Scriptura Sacra; ita & Phorcan, ſive Alphorhan, Capitum liber, & *ſectionum*, quod apud Hebræos eſt פרק, ſive פירקא. Quomodo & Græci Scripturam S. appellarunt Βιβλίον, inde & nos vulgo, Biblia. In Korano, Surata, xxi. vel ſecundum tranſlationem Retinenſis xxxi. *Etiam quondam*

dam dedimus Moſi & Aharoni Alphurcan, lex Moſis intelligitur, eo quod & hæc diſtinguit bonum à malo, licitum ab illicito. Cardinalis Cuſanus librum ſuum *Cribrat. Alkorani*, ſic incipit: *Eſt liber legis Arabum Alchoran, ob præceptorum collectionem, atque Alphurcan ob diſcretam capitum ſeparationem nominatus.* Potior tamen eſt illa altera Alphurcani denotatio. Quod Arabicè ſunt Alkorani capitula *furata*, ſouraton, vel cum articulo aſſourata, Latinus interpres dixit *Azoara*: Poſtellus, *lib.* II. *de orbis Concordia*, ubi Alkoranum refutat, *aſuar*: rem attendens Euthymius Zigabenus, *μυθάρια fablleas* appellavit. Quando latinam verſionem indicamus, azoara vulgo dicimus, vel ſurata, & cum pronomine ſuo. aſſurata: סורה Arabicè, idem eſt quod apud Rabbinos סדר, vel הלכה, regula, lex, *canon*. סר Arab. *ivit* ambulavit. *στοιχεῖν τῷ κανόνι* Apoſtolo dictum, Gal. VI. 16.

Capita continet liber Alkorani CXIV. Secundum latinam verſionem CXXIV. quorum alia inſcribuntur *Meccenſia*, alia *Medinenſia*, quod partim Meccæ, partim Medinæ dixerit Auctor ſibi ea tradita fuiſſe: tantæque vulgò ſanctitatis habetur apud Muhammedanos liber, ut niſi à loto mundoque attrectari nefas ducant: quare ejus corio extrinſecus litteris majuſculis inſcribere ſolent: *ne tangat eum niſi mundus*. אלממהר אלא יסמח אל. In varias ſæpe linguas Alkoran converſum eſt. In Latinam, anno cIↄ CXLIII. tranſtulit, juſſu Petri Abbatis Cluniacenſis, *Robertus Retinenſis*, Anglus, cum Hermanno Dalmatâ; quam verſionem anno cIↄ Iↄ L. cum multis aliis eò ſpectantibus, præcipue Refutationibus Alkorani, edidit Theodorus Bibliander, doctus Tigurinorum Profeſſor, iſtorumque unus, qui Biblia Tigurina procuravit, obiitque anno cIↄ Iↄ LXVI. ſuccedente ei in Scholâ, Ioh. Guilielmo Stuckio: quæque illius viri in ſtudiis Arabicis fuerit diligentia, ex epiſtolis ejus oſtendit Hottingerus, in *Præfat. Hiſtor. Orient.*

atque

atque ejuſdem Bibliandri *Apologiam pro editione Alkorani* recudi curavit, ediditque una cum Teſtamento Muhammedis, de quo poſt, Ioh. Fabritius. De Latinâ Alkorani verſione Roberti Retinenſis ſciendum, non ex Alkorano, ſed ejus paraphraſibus concinnatam fuiſſe; unde tanta iſtius verſionis cum aliis, ipſoque Alkorano, diverſitas: quod docet David Chytræus, in Orat. *de ſtatu Eccleſiarum in Græciâ*, pag. 29. ubi in hæc verba: *ex publicis hiſtoriis, & Alcorano ipſo, ac refutationibus Baſileæ conjunctim editis, ſtudioſi cognoſcent. Quos, ſi diſſimilitudine editionum Alkorani offendentur, illud moneo, quod ex Iacobo Palæologo Græco, Pragæ didici, libros unde illa tranſlata ſint, non ipſum Alkorani contextum, rhythmis Arabicis conſtantem, ſed paraphraſes Alkorani, majori verborum copia, diverſis àb interpretibus inſtitutas, continuiſſe.* Transferendi quoque Alkorani in Latinum, animum habuit *Nicolaus Clenardus*, celebris iſte apud nos Grammaticus, qui Lovanii docuit, & Salmanticæ frequentiſſimo Auditorio; inde ſtudiis Principis Henrici Regis fratris præpoſitus, raro, pro converſione Muhammedanrum promovendâ, exemplo flagrans, relictâ Luſitaniâ, & in Africam ſuſceptâ peregrinatione, in Arabum Academiâ celeberrimâ Feſanâ diligentem operam dedit non linguæ magis ipſorum, quam religioni pernoſcendæ, circa annum cIↄ Iↄ xxxv. cupidus tum Alkoranum vertere in linguàm noſtram, tum confutare, & inſtruere melius Muhammedanos: incitante ad hæc eum valde Franciſco Victoriâ, magni nominis inter Dominicanos Theologo. De illo ſuo ſtudio, inter alia, ad præceptorem Latomum ſic ſcripſit: *niſi mihi librorum defuerit copia, ſtat ſententia fideliter Latinis dare, quidquid in eâ ſuperſtitione poſitum eſt.* Sed tum librorum, tum temporis penuriâ non perfecit quod propoſuerat. Feſæ agens, parciſſimè libros Arabicos nanciſci potuit, invidente illos non modo ſolito Muhammedanorum in Chriſtianos odio; verum etiam Chriſtiani cujuſdam

per-

perfidiâ , qui ut ſemper noſtræ res infidelibus per pſeudo-Chriſtianorum quorundam ſcelera proditæ fuerunt, tantum effecerat apud Regem Feſæ (quem Arabice ſalutare & alloqui Clenardus jam valebat) ut ne quiſpiam Clenardum doceret, neve libros quis ei traderet: inde & præceptorem quem habebat, amiſit, & tantum non diſcrimen capitis incurrit, ſed & non diu poſt obiit, circa annum cIↄ Iↄ xlII. Illiberi, hodie dicta Granata: reliquitque Grammaticam Arabicam, quæ M. S. aſſervatur in Hiſpaniâ, apud Peruſium Valentinum, virum doctiſſimum. Cæteroquin in unâ Bibliothecâ Feſanâ triginta duo millia voluminum Arabicorum fuiſſe, Er penius, ex teſtibus oculatis & fide digniſſimis, retulit, in *Orat.* 1. *de ling. Arab.* Uti in *ſecundâ, Orat.* apud Arabes multa reperiri, quæ nos deſideramus, Scriptorum monumenta, Titi Livii libros omnes, Pappi Alexandrini Mathematici, Hippocratis, Galeni multa, atque aliorum. Sed & Nicolaum Clenardum ibidem haud ſemel memorat, ejuſque fidem, ut horum ſcientiſſimi, obteſtatur. Clenardum certe adeo Arabicorum amantem fuiſſe legimus, ut ſæpe auditus „ fuerit dixiſſe: malle ſe fruſtum panis edere apud „ librum Arabicum, quam in magno hominum ſtrepitu multum verſari. Verùm ad Alkoranum revertendo, ejuſque tum verſiones, tum confutationes: in Arragonicam ſe tranſtuliſſe, cum gloſſis, & librum Zunæ, ſcribit *Iohannes Andreas*, Maurus, ad fidem Chriſti converſus. In Italicam curavit transferri *Andreas Arrivabene*, ediditque anno cIↄ Iↄ xlvII. Hanc nos ſæpe conſulimus & ſequimur, ubi Latina obſcurior eſt atque difficilior. In Germanicam vertit *Salomon Swiggerus*, Concionator Norimbergenſis: eaque tranſiit in noſtrum ſermonem *Belgicum*. Haud ita pridem in Gallicum, ex Arabico trànſtulit *Du Ryer*, additis ſubindè Variorum gloſſis, Gelaldin, Bedaoi, Teffitans Ioabir, Commentatore Alkorani Turcico, aliiſque.

Ad-

Adverſus Muhammedanos, & Alkoranum ſcripſerunt Varii, de quibus videri poteſt venerandi D. Voeti *Bibliotheca Theol. lib.* II. Ant. Poſſevinus, *Biblioth. de Iudais. cap.* VIII. Scriptores aliquos contra Alkoranum edidit, unà cum verſione iſtius latinâ, Bibliander. Tales ſunt, ut potiſſimos nominem, Ludovicus Vives, Hieronymus Savanarolá. Diſputatio Chriſtiani cum Saraceno, ex Vincentii Lirinenſis Speculo hiſtoriali, lib. XXIV. Nicolaus de Cuſa. Cardinalis ſcripſit *Cribrationem Alkorani*, libris tribus. Richardus Prædicatorii Ordinis Monachus, *Confutationem legis Mahometica.* Iohannes Cantacutzenus, Conſtantinopolitanus primùm Imperator, poſtea Monachus, *Apologias, & Orationes contra Muhammedem.* Septem Caſtrenſis, Auctor anonymus, de Moribus Turcorum, cum præfatione Lutheri. Æneas Sylvius, *epiſt.* cccx. ad Machometem principem. Euthymius Zigabenus, *Panopl. part.* II. quod primum eſt, inter Saracenica Sylburgii, Græce & Latine, Theodorus Abucara: extat in Bibliothecâ Patrum. Euodius, Monachus. Nicetas Choniates, editus cum Gregorii Nyſſeni Catechetico majori. Ioh. Andreas, Maurus. Philippus Guadagnolus *Apologiam* edidit, pro Chriſtianâ Religione, adverſus Ahmed, filium Zin Albedin, Perſam Aſphahenſem, Latinè primum Romæ a. cIↃ IↃ CXXXI. & poſtea Arabice, cujus exemplar habeo, a. cIↃ IↃ CXXXVII. Atque Ahmedis Perſæ illum librum, cui tit. *Deterſor Speculi*, ſcriptum fuiſſe adverſus Ieſuitæ alicujus lib. *Speculum veritatem monſtrans*, uti ex Guadagnolo diſcere potuimus, ita ejus authorem, proindeque harum diſputationum & ſcriptionum primum fuiſſe Hieronymum Xavier, eundem qui turpiter *Hiſtoriam Chriſti*, Perſice conſcriptam, mendaciis & fabulis conſpurcavit, docuit nos Ludovicus de Dieu, in præfat. ad Hiſtoriam Chriſti Perſicam Xavierii, à ſe verſam in Latinum, atque Animadverſionibus in eam ſuis digne caſtiga-

ſtigatam. Guiljelmus Poſtellus, *lib.* 11. *de orbis concordia.* Auctor *Epitomes Bellorum Sacrorum*, apud Caniſium, Antiq. Lect. tom. VI. Nominare hic an debeam Thomam Campanellam, lib. *Atheiſmus triumphatus*, *cap.* XI. ambigo. Addentur melius, Thomas à Ieſu, *de Converſ. Gent. lib.* X. Iohannes Forbeſius, *Inſtruct. Theolog. lib.* IV. Ficinus, de *Relig. Chriſtian. cap.* XI. &c. Grotius, *lib. ult. de Relig.* Alexander Roſſ, Anglus, lib. Anglico, *A Caveat for reading the Alcoran.* Avidiſſimè exſpectamus viri in rebus Hebræorum, & Muhammedanorum juxta doctiſſimi, Ioh. Henrici Hottingeri, celebris apud Tigurinos Profeſſoris, & linguarum Orientalium hodie Promotoris maximi, Commentarios *de Religione Muhammedica*; item *Theatrum Muhammedicum*: quorum ſpem egregiam tum promiſſis, tum ſpecimine exhibito dedit in *Theſauro Philologico*, iterum in *Hiſtoriâ Orientali*; in cujus præfatione etiam Bullingeri ſcriptum *de religione Turcicâ* memorat: præterquam quod in libris *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, quolibet ſeculo, inde à ſeptimo, peculiari ſectione ſecundâ, quod ſingulare ei eſt, proſequatur ſemper hiſtoriam Muhammediſmi. VVilhelmus Schickardus, in Prooemio *Tarich* pag. 76. mentionem facit libri à ſe ſcripti, *de Orbo Deo Saracenorum*, in quo errorem Alkorani confutet, Mariam matrem Chriſti confundentis cùm Mirjam Sorore Aaronis: ſed liber an editus ſit, neſcio.

Scriptores verò pro Muhammediſmo apud Arabes ſunt plurimi, atque in Alkoranum quidem ſcripſere oppido multi: centum & quinquaginta enumerat Sidi Ali, in ſuo de Dogmatibus Moſlemannorum libro, *Deſcript. Arab. cap.* XII. Circumfertur *Teſtamentum Muhammedis*, quod ab ipſo in favorem Chriſtianorum compoſitum fuiſſe dicitur, ut hi pari conditione cum ſuis ubique haberentur, vitâ, commercio, atque omni denique auxilio, viciſſimque ut apud Chriſtianos Muſlimici omni fruerentur favore & privilegiis. Teſtamen-

mentum hoc primus in Galliâ protulit, ex ſuâ verſione Gabriel Sionita; iterum anno cIↄ Iↄ cxxxviii. Iohannes Fabritius, Dantiſcanus. Grotius, in epiſt. ad Salmaſium, anno xxx. *ſuppoſitum à Chriſtianis* exiſtimat, *ut ſub obtentu tanti nominis Muſulmannis æquioribus uterentur.* Cui etiam accedo, & tum in mercatorum, tum Monachorum gratiam conditum arbitror. In fine ejus minatur, quod, qui conditionibus in eo contentis non ſatisfecerit, non fruiturus ſit *privilegiis in favorem Præſulum Monachorum Chriſtianorum indultis.* Non videtur mihi exordium, quod nec eſt ſolitum illud in nomine miſericordis Dei, neque eo ſpiritu inflatum, qui Muhammedi, proprius, ut nec finis ſatis pro authoritate, quam ſibi arrogabat, teſtibus pluribus teſtamentum hoc confirmantibus, convenire cum genio Muhammedis & ſtylo.

Arabes (an ita dicti ab occaſu, ערב *Veſperam* ſignificat, quaſi ἑσπέριοι, populi occidentales, ad occidentem vel occaſum ſiti; quod Scaliger, in Caſtigat. ad Feſtum, voce *Erebum*, ſenſit; Voſſio *lib.* I. *de Idolol. c.* XXVI. minus veroſimile, qui à ערבה *planities*, *deſertum* mavult derivare, primoque id nomen tributum Arabiæ deſertæ incolis autumat; vel an à ערב *mixtus*, quia gens eſt ex variis mixta, colluvies hominum: niſi forte utrumque hoc facile conjungas, gentem ut ſignificet mixtam; quæ deſerta loca habitat, quod Scindlerus, in lexico) etiam *Hagarenos*, & *Sarracenos* appellari, omnes ſciunt; ſed non ita, unde iſtud nominis. Illud obvium, ab Hagare, Abrahami ancillâ, Iſmaëlis matre dici. Sed quod erubeſcant, vel indignentur ex ſervâ ſe nominari, & quaſi malint à Sara Saraceni dici, multis viſum, at temere; inter Chriſtianos non modo, præcipue Veteres, ut Hieronymo, *in Ezech. lib.* 8. Sozomeno, hiſt. lib. VI. cap. XXXVIII. *Vt autem notam illegitimæ originis & Agar matris ignobilitatem expungerent (fuit enim illa ſerva) Sarracenos ſe vocarunt, quaſi à Sara uxore Abrahæ*

 de-

deſcenderint. Sed & inter Iudæos R. David Ganz, in *Chronologiâ pag.* 313. Atque ex Mauris, Iohannes Andreas, *Confuſ. ſectæ Muh. cap.* I. ejuſdem ſunt ſententiæ, ſatis vulgaris, quam qui Muhammedica ſcribunt ex aliorum relationibus potius, quam fide & inſpectione rerum Arabicarum, omnes communiter ſequuntur. Et Michael Baudier, *Hiſtoire de la Religion des Turcs liv.* I. Sed fruſtra, quum à Sarâ nequeat derivari Saraceni, nedum Sarraceni: etenim in radicali hic ponitur ק, quæ in voce Sara non eſt: neque datam rationem obliterandæ Hagaris Muhammedani agnoſcunt, à cujus filio ſtemma ſuum aperte deducunt, & honori hoc reputant, non vero habent ignominioſum. Couvarruvias, Variar. Reſol. lib, II. cap. IX. *Si à Sarâ derivaretur, non Sarraceni, ſed Saraceni dicerentur.* Inter Veteres Damaſcenus, à Sara quidem etiam, ſed ex aliâ ratione derivat, lib, de Hæreſibus Σαρακηνοὺς δὲ αὐτοὺς καλοῦσιν ὡς ἐκ τῆς Σάῤῥας κενοὺς, διὰ τὸ εἰρῆσθαι ὑπὸ τῆς Ἄγαρ τῷ Ἀγγέλῳ, Σάῤῥα κενήν με ἀπέλυσεν. *Saracenos verò eos appellant, ut ex Sara vacuos, eo quod Agar Angelo dixerit, Sara dimiſit me vacuam.* quomodo originem ſuam haberet quaſi ex Σάῤῥα κενὴν. quod in Codicibus Palatinis quoque, poſt Zigabeni fragmentum, κατὰ Σαρακηνῶν legiſſe ſe teſtatur Sylburgius, in Notis. Nugæ. Et quod Eraſmus, in vitâ Hieronymi, dixit: *abdidit ſeſe in ſolitudinem, quæ inter Syros & Agarenos, nunc corrupto vocabulo Saranos dictos*, neſcio quid ſibi velit. Neque nomen hoc venit à *Saraca*, urbe vel regione Arabiæ, ſic dictâ, quod Stephano *de urbibus* placuit; Couvarruviæ; Guevaræ, in epiſtolis; Pinto, in Dan. VII. Sed ab Arabico סרק *prædari*, latrocinari; nomine hoc à Vicinis impoſito propter vitæ genus λῃστρικὸν, quod illi exercebant: Ita Scaliger, Scindlerus, Fullerus, *Miſcellan. lib.* II. *cap.* XII. Brerewodus Anglus, lib. *de Inquiſit. linguæ cap.* XIII. Ioh. VVeemſus, Scotus, in *Decal. præc.* VII. *Exercit.* III. Buxtorfius, in Lexico. Bochar-

tus

tus, *Geograph. S.lib.* IV.*cap.* I I. Hottingerus, *Hiſtor. Orient.lib.* I.*cap.* I. Id quod Geneſ. XXXVII.25. Hebraice eſt, *caterva Iſmaëlitarum*, Targum habet סייעא דסרקין *caterva Saracenorum.* Epiphanius, in principio Panarii: *Iſmaëlitæ, qui nunc Saraceni vocantur.* סריק Chaldæis *inanem* ſignificat, quod Hebræis גברין סריקין ריק *viri inanes*, Iudic. IX. 4. II. Sam. VI. 20. Alii Sarracenos à *Sarra*, Arabice *deſertum*, derivant, & *Sakan*, *habitavit*, quia habitant in deſerto: unde Græcis σκηνῖται, dicuntur. Vide Cl. Georg. Hornium, ad *Sulpit. Sever. lib.* I. *pag.* 33. Certe Libyam interiorem hodie etiam Sarra appellari, ideo quod deſerta ſit, notum. Sed præferenda illa, quam dixi, vocis origo ab Arabico *Saraka*, quod eſt prædari. Niſi cum Pocockio, in Notis ad Specimen Hiſtoriæ Arabum, placeat derivare à Sharhion, & in plurali Sharhiun & Sharhiin, quod Orientales ſignificat, ut idem ſit Saracenus, & Orientalis, ſeu Orientis incola.

Turcarum (alii contendunt dicendum eſſe Turcorum) & nomen, & origo æque incerta. Videſis Schickardum, in Proæmio *Tarich, pag.* 40. & Hottingerum, *Hiſtor. Eccleſ. Part.* I. *Cap.* VIII. *pag.* 517. Primus apud quem nominis hujus mentio, eſt Pomponius Mela; inde apud Plinium, lib. VI. cap. VII. Ille in fine lib. I. Geograph. juxta Mæotim & Riphæos montes, Turcas ponit: *juxta Thyrſàgetæ Turcæque vaſtas ſylvas occupant, aluntúrque venando.* Unde ex Scythis oriundos ſe & ipſi, & alii communiter ſtatuunt. Multorum hâc ſuper re ſententias vide diligenter collectas à Ioh. Cuſpiniano, *de Turcorum origine*, unde, à quibus, & quando primum in Perſiam ac minorem Aſiam prodierint; ignobili manu, & tenuiſſimis primordiis, palantes, prædanteſque, paſtoralis turba, quouſque opibus & vi aucti cum Sarracenis, quorum acceperant religionem, aliquoties confligere, & illuſtres erigere familias ac regimen incæperunt, tandem in primo ipſorum Rege *Oſman*, qui Othomannus primus Turcorum Rex

appellatur, anno cIↄ ccc. longe lateque Chriſtianis & Sarracenis ademtâ multâ regione, fundarunt vaſtum hoc amplumque, quod hodie eſt, Turcarum, vel Othmanidarum imperium. Qui inter Chriſtianos res Muhammedis ſcripſere, eum adjutum dicunt in confingendâ ſuâ lege partim à Iudæis, partim à pſeudo-Chriſtianis, in quos, dum iter hinc inde faceret, ſæpius incidebat. Interque iſtos præcipue memoratur monachus quis hæreticus Monothelita, juxta alios Arianus, Sergius Conſtantinopolitanus, manſionis Calliſtrati, quem Græci Scriptores ψευδαββᾶν appellant, urbe propter hæreſim expulſus, atque inde in Arabiam profugus, ubi ei cum Muhammede fuerit commercium. Leunclavius, *Hiſtor. Muſulm. Turc. lib.* 1. Alii vero non Chriſtianum illum fuiſſe, ſed Chriſtiani cujuſdam Meccenſis gladiarii ſervum, cum quo colluſerit Muhammed, exiſtimant. Guadagnolus, *cap.* x. *ſect.* 1. *pag.* 331. Illumque uxorem Muhammedis Chadigam, quando maritus morbo ſuo corripiebatur, monuiſſe, ajunt, ne conſternaretur animo propter illos paroxyſmos, quia ſicuti Muhammed aſſerebat, ita eo tempore, iſtoque ſub ſymbolo Angelus ei apparebat Gabriël, qui cum eo de rebus cœleſtibus & divinis confabulabatur, cujus conſpectum non ferens iſtum in modum concuteretur. A judæis etiam in componendâ ſuâ lege adjutum ſcribunt, eoſque Iudæi dicunt fuiſſe Phineam, & Abdiam ben Salon. Quippe ex Chriſtianiſmo & Iudaiſmo hinc inde aliqua mutuatum eum, jamque his, tum illis acclamare, conſtat. Glycas, Annal. part. IV. *Idem Moamethus in Palæſtinam profectus, quum in Iudæos, Arianos, & Neſtorianos incidiſſet, quaſi collectam quandam ab omnibus congeſſit, peculiaremque religionem ſuis tradidit.* Prima fuit quæ religioni ejus fidem habuit, Chadiga uxor, tum ſervus Zeidin, Ali, Abubeker, Otman, aliique, qui Muhammedi poſtea ſucceſſerunt Chaliphæ, quod *vicarium* no-

notat, quaſi Muhammedis locum in terrâ tenentes. חליפה à חלף *permutatus fuit, ſucceſſit.* Rabbini dicunt הלף. *Halife Lullahe* vicarius Dei, τοποτηρητὴς Θεοῦ. Mortuus fuit Muhammed (רזול *apoſtolum* appellant, tum נבא *prophetam, raſul allach* רזול אללה *apoſtolum Dei*) ætatis ſuæ anno LXIII. anno fugæ vel Hegiræ, XI. die Lunæ: ejuſque tam accuratam tenent iconem, ut Nic. Clenardus ſcribat, in epiſt. ad Latomum, ſuum præceptorem; ſe libellum legiſſe Arabicum, in quo ipſorum Propheta tam diſtinćte ad unguem ab illis deſcriptus & expreſſus erat, ut ne quidem canos capillos omitterent, ſed numerarent illum canos habuiſſe quatuordecim. Obiit in urbe ſuâ Medinâ, ibique ſepultus eſt. Quod de pendulo ejus Meccæ ſepulchro, vi magneticâ in aërem attracto, vulgo narrant, fabula eſt. Gabr. Sionita, *Deſcript. Arab. cap.* VIII. Primus poſt Muhammedem Chalipha fuit, ſocer ejus Abubeker, cujus filiam Iſche ſecundam uxorem habuit Muhammed. Secundus Omar, itidem Muhammedis ſocer. Tertius Othman: & hic Muhammedis ſocer, qui pluribus uxoribus multos ſoceros adſcivit. Quartus Hali, Muhammedis gener, ductâ in uxorem Fatimâ, Muhammedis filiâ, quæ die quadrageſimo, vel ſeptuageſimo poſt mortem patris, obiit. Quatuor iſti primi ſunt Chaliphæ, & qui Prophetæ ſuo in vitâ aſtitere: ſed poſt mortem gravis oborta diſſenſio, & Sciſma inter aſſeclas Hali, quem Perſæ; & Omar, quem Turcæ ſequuntur. Abubeker imperavit poſt Muhammedem, biennium. Omar, annis decem. Hic Alkoranum in volumen redegit, inſtituitque jejunium Ramadam, quod à Muhammedanis quam religioſiſſimè ſervatur. Tertius Otman, duodecim, quibus regnavit annis, ſubegit Cyprum, Mauritaniam &c. tandemque domi ſuæ occiſus eſt. Quartus Hali, quem valde venerantur, & præceptorem, & Regem fidelium appellitant, à Perſis tantum non ſupra Muhammedem collocatur, fuiſſeque

ei dicunt, quod olim Moſi Aharon. Quin ajunt, Gabriëlem Angelum quando Alkoranum de cœlo adferret, in mandatis habuiſſe tradere iſtud Hali, ſed quod per imprudentiam id dederit Muhammedi: quem tamen errorem Deus leviter tulit, quum ſciret Muhammedem etiam virum probum eſſe ac fidelem. Verùm mortuo Muhammede, quum Hali, per ejus teſtamentum, ſucceſſor deſignatus eſſet, & tamen Abubeker, poſtque eum inſuper duo illi Omar, & Otman, variis artibus imperium ad ſe raperent, excluſo Ali, hic tyrannidem fugiens in ſpeluncam ſe abdidit, uſque dum illis è medio ſublatis, tandem Chalifatus ad ipſum delatus fuit. Vnde Perſæ adeo execrantur priores illos tres Chalifas, ut dicere vulgò ſoleant: *Maledictus Abubeker, Omar, & Otman, atque clementia Deus utatur erga Hali, inque eo ſibi complaceat.* Neque illos pro Chalifis agnoſcunt, eorumque acta & ſcripta ſi quando reperiunt, igne comburunt. Quatuor annis regnaſſe Hali, ſcribunt, ejuſque acinacem vaginâ eductum ſolitum fuiſſe ſe diffindere in duplicem, quo tum infideles, tùm Chriſtianos inſtar ſegetis demeſſuerit. A ſuis nihilominus occiſus fuit, & quoque in Sanctorum numerum relatus. Iuramentum ſi quando Perſæ faciunt, id per nomen Muhammedis concipiunt, & Hali. Tantum Turcarum erga Perſas odium eſt, ut Turcam ad Perſas declinantem non ſecus execrentur ac ſi ad Chriſtianos abiiſſet, mortiſque afficiunt ſupplicio; immo Deo plus placere ajunt, ſi quis unum Perſam, quam ſi ſeptuaginta interficiat Chriſtianos. Nata ea diſſenſio, vel fota præſertim fuit ex diversâ interpretatione Alkorani, de quâ non ſine causâ dixit auctor Septem-Caſtrenſis, lib. de moribus, & religione Turcorum, cap. xx. *De lege autem eorum & Alkorano vel Mahometo tanta eſt inter eos diſcrepantia dicendorum, & narrationis diverſitas, ut ſi centum de eis de hujuſmodi interrogati fuerint, nullus eorum reſpondebit ad propoſitum alterius.* Narrant,

rant, poſt exceſſum Muhammedis, tantam copiam diverſarum narrationum, legum, librorumque de geſtis dictiſque Muhammedis ſparſim fuiſſe (quæ de tantâ hic confuſione dicunt, eo minus mirum, quo non integrum Alkorani codicem Muhammed vel confecit, vel compegit ipſe, ſed farraginem capitulorum nequidquam concordantium tantummodò reliquit) ut Rex ipſorum juſſerit Doctores comportare omnia ſua exemplaria Damaſcum, exploratum quæ ſervari vel aboleri oporteret. Vbi primùm ex ducentis Doctoribus ſex electi, qui librum Zuna compoſuerunt de dictis & factis Muhammedis, cui omnes in poſterum acquieſcerent: quod & factum, nam hi confecerunt ejus ſex libros, ſinguli unum: cætera exemplaria omnia quæ advexerant, tot numero ut ducentos camelos onerarent, in profluentem demerſa. Neque ſic extinctæ illorum diſſenſiones fuerunt, quin manſerunt ſectæ præcipuæ quatuor; quarum Ductores, Melich, Aſſafihi, Alambile, Abuhamiſe, quorum inter ſe diſputationes potiſſimum ſunt de rebus matrimonii, repudii, de orationibus, Iejuniis, balneis &c. in quibus iſtud genus hominum, ut religionem ponunt ſuam, ita vehementiſſime altercantur. Vide Ioh. Andream, *Confuſ. ſectæ Muhammed. cap.* III. Iohannes Cotovicus Vltrajectinus, in Itinerario Hieroſolymitano, cap 1. de illis ſic loquitur: *Proximi in regno ſucceſſores fuere Ebubeccir, Omer, Oſman, denique Alim: qui tanquam ſacrorum reges ſupremi legis Mahometaæ Calipha, plurima Mahometis ſcripta addiderunt. Hos, itemque Ebuhanifèn, Malikhim, Schaaffin, & Achmetem Sem belim, velut eximios Mahometaæ legis doctores, ſeu Imamos, aut Santones, Turcæ, Arabes, Tartari, Indi, Africanique Mahometani omnes venerantur. Contrà Perſæ hos omnes, Ali ſeu Hali excepto, velut hæreticos deteſtantur: ſcripta & libros eorum, ubicunque reperiant, flammis exurunt; crudeliter etiam in eorum obſervatores animadvertunt; Scheihadaris vero atque Haruſtis do-*

ctrinam veluti legitimam, ac cæteris ſinceriorem, & ſaniorem ampleƈtuntur; quos tamen reliqui Muhometææ ſectæ cultores execrantur. *Hinc cruentum & vehemens inter Perſas & Turcas jamdudum ortum eſt bellum, atque ingens odium, ut in ſe mutuo, tanquam hoſtes accerrimos, & hæreticos peſtiferos, crudeliter ſæviant.* Is autem Schiechadar à multis non habetur pro alio ab Erdebil, patre Iſmaëlis Sophi, Perſarum regis, quod faciunt Cotovicus, & Leunclavius, qui antiſtitem fuiſſe dicunt, qui novæ vitæ & rigidioris inſtituto nomen famamque ſibi acquiſivit: idem eſt Haider vel Schich Haider, Scheich שיח *caput*, *Doctorem*, *regem*, proprie *ſenem* ſignificat. Erdebil non fuit ejus nomen, ſed oppidi, cujus erat dominus. Sultani iſtius Haider filius fuit Iſmaël, iſtius nominis inter Perſiæ Reges primus, & familiæ, quæ etiam hodie Perſis imperat: Sophi appellatur, propter vitam religioſam, quam ſectabatur. צופי ſecundum alios *religioſum*; alios, *laneum* ſignificat, id eſt, virum laneo tegumento opertum: nam hoc diſcriminis loco Perſæ inter alia habent à Turcis, quod hi lineo & ſubtiliſſimi operis tulipanto caput involvant, Perſæ laneo utantur tegumento. Niſi alia ſit vocis Sophi derivatio, ab antiquo Ægyptiorum nomine, quod ſapientiam ſignificat, & Græcis eſt σοφία. Vide Hottingerum *Hiſtor. Orient. p.* 372. Iſmaël Sophi maxime ſectam Hali, quam ſequebatur, in Perſiâ obſervari fecit, atque armis propagavit. Vide Deſcript. Perſiæ, ex Petro della Valle, *pag.* 188. Et *pag.* 175. originem Sophinorum, ex Leunclavio. Tantæque apud ſuos Iſmaël Sophi eſt venerationis, ut & per ejus caput jurent religioſiſſime, & comprecaturi alicui, voveant, ut ille deſiderium ipſorum expleat. Nummis ſuis ab unâ parte inſcribi jubebat ſolitum illud: *la illahe illallahu. Muhammedun reſul allahe*, id eſt; *non eſt Deus præter unum Deum: Muhammed Dei nuncius.* Ex alterâ: *Iſmail halife lullahe. Iſmaël vicarius Dei.* Leunclavius, *Hiſtor. Muſulm. lib.* XVI.

XVI. Primum diſſenſionis inter Turcas Perſaſque caput eſt, ſuper autoritate Chalifæ Hali, nam hunc ſequendum ſolum Perſæ dictitant, priores tres Abubekerum, Omarem, Otmanem execrandos. Tum, quod jam diximus, in operimento capitis iſtam diverſitatem obſervant, ut Turca in capite gerat Tulipantum, lineum capitis involucrum, φακιόλιον Græci dicunt; Perſarum verò ſecta præcipit, ne caput ex faſtu quodam lineis ejuſmodi ſpiris ornent, ſed tegumento duntaxat è lanâ, & vili pretio, confecto. Quod quia plicas habet duodecim, Enaſſer, ſive duodecim, ab Arabicâ voce, & Enaſſerlarii vocantur: denique quia tegmen hoc rubri coloris eſt quod geſtant, etiam kiſelbaſſilarii, id eſt, capita rubra, dicti. Hoc ergo pacto ſe à reliquis Muhammedanis Oſmannicis illi diſtinguunt. Apud Muſulmannos qui coloris viridis geſtant in capite involucrum, eo ſignificare præ cæteris volunt ſplendorem proſapiæ, atque à Muhammede ſe oriundos, quemadmodum eâ de causâ Tartari in univerſum omnes ejus coloris habent tegumenta, quod de Muhammedis familiâ prognatos ſe jactant; & Rex ipſorum magnus Cham, Chitaunus dicitur, à capitum tegumentis iſtiuſmodi è filtro factis: & familia Haly ſimiliter eum in finem viridi colore utitur: quin in Tarich idcirco, uti obſervat Schickardus, ſeries & poſteritas Haly, quaſi religione quâdam & privilegio ſingulari, litteris viridibus deſcripta. Nempe iſto colore, terræ gratiſſimo quaſi indumento, Muhammed ipſorum Propheta jam ſeneſcens peculiariter gaviſus fuiſſe dicitur. *Ater* color Muhammedanis (verba ſunt VVilhelmi Schickardi in prooemio ad Tarich) *profœdo habetur & infauſto, ut pullus incedat nemo Turcarum, niſi calamitatem aliquam inſignem paſſus. Vnde & Chriſtianorum legatis olim vitio verſum eſt Conſtantinopoli, quòd nigrâ veſte, coloris inauſpicati, Baſſas accederent, quo ſe habitu ſi non ſperni, contaminari tamen hilaritatem querebantur. Multò ei præferunt* Rubrum, *magis*

verò belli quàm pacis tempore, quod ſanguinem referat. Huic tantùm excellere putatur Cœrulæus, *quantùm & ipſum cælum inferiora ſuperat; unde Alkorani veſtibulum, tanquam cæli portam, eo plerumque pingunt, ut non ſemel obſervavi. Rurſus hunc excedit* Flavus, *auri in terrâ, & in cælo Solis æmulus, eum tamen ipſum antecedit* Candidus, *velut immaculatus, & innocentiæ ſignator, Lunæ proprius, quam circa Kalendas cum Iudæis venerantur, & in ædium culminibus ac vexillis, ubique repræſentant. Super omnes hos eminere creditur* Viridis. In Babylone, ſcribit Petrus Martyr Mediolanenſis, *legat. Babylon. lib. III.* Muhammedanos velamine capitis uti albo, Chriſtianos glauco, Iudæos croceo: *Mahomethæus populus velamen fert, multis gyris lineis, quemadmodum & Iudæus & Chriſticola, inſimulatum. Sed Chriſticola glauco, Iudæus croceo, Mahomethæus albido, coloribus diſcernuntur.*

Tertium in quo diſcrepant à Turcis Perſæ, circa ipſorum religionem, eſt in *precibus*: quippe precationes, quas Namaſi vocant Muhammedani, Schach Iſmaël alias, & novas, atque à formula Muhammedis diverſas inſtituit. A *Schach*, quod Perſis *ducem, regem* ſignificat, (nam quod apud Arabes eſt *Sultan*, Tartaros (vel potius Tataros) *Chan*, Perſis eſt *Schach*) nomen ludi vulgaris Schaccorum, vel latrunculorum dici, atque Perſicæ originis ludum, nomenque ejus eſſe, jam pridem à Doctis annotatum. Alias inter Muhammedanos in Africâ ſectas vide memoratas Leoni Africano, *lib.* III. in deſcriptione exactiſſimâ Feſſæ, ſeu Regni Feſſani.

Turcę Perſas *Gauros* appellant, id eſt, hęreticos aut infideles, quo convitio vulgo etiam Chriſtianos deſignant. Matthias à Michou Cracovienſis Medicus, qui ſcripſit Sarmatiam Aſianam atque Europæam, quorum illa Ruſſos complectitur & Lithuanos, qui antiquis Getæ; hæc Tataros, *lib.* I. *cap.* VI. de Tataris inquit, quod à quo tempore Muhammediſmum ſuſceperunt, quod fa-

factum anno cIↃ ccxlvi. ſub P. Innocentio iv. Chriſtianos *dZintis*, id eſt, paganos, & *gaur*, id eſt, infideles & ſine religione, appellarunt.

Muſulmannos מסלמן nominant Muhammedani aſſeclas, & perfidiæ ſuæ aſſentientes omnes. Quod quidem alii explicant *ſalvatos*: Vide Scindlerum, in Lexico; alii autem melius, *credentes*, fideles, obtemperantes. Gabriel Sionita, *Arab.cap.* xiv. Ita Leunclavius in Onomaſtico: *Muſulman orthodoxus, recte credens.*

Inter *GeniZaros*, quomodo prætorianum peditem Turcæ appellant, quorumque origo refertur ad Sultanum Muratem. i. anno cIↃ ccc lxiii. plures ſunt Chriſtianæ originis, ex quintâ mancipiorum parte, quæ Sultano tribui ſolet, corroganda aut ex Turcis, aut Chriſtianis, qui primò agricolis Turcicis ad operam præſtandam, diſcendamque cum linguâ ipſorum etiam religionem traduntur, & hinc ad portam Imperatoriam mittuntur, in comitatu Sultani futuri, adſciturique Genitzarorum nomen, qui numero ſunt, referente in epiſtolis Busbequio, duodecim mille, atque uti ſplendori & robori ſunt Principi, ita ab illis ei maxime metuendum eſſe, viri magni merito obſervant. Vide Hiſtoriam Muſulm. Turc. Leunclavii, lib. i. & Philippi Camerarii *Meditat. Hiſtor. Vol.* ii. *lib.* ii, *cap.* iv.

Quod ſpectat Muhammedanorum dogmata, & peſſimæ religionis articulos, ſunt ii varii. Elmacinus, in initio Hiſtoriæ Saracenicæ, circa duodecim recenſet capita, quæ Muhammed in exordio prædicationis ſuæ potiſſimum ſpectarit: nempe quod credere homines juſſit in ſolum Deum; eum colere & adorare; quod deſtruxit cultum idolorum; præcepit circumciſionem; inſtituit Jejunium menſis Ramadan; quinque orationes: peregrinationem ad templum Meccanum; prohibuit eſum ſanguinis, morticinii, & carnis porcinæ; ſed & credi quoque voluit Prophetis & Apoſtolis: Chriſtum filium

Mariæ

Mariæ & prophetam eſſe, ſe verò majorem illo; tum legem & Euangelium à Deo eſſe tradita. Hottingerus, *Hiſtor. Orient. lib.* II. *cap.* III. ex Muhammede ben Abibecer refert, Muhammedis Pſeudo-Prophetæ ipſorum quadraginta capita fidei & religionis fundamentalia, quæ ſi quis ſervet, ſalutem certo ſit adepturus *Habet Moghabed à Salman, qui à Prophetâ audiviſſe ſe refert, quòd dixerit: Qui è populo meo quadraginta ſervaverit dicta aut conſilia, Hortum (Paradiſi) ingredietur, eumque excitabit Deus excelſus, cum Sapientibus & Prophetis, ultimo die. Diximus: O Apoſtole Dei, quæ ſunt quadraginta illa dicta? Reſpondit Muhammed. Si credis in Deum. & diem ultimum. Eſſe item librum. Prophetas. Reſuſcitationem poſt mortem, Providentiam circa bona & mala. Si teſtaris, non eſſe Deum, niſi* τὸν Θεὸν, *neque Apoſtolum ejus. Si ſtatis temporibus tuas preces peregeris, præmiſſa ablutione ſeu purificatione larga, ſuo quoque tempore convenienti* (ſolent enim Muhammedani ſuperſtitioſâ membrorum, manuum cumprimis, ablutione ad ſingulas precandi vices ſe præparare) *& conſummatione incurvationum, & inclinationum, precibus ſingulis deſtinatarum. Si decimas dederis. Si menſe Ramadam jejunaveris. Si Meccanum iter, ubi poſſis, feceris. Si ſingulis diebus & noctibus duodecim Recaas ordinarias oraveris; tres autem ex ſuperabundanti pietatis ſtudio. Si à fænore abſtinueris. Nec vinum biberis. Nec per Deum in vanum juraveris. Nec contra quenquam Deum teſtem appellaveris, ſive propinquum, ſive remotum. Nec præcipitanter judicaveris. Nec fraudaveris fratrem tuum, vel à facie, vel à tergo. Neque mulierem caſtam abegeris aut repudiaveris. Neque ſuum cuique exprobraveris nævum. Neque vi quenquam coëgeris, aut ludibrio habueris. Neque afflictionis ſeu cruciatus cauſa Dei timorem omnem abjeceris. Neque quæ inter homines ſparguntur calumnioſe effutiveris; vel, ſi non fueris obtrectator. Si Deo gratias egeris pro quolibet accepto beneficio. Si patientiam probaveris in calamitatibus & afflictionibus. Si de miſe-*

miſericordiâ Dei non deſperaveris. Si cognoveris, quòd omne id, quod evenit tibi, à te non aberrarit, (id eſt, non fortuitò tibi evenerit, quaſi alii jam fuiſſet deſtinatum) *ſi enim à te aberraſſet, tibi non obtigiſſet. Neque Dei iram in te propter gratiam creaturarum concitaveris. Neque hunc mundum, præ futurâ vitâ, elegeris. Si aliquid abs te frater tuus fidelis* (Moſelmannus) *petierit, avarè non denegaveris. Si in negotiis religionis obſervaveris eum, qui ſupra te eſt: in rebus verò mundanis* (elegantiſſimam Arabiſmus habet paronomaſiam) *eum qui infra te eſt. Neque juraveris. Neque cum Sathana amicitiam contraxeris. Si vanitati valedixeris. Facultates orphani non rapueris. Clamorem auditum non ſuppreſſeris. Familiam tuam & liberos tuos ſi inſtitueris, in iis quæ uſui ipſis eſſe poſſunt apud Deum, eoſque Deo ter Opt. Max. adduxeris. Si vicinis tuis benefeceris, neque ab iis, ſi miſericordiâ tuâ egent, eam cohibueris. Nulli creaturæ maledixeris. Laudes Dei, jubilationes, celebrationes, & magnificationes*, (detur venia novo vocabulo ad Emphaſin Arabiſmi exprimendam nobis extorto) *ſi multiplicaveris. Si in Alkorano in omni ſtatu ſemper legeris, niſi cùm fueris immundus. Si non deſerueris ſepta cœtus. Si tandem feceris alii quicquid gratum eſſet, ſi tibi fieret.* Hi ſunt articuli religionis Muhammedicæ fundamentales, ejuſque ſumma, ad ſalutem Muhammedicam ſcilicet obtinendam. Adde & quæ ad idem argumentum plura eodem capite adfert, ex aliis quoque Muhammedicis Doctoribus, celebris vir Io. Henricus Hottingerus. Pocockius, in Notis ad Specimen Arab. Abul Faraji, pag. 52. ex Phareſtanio, quod roganti Gabrieli, ſpeciem & habitum Arabis induto, quid eſſet Iſlamiſmus, reſpondit: *ut confitearis non eſſe Deum præter Deum illum, & me eſſe Apoſtolum Dei, & ut tempora precum ſtatuta diligenter obſerves, & Eleemoſynam præſtes, & menſe Ramadani jejunes, & ut ad Caabam, ſi commode poſſis, peregrinationem religionis ergo inſtituas.* Et pag. 301. dictum refert à Mu-

Muhammede, Islamiſmum fundatum eſſe in quinque rebus, Confeſſione hâc, non eſt Deus præter Deum illum, & Muhammed Dei Apoſtolus; Orationibus conſtanter celebrandis, largiendis Eleemoſynis, Peregrinatione religionis ergo, & jejunio Ramadani. De quibus ſingulis egit, ex Muhammedanorum ſententiâ, in ſequentibus. Bernhardus Varenius Medicus, poſt Deſcriptionem Iaponiæ, commentariolum addidit *de Diverſis Gentium religionibus*, ubi pag. 259. etiam Muhammedanorum, ſecundum præcipuos articulos, religionem breviter exponit.

Præcipua nobis contentio iiſcum eſt de *Muhammede*, an Propheta ſit; & de recipiendo, vel repudiando *Alkorano*. Plura quidem omnino, ſed in illis definiendis ſitum eſt fundamentum Muhammediſmi. De Deo etiam ſive *S. Trinitate*; de *Chriſto*, Dei filio, & Deo; de rebus *creatis* varia, mundo, cœlo, Angelis &c. Sed ante hæc omnia, ordinem tractationis Theologicæ, ſecundum methodum capitum, ſi ſpectemus, quæſtio eſt d; *S. Scripturâ*, ejuſque integritate, vel corruptione. Videlic. I. de *Scriptura*. II. de *Muhammede*. III. de *Alkorano*. IV. de Perſonarum in Deo *Trinitate*. V. de *Chriſti Deitate*. VI. de rebus *creatis* variis. denique VII. de *extremis* mundi: *judicio*; & *paradyſo*, atque *inferno*. Hæc Theologiæ capita. Alia ſunt capita *religionis* Muhammedicæ, quæ in praxi eorum obſervantur & conſiſtunt: nam diſtribuimus, ordinis cauſa, capita, in Theologiæ, & religionis ipſorum! nempe I. *circumciſio* Muhammedanorum. II. *lotiones*. III. *preces*. IV. *Iuramenta*. V. *jejunia*. VI. *peregrinationes*. VII. *polygamia*, *&* *repudium*. VIII. prohibitio *vini*. denique IX. conſiderandi etiam veniunt ipſorum *religioſi*, & Monachi. Atque hæc ſunt capita, ſuper quibus agitatur diſputatio cum Muhammedanis.

Præmitti illud debet, quod diximus de *Scripturâ Sacrâ*; ut quod eſt principium, aliquatenus ſaltem utrimque

que agnitum, à nobis integrum, ſed quod Muhammedani ajunt corruptum eſſe, & mutilatum. Norunt illi Vetus, atque N. Teſtamentum, ſed non omnes ejus libros: præ reliquis tenent, legem Moſi datam, Pſalterium Davidi, & Chriſto Euangelium. In Surata *de mulieribus* dicitur: *Equidem nos inſpiravimus tibi, ſicut inſpiravimus Noe, & Prophetis poſt eum, & apparuimus Abrahamo, & Iſmaeli, & Iſaaco, & Iacobo, & Tribubus, & Ieſu, & Iob, & Ionæ, & Aaroni, & Salomoni, & dedimus Davidi Pſalmos. Et quosdam Apoſtolos jam olim recenſuimus tibi, quoſdam vero non. Et collocutus eſt Deus Moyſi facie ad faciem.* Truncata & confuſa vides adduci Sacra: adduci autem, non in horum gratiam adeo, ac pro ſtabiliendâ Muhammedis auctoritate, quaſi cum illis ſimili modo à Deo inſpirati. Quis ille ordo, Aaronem poſt Ionam, & Ieſu; Salomonem ante Davidem, & poſt illos Moſem conſtituere? Alibi, cap. de *Mariâ*, Eſdram etiam memorat: *mentionem fac in libro de Eſdrâ, quoniam ipſe fuit juſtus, Propheta, & extulimus eum, in locum excelſum. Hi ſunt quibus beneplacitum eſt Deo ex Prophetis.* Niſi non Eſdras ibi intelligatur, ut quidem accipit Guadagnolus, *Apolog. pag.* 7. Sed Enoch, quem Arabes appellant Edris: quod confirmari videtur ex eo, quod additur, de Edris ſeu Enochi *μετέθηκεν*, *& extulimus eum in locum excelſum.* Sed de nullis crebrior in Alkorano mentio quam de Moſe, ejuſque torâ, lege; & Chriſto, atque ejus Euangelio. Surata XII. *Chriſto Mariæ filio commiſimus Euangelium, quod eſt lumen & confirmatio teſtamenti, ad complendam legem. Ideoque omnis Euangelii ſervus judicium præceptorum ejus ſequatur, quin alias pænâ dignus erit.* Faciunt Scripturæ S. libros centum & quatuor. Quorum decem ajunt miſſos ad Adamum; quinquaginta, ad Seth; triginta, ad Enoch; decem, ad Abrahamum; legem, ad Moſem; ad Davidem, Pſalmos; ad Iſa, ſeu Jeſum noſtrum, Euangelium; denique Alkoranum, ad Muhammedem.

Hinc varias hiſtorias Sacras in Alkoranum relatas legere eſt, ut de vacca rufâ, ex Numer. XIX. quod caput Alkorani inſcriptum ideo *de Vaccâ*; & noſter D. Ravius Latinè dedit. De Saule, Goliathe, Eliâ, Eliſæo, & libris V. T. hiſtoricis: de Zachariâ, Iohanne &c. ex Scriptis N. Teſtamenti: quæ ita lacera & corrupta in Alkorano adferuntur, ut vix dignoſci queant. Nec tamen integros ſcript. libros admittunt, conſcii quam multa iiſdem contineantur quæ falſitatis arguerent ipſorum factas inde relationes, & inſtituto ſuo maximè adverſantur. In Scripturâ Novi Teſtamenti imprimis queruntur, nullam Muhammedis extare mentionem, quum Chriſtum aliquando dixiſſe volunt: *annuncio vobis nuncium bonum, quod pone me venturus eſt apoſtolus & propheta, nomen ei Muhammed.* quod à Chriſtianis eraſum calumniantur. Atque ita pro arbitrio Scripturam admittunt, vel rejiciunt, fingunt refinguntque, & corruptam eam depravatamque in genere, ſed fruſtra, clamitant. Quippe in Auctores iſtius objectæ corruptionis ſi primùm inquiramus, quinam erunt ii? Chriſtiani, an Iudæi, an utrique? Non illi, quos præterquam religio à tali deſignando flagitio cohibet, nec hiſtoriæ memorant tale quid unquam aggreſſos, nec ſi tentare eorum aliqui id voluiſſent, ab aliis præteriti fuiſſent diverſarum Sectarum (in quas Chriſtianiſmus perpetuo ſciſſus fuit) hominibus, non meliorem illos arguendi & damnandi occaſionem habituris, quam ſi ſceleſtas iſti operi manus unquam adhibuiſſe convinci potuiſſent. Neque à Iudæis corruptæ Scripturæ, gente ad ſuperſtitionem uſque pro ſervandis illis ſollicitâ. Nedum ab utriſque, adeo inter ſe religionis diverſitate & ſtudiis diſcrepantibus. Tum ſi vel à quopiam ejuſmodi facinus tentatum, aut à multis etiam fuiſſet, non ideo ab omnibus, imo fieri non potuiſſet, ita ut pariter vel Iudæi, vel Chriſtiani, aut ſimul omnes conſpiraſſent in idem ſcelus, ut non alii magis ſani piique reſtitiſſent, &

ſuper-

ſuperſtites manſiſſent ſaltem Scripturæ aliæ, ex quibus illa depravatio coargui, & præcipue deletum ex iis nomen Muhammedis,(ob quod unum hæc adeo vexant & diſputant Muſlimi) oſtendi poſſet. Vnde alterum adverſus Muhammedanos hinc ſurgit argumentum, quod ſi vel aliqua corruptio Scripturarum facta fuiſſet, à quocumque demum Auctore (hoc ut largiamur, quamvis falſiſſimum), poſſent deberentque proferri alia Scripturæ exemplaria pura, vel ſaltem non in univerſum corrupta, antiquiora ipſo Muhammede, ex quibus tum oſtendi forte vitium, tum corrigi poſſet. Vel ſi nec hoc, ſaltem in aliis Auctoribus, ubi Scripturæ paſſim allegantur, iſtius deprehendi aliquod deberet documentum. Tertiò, ſi adulterare Scripturam adverſus Muſlimorum religionem & nomen, Chriſtianis fuiſſet unquam animus, & facultas, quis credat non alia majora & graviora adverſus iſtos eâdem opera in Scripturis appoſituros illos fuiſſe, ubi jam nihil adeo ſigillatim iſtos concernens reperitur. Quod ſi prophetiam Chriſti de venturo Muhammede demere potuerunt, annon ſimiliter prædictionem aliquam inſerere ſpeciatim adverſus Muhammedem, vel Muſlimos, atque nominare venturum pſeudoprophetam, & teterrimum impoſtorem Muhammedem? IV. Si ſemel dicas, depravata eſſe Sacra volumina, quî certus eris vel ipſe, vel alios certos facies, de non corruptis ibi quoque, ubi tu cenſeas vera, vel admittenda pro veris eſſe, & quæ in Alkorano quoque ex Scripturâ adducuntur? ſiquidem in illis etiam corruptionem æque eveniſſe dicet alius, ac tu eam alibi ponis, ſemel traditâ Scripturæ S. integritate & puritate. Idem hic dixero, quod Auguſtinus, eâdem ferè in cauſâ, Manichæis, lib. XVII. cap. III. contra Fauſtum: *undique tergiverſatio veſtra confunditur, aperte dicite vos non credere Chriſti Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* V. Vel quomodo,

ſiquidem talia ſint noſtra Biblia, adeo corrupta & depravata, Muhammed in Alkorano eadem probat commendatque, ut & jubeat in dubiis Chriſtianos conſulere, qui illa jugiter volvunt? Cap. Iona: *ſi ſuſpicio tibi obvenit de his quæ in hoc Alkorano miſimus ad te, conſule eos, qui legunt Scripturas priſtinas ante te.* Atque huc, pro Scripturâ integre recipiendâ adducere licet, quod dicit Sur. Vacca: *nunc creditis aliquibus Scripturis, & aliquibus non creditis? at non erit merces ei qui facit talia ex vobis, niſi confuſio in præſenti vitâ, & quod in die reſurrectionis tradetur acerbiſſimis tormentis, & non negligit Deus quod operamini.* Ne hoc denique afferam, quod illam ſemper curam gerit Deus verbi ſui, ut juxta vaticinium Matth. v. 18. nunquam futurum ſit, vel cœlo ac terrâ intereuntibus, ut apex aut jota ex eo intercidat; áliaque, quæ hic pro aſtruendâ divini verbi perpetuâ puritate in medium adduci poſſent.

Objiciunt, quantum obſervare potui, pro ſententiâ ſuâ Muhammedani hæc duo. I. Deletum è libris Sacris nomen Muhammedis. Hoc exprobrant Chriſtianis, deinde etiam Iudæis. Illis, quod Chriſti tale aliquod verbum eraſerint ex Euangelio: *annuncio vobis nuncium bonum, quod poſt me venturus eſt Apoſtolus & Propheta, nomen ei Muhammed.* His tale quid objiciunt: *Iudæi acceſſerunt ad Caabum filium Aſchraphi, immutarunt legem, & ſcripſerunt librum, in quo mutarunt notam Apoſtoli Dei Muhammedis.* Reſp. I. Probare factum & crimen hoc debent vel Chriſtianorum, vel Judæorum, in corrumpendis Sacris libris commiſſum, teſtibus & documentis aliquibus, certiſque, ni, quam falſi dicam intentant aliis, incurrant ipſi: quod revera fit, dum nullo argumento, id quod hic confingunt, probare Muhammedani poſſunt aut confirmare. II. quæro, quo in libro, capite vel loco Scripturæ, legis aut Euangelii lectum aliquando nomen Muhammedis fuit? ut in Codicibus, aut Commentariis, vel

loci antecedentibus & conſequentibus, contextu denique, aliquod ejus veſtigium aut monumentum oſtendi poſſit. III. quin omnes ſacri libri, antiquiſſimi probatiſſimique, & ipſo Muhammede vetuſtiores conſtanter eadem ubique legunt, cumque illis noſtri hodie Codices conveniunt. Quomodo ſi tam exſerte notatum alicubi ſive in lege, ſive Euangelio nomen Muhammedis fuit, ita nullibi hoc ſervatum, ſed ex omnium Codicum, ſcriptorum, impreſſorumque, Commentariorum, hominum denique omnium fide & memoriâ exciderit? IV. Sed hoc plane commentum arguit, quod ipſe Muhammed, & in Alkorano, de hoc conqueri viſus fuit: atqui quâ ratione vel ante ortum notumque Muhammedem, vel quo tempore in vivis adhuc fuit, Chriſtiani, & omnes ubique falſationem illam Biblicam in nomine Muhammedis inſtituiſſent? quid obſecro minus veroſimile dici à quoquam poteſt? V. Quod ſi ſufficiat dicere, nomen Muhammedis olim lectum in Bibliis, vel inter dicta & conciones Chriſti fuiſſe, atque inde ablatum; idem poſſunt facile dicere vel Perſæ de nomine ſui Hali, vel Turcæ de Homar, in gravibus, quas inter ſe mutuo exercent, contentionibus, quibus tamen ſimile dicentibus ideo fidem non adhibebunt: quare nec nos pari commento, de nomine Muhammedis. Denique & quilibet impoſtor, mendax, ſeductor de ſe ſuoque nomine idem aſſerere poterit, hoc ſi ſufficiat. Vel quid ni & de Alkorano, hoc nomen quoque in Bibliis expreſſum antea fuiſſe? vel in Alkorano olim fuiſſe forte hujus aut illius nomen &c? quas quis omnia tam facile, quàm vanè confingat. Confer & Ficinum, *de Relig. Chriſtian. cap.* XXXVI. Iohannis Cantacutzeni *Apol. contra Mahomet.* IV. Et Richardi Prædicatoris *Confut. legis Sarrac. cap.* III. Etiam Guadagnolum, *cap.* IV.

Secundo objiciunt Muhammedani illa Scripturæ loca, quæ inter ſe, vel cum veritate pugnare videntur,

ex quibus corruptionem Scripturæ demonſtrare ſatagunt. Vti, diſſonantiam genealogiæ Chriſti, apud Matthæum, & Lucam, Euangeliſtas: quod legitur de Cainan, apud Lucam: diverſam narrationem vocationis Petri, & Andreæ, apud Iohannem cap 1. & Matthæum cap. IV. 18. Quod dicitur Matth. XI. 13. omnes Prophetas uſque ad Iohannem prophetare, cum alibi dicatur, Chriſtum adhuc Prophetas mittere, & Scribas, & Doctores. Quod Ioan. 1. & apud Marcum legitur, Iohannem manducaſſe locuſtas & mel ſylveſtre; at apud Matthæum XI. 18. neque manducaſſe, neque bibiſſe. Quod alibi Petrus dicitur beatus; alibi diabolus. Chriſtum eſſe Deum; & tamen viſum fuiſſe: quum apud Iohannem dicatur cap. 1. 18. Deum nemo vidit unquam. Quod Ioan. V. 31. Chriſtus jam negat ſe teſtimonium de ſeipſo perhibere; jam affirmat. Quod Chriſtus Ioan. X. 18. ſibi poteſtatem dicit eſſe animam ſuam ponendi, & aſſumendi; quum impoſſibile videatur, ut quis ſeipſum reſuſcitet. Matth. XXV. ſigna dicuntur edenda per pſeudoprophetas; quum nemo poſſit miracula facere, præter Deum. Objiciunt diſſenſum apud Euangeliſtas, in diverſâ narratione de negatione Petri; de blaſphemante in cruce Latrone, an Latronibus. Quod Matth. XII. 40. Chriſtus tribus diebus & noctibus futurus dicitur in corde terræ; nec tamen tamdiu inter mortuos fuit. Marc. XVI. 16. dicitur condemnandus qui non crediderit; quum tamen non videamus puniri omnes, qui increduli ſunt. Suſcitatio filiæ Archiſynagogi non eodem modo facta narratur apud Euangeliſtas. Tum quod Chriſtus Matth. V. videtur legem Moſis abrogaſſe, quoque adferunt. Item, quod dicitur Marc. ult. *Ite, prædicate Euangelium*, quaſi alium hic Chriſtus librum tradiderit Apoſtolis, ab eo, quem nunc habemus. Iſta adverſus integritatem & ἀφθαρσίαν S. Scripturæ, omnia, uti videmus, ex hiſtoriâ N. Teſtamenti, nil ex Vetere, objiciunt

ciunt Muhammedani, interque eos Ahmed Alabedin Perſa lib. *Politor Speculi:* cui reſpondit *Apologiâ pro religione Chriſtianâ*, Philippus Guadagnolus. Hæc autem objecta diſſolvit, Apologiæ ſuæ *cap.* IV. potiſſimum *cap.* VII. ut operam in exponendis illis, & confutandis ficulneis objectionibus, & contradictionibus tam leviter confictis pônere nihil neceſſum arbitremur, præſertim quum & illa obvia ſint apud quoſcunque Scriptores Chriſtianos, & in Commentariis abunde ſolvantur. Recenſere tamen haud inconſultum judicavi, ut ſciretur quænam illa ſint, quæ hâc in re pro ſe adducunt Muhammedani, & ſimul ut imprudentiam illorum inter Chriſtianos notaremus, qui in illis & ſimilibus Scripturæ locis nimis tralatitie errorem ſive Scriptorum, ſive Scripturæ concedentes, manus infidelium hâc in parte haud oſcitantes firmant, quum abſque illo aliter & melius ad ſingula reſponderi, & *ἐναντιοφανίαι* commode tolli poſſint. Hæc prima eſt cum Muſlimis diſputatio, ſuper Scripturâ Sacrâ, ejuſque invitiatâ puritate: hic cardo diſputationis, ut non immerito ſcripſerit Nicolaus Clenardus, ad præceptorem ſuum Latomum, quando de Muhammedis doctrinâ inquit: *negat Chriſtum à Iudæis crucifixum, negat eum redemtorem humani generis. Atque hæc cum aſſeverent, ajunt ſeſe credere Evangelio & V. Teſtamento: verum & nos, & Iudæos non habere libros incorruptos. Hic eſt diſputationis cardo.*

Illud de principio religionis, *S. Scripturâ*: unde diſputationem melius quis ordiatur in tractatione controverſiarum, quam in præſenti cum Adverſariis actione: quippe hic potius à *Muhammede*, vel *Alkorano*, ſeu utriuſque authoritate exordium inſtituetur. De Muhammede primum, utpote Alkorani Auctore, quem non Prophetam ſolùm habent, ſed & majorem Chriſto. Tres vulgo celebrant Prophetas. Moſem, Ieſum, Muhammedem; ſed hunc tantum Chriſto præcellere

ajunt, ac is Moſi. Moſi lex, Chriſto Euangelium, Alkoran Muhammedi traditum. Vnde ultimus Prophetarum dicitur, quem ſcilicet Deus miſerit. Surata XLIII. XLV. XLVIII. L. & LVII. *Benefacientes, & veritati in Muhammedo poſitæ credentes, ipſius Dei viam & veritatem ſequuntur.* Vnde iſta ejus vox erat: qui obedit mihi, ,, ipſi Deo obedit; qui adverſatur mihi, ipſi Deo adver- ,, ſatur: qui Principi meo paret, mihi paret; & qui ,, Principi repugnat, mihi repugnat. Hic de quo vulgo in ore habent, quod & portis cœli inſcriptum fabulantur: לא אלה *non eſt Deus, niſi Deus ille; & Muhammed, Dei nuncius.* In Alkorano, Surat. IX. *qui ſequitur Legatum, imitatur Deum. Quare ergo malevoli non credunt Alkorano?* Atque paſſim conjungitur Muhammed, cum Alkorano ſuo, ut utrique par videlicet exhibeatur reverentia, & cultus. Surata X. *Viri boni credite Deo, & legato ejus, & libro divinitus miſſo de cælo.* Refert Clenardus, in epiſtolis, quod quum Feſæ degeret, Arabicæ linguæ addiſcendæ ergo, Doctor aliquis Muſlimus in periculum fere capitis venerit, ideo quod in Scholâ docuiſſet: Muhammedem non quidem peccaſſe unquam, potuiſſe tamen leviter peccare, in ſurripiendo forte à puero per jocum pomo, aut ſimile quid. Tanti habetur apud illos, tamque ἀναμάρτητος, & omni ex parte ἄμωμος Muhammed.

Sed primò, quodnam ipſe ullibi quæſo argumentum dedit Prophetæ, vel imo juſti hominis? adeo nil niſi bella ejus, prælia, & depopulationes ipſi Muſlimorum narrant hiſtorici. Chriſtus, aliique Prophetæ ſe probarunt vulgo dupliciter, dictis, tum factis. De Ieſu hoc manifeſtiſſimum. Luc. XXIV. 19. *qui fuit propheta, potens inopere & verbo; coram Deo & omni populo.* Act. I. 1. *quæ cæpit Ieſus facere & docere.* Præter alia ei ab aliis, atque præſertim à Deo Patre ſuo data teſtimonia. Ioann. V. 3. 32. 36. 37. 39. *alius eſt qui de me teſtatur, & novi quod verum ſit teſtimonium, quod te-*

ſtatur de me. Vos miſiſtis ad Iohannem & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem habeo teſtimonium majus Iohanne, nam opera quæ dedit mihi Pater ut illa perficerem, illa ipſa opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater me miſerit. Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me. Ubi vero Muhammedis tale aliquod teſtimonium, nedum majus, dum ſe Chriſto cupit præferri? Ubi Deus de eo teſtatus, vel alius Propheta, exceptione major, qualis pro Chriſto fuit Baptiſta Iohannes? vel, quæ ſive docuit divina, ſive patravit miracula, quæ fidem tam extraordinario Prophetę concilient? Vbi ex adverſo interrogatus aliquoties de miraculis, frigidâ reſponſione eludere homines conſuevit: quod ex ipſo patet Alkorano. Surata XVI. *petentibus ut eis virtutes miraculaque Dei facias, dic, Deum omnipotentem illa facere.* Iterum Surat. XVII. *quum dixerint tibi, quare non facis miracula? reſponde illis, non miſſum ad aliud quid, quam ut exponeres mandata Dei.* Quali reſponſione omnino vocationem ſuam non ſuſpectam ſolum reddidit, ſed damnavit, ac oſtendit falſam; quum Deus Prophetas ſuos extraordinarios, ad novum ſtatum Eccleſiæ inducendum, miſſos, nedum quale negotium viſum fuit Muhammedis, dono & poteſtate miraculorum inſtruere ſolitus ſit: quod de Chriſto, & Apoſtolis fatentur Muhammedani. Prodigioſa quæ de Prophetâ ſuo narrant, tum res ipſa arguit conficta eſſe, tum nullius etiam teſtimonio fide digno confirmantur, & non in propatulo, ſed clam, in angulo, vel privatim & noctu, procul ab arbitris teſtibuſque, contra ac in tali negotio fieri ſolet, accidiſſe perhibent, id eſt, propriæ narrationis indicio ipſi omnia confutant. Quale, ne hoc etiam prætermittam, quod Abdalla Muhammedem, ubi Medinam veniſſet, ex facie dignoſcens (ſcilicet ita Prophetæ explorari vel deprehendi ſolent) propoſitis ei tribus quæſtionibus, quas hactenus Prophetarum nemo ſolviſſet, ex argutâ reſponſione Prophe-

tam collegit. Audire geſtias ſublimes iſtas interrogationes. Prima erat; quidnam primum in die judicii eventurum eſſet? reſpondit]Abulcaſimus, ignis primùm homines congregabit ab Oriente in Occidentem. Altera: quo primùm cibo in Paradyſo veſcerentur beati? reſpondit: jecore piſcis. Tertia: unde fiat quod puer aliquando in Patrem magis, aliquando in Matrem feratur? reſpondit Candidatus: hoc accidere ab emiſſo in coitu ſemine, ſive patris primum, ſive matris. Dignum videlicet tanto Prophetâ examen, & judicium! nam ita vel ex faciei lineamentis, vel per propoſitas quæſtiones, eaſque futiles & nugaces, Prophetæ explorari probarique ſolent, ſcilicet. Deinde, nec probavit ſe Prophetam Muhammed, neque tantus Propheta eſſe potuit: quandoquidem poſt Iohannem Baptiſtam, de quo dictum: *Lex & Prophetæ uſque ad Iohannem: inde regnum Dei euangelizatur.* Luc. XVI. 16. & Prophetam illum magnum Chriſtum, cujus ille erat phoſphorus, nulli de novo alii, ultimo hoc tempore, exſpectari Prophetæ debuerunt, minus major qui omnibus præcedentibus eſſet, & ipſo adeo Chriſto excellentior. Neque id argumentum, quia ex Novo ſumtum Teſtamento, ideo eludere poſſunt Muſlimi: quia nec Novum Teſtamentum integre rejiciunt; neque Iohannis Baptiſtæ hiſtoriam, quæ cum patris ſui Zachariæ, diſtinctum in Alkorano facit caput. Tum III. quamvis iſtud non obſtaret, redargueret Prophetam hunc ſatis, quæ eum commendare deberent, ſua ipſius tum doctrina, tum vita. Et hæc quidem quam impia, quam turpis fuit? quid Prophetam? vix hominem retulit. Nam quum vita ejus vitiis & ſceleribus fuerit cooperta, tum in duobus inſigniter probroſa ſemper extitit, *libidine* videlicet, & in alios *crudelitate*. Homo impuriſſimus legem tulit de pluribus ſimul capiendis uxoribus, quatuor nempe aut quinque, quod ſpurcæ mentis dilucidum fuit argumentum: & quo oſtenderet ſe

omnes

omnes ſuperare luxuriâ, unus undecim uxores habuit; alii ei tribuunt ſeptemdecim, præter concubinas: inque eo ſubinde gloriatus fuit, non modo quod ſingulas unâ nocte cognoſceret, ſed quod ſingulare hoc ei contigiſſet, eximium ſcilicet Prophetæ argumentum, ut quadraginta viros fortiſſimos coëundi facultate æquaret. Monſtrum hominis, & libidinis plus quam humanæ mancipium. Aliis ſeverè ipſe interdicit, cap. *de mulieribus*, ne quaſcunque & conſanguineas ducant: *ne commiſceamini cum mulieribus, quæ cognitæ fuerunt à Patribus veſtris, quoniam turpe eſt & malum, & iniquum: prohibitæ ſunt vobis matres veſtræ, & filiæ veſtræ, & amitæ veſtræ, & patrueles veſtræ, & filiæ fratris veſtri, & filiæ ſororis veſtræ* &c. Sibi vero licentiam tribuit, quaſi ex oraculo divino, quâlibet potiundi. Cap. *de hæreſibus*, vel ſectis: *O Propheta, nos certe concedimus tibi*, inquit ei Deus, *poteſtatem in uxores tuas omnes quibus dederis mercedes ſuas, & quaſcunque acceperit manus tua, & filias patris tui & filias amitæ tuæ & filias fratris matris tuæ, & filias materteræ tuæ, quæ peregrinatæ ſunt tecum, & quamcunque mulierem credentem, quæ ſe tibi Prophetæ proſtituere voluerit, idque tibi ſpeciatim, & ſingulariter conceditur; non verò aliis quibuſcunque.* Dignum certe Prophetâ privilegium. Et poſt: *copulare cum quâcunque ex illis tibi libuerit, & tecum fac inhabitare quamcunque volueris; & non erit tibi crimini, vel ad hanc accedere, vel ab illâ recedere. Hoc autem parum eſt: verum etiam gratum habeant ipſæ quidquid tibi libuerit, & non contriſtentur, & complaceant ſibi de quâcunque re quam illis dederis.* Propudium hominis! ſibi primas in promiſcuâ & turpiſſimâ libidine explendâ concedens partes. Hæc nimirum iſtius prophetæ eſt ſingularis ſanctitas & caſtitas, qui ea ſibi indulget, quæ in ipſam naturam incurrunt, & naturalem modeſtiam: ſed quæ aſtuto turpique conſilio ſic edicebat, quo palliaret ſuum cum ſervi Zaidis uxore adulterium, & raptum; iſtam enim

nim conſtupratam mox quaſi ex divino iterum oraculo ſibi deſponſavit in uxorem, quamvis novem aliis ſtipatus. Quare ut, tum aliis hoc indignantibus factum, tum ſervo Zaidi ſatiſfaceret, introducit in Alkorano, capite citato, Deum ſe reprehendentem, quod cogitaſſet uxorem Zaido reddere, ob offenſam, quam hinc nempe homines capiebant: *& cum diceres illi, cui Deus beneficia contulit; & tu quoque contuliſti: accipe tibi uxorem tuam, & time Deum; & abſcondebas in corde tuo quod Deus operabatur, & timebas homines, & Deus dignior eſt ut timeas eum. Cum ergo Zaidus illam cognoverit ſeu defloraverit eam, nos copulavimus eam tibi, ne ſit fidelibus peccatum in uxoribus deſideriorum eorum, cum cognoverint eas, & imperium Dei completum eſt: non eſt imputandum ad culpam Prophetæ illud, quod Deus illi ſpeciatim permiſit.* Ita Deus, ejuſque nomen ſceleri huic induendum fuit, ut improbus Nebulo impuriſſimæ ſuæ libidini quod opponeret, haberet patrocinium: neque ſufficiebat homini, etiam ſub ementito Prophetiæ titulo & pallio, ſic delinquere, niſi & Deum ſocium atque Auctorem peccati unà faceret. Ibidem egregium ſcilicet epiphonema hoc additur: *Non licebit tibi poſthac O Mahomet, ut auferas uxores à viris ſuis, etiamſi earum pulchritudine captus fueris.* Poſtquam videlicet facinus illud cum Zaidis uxore Propheticum patraſſet, atque libidinem explesſet ſuam. Vbi & id quoque notandum, leges iſtas in ſuorum facinorum patrocinium, excogitatas ab ipſomet ſemper fuiſſe, poſt commiſſa illa, non ante: ut ita manifeſtiſſimè liqueat, iſta in criminum ſuorum excuſationem vel defenſionem ab eo commenta dolo peſſimo fuiſſe. Atque iſta perſuaderi rudibus iſtis hominibus, an brutis, potuerunt! atque illum adhuc atrâ guttâ, vel peccati fomite à primâ ætate per Angelum liberatum fuiſſe dicent? proh hominum fidem! Tale iſtud quod de Muhammede narrant, eum cum puellâ formoſâ, ſed infra ætatem, Marinâ in adulterio de-

pre-

prehenſum, à conjugibus ſuis Aaſa & Chadigâ juramento adactum promiſiſſe, modo tacerent, ab iſthâc puellâ poſthac ſe abſtenturum; quod tamen non ſervavit: unde illæ eum deſeruerunt, & ad patrias reverſæ fuerunt ædes. Quem tumultum ut ſedaret iterum, more ſolito, divinum commentus hoc reſponſum fuit, quod eſt cap. *de prohibitione*, quo datur viris cum ancillis ſuis congrediendi poteſtas (ancilla quippe Muhammedis erat illa Marina), quando & quouſque liberet, nequidquam reclamantibus & æmulantibus uxoribus. Sed jam ante hanc confictam legem id facinus commiſerat, & fidem de non committendo interpoſuerat, perjurus, adulter & ſtuprator. Vide de hiſce plenius Iohannem Andræam, *confuſ. Muham. cap.* VII. Et Philippum Guadagnolum, contra Ahmedum Perſam, *cap.* V. *ſect.* III. & *cap.* X. *ſect.* II. & III. ubi quoque reſpondet Auctor ad Muhammedanorum, pro ſuo Prophetâ, exceptiones, & excuſationes. Eſt & apud Vincentium Lirinenſem *Specul. hiſtor. lib.* XXIV. diſputatio Chriſtiani, cum Muhammedano, ſuper illis Prophetæ turpitudinibus ac flagitiis; etiam ejus ſævitiâ ac crudelitate. Quid enim aliud per totam vitam egit, quam prædari, præliari, & ſtupris rapiniſque ſe facere celebrem & metuendum? Apud Elmacinum, *cap.* I. hiſtoriam ejus ſi quæras, nil præter bella & prælia leges, prædâ mulierum, puerorum, rerumque aliarum inter ſocios diſtributâ. In Alkorano ſæpe ad bella homines conclamat & ad cædes, præſertim ad interficiendos, qui ſibi obtemperare nollent. Surata XIX. *converti nolentes, ubicunque repertos, menſibus Haram peractis, ſumite atque interficite, omnibus viis inſidiantes illis.* Et Surat. lxxI. *O boni homines exite ergo in bellum in nomine Dei cum pecuniâ veſtrâ, & cum animabus veſtris. Hæc via bona eſt, atque ob hoc Deus vobis dimittet peccata, dabitque optimam habitationem in Paradyſo.* Scilicet Paradyſo, ubi rapaces, prædones, homicidæ, homines improbi injuſti-

quæ

que præmiandi erunt. In quibus egregie præivit illis vitâ & exemplo ſuo Muhammed. Quæ ut vitam oſtendunt prorſus improbam: ita talem deſignant ejus auctorem, qui à Spiritu prophetico maxime ſit alienus. IV. Quin & contraria Prophetis & Apoſtolis plurima docuit, ut legenti Alkoranum, & cum verbo Dei conferenti cuilibet eſt manifeſtum. Ex quo eò magis redargui, ut poteſt facile, ita & debet doctrina ejus, quo in Alkorano Surata *de lampadibus*, falſiſſimè inquit: *non aliud tibi dicitur, niſi quod dictum eſt ante te Apoſtolis*. V. Quid dico adverſa Prophetis & Apoſtolis? contraria imo ſibi ipſi docuit ac dixit plurima. Vt, ne alia proferam, de ipſo religionis Muſlimicæ principio Alkorano, jam dicit illud à Deo in cœlo ſibi traditum; jam miſſum per Angelum Gabrielem: nunc à Deo, tum ab hominibus compoſitum eſſe. VI. Nihil unquam futurorum prædixit, quod tamen proprium Prophetarum, ut ſe hinc etiam Prophetam declaraſſet. Quæ eo magis in ipſo requirimus, quò Chriſto reliquiſque Prophetis longe præſtantiorem ſe dicens, etiam omnia quæ in Prophetis locum habent, ei copioſius adfuiſſe oporteat. Vel imo prædixerat ex ſtolidâ Chriſti æmulatione, tertio ſe ab obitu die in cœlum aſſumendum, in quo falſus fuit, & alios ἀνάληψιν mortui fruſtra exſpectantes turpiter fefellit, qui putreſcens & fœtidum cadaver tandem nudum in terram projecerunt, uti Humbrem retulit; vel ut alii, lotum, veſtibuſque tribus ſuperindutum mandaverunt terræ. Æque verax ſcio futurus in prædictione, quâ brutis etiam animalibus promiſit partem fore in Paradyſo. VII. Quid vero neceſſe ut comparationem inſtituamus inter Chriſtum & Muhammedem, ut oſtendamus quam hoc falſum & blaſphemum, quod Muhammedani tamen credi volunt, ideoque probare etiam ipſis incumbit, Chriſto Muhammedem ſupercellere? Indicare hoc argumentum ſufficit, quod confirmare nemo opus dicet. Conferantur

tur utriuſque & vita, & doctrina,& miracula,& propagandæ religionis ratio, proh quam immane inter utrumque diſcrimen, neque niſi apud infideles, ubi res exegerit, oſtendendum! Videſis Richardum, *Confutat. legis Sarracenæ cap.* XV. & Guadagnolum, *Apolog. cap.* X. *ſect.* XII. Denique adverſus Muhammedem illud quoque adferri omnino debet, quod dum viveret vulgo pro homine ſtulto, fanatico, & dæmoniaco habitus non ſine cauſâ fuit: tantum abeſt ut pro Prophetâ. Quare de illo etiam ipſe ſæpius conqueſtus graviter fuit. Surata XXXI. ſibi vulgo objici ſignificat: *Iſte nil aliud quam homo, ſicut & nos, cum arte ſuâ magicâ nobis accedit, cujus volumen allatum vel ſomnium eſt, ejuſque figmentum.* Sur. XXXV. *Illi etiam credentibus intimant, ne ſequamini virum illum, dæmoniacum & amentem per incantationes, comedit ut cæteri, atque per fora vagatur.* Idem Sur. XXXVIII. lXXI. XLIV. *dicunt, hic homo non eſt niſi magus & mendax, univerſum commentum eſt quod ab ipſo affertur.* Surata XLVIII. LVI. & LXII. & LXXVIII. *nuncium dæmoniacum.* Surat. LXXXIV. & XCI. jurat pro more ſuo: *per ſtellas combuſtas & retrogradas atque rectas, & noctem obſcuratam & auroram, hoc verbum eſt boni Prophetæ, ipſumque abſque augmento diminutioneque ferentis, qui coram Deo potens eſt, ei devote ſerviens, & præceptum ejus nunquam tranſgrediens, nullatenus autem eſt dæmoniaci, ſeu Diaboli.* Surat. LXXIX. Iterum: *Per res viſibiles & inviſibiles, nuntii verbum bonum eſt à Deo mundi conditore compoſitum, non autem vel ab incantatore vel Mathematico.* Ex quibus apparet, pro quo vulgò habitus à ſuis Muhammed fuerit, homine ſtulto, fanatico, vagabundo, præſtigiatore, mago, dæmoniaco: neque hoc ex temerario aliquo vulgi judicio, ſed ſuo merito & culpâ. Nihil enim Prophetam quod ſaperet, edebat unquam, ſed ea præ ſe ferebat committebatque quæ hominis amentiam ſimul arguerent, & improbitatem, à diabolis valde vexatum fuiſſe, eſt certiſſimum; nam

ut

ut hoc emolliret apud homines, qui illo haud parum videbantur offendi, commentus verſiculum fuit, quaſi à Deo iterum prolatum: *nos nunquam Prophetam miſimus, qui non eſſet tentatus.* Nam hic mos ei aſſiduus erat, omnibus ſuis ſcandalis occurrere remedio verſiculorum, à Deo ſibi, in patrocinium vitiorum ſc., traditorum. Et verſum illum produxit, quum aliquando lecturus capitulum *Stellæ*, ubi idolorum fit mentio, ea execrare volens, contrà commendaret, diceretque, Deos excelſos eſſe: & ſæpius animadverſum, eum, ubi Dei nomen eſſet prolaturus, Diabolum commiſcuiſſe. Quæ ex perverſo illo vitæ inſtituto haud parum corroborata, quando totos ſępe dies in ſpeluncam ſeſe abdens, vacuus, & inediâ maceratus, viſiones & colloquia Angelorum comminiſcebatur, ab ipſâ uxore Chadigâ aliquoties propterea increpatus, monituſque Diabolicas illuſiones eſſe, & delira, atræ bilis, haud parum adhuc reſiduæ, figmenta. Vnde ex animi ægritudine ſe de ſummo præcipitem aliquando dediſſet, niſi (ajunt) ab Angelo Gabriele diligenter fuiſſet ſervatus. Quæ ſimiliter obſervare eſt in ipſorum religioſis, nam vexationi Diabolicæ & incantationibus tribuenda ſunt, quæ adeo prodigioſa de illis referunt, de illorum ἀναισθησίᾳ, quod vix aliquem quanticunque frigoris aut caloris ſenſum habeant, & ſive corpus illorum incidas aut amburas, vix moveantur; de illorum ecſtaſibus, quas adeo vehementes patiuntur, ut in ſignum earum catenas in collo geſtent brachiiſque, & quo tempore illis corripiuntur, dæmonis acti afflatu, carmina multa canant & edant; tantamque homines hi ſanctimoniæ præ ſe ferunt ſpeciem, ut nec nati à parentibus, ceu alii communi more, exiſtimentur, ſed extra coitum, abſque virili ſemine procreati, quos *Neſeſogli* appellant. Auctor Septem Caſtrenſis, commendatus præfatione Lutheri, *lib. de moribus & relig. Turc. cap.* XIV. XV.

Redeundo ad Muhammedem, quod *magus perfectiſ-*

ſſimus fuerit, aſtruitur in diſputatione Chriſtiani, cum Muhammedano, apud Vincentium Lirinenſem, & exemplo ejus aliquo commonſtratur. Platina in vitâ P. Honorii I. de Muhammede verba faciens magum dicit: *magicis artibus Aſianos & Africanos deludens.* Ne dicam, quod apud Perſas, præcipuè nobiles, Magiæ ſtudium valde eſt familiare. Sed de Muhammede hæc quidem dicta obiter ſint, ad coarguendam ejus inſaniam, utque oſtendatur, nihil minus quam pro Prophetâ habendum illum fuiſſe.

Scire tamen cupias forte, nunquid argumentorum, quæ ſpeciem habeant, pro illo adferant Muſlimici? dicam. Imo pro eo argumentari volunt, ex Veteri, & ex Novo Teſtamento; aliiſque, Prophetam commendantibus argumentis. Gregorius Abul Farajii Malatienſis, in hiſtoriâ, de Origine & moribus Arabum, edita à Pocokio, pag. 14. *Porro aſſerunt Iſlamitarum docti, factam fuiſſe mentionem Mohammedis, in libris à Deo demiſſis, ſc. in lege, iſto textu, venit Deus à Sina, & ortus eſt à ſeir, & manifeſtatus eſt à monte Paranus. Deut.* XXXIII. 2. *quibus verbis indicari dicunt, deſcenſum legis ad Moſem, Euangelii ad Ieſum, & Alcorani ad Muhammedem. Porro in Pſalmorum iſto textu, Manifeſtavit Deus è Sione Aclilan Mahmudan: coronam laudatam. Pſalm.* L. 2. *per coronam indigitari ajunt regnum, per Mahmud,* i.e. *laudatam, Muhammedem. In Euangelio demum, iſto textu, Si ego non abeam, Paracletus ad vos non veniet. Joann.* XVI. Confer & notas Pocockii. pag. 183. &c. Ad quæ perfacilis eſt reſponſio. Sed & adferunt ex Deut. XVIII. 15. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis, ſicuti me, ſuſcitabit tibi Iehova Deus tuus; auſcultate ei.* Quod exponunt de Muhammede. Inepte, & calumnioſe, quum de Chriſto Jeſu intelligi debere, præterquam textus argumentum, convincit etiam hiſtoria Novi Teſtamenti. Act. III. 22. & VII. 37. Ioann. I. 45. Muhammedi verò ſequentia apud Prophetam potius

applicentur. verſ. 20. 21. 22. *Veruntamen Propheta ille, qui ſibi arrogarit loqui aliquid in nomine meo, quod non præcepero ei eloqui, aut qui loquetur in nomine Deorum alienorum; omnino morietur propheta ille. Quod ſi dicas cum animo tuo; quomodo cognoſcemus verbum illud, quod non loquutus fuerit Iehova? Quod fuerit loquutus ille Propheta in nomine Iehovæ, ſi non erit illud verbum, neque evenerit; hoc illud eſt verbum quod non loquutus eſt Iehova; ſuperbè eloquutus illud eſt propheta ille, ne timeto ab eo.*

Interim figmentum eſt, quod in Novo Teſtamento; pro Muhammede, confingunt dictum à Chriſto Ieſu fuiſſe: *nuncium vobis adfero, de nuncio poſt me venturo. cujus nomen Muhammed.* Surata lxx. *Poſt Moſem venit Chriſtus, filius Mariæ, dicens: O filii Iſraëlis ego ad vos miſſus Dei nuncius, affirmo per Teſtamentum meum, quod in manibus habeo* (quaſi Euangelium jam tum Chriſtus in manibus tenuiſſet, antequam ſcriptum fuit, atque per iſtud juraſſet) *quod poſt me venturus ſit nuncius aliquis, cui nomen Muhammed, quem dicent magum eſſe.* Ex verſione Cl. Golii, cap. lx I. *Aciei* eſt: *& quando dixit Ieſus, filius Mariæ: O filii Iſraël, equidem ego miſſus ad vos legatus Dei, verum aſſerens, qui coram me, librum Moſis, & læta annuncians de legato venturo poſt me, cujus nomen Ahmed. Et poſtquam ad eos veniſſet cum evidentibus ſignis, dixerunt: hoc faſcinum eſt manifeſtum.* Bene eſt quod conſcius Magiæ ſuæ illum confeſſus ipſe ſit Auctor, cui remedium pro more attulit ex confiᴄto oraculo. Quodquè dicitur in Euangelio lectum fuiſſe de Muhammede, quam falſum ſit, ſupra oſtendimus, & hinc inſuper confirmatur, quod ſi tam illuſtre teſtimonium venturo Muhammedi perhibuiſſet unquam Chriſtus, non hoc ſemel & uno in loco, ſed à pluribus ſacris Scriptoribus variis in locis memoratum, repetitum, confirmatumque ſine dubio fuiſſet, ut non unius loci depravatione obliterari tanti argumenti negotium nomenque potuiſſet. Quemadmodum de Chriſto Meſſia

ſia quod promiſſum antea fuit in V. Teſtamento, id non ſemel vel uno in loco, ſed innumeris continebatur; ita quod Muhammedem concernat, præſertim ſi hic Chriſto ſit tanto illuſtrior, non ſemel dictum ſcriptumque fuiſſet, ſed pluribus in locis, quam ut ita deleri, nullo ſui relicto alicubi veſtigio, potuiſſet. Vel in Commentariis aliorum in Scripturam, qui adeo multi ſemper fuerunt, aut narrationibus hiſtoriiſque Eccleſiaſticis, extitiſſet illud uſpiam. Accedit, quod quum de iſtâ corruptione (ita ad hominem loquor) Muhammed conqueratur in Alkorano, facta illa fuerit jam ante ſua tempora; quod quam inſulſum ſit quis eſt qui non videat? eccur enim præcedentes iſtud nomen eraſiſſent, antequam ipſis cognitum, quid hominis futurus eſſet Muhammed? vel quomodo non, ſi vel ab aliquibus deſignatum hoc facinus, in aliorum Commentariis relatum fuiſſet? Deinde prædictiones futurorum, vel quia minus explicatæ, vel minus metuendæ, religioſe ſervari præ aliis ſolent, præſertim de nuntio aliquo bono & fauſto, quale hoc Muhammedis, ſi Auctoribus fides, fuerit. Quis ex Apocalypſi unquam ſuſtulit, vel delere conatus fuit nomen, aut prædictionem alicujus aut hominis aut rei ibi factam, quamvis gravis, quamvis admirandæ, nedum deſideratiſſimæ? Denique Ioann. XVI. nomen ejus qui à Chriſto promittitur, dicitur, *παράκλητος*: in Alkorano, Ahmed, vel Muhammed, quod non *παράκλητον* ſignificat, ſed *περίκλυτον* inclytum, laudatum. Quod obſervavit Cl. Golius: nempe *η* & *υ* eodem modo efferebant Græci, & quidem ut *ι*. prout etiam in Syriaco, & in Canticis Eccleſiæ exprimitur: Verum ſacer Codex habet *παράκλητον*: quæ vox conſolatorem ſignificat; non Ahmedem. Sed putidiora hæc ſunt, quam ut iis immoremur.

III. Pro Muhammede etiam afferunt viſionem ejus, aut raptum in cœlum, quando jumento Alborach illud conſcendit, & cum *Angelis*, cum Deo ibi col-

locutus dicitur. Fabulæ, quemadmodum Arabes dicere conſuerunt, de Taſmo. IV. Miracula ejus etiam aliqua. Sed quæ, qualia quæſo? an, quod cum animalibus & avibus ſermonem contuliſſe dicitur? profecto hominis inſani argumentum. an quod arbores ei gratulatæ dicuntur, accepto Alkorano? vel etiam quod vocatæ ab ipſo, ſibi alvum in campo exoneranti umbram dederint? aut quod impingens aliquando ad arboris truncum, illa juſſu ejus diffiſa iter tranſeunti aperuerit? nugæ, nugæ. Vel an dicent, atram cordis guttam ab eo per Angelos tempeſtive avulſam, ut à peccato & Diabolo liber eſſet? homo, ſi quis alius, utrique per totam vitam miſerè & fœde mancipatus. Cæterum decem plerumque narrant Muhammedis miracula: primum, quod ſine dolore prodierit ex utero matris, circumciſus & hilaris. Secundum, quod in ejus natali omnia idola per totum orbem corruerint. Tertium, quod Lucifer arreptus ab Angelis, tunc immerſus ſit in profundum mare. Quartum, quod venti, aves & nubes de ejus educatione decertarint. Quintum, quod aſina, voce humanâ, eum vocarit ſigillum Prophetarum. Sextum, quod nubes atra ſemper, etiam cœlo ſereno, ejus capiti incubuerit. Septimum, quod Lunam bipertito diviſam conjunxerit & compegerit. Octavum, quod Angelus ei ſit locutus. Nonum, quod ficus ab eo evocata, humiliter ſe inclinarit. Decimum, quod bos & agnus ei, quaſi maximo Dei nuncio, locuti ſint. Vide & Cornel. à Lapide, *comment. in Apocalypſ.* XIII. II. Gregorius Abul Farajii, de Origine & moribus Arabum, ſect. I. *Narrantur etiam de eo* Muhammede, *miracula quædam*, *qualia*, *Lunæ fiſſura*, *arborum ei obviam euntium proceſſus*, *quod à lapidibus ſalutaretur*, *& quod aqua inter ipſius digitos ſcaturiret*, *quod turbam multam exiguo cibo ſaturaret*; *quod ipſi adgemiſceret trabs*; *quod apud eum quereretur Camelus*; *quod ei teſtimonium perhibuerit ovis aſſa*, *cujus armus ipſi dixerit*,

cave

cave me comedas, veneno ſiquidem infectum. Quam egregia ſcilicet illa miracula? ſolius Muhammedis, vel aſſentatoris alicujus fide innixa, & ſic temeraria, ut ſuâ ſe futilitate coarguant. Miracula etenim quæ aliquando à Prophetis, vel Chriſto facta fuerunt, in confirmationem doctrinæ & veritatis, in gratiam aliorum, quò crederent, & præſentibus aliis, & coram hominum multitudine facta leguntur; non in angulo, vel campo aut antro locove ſolitario, ſed inſpectantibus, qui ad fidem perducerentur, aliis; tum etiam non ſolent miracula à Prophetis exhiberi in rebus vilibus ac nihili, qualia quæ Muhammedis circumferuntur trunci ſciſſi, iterumque conſolidati, arboris eradicatæ &c., ſed in rebus ſeriis & gravioribus miracula ſua Deus ponere ſolet, quæ aliquid eximii præſtent, atque miraculo digna ſint. Denique & quando fiunt, alicujus & non exigui uſus gratia fiunt, ut fructum quem adferant aliis; verbi, cauſâ; ut ægri ſanentur, ut mortui reſurgant, tempeſtas ſedetur &c., uti videmus in miraculis Chriſti & Prophetarum, quæ palàm, multis præſentibus, & in rebus non momenti ſolùm alicujus, ſed & uſus fructuſque eximii, exhibita: contra quia ſe habent omnia, quæ finguntur, Muhammedis miracula, ut nec I. præſentibus aliis, nec II. in rebus momentoſis, aut III. cum uſu & fructu ullo in alios, facta perhibeantur, ſe ipſa ſatis produnt, atque condemnant. Quare Gregorius Abul Farajii inquit; Doctiores inter Iſlamitas, diffidentes illis miraculis, ad Alkoranum recurrere, & in hoc potius uno miraculum conſtituere, quod quum eloquentiſſimi laborarint par aliquid Alkorano procudere, ne capitulum quidem unum ei conferendum producere potuerint. Dignum videlicet patellâ operculum.

V. Denique ex ſectæ Iſlamicæ ſucceſſu, qui brevi tempore ſatis magnus & proſper undiquaque fuit, pro veritate Prophetæ ſui, argumentantur. Sed quod argu-

mentum ipſe Alkoran, quotieſcunque, quod ſæpe facit, nos vetat reſpicere ad improborum felicitatem, infringit: præterquam quod & Scriptura, & experientia ſatis doceant, ex nudo eventu de rerum & conſiliorum bonitate haud eſſe ſtatuendum. Tum non vi ſolâ doctrinæ ſuæ, quod in religione Chriſtianâ, populos genteſque ſubegit, quibus potitur, Iſlamiſmus; ſed armis & bellorum metu, & immani imperandi ſævitiâ: quibus Nimrod aliquis æſtimatur, non verus Doctor & Propheta: nam & feliciſſimi ſæpe ſucceſſus ſequuntur facta omnium improbiſſima. Hinc adeo extollit in lege ſuâ, pugnantes pro eâ. Caput *Aſſaffi*, vel Surata *Aciei*, §. 4. ex paraphraſi Perſicâ: *Utique Deus diligit eos qui pugnant in ſemita ipſius; ſcilicet pro cauſa Dei, ad exaltandum in terra Dei verbum, & propugnandam propagandamque ejus legem atque religionem; prælia ineuntes contra hoſtes, acie inſtructa, obfirmatis etiam junctiſque ſimul animis, talem in modum, ac ſi ipſi exiſtant ſtructura ſolide juncta, vel murus ferruminatus.* Eaque cauſa eſt quod tam acriter agunt in bellis Turcæ, inſtigante eos ad hoc lege ſua, & promittente occumbentibus in prælio immediatum in Paradyſum ingreſſum. Aliaque ſunt, quæ ut cauſas celeris progreſſus rei Muhammedicæ, adfert Alexander Roſs, in libello Anglico, *A view of all Religions*, ſect. 6. I. Continuæ & frivolæ multæ Chriſtianorum, inter ſe, de religione diſputationes. II. Vita Chriſtianorum, tum laicorum, tum Chriſtianorum, improba. III. Victoriæ Muhammedicæ, quæ ipſorum promoverunt doctrinam. IV. Et hæc carni magis grata, quam Chriſtiana. V. Turcarum in Chriſtianos tyrannis, & præmia iis propoſita, qui Iſlamiſmum amplectuntur. VI. Licita apud illos polygamia. VII. Prohibitæ de Alkorano diſputationes, ejus tranſlatio ac venditio interdicta. VIII. Prohibitio Philoſophiæ. IX. Dogma ipſorum, quod quivis, modo benè vivant in religione ſuâ ſalvari poſſunt. X. Quod damnati

mnati ex inferno, poſt perpeſſas poenas, liberantur. XI. In honeſtate externâ ſuperant Chriſtianos. XII. Concedunt vindictam privatam, eamqꝫ putant licitam. XIII. ſuperſtructa eorum religio eſt Arianiſmo, qui Orientales jam corruperat Eccleſias. XIV. Non ſinunt quempiam blaſphemare Chriſtum, aut Moſem. XV. Semper diligentes admodum fuerunt in lucrandis, citra vim tamen & coactionem, proſelytis. Neque ſunt illæ cauſæ omnes de nihilo, ut per eas tantos ſubitoſque progreſſus fecerit Muhammediſmus. Quas mature expendere oportet eum, qui curandis illis operam daturus ſit.

Pro Muhammede præterea adfert Ahmed Perſa, contra quem diſputat Guadagnolus, varia Scripturæ loca, Ieſa XXI. 7. juxta Vulgatam verſionem: *& vidi currum duorum equitum, adſcenſorem aſini & adſcenſorem cameli*. Per adſcenſorem aſini, Chriſtum; & per adſcenſorem cameli, Muhammedem intelligunt. At nec ita ibi verè legitur, minus autem id quod volunt intelligitur, ubi ſermo de excidio Babyloniæ per Perſas & Medos, quos accelerantes Propheta annunciat; dicitque ſpeculatorem vidiſſe, *currum, par equitum, currum aſinorum & currum camelorum*, certum pro indefinito.

Objiciunt etiam Dan. II. verſ. 34. quod de lapide, abſque ullâ ope manuum exciſo, qui percuſſit imaginem ad pedes ejus ferreos & luteos, ut eos comminueret &c. Quo abſit ut Muhammed intelligatur, quod is ſcilicet omnes religiones in unum coëgit, & commiſcuit: Chriſtus iſte lapis eſt, verſ. 44.

Etiam ad Muhammedem trahunt, quod dixit Chriſtus de mittendo Paracleto, Ioann. XV. & XVI. 7. 8. *niſi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi verò profectus fuero, mittam eum ad vos. Et veniens ille &c.* Intellegitur Spiritus S. Apoſtolis ut promiſſus, ita in eos poſtea copioſè collatus. Neque puto Muhammedanis placere, ut dicamus, Muhammedem à Chriſto miſſum,

quem Chriſto longè præferunt; quod tamen hic expreſſe dicitur de mittendo à Chriſto Spiritu Sancto.

Adferunt inſuper quaſi de Muhammede dictum, Geneſ. XVII. 20. *de Iſmaële etiam exaudivi te:* quod de ipſo illo Iſmaële intelligendum, neque quidquam ad Muhammedem.

Deut. XXXIII. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan.* Quaſi de Meccâ & Muhammede; quum ſermo ſit de Moyſe, cui Deus πολυμερῶς, iſtiſque montibus ſingulariter apparuit.

Pſalm. 71. juxta Latinam, at LXXII. 10. 11. *Reges Schebæ, & Seba donarium offerent. Denique incurvabunt ſe ei omnes reges, omnes gentes ſervient ei.* Non per Saba Meccam; ſed de Chriſto Pſalmum intelligendum eſſe, cuivis ex textu conſtare poteſt. Hæc de Muhammede.

Iiſdem quoque Alkoran, quibus ejus Auctor, confunditur argumentis: nam ut ibi ſpectamus, quis, quidque egit, ita hic quod paria docuit, in libro, cujus alioquin divinitatem nobis perſuaſum omnino cupiunt. Innumera ſunt & magna elogia, quibus ſeipſum hic liber ad nauſeam uſque commendat. Quod certe non pro dignitate gravis Scriptoris, nedum divini eſt, propriis turgere laudibus, neque alio ſe probare argumento, quam ridiculâ & inani ſui ipſius commendatione. In ipſo ſtatim initio: *Hic liber eſt ſine falſitate, & ſine errore aliquo veridicus, iis qui in ſe habent amorem Dei, qui timent atque colunt eum, & qui ſe oblectant in orationibus, atque eleemoſynâ, & legem tibi cunctiſque tuis Prædeceſſoribus à Deo cœlitus datam obſervant, & ſpes futuri ſeculi improbavit ſectam hanc eſſe veracem, quam qui ſequitur, ab ea beabitur ſummo bono, ut contra incredulis minatur perpetuum malum*, & quæ ibidem, plura enim ſunt, ſequuntur. Sur. V. ſic incipit: *Deus pius & miſericors, vivus*

vivus & altiſſimus, ſupra quem non eſt alter Deus, & qui primò hominibus in viam rectam dedit Teſtamentum, & poſtea Euangelium, ultimo veraciſſimum librum, videlicet Alfurcam veſtræ legis, confirmatorem ſuperiorum. Surat. IX. *Liber hic vobis cælitus miſſus.* Surat. X. *Librum veraciſſimum tibi de cælo mandavi.* Surat. XXI. *Verba hujus voluminis compoſita ſunt per ſapientiſſimos & eloquentiſſimos.* Quomodo ergo Muhammedi in cœlo, vel per Gabri lem in cavernâ tradita? ut in initio Sur. XXII. dicitur: *In libro hoc Alkorano Arabico à Deo compoſito, noſtra declaratur converſio &c.* Surat. XXIII. & XXIV. & XXV. in initio ubique & XXVIII. *Deus quidem glorificandus eſt, gratiaque ei habenda, quod ſuis hominibus dederit librum purum & ſanum ſine aliquâ falſitatis mixturâ.* Sur. XXXIV. *In hoc capitulo à Deo compoſito, ſcripta ſunt multa quæ manifeſta hominibus & memorabilia ſunt.* Sur. XXX. in initio. Surat. XXXVIII. XLII. XLV. XLVI. XLVIII. XLIX LI. *Hic liber à Deo pio ſapienteque compoſitus, nec mendacium aliquod præſens nec futurum indicat, nec à Prophetis præteritis contraria nunciat.* & Surat. LX. &c. Hinc adeo fides Alkorani in ipſo imperatur. Surat. LXXIV. *In Deum itaque operum veſtrorum cognitorem, atque Prophetam, & hunc vobis divinitus miſſum credite.* Surat. LXXV. LXXXV. *Alkoran nobis miſſum, quare non credidiſtis?* & pluribus locis ſimilia per univerſum Alkoranum occurrunt. At vero neutiquam librum Alkorani, uti volunt, divinum eſſe, divinæque authoritatis, facilè quoque oſtendi in tranſcurſu poteſt. I. ſive reſpiciamus Auctorem Muhammedem, hominem bipedum omnium nequiſſimum, fanaticum, & diabolicum: qualis ab eo vel doctrina, vel liber provenire potuit, præcipuè ad Magiſtri ideam ſi, uti hic factum, efformatus, ad comprobanda & juſtificanda quæque ejus, etiam maxime enormia, flagitia? II. Contradicit ſibi, circa originem ſuam turpiter. Iam enim dicitur Alkoran à Deo factus; jam ab hominibus: iterum Muhammedi

 traditus

traditus in cœlo; tum in terrâ, ab Angelo. III. Vera, quæ aliqua videtur adducere ex hiſtoriâ Vet. Teſt. mutilat & pervertit, neque illa ſana habet amplius; nedum alia & propria. Uti fit Surata III. in hiſtoria Sauli Regis: tum Gedeonis. In Surat XXII. Joſephi, cujus innocentia dijudicata fuerit ex interulâ ruptâ pòſt, non antè. Surat. XXXVII. de Salomone, quod intellexerit garritum avium; quodque coacto ex hominibus, beſtiis, & Diabolis magno exercitu, contenderit in regionem formicarum. &c. Surat. XLVII. de immolatione Iſaaci Surat. XLVIII. de Salomone iterum, & ejus equis. Surat. L. de familiâ Amram, quod Maria mater Chriſti ſit Mirjam, ſoror Aaronis, filia Amrami. Qualis quoque inepta Patrum ſeries, recenſetur Surat. XV. Abraham, Iſaac, Iacob, Noah, David, Salomon, Ioſeph, Moſe, Aaron, Zacharias, Iohannes, Ieſus, Helias, Samuel, Hiſkia, Loth. Et hoc IV. aſſignari poteſt adverſus dignitatem Alkorani, ejus ἀμεθοδεία: quod nullus omnino ordo ſerieſve rerum habita vel obſervata ſit, vitio hic ſupra quam in vulgaribus ſcriptis manifeſto, atque faſtidiendo: vere rudis indigeſtaque moles. V. Atque ipſi Muhammedani fatentur, multa in Alkorano eſſe, quæ emendata & caſtigata ſunt, centum & quinquaginta verſus dicuntur fuiſſe per alios correcti & retractati, revocatorii, Arab. *nacehaman ſog*. Ioh. Andreas *Conf. ſect. Muham. cap.* II. Retractavit Muhammed, quod prius dixerat de precando verſus Ieruſalemum, edixitque ut ad Meccam ſe orantes converterent. Iejunium item, more Iudæorum obſervatum antea, rejecit in menſem Ramadam: multaque de ancillis, & concubitu cum illis licito, de teſtamentis, aliiſque rebus mutavit. Vide Guadagnolum *cap.* VII. *ſect.* III. Sed & VI. mutilum magna parte Alkoranum ſit oportet, quod compilatum ex ſcriniis à muribus arroſis, & humiditate, atque ærugine multum abſumtis, & hinc inde ex ſchedis varie diſjectis, divulſis, ruptiſque in farra-

farraginem capitum, quæ nunc habemus, coactum; ubi caput *de conjunctionibus*, quod olim magnitudine æquavit caput *de vacca*, hodie dimidio minus conſpicitur. VII. Multaque habet ſibi invicem contraria. Ut de vini uſu, quem jam prohibet, jam concedere videtur. Sur. *de Ape*: *Et ex fructibus palmarum & uvarum inebriabimini, & ſaturabimini, ſeu potum & victum ſumatis*. Nunc mandat caſtimoniam; iterum libidinem promiſcuam & Venerem, ſuo vel exemplo, comprobat, atque indulget. Aliquando Chriſtianis videtur ſalutem adjudicare, & quod ſalvari in ſuâ quidem religione poſſint; alibi negare idem, & tollere. Iam neminem cogi vult ad fidem: tum vim & arma intentare in adverſum ſentientes præcipit. Et quæ iſtius commatis à Spiritu contradictionis profecta ibidem plurima. VIII. Mendacia inſuper, fabulæ, figmenta innumera: ut de Angelo mortis, cui oculi à ſe mutuo diſtent itinere dierum mille & ſeptuaginta: de Angelis in cœlo ſexto, quorum unus habeat capita ſeptuaginta mille, & totidem linguas, quæque edant totidem voces. De bove ſub terrâ, cui ſint quadraginta cornua, atque ab eorum uno ad alterum iter mille annorum. De Angelis, Dei thronum in cœlo portantibus, quibus tanta ſint capita, ut avis nec per mille annos continuos volando perveniat ab aure unâ ad alteram. Karonem quendam Moſis ſubditum ajunt fuiſſe, tam opulentum, ut ſolæ theſauri ejus claves Camelum, qui eos portabat, oppreſſerint. Surata XXVIII. habet fabulam de ſeptem dormientibus, pro verâ hiſtoriâ, & myſterio non exiguo: nam & diſputari ajunt, quot numero illi dormientes fuerint, an tres, an quatuor, an quinque, an vero ſex, cum cane; at nonnullos, dicit, exiſtimare, ſeptem illos fuiſſe, octavum canem. Digna videlicet operoſo examine, & quorum Alkoran meminerit. Ne quod de Alexandro nugantur memorem illum ad occaſum Solis perveniſſe, ipſumque locum vi-

deri

derit, ubi Sol ſe in calidum abdit fontem. Quorum nonnulla vide etiam adducta, & exagitata apud Richardum, *Confut. leg. Sarac. cap.* IX. Ioh. Andream, *Confuſ. Secta Mahom. cap.* IV. verſ. X. Ioannem Cantacuzenum, *orat.* II. *in Mahometem.* Ioh. Forbeſium, *Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. lib.* IV. *cap.* XIII. Thomam à Ieſu, *de Converſ. Gent. lib.* X. *pag.* 666. *&c.* IX. Nec ſola mendacia & fabulas continet Alkoran; ſed inſuper ſpurca, fœda, improba permulta; qualia quæ de mulieribus, polygamiâ, repudio paſſim occurrunt. Confer Ioh. Andream, *cap.* VI. Thomam à Ieſu, *pag.* 677. Guadagnolum, *cap.* VII. *ſect.* I. Tale & quod cap. I. in Alkorano legitur: *uxores veſtræ ſunt aratura vobis, indite ergo araturam veſtram ad lubitum.* quod gloſſa explicat, adite eas, ſive ſecundum, ſive contra naturam, ſcelus! Tum quales hic inſtruat homines inde quoque patet, quod Paradyſum ſuum adinſtar lupanaris formet, inque eo ſitam cœleſtem felicitatem credi velit, quod copia futura ſit formoſiſſimarum virginum ad coitum. X. Simul ad ſævitiam & crudelitatem, bella, & cædes inſtigat doctrinâ ſuâ homines, quæ cum humanâ haud conveniunt diſciplinâ, nedum divinâ. Illis paradyſum pollicetur, qui maxime fuerint bellicoſi. Surata VI. IX. XVIII. XIX. XXXII. XLIII. LVII. LVIII. LIX. LXXI. Atque ad vindictam mutuò hortatur homines, aliter ac pro charitate, & ſacrâ doctrinâ convenit. Surat. II. *vindictam veſtram facite ſimilem, ut liberum pro libero, ſervum pro ſervo, mulierem pro muliere.* Sur. LII. *vindicans ſe poſt injuriam illatam, nequaquam iniquè exiſtit.* Huc & illud ſpectat, quod aliis religionem ſuam perſuadere, atque vi cogere ad fidem homines docuit, locis Alkorani illis jam citatis. XI. Etiam hoc contra fidem Alkorani adferri poteſt, quod nullo unquam miraculo, ut quidem tale Scriptum, quod ſe tantopere jactat, deceret, comprobata ſit. Secus doctrina Moſis, & doctrina Chriſti, quibus ſe multis tamen

pa-

paraſangis illud temere præfert. XII. Et quia ſingulariter ſe ſupra Chriſti Euangelium extollit, uti expreſſe Ahmed Alabedin, perfectionem ſuæ legis ultra Euangelium deprædicat, apud Guadagnolum *pag.* 352. inſtituatur in diſputatione collatio utriuſque, ſecundum omnia quæ in Scripto attendi debent, Auctoris, materiæ, formæ, ſtyli, finis, antiquitatis, & reliquorum capita, patebit, tantum diſtare ab Euangelio Alkoranum, ut hoc ipſum infra dignitatem Euangelii maxime videri debeat, cum Alkorano conferri. Hæc adverſus Alkoranum obiter attulimus, quamquam in diſputatores contra iſtud graves diras evomat. Surat. XI. ut ita qualemcunque rerum harum notitiam noſtri habeant. Pro illo nihil omnino video quod adferre poſſint, ita nec inſita, nec adſcita ulla habet argumenta, quibus ſe apud benè ſanos commendet. Illa quæ forte objiciant, de doctrinæ ſuæ felici ſucceſſu, & per multas orbis regiones diffuſione, imperio, duratione, & imperii Muhammedici proſperitate, infra, ubi præjudicia illorum, in negotio converſionis, diſcutiemus, preſſius examinabuntur. Hæc interim de præcipuis fidei Muſlimicę capitibus breviter diſſeruimus, de Alkorano, Muhammede, & ante omnia de Scripturæ Sacræ integritate & fide. Superſunt ea quæ religionem Chriſtianam propius concernunt, vel peculiares religionis Muhammedicæ articulos; ut ibi articuli de Trinitate, Chriſto, creaturis; hic, de Muſlimorum circumciſione, lotione, precibus &c. de quibus, quia hunc campum nunc ſumus ingreſſi, quid ni etiam paucula eodem ſtylo annotemus?

Ad Controverſiam de Perſonarum in Deo Trinitate duo hæc nobis cum Muhammedanis agenda ſunt: primo ut ἀποφαντικῶς & ἀνασκευαστικῶς tollamus Infidelium omnes adverſus veritatem exceptiones, objectiones, & præjudicia; tum ut ex Scripturâ, quam non omninò ab Adverſariis repudiari ſupra diximus, verita-

tem

tem doctrinæ fideique noſtræ oſtendamus. Hoc (in tractatione doctrinali ordo ſæpe jubet præmittere, quæ in præſenti diſputatione forte ſecundum obtinerent locum) ex illis fit Scripturæ S. locis, quæ ſive ex Veteri, ſive N. Teſtamento pro aſſerendâ illa veritate adferri ſolent, & omnibus nota obviaque ſunt: ex illis libris, locisque Sacris, quos neque Adverſarii forte repudiabunt. Deinde in Alkorano etiam aliqua notanda, quæ in præjudicium Muſlimorum circa hanc veritatem adferri poſſunt: non ſolum quod paſſim Deus introducitur loqui plurali numero, *nos miſimus* Moſem &c. Sed & quod verbi divini, ac Spiritus etiam mentio fit, ubi de Deo eſt ſermo. Sur. *de mulieribus*: *Ieſus Chriſtus apoſtolus Dei & verbum Dei quod miſit ad Mariam, & Spiritus ex Deo.* Surata primâ, ſive *de vaccâ*, Deus de Chriſto dicit: *Sanctificavimus eum Spiritu Sancto.* Surata *de fœderibus*: *memento ô Ieſu, fili Mariæ, beneficii mei erga te ac matrem tuam, tum te corroboravi Spiritu Sanctitatis: alloqueris enim homines in cunabulis, & adultos, & creabis de luto volatilia, inſufflabis enim in luteam formam, & creabis volucres permiſſu meo &c. leproſos mundabis, cæcos illuminabis, ac denique mortuos reſuſcitabis.* In quibus mentionem audimus fieri tum Verbi, tum Spiritus; quæ pro doctrinæ Chriſtianæ haberi poſſunt veſtigiis & reliquiis: niſi quod per Spiritum illos intelligere Angelum Gabriëlem, Ahmed Perſa dicat. tum præter eximia illa in Chriſtum elogia, argumentum inde conſtrui pro Chriſti deitate poteſt, quod ei tribuitur facultas miraculorum, quam Deo propriam eſſe adeo tenent Muhammedani, ut (quemadmodum ſupra annotatum) ex eo arguant locum Matth. XXIV. falſum, quia Pſeudoprophetis videtur adſcribere vim miraculorum, ſoli Deo competentem. Sed de Chriſti Deitate mox. Ad præſentem diſputationem conferri poſſunt, Richardus, Prædicatorii ordinis Monachus, *Confutat. legis Sarac. cap.* XV. Iohannis Cantacutzeni *Apologia* I.

con-

contra Muhammedem. & oratio. III. Philippus Guadagnolus, *Apolog. pro Chriſtianis, tractatu* III. *de Trinitate.* Ioh. Forbeſius, *Inſtruct. hiſtorico Theol. lib.* IV. *cap.* V. Deſcriptio *Arabiæ cap.* XVII.

Objectionum adverſus fidem noſtram habent duplex genus Muhammedani: aliud adverſus *rem* ipſam; aliud contra rei vel fidei *expoſitiones* Scholaſticas, plerunque (fateor) inanes, & ſcandaloſas. Vt quod Scholaſtici, de proceſſionibus in Deo perſonalibus, dicunt, Filium per actum intellectus divini procedere: Spiritum Sanctum per voluntatem, quod ita Infideles offendit, ut hinc iſtæ naſcantur Ahmedi Perſæ objectiones; ſcientia, & amor in Deo, illud actus quaſi intellectus, hoc voluntatis, eſſentialia ſunt, non ergo relationis perſonalis fundamentum. Iterum, ſi per actum intellectus producitur in divinis Filius, ergo vel per intellectum & ſcientiam in Deo omnem, vel non: ſi illud, ergo & per intellectum Filii ipſius quoque, ſeu Verbi: ſi per aliquam demùm, ergo per ſcientiam aliam etiam alius Filius produci poſſet, & ſic in infinitum. Ego verò neutiquam probo illam expoſitionem Scholaſticorum, quare nec vindico: ſed ſcire hinc licet, Doctores Muhammedanos etiam ſubtiliter diſputare; longe aliter, ac Muhammed in Alkorano, qui ineptus & vanus eſt, præ Alkorani interpretibus, & Doctoribus Iſlamiſmi haud parum ſæpe acutis. Aliter adverſus ipſum Trinitatis articulum diſputant, & argumentantur. I. Quia unus Deus. Hinc crebra illa unitatis divinæ in Alkorano profeſſio, non adeo eſt in gratiam hujus veritatis, ac in oppoſitionem ad Chriſtianam fidem de Trinitate. II. quia Deus ſimpliciſſimus. III. Quia Deo non eſt uxor, ergo neque Filius. IV. Quia videtur illis ſequuturum, ex aliis Dei attributis plures Perſonas itidem naſci. V. Vel Filium, & Spiritum Sanctum eſſe alterius à Patre naturæ, ſeu eſſentiæ, videlicet minoris. VI. Diſſidium forte oriturum aliquando inter di-

ver-

verſas Perſonas. quod attingit Surat. XXXIII. Ad illa multis reſpondere nihil neceſſe; quia & levia ſunt, nulli non facillimè ſolvenda, & nobis magis propoſitum enarrare Muſlimorum res, quam refutare, vel multum ſuper iis diſputare. Præterquam de S. Trinitate, in pluribus circa Deitatem errant opinionibus, ſed quia earum nulla eminentior eſt illâ negatæ Trinitatis, hanc ante omnia cenſuimus explicandam. Cui connexa eſt altera circa *Chriſti deitatem:* quam quoque tollunt.

De Chriſto nonnulla tenent Muhammedani vera; at falſa quam plurima. Natum credunt, ex Mariâ virgine; ſed in Mariâ deſignandâ ſtupendum committunt errorem, quod illam filiam Amrami dicunt, & confundunt cum Mirjam, ſorore Moſis. Quatuor fuiſſe mulieres perfectas memorant, inter quas & hæc. Aſia, filia Merahæ; Maria filia Amrami, quam & matrem Chriſti nugantur; Chadiga, filia Hubald, Muhammedis uxor; & Fatima, Muhammedis filia, quæ nupta Hali. De Mariæ cibatione in templo miraculosâ, cœlitus ei cujuſvis generis ſubminiſtratis cibis, æſtivis etiam quum hiems eſſet, & hibernis in ipsâ adeo æſtate, fabulantur multa, uti quoque de Mariæ conceptione, & partu. Salutationis Angelicæ meminit Alkoran, Surata V. Concepiſſe, quum eſſet annorum tredecim; atque peperiſſe octavo à conceptione menſe, qui partus nunquam vitalis præterquam in Ieſu. Peperiſſe ajunt, ad truncum palmę, quæ per multos annos infrugifera, nato Chriſto, eoque matrem ſuadente ut illam frugis accipiendæ cauſa concuteret, mox floruit ac dedit dactylum recentem, cujus eſu Maria à partu refocillata fuerit. Varia in Alkorano de Chriſto extant elogia, quod Propheta fuit, & quod ei datum Euangelium, quodque miracula fecit, leproſos mundavit, mortuos in vitam reſuſcitavit, inter quos etiam collocant Sethum, Noæ filium, aliaque plura, quæ ex

ſcri-

ſcriptis Muhammedanorum huc facientia collegerunt Gabriel Sionita, *Deſcript. Arab. cap.* XVII. Schickardus, in *Proœmio Tarich, à pag.* 97. & deinceps. Seldenus, ad *Eutychii Origines Eccleſ. Alexandrinæ, pag.* 89. Levinus VVarnerus, in *Compendio Muhammedano de Chriſto, & Chriſtiana relig.* Hottingerus, *Hiſtor. Orient. lib.* I. *cap.* III. Vulgo Chriſtum loquentes Muhammedani, dicunt: *propheta Iſai, ſuper quem ſalus.* Ipſum Chriſtum mortuum non volunt, ſed alium ex Apoſtolis, vel ſociis Chriſti, ejus loco, ipſo in cœlum ſublato, quem tamen ſe crucifigere Judæi crediderint. Surata XI. *Dicunt illi, nos occidimus Chriſtum Ieſum filium Mariæ, Dei Apoſtolum, cum non occiderint, nec crucifixerint eum, ſed occidere viſi ſibi ſint. Qui autem diverſum hic ſentiunt, & ipſi dubitant de eo, nec certi quidquam ſcientes, opinionem tantum ſequuntur: revera eum non interfecerunt; ſed ſuſtulit eum ad ſe Deus, qui potens eſt & ſapiens.* Illum ex ſociis Chriſti aliquem, qui ſe Chriſti loco dederit ἀντίψυχον, ajunt à Chriſto ſelectum fuiſſe, monito, ut hoc pacto Iudæorum malitiam eluderet: quodque proinde interrogarit ſuos: *cui veſtrum placet, ut induatur imagine meâ, & occidatur, ac crucifigatur, & ſic ingrediatur paradyſum? Tum vir quidam ex illis, ego, inquit. Confeſtim ei Deus effigiem Chriſti impoſuit; atque is occiſus & in crucem actus fuit.* Vnde poſtea contentio inter homines orta fuerit, an Chriſtum ipſum ſuſtuliſſent, annon? ſi Chriſtum, ubi ille ſocius eſſet? ſi hunc, ubi ergo Chriſtus? Conveniunt hæc cum Baſilidis in primâ Eccleſiâ hæreſi, & forte inde ſumta, qui docebat, non ipſum Chriſtum, ſed iſtius loco Simonem Cyrenenſem crucifixum: & quod Chriſtus præſens omnia aſpectans illorum errori illuſerit.

Ad naturam Chriſti divinam æque offendunt Muhammedici, quam in eo negant, & impugnant. Vnde Chriſtianos per contumeliam appellant *Aſſociatores*, quod Deo ſocium ſc. & filium adjungunt; & pluries

hinc in Alkorano ajunt, Deo non eſſe ſocium: quod quotieſcunque occurrit, adverſus Chriſtianos dictum exiſtima. Surata *Locmanni*, XXXI. à Clariſſ. Golio verſa, §. 10. 12. 14. aliiſque capitibus, & locis ferè innumeris. Ac proinde qui ab illis ad Chriſtianiſmum accedunt, in anathematizatione priſtinæ perfidiæ diſtincte docentur rejicere, inter alias Muhammedicas conſtitutiones, & hoc, quod Muhammed τοὺς χριστιανοὺς ὀνειδίζων ἀρνητὰς ὀνομάζει καὶ κοινωνητὰς καὶ ἑταιρειαστάς, *convitians Chriſtianos nominat Negatores, & communicatores; & ſodalitiarios.* apud Sylburgium, in Saracenicis. Azoara, vel Surata XI. ex verſione Retinenſis: *ſummopere quidem cavendum, ne lege veſtra quid indignum & injuſtum proferatis, nec de Deo quidquam niſi verum dicatis. Ieſus Mariæ filius, Dei nuntius, ſuuſque Spiritus, & verbum Mariæ cælitus miſſum exiſtit. In Deum itaque, illique ſuo legato credentes, ne dicatis* Deos tres *eſſe, cum non ſit niſi Deus unus, qui filio caret; eique omnipotenti univerſa cæli terraque ſubjecta ſunt. Chriſtus quidem ipſe negare minime poterit, ſicut neque Angeli Deo propinqui, quin Dei ſubſit imperio.* Tum adverſus S. Trinitatem, tum adverſus Chriſti deitatem hęc dicta. Illam multis in locis impetunt. Surat. XVII. XXVI. XXVIII. XXIX. XXXV. CXXII. In Colloquio Muhammedis cum Abdiâ Iudæo: *Deus non habet ſocium, aut filium.* Fideles appellant eos, qui iſtud credunt. Surat. XII. Et XIII. Sur. LIII. *Chriſtus non fuit niſi vir tantum, cui multam bonitatem contulimus, Doctoremque filiis Iſraël propoſuimus.* Narrant, Chriſto in cœlos aſſumto, interrogatum eum à Deo fuiſſe, numquid dum Chriſtiani dicunt, docentque eum Deum, & Dei filium eſſe, ipſe unquam ſe pro Deo geſſerit, aut haberi voluerit? Surata, de menſa: *Ieſu fili Mariæ, tune dixiſti hominibus, aſſumite me & matrem meam pro Diis, præter Deum? reſpondit, abſit: non meum eſt, ut dicam, quod revera mihi non competit. Si dixiſſem iſthoc, utique jam illud ſcires, qui noris quid in mea ſit*

ani-

animâ, ego vero neſcio quid ſit in tua, cum ſecreta tu cognita habeas. Nihil quidquam iis dixi, niſi quod à te juſſus ſum: colite Deum Dominum meum, & Dominum veſtrum. Hoc teſtatus ſum illis, quandi imo egi apud illos. Nugæ, quin calumniç, & blaſphemiæ. Non Chriſtiani tres Deos faciunt, aut Mariam numen, neque Chriſtus ſe Deum fecit, ſed oſtendit; & qua verbis, qua factis probavit; teſtimonium divinitatis, & quod filius Dei eſſet, ei multifariam perhibente etiam de cœlis Deo. Omnia ex Scripturis S. comportare teſtimonia, & argumenta ad Chriſti probandam deitatem ſuperſedeo, quum ſit res & Chriſtianis nota ſatis, & probatu facilis, tum ab inſtituto nos longius, hoc ſi pro dignitate perſequeremur, abduceret, vel extra neceſſitatem hanc noſtram digreſſionem extenderet. Interim volo ut omnes Chriſtiani hoc benè obſervent, pro fidei noſtræ haud levi confirmatione, quod Muhammedani aperte fatentur, in Novi Teſtamenti Epiſtolis Paulinis clare & exſerte Chriſti Deitatem legi, unde adverſus nos hâc ſuper re diſputantes, Paulinarum epiſtolarum illam ob cauſam authoritatem declinant, & ajunt, illas à Chriſtianis adulteratas eſſe. Vbi hoc ſaltem veritati à ſuis hoſtibus teſtimonium, quod eam, juxta ipſos, Pauli epiſtolæ confirmant: & quicunque in iſtis illud vel non vident, vel tergiverſantur, & contrà diſputare audent ex Chriſtianis, liquet minus candidos & perſpicaces eſſe Muhammedanis: qui ut ut in eo latius divagantur, quod ipſarum Epiſtolarum authoritatem tollunt, hoc tamen æquiores ſunt, quod illis prædicari id, quod in quæſtione verſatur, Chriſti deitatem, libere agnoſcunt & fatentur, quod Chriſtianus etiam qui audire vult ſæpe negat audacter, eique oblatrat. Guadagnolus, in diſputatione adverſus Ahmed Perſam: *verum fruſtra* (inquit) *ex epiſtolis Pauli plura tibi afferuntur teſtimonia, qui in tuo libro fateris, Apoſtolum Paulum, Chriſtum Deum & hominem prædicare. Sufficit hic tantum probaſſe.* Ei-

piſtolarum Pauli auctoritatem eſſe divinam, ſicut & cæterarum Scripturarum. Quod ſi fateris, Paulum clariſſimè Chriſtum Deum & hominem aſſerere, debes etiam Chriſtum Deum & hominem, prout aſſerit Paulus, confiteri. Ergo, ut qui authoritatem iſtarum Epiſtolarum admittit, attamen neget Chriſtum illis doceri Deum, Muhammedanis ipſis hâc in parte magis infidelis videri jure poteſt, *καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων.* 1. Tim. v. 8. Nimirum ita evenit, ut quem Iudæi contumaces fateri abnuunt, Centurio prædicet: *revera Dei filius hic fuit.* Matth. XXVII. 54. Hoc ad argumenta noſtra, vel Sacram & Paulinam Topicam, ex quâ vel maximè hic ſolemus diſputare. Ad rem ſpectat, quod verba illa de Chriſto filio Dei dicta Pſalm. II. 7. Muhammedani etiam non diffitentur de eo accipienda eſſe: nam in libro Camus, magnæ apud illos authoritatis ſic legi, Guadagnolus pag. 478. auctor eſt: *& ex eo dictum Dei omnipotentis & excelſi, ad Ieſum, cui orationes Dei & pax: tu es filius meus, & ego hodie genui te.* Quæ aperte Dei filium agnoſcunt Ieſum Chriſtum; quare & Deum. Hic quam vellem extaret, vel nobis notior eſſet liber VVilhelmi Schickhardi, tit: *Deus orbus Saracenorum!* cujus mentionem fecit in proœmio ad Tarich Perſarum: ſed an prodierit, ignoro.

Eaſdem objectiones adverſus Chriſti deitatem habent Muhammedani, quas hâc in parte, qui cum iiſdem faciunt, adferre ſolent Pſeudo-Chriſtiani, gloriæ & deitatis Chriſti inimici. Vt quod Chriſtus dicitur in Euangelio modò ploraſſe, modo jejunaſſe, & paſſus multa, mortuus tandem, crucifixus &c. quæ putant obſtare divinæ ejus naturæ. Illis autem nemo offendetur, qui in Chriſto, noverit, ex ſingulari Dei œconomiâ, utramque naturam eſſe, præter divinam, humanam etiam, in quâ illa ſuſtinuit, & cujus ratione illa de Chriſto narrantur, & ſic modo vera ſunt. Quo reſpectu exponendum & quod ſecundo objiciunt. Matth.

xxiv. 36. de Chriſto dictum, neſcire eum horam ſupremi judicii. Tum quod neminem bonum dixit; Matth. xix. 17. præter ſolum Deum. Et Ioann. x. Pater major me eſt: Sed verſ. 22. eſt, *Pater major eſt omnibus*: ſe vero Chriſtus unum ait cum Patre. Et Ioann. xvii. 1. *Pater glorifica filium tuum*. Et Matth. xxvi. 42. *Pater ſiquidem fieri poſſit, tranſeat à me calix iſte; verumtamen tua voluntas fiat*. Ioann. v. 22. *neque enim Pater judicat quempiam, verùm omne judicium dedit filio*. Et ſimilia objiciunt nobis loca, ad quę perfacilis & trita eſt reſponſio.

Circa *creationem* mira & vana ſunt, quæ fabulantur Muſlimi potius, quam docent. principio dicunt creata fuiſſe, & ipſius Dei manu, pennam, Adamum, thronum Dei, & paradyſum. Pennâ Deus conſcribit & annotat ſcilicet omnia quæ ſunt, quæque fiunt: eſt autem ea longitudinis quingentorum annorum itineris; latitudinis, octoginta. In Colloquio cum Abdiâ, Muhammed addit creatam menſam, in quâ nempe omnia cum iſtâ pennâ ſcribantur: quæ quanta ſit, nam pro ratione pennæ immenſæ magnitudinis conſtitui oportet, non additur. Hominem primum Adamum ex pugillo terræ diverſicoloris factum aſſerunt, & quod hinc varietas iſta formæ & coloris inter homines ſit, ut hic candidus, atri, vel fuſci coloris alter exiſtat: ſed præ omnibus Deum has quatuor nationes feciſſe pulchritudine elegantes, Arabes, Perſas, Romanos, Indos. 121. Thronum Deum ſibimet feciſſe ajunt, portandum ab Angelis, quorum tanta ſint capita, ut avis vix mille annis volando poſſit ab unâ aurium permeare uſque ad alteram. Quarto & Paradyſum creavit Deus inter prima, de quo, ex mente Muhammedanorum, etiam aliquid poſtea dicemus. Mundum & cœlum diſtare inquiunt ſeptem maribus. Stellas ſcintillare, ideo quod ignem vomant, & igneas quaſi faces jaciant in obvios Dæmones, qui Paradyſum obſervant, & conantur conti-

nuo ingredi, ut quid in cœlo agatur & decernatur ſcire, & hominibus eadem revelare per oracula ſua queant. Cœlum ſuſtentari à monte Kaff, qui eum ambit, & coloris eſt cærulei, videl. à ſmaragdis Paradyſi, atque hinc eſſe quod cœlum rubeat. Solem Lunamque æqualis creata magnitudinis, & ſplendoris; verùm Angelum Gabrielem aliquando intempeſtâ nocte cœlo deſcendentem, ala ſua tam bene Lunam attigiſſe, ut tantam ei partem abſtulerit, ac jam videtur Sole minor eſſe. Solem occumbentem (dicunt) ſe in puteum immergere, in fontem aquæ ferventis, ad quem uſque pervenerit Alexander, quemque viderit. Terræ centrum collocant in cornu Tauri ſubterranei, qui quando ſe movet, terræ motum ciet. Hic ſtat ſupra Lapidem candidum; infra quem alius mons: at jam hic quo ſubſiſtit? Taurum illum (addunt) facie ſpectare Orientem, & quadraginta habere cornua, totidem dentes, atque à cornu uno ad alterum eſſe mille annorum iter. Angelos faciunt alatos, alios duabus, alios tribus, etiam quatuor alis, Surat. xlv. deque illorum uxoribus, an ullas habeant? controverſiam movet Surat. liii. & lxiii. & quidem ita ſentire nonnullos refert, qui id à Majoribus ſuis ſe habere dicunt: ſed errare exiſtimat. Diverſas Angelis facies formaſque addit, alios hominum, equorum, boum, gallorum, volucrium, vel reliquorum animalium effigies habere, quorum nomine apud Deum intercedant: quales in cœleſti ſuo itinere Muhammedem offendiſſe ſupra audivimus. Videatur Roderici Ximenes Toletani *Hiſtor. Arabum*, *cap.* v. Cotovici *Itinerar. Hieroſ. cap.* III. Michel Baudier, *de la Religion des Turcs li.* I. *ch.* II. *pag.* 43. Diabolos docet Alkoran, à Deo creatos, ex igne peſtilentiali. Sur. xxv. xvii. lxi. quare quum Deus creato homine juberet Angelos coram Adamo aſſurgere, eumque venerari, reſtitit Beelzebub negans ſe facturum, quod ipſe igneæ naturæ & originis eſſet, homo vero infra ſe terreæ. Et quando

do hinc iratus Deus eum de cœlo dejeciſſet, minatus fuit, ei ſe tamen in terris perpetuo reluctaturum, ſuaſurumque hominibus, ne Deum colant aut vereantur. Quam fabulam in Alkorano ſępius repetit ejus Auctor. Sur. XVII. XXV. XXVII. & XLVIII. De homine dicunt, quod ſtatim ac creatus erat, & conſiſteret in pedes, ſternutarit, & Deo benedixerit, eique ſimul Angelos fuiſſet gratulatos. Dormiente homine, animam ei extrahi fingunt, ut moriente, illamque poſt ſomnum quibuſdam reddi, quibuſdam non. Surat. XLIX. Arborem ex quâ ederit primus homo, dixit Muhammed ſpicas habuiſſe ſeptem, quarum unam aufregit ille, quæ continuerit grana quinque, quorum duo ipſe comedit, duo alia uxor ejus, quintum ſecum aſſumſit, quod erat ad menſuram ovi, idque divìdit in ſexcentas partes, atque inde ſc. diverſitas colorum nata in ſeminibus. Quis autem recenſendis omnibus iſtis opinionibus, & fabulis par ſit, quibus plenum Alkoran, & referta Muſlimorum ſcripta? ſpecimen illorum hic exhibere ratio inſtituti poſtulabat, in quo conquieſcimus, examen illorum habentes ſupervacaneum.

Pergimus ad *religionem* Muhammedicam, ut hic ſpectemus illorum ſuperſtitionem & ritus, in Circumciſione, lotionibus, precationibus, juramentis, jejunio &c. quo corpus iſtius religionis habeamus maximâ ſui parte perſpectum. Primo *circumciſionem* tenent, ſed an ex ſolâ æmulatione legis Hebræorum, ut propterea eam Muhammed inſtituerit, vel obſervari præceperit; an ex antiqua conſuetudine, illis gentibus ante Muhammedis tempora etiam uſitatâ, ex inſtituto & ritu civili, regionis potius quam religionis, ambiguum eſt. Certe apud iſtas nationes, & Ægyptios, & Æthiopes, & Colchos ἀπ' ἀρχῆς inquit Herodotus in *Euterpe*, circumciſionis uſum fuiſſe, conſtat. (Diodorus Siculus *lib.* II. in initio, *&* *lib.* 4.) & apud Idumæos, atque Iſmaëlitas, ſive antiquos Saracenos. Ioſephus, anti-

quit, lib I. cap. XXI. de Iſaaco, ejuſque octavo die circumciſione, poſtquam dixiſſet, Iudæos etiam nunc in circumcidendis ſuis liberis eundem diem obſervare: *atque Arabes* (ait) *circumciduntur poſt annum ætatis tertium & decimum. Nam princeps eorum generis Iſmaël ea ætate circumciſus eſt.* Sic ante Muhammedem Arabes circumciſi, primaque ejus origo ad familiam Abrahami referenda. Vt quod Ægyptii hic egerunt, aliæque poſt eos gentes, ab Iſraëlitis acceperint, non contra, uti Celſus, apud Originem, calumniatur, *lib.* I. *contra Celſum.* & Herodotus, loco citato, dixit: Phœnices & qui in Palæſtinâ ſunt, illum morem ab Ægyptiis didiciſſe. Sed Ægyptii ab Hebræis; nec ante illud ſciverunt. Philo, de Circumciſione: *ridetur majorum noſtrorum circumciſio, quamvis in non mediocri honore habita, etiam apud gentes alias, præſertim Ægyptiam.* Epiphanius, adverſus Ebionitas, circumciſionem retinentes, & conjungentes cum Chriſtianiſmo: *quid verò jactat Ebion circumciſionem: quando etiam idololatræ & ſcelerati Ægyptii circumciſionem habent. Et Samaritæ, ac Iudæi, & Idumæi, & Homeritæ. Plerique vero ex his non propter legem hoc faciunt, ſed temerariâ quâdam conſuetudine.* Gentiles circumcidebant ex conſuetudine, & uſu atque obſervatione politicâ, quamvis prima apud eos circumciſionis origo ex lege, & praxi Hebræorum venerit. *Nec tantum in Hebræos, ſed etiam in Phœnices, & Arabes hæc traditio inolevit*, inquit Cyprianus, de Circumciſione. Clemens Romanus, qui dicitur, Recognit. lib. VIII. *Iudæorum quoque circumciſionem Arabicæ gentes, aliæque plurimæ ad miniſterium ſuæ impietatis imitati ſunt.* Aliam adhuc obſervatæ apud Muhammedanos circumciſionis cauſam adfert Septem- Caſtrenſis, lib. *de moribus*, & *Religione Turc. cap.* XXI. putatque propter crebras & religioſas lotiones, ut eæ totum corpus melius perluant, neque arceantur à pellibus præputii, circumciſionem ab illis adhiberi: *mihi videtur* (inquit) *quod potius*

u-

quantur circumciſione propter hoc, ut lotio, quâ ſe aquâ perfundunt), non ſit invalida, remanente aliquâ ſiccitate ſub iſtâ pelliculâ præputii, ſicut ſuperius in 10. *&* 13. *cap. dictum eſt. Propterea etiam diligenter incidunt ungues & radunt pilos.* Inque eandem ſententiam propendet Chriſtophorus Ricerius, Comment. *de moribus Turcarum*, in Deſcript. Arab. pag. 95. Tres ergò circumciſionis Muhammedicæ apud Doctos aſſignantur cauſæ, ritus antiquus apud iſtas gentes politicus; æmulatio Moſis & Hebræorum; commodum lotionis: quas vel conjungat aliquis, vel ſecernat, prout rectius viſum fuerit, quamvis poſtremum iſtud pro cauſâ impulſivâ antecedente ſumere, nimis mihi quidem dilutum videtur, pro acceſſoriâ facilius admittendum. In Colloquio Muhammedis cum Abdiâ, circumciſio ad Adamum uſque refertur, qui ab Angelo Gabriële nempe circumciſus fuerit, & detonſum ei capillitium. Circumcidunt Muhammedani, ut Arabes olim Iſmaëlitæ, non ſtatim à nativitate, octavo, vel alio die, ſed poſt annos aliquot, vel decimum tertium, ad exemplum Iſmaëlis; vel aliquando ſeptimo, octavo, & ſequentibus, ut profeſſionem Iſlamiſmi, erecto manus pollice, poſſint edere, *la illah, non eſt Deus niſi unus, & Muhammed ejus Propheta.* Neque tum demum illis imponuntur nomina, quando circumciduntur, ſed ea accipiunt à nativitate. Circumcidi dicuntur apud eos non mares tantum, ſed & quandoque fœminæ, at hæ non ex lege, aut neceſſitate adeo, ac honoris cauſâ. Sic ex Benſidi, Gabriël Sionita *cap.* xv. *Deſcript. Arab.* At Bartholomæus Georgievitz negat, lib. 11. de moribus Turc. *fœminæ non patiuntur circumciſionem, ſed tantummodo jam dicta verba confitentes, Muſulman efficiuntur.* Circumcidunt in ædibus, opiparo ad hanc ſolemnitatem inſtructo epulo, quod per triduum continuant, aſſato bove integro, cui includitur ovis, huic gallina, & in hac ovum, ad majorem diei & actionis iſtius ſignificandum ſplen-

dorem ac dignitatem. Sed nunquam majori hæc cum pompâ peraguntur, quam ad circumciſionem proſelyti, ſive ex Paganis, aut Chriſtianis, qui magnifice primum, comitatus aliquando Proceribus, aliiſque viris illuſtribus, per urbis vicos circumducitur, donariis ornatur, & tertio die circumciditur, fitque Muſluman, atque à tributo liber. Judæus quando Iſlamiſmum accipit, non circumciditur, ſed lavatur, & confeſſus nomen Chriſti, Dei nuncii ac Prophetæ, tum ſacrum carmen iſtud, *La illah* &c. inter Muhammedanos venit. Omitto, quod per vim aliquando etiam invitos circumcidunt, nempe ſi quis contumeliam (ſecundum ipſos) dixerit Muhammedi, eum non eſſe Prophetam, vel de Alkorano, non eſſe eum librum divinum, aut ſi Turcam conſpuerit, ut ſi cum Muhammedanâ rem habuerit, incendio (juxta ipſorum leges) peribit, vel cogetur circumcidi, & portare Tulipantum.

Accedo ad *lotiones*, quas Orientalibus ſemper valde familiares, Muhammedani crebro, & cum religione uſurpant, habentque triplices. Alia enim eſt domeſtica, vulgaris, privata, qua poſt exoneratam vel alvum, vel veſicam utuntur, diligenter caventes, nec ubi lotii vel excrementi aliquid adhæreat, unde inquinentur. Quare nec erecti ſtantes urinam reddunt viri, ſed incurvi cruribus innixi, ut fœminæ ſolent, ne forte conſpergantur: & in libro Zuna jubentur, poſtquam minxerint, ſiniſtræ manus digitis exprimere ſi quod circa præputium adhæſerit urinæ. Non chartâ luteove anum detergunt; quia illis nomen Dei inſcribitur, quod hoc pacto profanari putant, ſed aquâ, aut ſibi ipſi, aut mancipia hoc Dominis viris alia, alia & ſui ſexus fœminis præſtant officium, vel aqua ſi deſit, lapillo utuntur, aut panniculo, quo etiam caput virilis membri perſtringunt, ne qua urinæ guttula adhæreat, & contaminet veſtes. Addit Cotovicus in Itinerario, & Clenardus in epiſtolis, illos etiam quando vel

fla-

flatum ventris emittunt, luſtrationem adhibere. Conferatur Alkorani Surata XII. XIX. Deſcript. Arabiæ, *cap.* XV. Turciæ, *pag.* 82, Richerius, *de moribus Turc.* *pag.* 93. Altera lotio eſt, quam vel ingreſſuri templum, vel vacaturi precibus peragunt. Unde ante templorum fores ubique fontes habent pulcherrimos, quos confertâ multitudine adeunt ſub horam precationis, & ſe diligenter omnes lavant, antequam templa vel Meſkitas ingrediantur, quæ ab illotis, & calceis, ſi quis eos non exuat, contaminari credunt. Lavant denudatis ad cubitum brachiis; primo dextram manum brachiumque, inde partem ſiniſtram, deinceps os, naſum, aures, faciem, & ſic totum corpus, præcipue quinque ſenſus; ſi nudi ſint, pedes, ſin calceati, ſupremitatem calcei madefeciſſe ſufficit, quamvis hoc ipſum de πεδι-νίψία inter cauſas Schiſmatis Perſarum à Turcis quoque olim fuit, illis quidem calceos tingentibus, his verò id improbantibus. Interim dum ſe lavant, preces obmurmurant, & tandem linteolo, quod ideo ad zonam appenſum ubique geſtant, corpus abſtergunt. Quod ſi locus deſertus ſit, ubi aquæ copia haberi non poteſt, terra aut pulvere corpus conſpergunt. Euthymius Zigabenus, in Panopl. Κελεύει τοὺς εἰς εὐχὴν ἐρχομένους, καθαρίζειν ἑαυτοὺς ὕδατι μὲν, εἰ πάρεστι, εἰ δὲ ἄπεστι, χώματι. *Iubet præterea eos qui ſe ad preces conferunt, prius purgare: aquâ quidem, ſi adſit; ſin minus, humo ſòfſitio*: atque tantundem hoc valere, quod alibi lotionem aquæ, arbitrantur: nam etiam ad remiſſionem atque ablutionem peccatorum facere illa, ſed levium, exiſtimant: adverſus gravia delicta adhibent lotionem hanc, quam tertio loco ponimus, magis operoſam & religioſam, totius omnino corporis, & ſingulorum membrorum, in quem finem pilos ubique in corpore radunt, exceptâ in viris barbâ, in fœminis comâ, & ungues ſecant tum manuum, tum pedum. Balnea hunc in uſum ubivis habent magnâ copiâ, quæ dies & noctes

pa-

patent viris fœminiſque,non promiſcuè tamen, ſed fœminis intus ſe lavantibus; appenſo præ foribus linteo, ceu ſigno, monentur advenientes viri ne intrent eo tempore, ſed proximum exſpectent. Balneorum iſtorum formam uſumque latè deſcribit Iohannes Cotovicus Ultrajectinus, in *Itinerario cap.* IV.

Precationes ſuas fere geſtu & variâ corporis jactatione æſtimant Muhammedani. Nam inclinationes, & proſtrationes, quas *Erket* appellant, & de quibus Surat lx. geſticulatorias multas adhibent, quando orationes recitant. Quinquies de die ſolenniter precantur. In Commentario Rerum Turcicarum, pag. 51. dicitur ſexies: at Georgievitz, *lib.* II. & Gabriel Sionita, cap. xv. & Richerius, Cotovicus, alii dicunt quinquies, ad quas quaſi horas canonicas preces ſuas fundunt. Primo, poſt ortum Solis, non ante, ne eum videantur adorare. Vide illam precationem, Surat. XXVII. Inde ſub meridiem: tum poſt meridiem, ſub Solis occaſum: quarto, poſt Solis occaſum, ad primam lucem ſtellarum: poſtremò, ad mediam noctem, orationes dicunt varias, & plures pauciores ve, uti quoque proclinationes, & proſtrationes adhibent diſpari numero, nunquam plures quam ad medium diei, vel noctis: hac quindecim inclinationes, & orationes octo: etenim numero ut admetiuntur Deo preces, ita eo iſtas definiunt, præterquam quod & hanc rationem dant quare ultima precatio omnium ſit longiſſima, quia oportet (dicunt) accreſcere ſemper devotionem, & finem bonorum operum nunquam non eſſe optimum. Primo juſſerat illos Muhammed precari converſos ad templum Ieroſolymitanum; inde ut ſe ſuoſque à Iudæis magis diſtingueret & removeret, non verſus Ieruſalem amplius, ſed Meccam orare inſtituit. Surat. I. & XVII. quod factum ſecundo anno Hegiræ, quo tempore in Meccenſi templo antiquum adhuc colebatur idolum lapidis quadrati, Veneris effigiem habentis: de quo Ma-

ximus Tyrius, ſerm. XXXVIII. Clemens Alexandrinus, in Protreptico ad Gentes. Arnobius, contra Gentes lib. VI. *videtis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe, memoralia ut indicant ſcripta, informem Arabes lapidem.* Euthymius Zigabenus, in Panoplia: *dictus lapis caput eſt Veneris, quam Iſmaëlitæ olim adorabant. Si quis accuratius ſpectet, etiam capitis in eo delineamenta non obſcura erunt.* Et in Catecheſi Sarracenorum, vel τάξει, ordine qui obſervatur cum iis, qui à Sarracenis ad Chriſtianos accedunt, apud Sylburgium, in Sarracenicis, Ἀναθεματίζω καὶ αὐτὸν τὸν εἰς τὸ Μάκε οἶκον τῆς εὐχῆς ἐν ᾧ φασι κατὰ μέσον λίθον μέγαν, ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχοντα κεῖσθαι δὲ τοῦτον, ὡς ἐπάνωθεν αὐτοῦ τῇ Ἄγαρ ὁμιλήσαντος τοῦ Ἀβραὰμ ἢ ὡς αὐτοῦ τὴν κάμηλον προσδήσαντος, ὅτε τὸν Ἰσαὰκ ἔμελλε θύειν. *Anathematizo etiam ipſam illam precationis domum in Make: in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum, Veneris effigiem in ſe habentem: honorari autem iſtum lapidem, quaſi Abraham ſuper eo cum Agare coierit; aut camelum ei alligaverit, quum Iſaacum erat ſacrificaturus.* Peregrinantes Meccam, inter alia cultus ſui, lapides etiam projicere conſtat. Iohannes Andreas in *Confuſ. ſect. Mahom. cap.* I. hoc ab iis fieri dicit, quando ſuperarunt peregrinantes flumen aliquod Batin Muhacil, *in quod à colle vicino lapides quaſdam dextrorſum, Veterum Ethnicorum more projiciunt, in memoriam Abrahæ, cui ad immolationem filii proficiſcenti Diabolus ibi factus eſt obviam, & Iſmaëli rem de ſacrificio patefecit; ac refertur in libro Azear, Iſmaëlem ſuxis Dæmonem petiiſſe.* Statuunt quippe Muhammedani, non Iſaacum, ſed Iſmaëlem ab Abrahamo immolatum fuiſſe; quem cum mactare conaretur Parens, & gladius collum diſſecare nequiret, intra manus ejus arietem candidum, pinguemque apparuiſſe, quem Deo pro filio ſacrificarit. Clenardus in epiſt. ad Latomum, refert, hoſce peregrinantes ad radices montis Araphet ſingulos colligere ſexaginta tres lapillos, quibuſcum

recta

recta pergunt Minam, per quem locum dicitur Abraham profectus, occiſurus filium. Hic tres ſunt columnæ, certo diſtantes à ſe invicem intervallo, & grandi lapidum munitæ acervo: ad quarum unamquamque ſingulis diebus peregrini per triduum commorantes, ſeptem ex iſtis lapillis projiciunt: nempe inde, quod dum Diabolus filium Abrahami ad mactationem ſui illac proficiſcentem diſſuadere opus tentaret, filius illum lapidibus abegerit ſeptem; iterumque vexatus ab eo, alios ſeptem in eum conjecerit, atque ſic tertio. Hinc morem illum lapides projiciendi apud illos fluxiſſe, ſcribunt. Vide & Pocockium, in Notis ad ſpecim. hiſtor. Arab. pag. 314. etſ. Quod vero de ritu Ethnicorum dicitur, ita eſt, & exponit plenius Auctor iſte, cujus diſputationem cum Muhammedanis refert Vincentius Bellovacenſis, Specul. hiſtor. lib. IV, & ex eo Scaliger, *lib.* V. *de Emendat. tempor.* aliique; quod nimirum in honorem Mercurii Veteres Indiæ populi, ſoliti fuerint lapides in acervum projicere; atque eo adfert, quod quoque à pluribus, qua Iudæis, qua Chriſtianis, Prov. XXVI. 8. ex editione veteri legitur, *ſicut qui projicit lapidem in acervum Mercurii.* Sic enim Pagani ſolebant, quia Mercurius viarum dux & lingua quaſi credebatur, acervos lapidum in itineribus conſtituere ejus in honorem, in quem ſemper lapidem adjiciebat iter faciens, quo ita cumulus augebatur. Illi erant Ἑρμαῖοι λόφοι, Ἕρμακες. Hebræi proverbio dicunt, בורק אבן למרקלים *projiciens lapidem in Merkolis.* Vide Druſium, in Adagiis. Tiſbi in *Merkolis* quidem nomen idoli eſſe dicit, Mercuriique; verùm reſpondiſſe ei nonneminem haud illum fuiſſe Mercurii cultum עבודה, per λιθοβολίαν: ſed erravit quiſquis is fuerit: nam immo iſthoc pacto olim Mercurium à Gentilibus cultum, viri horum doctiſſimi copioſe oſtendunt. Seldenus, de DIs Syris Syntagm. II. cap. 15. *de Mercurii acervo.* & Ioh. Gerh. Voſſius, *de orig. Idolol. lib.* II. *cap.* XXXII. Apud Salo-

unionem, *ſicut qui mittit lapidem in acervum*; non bene verſum כצרור אבן במגמה; ſed, *ſicut qui ligat lapidem*, pretioſum, unionem *in fundâ*, *ita eſt*, *qui confert ſtulto honorem*. Chaldæus, היך נקצא רטסא בקלעא *ut fragmentum laminæ in fundâ*. Atque de lapide pretioſo explicant Rabbini. Rabbi Levi ben Gerſom המרגלית *margaritam*. Et Hiſpanica Cypriani de Valera: *como quem ligo la piedra en la honda*. Italica Deodati, *come chi poneſſe una pietra pretioſa legata, in un mucchio diſaſſi*. Rabbini, *inter acervum lapidum*. Ralbag, בגל אבני מרגמה שאינו ראוי כי שישים בו המרגלית *inter acervum lapidum, in quo non convenit ponere margaritam*. Ritus iſtius projectionis lapidum apud Paganos uſitati, quo & Vetus Vulgata verſio, aliique ex eâ reſpiciunt, mentionem quoque facit in notis marginalibus Deodatus. Ad Latinam: *ſicut qui mittit lapidam in acervum Mercurii*, in margine eſt: lapidem *pretioſum fundâ*. Auctor diſputationis iſtius apud Bellovacenſem porro indicat, ritum illum projiciendorum lapidum in honorem Mercurii, ab Indis ad Arabes defluxiſſe: ſed qui in honorem Veneris idem egerint: *hæc ergo conſuetudo*, inquit, *cum ab Indis ad Arabes deſcendiſſet, eamque ſuo tempore apud Mecham in honore Veneris Machumet celebrari reperiſſet, ſic illam manere præcepit, cum tamen cætera idololatriæ præſtigia removiſſet*. Vnde verò ſit, quod in oriente alii Mercurium, Venerem alii hoc honore afficiendam putarint, vide inquirentem Cl. Voſſium. Muhammedani verò dicunt, lapidem illum in templo Meccano, eſſe lapidem Paradyſi, qui quando cœlo demittebatur, totam colluſtrarit urbem, ſed nunc ob hominum peccata fulgorem ſuum amiſerit, ut hoc commento ludant hominum ſuperſtitionem, effusâ devotione lapidem illum Veneri olim ſacrum, exoſculantium & venerantium. In Catecheſi Sarracenorum quoque: *Anathematizo etjam ipſum Meke, & totum ejus ambitum, & qui à Saracenis ibi contra Chriſtianos lactantur ſeptem lapides*. Venerantur

nerem ab Arabibus olim ſolemniter cultam, certum. In eadem Catecheſi, inter anathematiſmos: *Anathematizo eos qui matutinum ſidus, ſive Luciferum & Venerem adorant: quam Arabum lingua Chabar, id eſt Magnam, nominant.* Glycas, Annal. part. IV. *Iſmaëlitæ ad Heraclium uſque ſimulacra colebant. Aſtarten, quæ Luna eſt, adorantes: quam & chabaram nominabant, hoc eſt, magnam.* Inde inſignia lunularum apud Muhammedanos non nunc ſolum, vel à tempore Muhammedis, ſed à priſcis inde temporibus, & inter ornamenta Iſmaëlitarum, vel Midianitarum habita, ex Sacris etjam diſcimus. Iudic. VIII. 21.26. Adeo non à fuga Muhammedis demum origo hujus rei petenda, quia inciderit biduo poſt Lunæ coitum, in initio menſis Muharam, anni Arabici lunaris, corniculante jam Lunâ, uti Scaliger cenſuit, *lib.* II. & V. *de Emendat. temporum:* ſed multo ante Muhammedem tempore iſtum Lunularum apud eos uſum fuiſſe, melius ab aliis jam obſervatum, Seldeno, *de DIs Syris, Syntagm.* II. *cap.* IV. Voſſio, *lib.* II, *de Idolol. cap.* XXXI. Atque ab iſta conſuetudine etiam hodie eſt uſus lunularum in ſummitate turrium apud Muhammedanos. Eodemque modo diei Veneris ſolemnitatem retinent, qui eis eſt, quod apud Iudæos Sabbathi dies, nobis Dominicus. Diem illum ideo appellitant diem templi, ut & reliquos dies non ex nominibus planetarum (qui loquendi mos nimis quam uſitatus eſt) ſed alterum diem poſt feſtum, tertium mercatus diem, reliquos ferias nominant. Veneris verò diem præ omnibus eminere dicunt, quemadmodum inter urbes Mecca, & inter menſes Ramadan. Eo ajunt, Solem ortum, creatum Adamum, in Paradyſo collocatum, atque inde ejectum, eodem futurum diem judicii, atque etiam eodem natum Muhammedem.

Orationes tenentur Muhammedani peragere in templo, in Meſkitis ſuis, (templis rotundis, & ædificii quidem

dem ſumtuoſi, at ornatus intus nulli: nullæ ibi imagines, ſola Scriptura hinc inde *La illah &c.*) niſi quâ ſonticâ cauſa, aut negotio prohibeantur, tum quovis loco eas abſolvunt. Ad templa convocant eos non campanæ, quarum uſum hactenus reprobarunt, ſive ex ſtrage, ejuſque memoriâ apud eos infauſtâ, quam in initiis regni ſui aliquando paſſi à Chriſtianis fuerint, ad ſonum campanæ in illos irruentibus; ſive quâ aliâ ex causâ, ſed diſtinguentibus horas clepſammidiis, illaſque indicantibus alto clamore & cantiunculâ de turrium faſtigiis, (Cl. Golii Lexicon, pag. 59.60.) religioſis, quos eum in finem habent, & Hoggios appellant: per quos ubi tempus precum eſt, horribili adeo clamore, ut aures ipſi ſuas digitis obturare cogantur, ad ſacra ſua & preces populus confluit. In templo, ubi non promiſcuo ordine viri ſedent cum mulieribus, ſed diſcreto utrique loco, omnes Hoggium ſuum reſpiciunt & contuentur, ut ad ejus nutum ſe moveant, & vel genua flectant, vel ſe proſternant, capite in terram inclinato, eam quaſi oſculaturi, gemitibus, cantiunculis, & proſtrationibus rem divinam ſc. peragentes. Nullæ ibi audiuntur confabulationes, ſtrepitus, ne quidem ſputans aliquis, vel tuſſiens, (vel ſiquem natura ad hæc urgeat, tam tacite hæc peragit, ut nemo facile animadvertat) ſed inter precandum vel cantandum corpus ita jactant, ut vertiginem ſæpe patiantur & animi deliquium: tum continuâ repetitione ſui *La Illah* &c. exanimantur quandoque, & ſpumantes, ultimamque vix ſyllabam proferentes, in terram concidunt; quod ſupremum devotionis interpretantur apicem. Communiſſima illis precationis, quâ utuntur, formula, Elfata appellant, eſt hæc: *In nomine miſericordis Dei. Sit laus Deo in æternum, Regi ſeculorum ſupremo, propitiatori, & pio Regi judicii. Serviamus igitur illi, quia adjuvabimur. Dirige nos in viam O Deus, & in ſemitam eorum in quibus tibi complacuiſti, & quibus non*

K ira-

iraſceris, & nequicquam errabimus. Apud Cotovicum, *cap.* V.

In *Iuramentis*, ſi uſpiam, profani ſunt præeunte ipſos Muhammede in Alkorano, quin & ipſius ibidem Deo, qui paſſim jurat per creaturas non ſolum, ſed & per figmenta, futilia, & vana quæque. Surata lx i. & ſequent: jurat Deus per ventos, per nubes aquoſas; naves, Angelos, per montem Sina, librum Alkorani, per domum excelſiſſimam, per auroram, per noctes decem, per fœminas extrahentes & excavantes profundum, calamum, ficum, olivam, & plura ejuſmodi, Surat. lxvi. lxxviii. xcv. xcvi. &c. alibi per Dæmonem, Surat. lxxxvi i. Per alia jurare, quam per Deum religio eſt: & Deus, quia neminem ſe ſuperiorem habet, non niſi per ſeipſum jurare legitur. Heb. vi. 13. Nullus autem per ea quæ infra ipſum ſunt jurabit, vel per inanimata, & irrationalia, nedum per ea quæ ſunt mala.

In *Iejuniis*, (in quibus, ut rebus externis, & quæ devotionem apud homines præ ſe ferunt, multum vulgo religionis ponere ſolent, qui verâ carent, *ἅτινα ἐςὶ λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος*) religio Muſlimica valde multa eſt. Integrum, & ſolemnem menſem habent decimum, quo toto interdiu jejunant; noctu paſſim helluantur. Appellant jejunium iſtud Ramadam, à nomine menſis, qui idcirco etiam menſis patientiæ, ſeu abſtinentiæ ipſis appellatur: quo ſe à cibo, potu, & venere cohibere jubentur, quum apud antiquiores Arabes crapulæ & ebrietati dicatus fuerit. Præter illud jejunium, habent & alia; ſed illud eſt præcipuum, & ſtrictiſſime obſervant, adeo quidem ut Iohannes de Laet, in *Deſcript. Perſiæ* referat, à Belgâ oculato teſte ſe accepiſſe, quod viderit aliquando duos Muſlimos, quod quo tempore jejunandum fuerat, ſe inebriaſſent, liquefacto in os plumbo fuiſſe enecatos. Quare ſub Inſpectoribus

ribus & Cenſoribus publicis jejunia celebrantur, ut ſi quis peccet honeſtioris notæ, mulctâ pecuniariâ, alii corpore luant. De nocte, neque prius jejunium ſolvunt, (quod etiam Iudæi obſervant) quam ſtellam in cœlo viderint, vulgare ſatis ingurgitare ſe, eamque omni luxuria, comeſſationibus, tripudiis tranſigere, vel in ædibus propriis, vel tabernis, quas accenſa lumina præmonſtrant. Surata *de vacca: licet vobis nocte jejunii accedere ad uxores veſtras: ipſæ ſunt indumentum vobis, & vos indumentum ipſis; voluit Deus quod vos fraudetis voſmet ipſos, & clementer agit vobiſcum, & parcit vobis. Igitur commiſcemini cum eis, & inquirite quod præſcripſit vobis Deus, & comedite & bibite uſquedum diſtinguere poſſitis filum album à filo nigro ex illuceſcente aurora. Deinceps complete jejunium uſque ad noctem: & ne commiſceamini cum eis; ſed perſiſtite in templis. Hæc ſunt præſcripta Dei: non igitur tangatis eas.* Quin nec vino, alias ſibi interdicto, tum parci, Auctor Deſcriptionis *Turciæ pag.* 53. teſtatur: aliter tamen Gabriel Sionita *Arab. pag.* 71. *ſeu cap.* xv. (qui & in Deſcriptione Arabiæ extat; & poſt Geographum Nubienſem). Forte, utcunque contra legem ipſorum ſit, guſtare vinum, tamen quando iſtâ nocte ſe dant omni luxui, contra præceptum, & non ita palam, vino etiam indulgent: quod alias quoque illos avidè imbibere, quando furtim & clam poſſunt, novimus. Quo pacto ſententiæ illæ conciliari poſſunt. Quale jam poſt illa ſequatur jejunium diurnum, quivis colligat. Pontificii Scriptores quando de eo loquuntur, conferunt cum ſuâ Quadrageſimâ, nempe vivendi more, quum alias illud trigeſima tantum ſit; unius ſcilicet menſis, & pro ratione anni lunaris non eodem quotannis recurrente tempore. Dum jejunant, preces recitant multas, & ſolito prolixiores: eleemoſynas præbent copioſas, quas apud Turcas nemo palam poſcit, ſed egenis extra templum in area ſedentibus ultra erogantur: namque, ut

ſcribit Cotovicus, orationem & eleemoſynas exiſtimant eſſe jejunii quaſdam quaſi alas.

Abſoluto ſolemni jejunio Ramadam, feſtum quaſi Paſchale celebrant, per triduum; quod appellant feſtum magnum, *Vlubſiram*, in memoriam miſſi ſcilicet de cœlo Alkorani, quando magnâ copiâ mactant verveces, atque egregie iterum epulantur, dicunt, in memoriam arietis, qui Abrahamo filium mactaturo ἀπὸ μηχανῆς oblatus; illoſque verveces Paradyſum etjam ingreſſuros, & pro dominis ſuis in die judicii interceſſuros, fabulantur. Inde ſexageſimo ab hoc feſto die, agunt feſtum minus, quod *Religioſorum* appellant, peregrinantium ad ſepulchrum Meccanum.

Muhammed enim, quo cultum ſui augeret apud homines, mandavit *peregrinationes* ad ſepulchrum ſuum ſuſcipi. In quo primùm vanus fuit, quod non alter illas in honorem ejus inſtituit, ſed ipſe. Saltem ut ſemel quivis in vitâ peregrinationem ejuſmodi obeat, & laute celebret, edixit. Surat. II. *pecunias veſtras propter Deum in peregrinationibus expendite, non deſperantes: nec revertamini, niſi primum peractis omnibus, pro facultate veſtra, peregrinationi convenientibus, niſi metus à loco prohibeat.* Surat. LVII. Et quo magis hominibus Meccanam illam peregrinationem ſuaderent, commenti ſunt, templum Meccanum ab Angelis ædificatum; primùm eò peregrinationem inſtituiſſe Adamum ipſum; Noachum cum arcâ ſepties Meccam circumnavigaſſe, quę ne tandem ab aquis abſorberetur, in ſextum cœlum fuerit ſubvecta. Denique ad typum ejus Abrahamo oſtenſum, àtque ab eo primùm fundatum templum, Meccam extructam. Surat. II. *verſus Meccam, templique medium, quod Abraham primò fundavit.* Fanum iſtud Meccanum hodie eſt ſumtuoſiſſimum, in quod opes Orientis confertim adducuntur, & immenſis donariis, auro, argento, ſerico, & quantivis prætii rebus certatim locupletatur. In templo Meccano eſt lapis

ni-

niger, Veneri olim ſacer, de quo ſupra diximus, quem peregrinantes effuſiſſime venerantur. Etiam puteus ibidem, ex quo aquam accipiunt, & ſecum auferunt quam ſacro ſanctam opinantur, & ſub pedibus Iſmaëlis enatam ajunt, quando ſiti preſſus ad matrem clamaret, quæ viſum fontem appellarit *Zam Zam*, quomodo & hodie eum adhuc nominant; quod eſt, *ſiſte gradum*.

Jam quod ad res *matrimonii*, apud Muhammedanos, duo imprimis reprehendimus iſta, *polygamiam*, & *repudiandi* temeritatem. Indulget ſuis tot uxores Muhammed, quot alere, & in ordinem redigere poſſunt. Surat. VIII. *Quotcunque placuerit, duas ſcilicet, aut tres vel quatuor uxores ducite, niſi timueritis eas pacificare poſſe. Tunc enim vel unam, vel prout manus caſtigare poterit, ducatis.* Nempe verberibus compeſcendas docet. Surat. IX. *Quin viros mulieribus præeſſe Deo viſum, ipſi corrigant illas, pro quibus pecuniam ſuam expenderunt, ipſæque Deum invocent, & maritis pareant, eorumque ſecreta ſibi commiſſa ut celent, jus æquum poſtulat. Quæ ſi forte præcepta non obſervaverint, à vobis correctæ & caſtigatæ, in domibus lectiſve detentæ verberentur, uſque quo veſtris nutibus & præceptis pareant.* Hæc conſtituit, non adeo quod ſibi proba viderentur, quam quod, quum ipſe ſic cum mulieribus ſuis vixerit, legibus ad eam rem editis tum ſua palliare facinora, tum factorum ſuorum probatos quaſi imitatores habere, hoc pacto allaborarit. Quippe ipſe ſolus undecim fovit uxores, & quod ſingulis debitum una nocte redderet facillime, etiam gloriabatur impuriſſimus nebulo. Sultan Amyrath, præter pellices, quarum magnus erat numerus, uxores aluit ſeptuaginta duas: plurimas quippe habent ſemper Sultani. Licentiam quoq; verberandarum uxorum, ex proprio ſuo dedit impoſtor exemplo: nam quum aliquando durius excepiſſet mulierum ſuarum aliquam, & cæteræ indignarentur, ipſe tum legis patrocinio uſus fuit, tum

 tali

tali diſtinctione, quod illam verberaſſet, non quatenus uxor ejus, ſed quod execranda eſſet vetula. Ac porro ne cui aut mulierum forte aliqua, aut ille tantus numerus obeſſet, tum ſi neque verberibus in ordinem cogi poſſent, repudia conſtituit: iterum ex ſuo primum facto, ut raptâ & ſtupratâ à ſe ſervi Zaidis uxore, divortium quod hic fecerat, lege aliâ communiret. Surata LXXVI. *Cur tu Propheta illicitum ſtatuis tuarum mulierum amorem? Deus pius & veniæ largitor, omnium Dominus, ſapiens, & incomprehenſibilis, tibi juramenta delere conceſſit.* Sur. III. *Mulieres à maritis relictæ, nemini niſi prius peractis quatuor menſibus nubant, quas maritis volentibus renubere bonum eſt. Sin autem; Deus audit & videt. Non nubant etiam aliquæ relictæ, niſi prius emundatæ tribus menſtruis. Ne negent maritis coitum (timete Deum), ubi illis placuerit, eſt enim caput mulieris. Secundâ vice repudiata poteſt nubere, ut alia; verùm tertiâ vice repudiata non poteſt nubere niſi ei marito, qui eam prius rejecit. Tunc autem ipſæ volentes, prioribus maritis antè benè reconcilientur, aut verò non coactæ honeſtè dimittantur. Aliquid primò datum illis auferre, nefas & inhoneſtum eſt. Mulier ad fugam ſe præparans invito marito, recuperetur ab eo, ſed non ex irâ vel odio, ne iram divinam incurrant.* Surat. LXXV. *Cum tu Propheta mulieribus repudium feceris, ante terminum completum & notum, Deum timens, nec à domibus ſuis illas ejicias, nec ipſæ niſi propter res manifeſtè malas exeant.* Sur. VIII. *Quando illæ non amplius tibi placent, commutare eas licet.*

In cibo & potu, religione abſtinent Muhammedani à carne *porcinâ*, *ſanguine*, *ſuffocato*, demum & *vino*. Surata, *de menſâ*, in initio: *prohibita ſunt vobis morticinium, & ſanguis, & caro porcina, & quod idolo ſacrificatum eſt, & ſuffocatum & combuſtum, & projectitium, & cornu percuſſum, & à beſtiis occiſum.* Item Surat. XVI. cap. *de animalibus. Dic, non invenio in eo, quod mihi revelatum, eſſe prohibitum ut comedatur; niſi mor-*

Sticinium, aut ſanguis effuſus, aut caro porci, aut immolatum Idolis. In caſu neceſſitatis connivent, ſi quis iſta comederit, protinuſque egerit pœnitentiam. Surat. XXVI. *Deus quidem nihil fecit illicitum ad victum noſtrum, niſi morticinium, & ſanguinem, carnemque porcinam, & animal non Dei nomine decollatum. Inde tamen neceſſitate cogente ſumenti, Deus veniam dabit: & ſimiliter id facienti neſcienter, & poſtea pœnitenti, ac bona facienti opera:* In colloquio cum Abdiâ Iudæo interrogatus Muhammed, quem cibum comederent cœlites in Paradyſo, nam in Muhammedico editur ac bibitur pancraticè: reſpondit, quoslibet illis comedi cibos, quibus delectentur; exceptis iſtis interdictis, & præcipuè porcinâ. Porcinam verò quam ob cauſam tam ſeverè deteſtetur, ſuiſque prohibeat, itidem rogatus à Iudæo, putidiſſimum dedit reſponſum: nempe Ieſum aliquando rogatum à diſcipulis, ut iis exponeret rationem arcæ Noachi, & quomodo in eâ vixerint homines cum animalibus; (de quá eadem quæſtione ſollicitus Ieſuita Cottonus, illam in exorciſmo inter alia à Dæmone explicandam propoſuerat, *quomodo potuerint animalia in arca Noe?* ſed hoc obiter) accepto humi luto, eum in formam aliquam factum projeciſſe in terram; juſſumque ut in nomine Patris reſurgeret; unde ſtatim ſurrexerit homo canus, Iaphetus, ſcilicet Noæ filius: qui unde ita canus, & num tali canitie obiiſſet, interrogatus, affirmavit ſe nequaquam tali vultu mortuum, ſed præ metu judicii, ad quod ſe jam vocari & ſurgere putabat, adeò incanuiſſe: qui ergo juſſus hiſtoriam arcæ pandere, ſic retulit inter alia. Arcam aliquando pondere & copiâ fimenti ab aliquo tabulati latere cœpiſſe inclinare, quâ re perculſus pater Noach, Deo conſulto, elephantem eo loci adhibuit, qui locum tergo ſuſtineret, & hic quum fimum ſuum humano injiceret, ex eo ita commixto natam ſuem grandem. Annon ergo cauſæ ſatis, prohibendi hocce

animal ut immundum, Abdia? inquit Muhammed: cui ille, certè ſatis. Bergit, & ſuem jam iterum ſtercora commoviſſe, perque univerſam arcam iſta fœtide projeciſſe, refert; unde natus mus ſit. Hic vero quia arcam continuò roderet, periculumque hinc non exiguum omnibus crearetur, conſulto à Noacho iterum Deo, Noach Leoni frontem concutit, qui concitatus, naribus ſuis felem evomit &c. futiliora enim ſunt, quam ut hæc diutius proſequamur. Atque ita ſcilicet in arcâ ſe continuiſſe homines, animaliaque narrat, iſthoc dialogo Muhammed: & cauſam prohibitæ inter alia porcinæ, neque abſimilem de prohibito vino, addit. Nempe, fuiſſe aliquando binos Angelos, Arot & Marot à Deo hunc in mundum miſſos, ut docerent homines potiſſimum tria, ne quem occiderent, ne injuſtè judicarent, ne etiam vinum biberent. Quos, ubi diu ſe probè habuiſſent, judicumque munere ritè functos, mulier aliqua formoſiſſima, litem apud illos quandam conteſtata, quo faventiores experiretur, ad prandium invitat, ibique lautè exceptis hoſpitibus, etiam vino tandem inebriat, qui inde exardeſcentes in mulieris formam, congreſſum optant, quem hæc concedit quidem, ſed ſtipulatur, ut prius exponerent ſibi, alter quo pacto, quibuſque verbis ſemper de cælo deſcenderet, quibus vero alter adſcenderet: quod edocta, atque experiens, confeſtim ipſa evolavit in cœlum. Hoc ubi conſpexit Deus, rei inſolitæ cauſam indagatus, illam quidem fœminam ſtatim commutavit in Luciferum, ut quæ inter mulieres in mundo, eadem inter ſtellas eſſet formoſiſſima; ſed Angelis iſtis duobus optionem dedit pœnæ, quam eligerent, jam, vel in altero ſæculo; quumque nunc puniri prætuliſſent, penduli per catenas ferreas demiſſis capitibus in puteo Bebil tenentur uſque in diem judicii: Et hæc, inquit Muhammed, cauſa quid ni ſufficiens ſatis prohibendi vinum? Quis autem magis anilia, vel puerilia confingat,

gat, aut proponat? Surata. XIII. *Viri boni, vinum, & aleas, & ſcachos, cum non ſint res licitæ, ſed Diaboli machina, per quæ inter homines inimicitiam & abhorritionem* (verſio Retinenſis) *injicere, & eos ab orationibus & invocatione Dei retrahere maximè nititur, prætermittite. Dimittetis igitur, annon? ſed Dei mandatum ſequentes, Legatoque ſuo parentes, vobis cavete.* Ludum latrunculorum putat, etiam apud nos vulgò in uſu. *Schach*, Arabicè Regem ſignificat, atque tale genus ludi eſt, ut in capite Regis tota ejus ratio ſita ſit, proindeque ejus nomen Arabicum apud nos retentum, monet originis ſuæ, Auctorumque, à quibus illud ſumtum. Ludum hunc, cum aleis, vinoque, prohibet Muhammed, ut multarum rixarum, malorumque cauſas. Surata III. *Sciſcitantibus de vino, ſchachis, talis, aleis & hujuſmodi, dic, peccatum maximum eſſe hujuſmodi potum & ludum: licet autem dulceſcant hominibus, & utilitatem adferant hæ peccatorum materies, peccata tamen nociva ſunt.* E contrario alibi concedit fructum uvarum, cap. *de ape*, ubi de potu vario, *& ex fructibus palmarum, & uvarum inebriamini, & ſaturamini, ſeu potum ſeu cibum ſumatis.* Atqui vinum pollicetur longè optimum in ſuo Paradyſo. Surat. lv. & alibi ſæpius. Neque vino adeò, quam quidem nullâ abſtinent: in vinum, vel quando ſe liberius ingurgitant, vel eum pro prædâ accipiunt, ſumtibusve aliorum, ardentiores. Uſitatiſſimus apud illos ac ſapidiſſimus cibus oryza eſt, quâ terra illorum abundat, iterumque de eâ fabulantur, quo ſcilicet ejus ſaporis originem quoque religioſam faciant, eam natam ex ſudore Muhammedis, quem antequam orbi manifeſtaretur, thronum Dei in Paradyſo circumiens, propiusque accedens, & à Deo retroſpiciente conſpectus, præ timore effuderit: fundebat autem (ut hæc rectè ſcias) ſex guttas, ex quarum unâ roſa, ex alterâ oryza, ex reliquis quatuor, totidem Muhammedis ſocii primique Chalifæ ſucceſſores nati fuerint.

Habet Muſlimoirum diſciplina *Religioſos*, & Monachos, qui quoque nobis obiter conſiderandi. Præeſt Sacris omnibus, tam rebus, quam perſonis, Mufti, quem appellant, eſtque inſtar Sacerdotis maximi. His ipſi Sultano venerationi eſt, & in ſummis imperii conſiliis adhibetur, abſque cujus conſilio nihil vetum; præſertim in rebus Eccleſiaſticis, & religionem quæ concernunt, ejus ſummum eſt ſuffragium. Ad quatuor Veziros, qui intimi & ſupremi Imperatoris ſunt conſiliarii, ille accedit quintus, & quid ex doctrinâ Muhammedicâ tenendum aut ſequendum ſit, abſque controverſia, ediſſerit. Sub illo proximi ſunt, quos appellant *Cadileſchenos*, auxilium & conſilium ſuo Mufti ferentes, ad inſtar vel Cardinalium, vel Patriarcharum, quibus ſingulæ attributæ provinciæ, quarum negotiis Eccleſiaſticis occupantur. Vni Romania, vel Europa; Natolia, aut Aſia minor alteri; denique (nam tres numero ſunt) alius ea, quæ in regno Sultanico, Eccleſiaſtica curat & proſpicit. Atque ii ſub ſe habent Cadios, Seriphos, Santones, Hoggios, Taliſmannos, Dervisios, qui Clerus inferior concionibus, precationibus, & templis intendit, levioraque curat judicia, & lites.

Sed præter illos varii ſunt, qui vota faciunt quaſi Monachi. Alii nudi incedunt, obvelatis duntaxat pudendis; alii cibi abſtinentiam vovent, egeſtatem, perpetuum ſilentium, vitam eremiticam, & ſolitariam alii. Sunt qui ex peculiari religionis vel ſuperſtitionis voto mendicitatem profitentur, qui hoſpites ac peregrinos ſuis domibus excipiunt, qui aquam recentem gelidamque in urbem gratis importando & diſtribuendo ſe ἀσκοῦσι. Præcipui ſunt tres ordines, qui nihil proprii poſſident, & nudi incedunt, quique aliquando devoratâ herbâ *mustach* in rabiem aguntur, & ſibi per totum pectus, item per brachium &c. vulnera infligunt. Deinde alii incedunt verpâ virilis membri pertuſâ, cui annulum æneum ſeptium librarum ponderis appendunt,

dunt, quo à coitu ſecludantur. Tertii rariſſimè egrediuntur, ſed μονάζοντες in templis, & in eorum angulis, tuguriola ſua inhabitant, jejunio atque orationibus continuò vacant, unde divinas (imò diabolicas) revelationes illos accipere creditum: tantæque vulgo ſunt æſtimationis, ut illos Turcarum Rex moturus bellum primò conſulere ſoleat. Sunt quoque apud illos, quos appellant *Neſeſogli*, tantæ ſcilicet ſanctitatis viri Monachi, ut credant eos ſine virili ſemine natos de quibus vide potiſſimùm Auctorem anonymum Septem-Caſtrenſem, *de morib. & relig. Turc. cap.* XIV. & XV. qui judicat illud fieri per diabolicum congreſſum, incubum quem vocant; *poteſt tamen eſſe*, inquit, *quod ipſæ matres talium, ſint uxores religioſorum, & propter prodigium continentiæ eorum, naſcantur eis filii modo non naturali: ſed modo alio diabolicæ diſpenſationis, hominibus occulto.* Temerè. *Vnde*, addit, *propter hoc ipſis Turcis non videtur inſolitum, quando Chriſtiani dicunt, imò ipſimet dicunt, & confitentur, Chriſtum ex Mariâ conceptum & natum ſine humano ſemine.* De Religioſis iſtis Muſlimis vide paſſim Scriptores rerum Arabicarum, & Turcicarum; atque *lib.* I. II. *hiſtoria Turcica* Michaëlem Baudier, Gallicè. & Hoſpinianum, *lib.* I. *de Monachis*, *cap. ult.*

Vltimo loco cum Muhammedanis agendum de rerum noviſſimis, *judicio*, *paradyſo*, *inferno*. Super quibus tandem etiam illorum ſententias audiamus. Primo autem locum aliquem inter medium ſomniant inter Paradyſum & infernum; Surat. XLVII. *Inter hos quidem & illos*, ſc. Paradyſi infernique incolas, *in quodam quaſi limite ſublimi ſtabunt quidam; diſcretè ſcientes horum & illorum facies; qui nequaquam paradyſum ingredientes, ſed illud ſperando exſpectantes in Paradyſo viſis inquient, ſalvet vos Deus &c.* Vide Alkoranum Gallicè verſum du Ryer, *pag.* 165. In Colloquio Muhammedis cum Abdiâ Iudæo, introducuntur homines in judicii die cum eorum primo parente Adamo graviter expoſtu-

lan-

lantes, quod eos in miſerum iſtum ſtatum præcipitarit, ideoque ipſum implorant, ut apud Deum intercedat, quo ſaltem ipſis concedatur locus ille inter Paradyſum, atque infernum intermedius. Etiamque preces pro defunctis faciunt Muhammedani: & pro Adamo quidem dicunt filium ejus Seth, una ſcilicet cum Angelo Gabriële, dixiſſe preces nonaginta quinque; quum pro demortuo ſoleant modò fundi quinque: at Adamus peculiare quid habuit, puta quinque preces pro eo dictæ ſunt, ut homine, inſuper nonaginta, quia reliquorum hominum erat pater. Quodque ridiculum, eo nugaciſſimæ ſuperſtitionis veniunt, ut felibus canibuſque ſtipem elargiantur, aſſatas & quaſque delicatiſſimas carnes iis præbeant, & aves captas è cavea in libertatem emittant, hâc opinione, ut defunctorum animabus hoc pacto ſcilicet ſuffragentur & ſuccurrant. Eaque eſt ratio, quod tam anxiè ſolliciti ſint Muhammedani morituri, ne diſcedant hinc niſi ſolutis omnibus debitis, quod quando vel non poſſunt, vel nolunt, ſtudent tamen quâ arte vel vi ſyngrapham ſolutionis à Creditoribus nanciſci, putantes hoc animam expiari, & culpam quaſi obduci, ſecus graviter pòſt luendam.

Iudicii noviſſimo die habituri ordinem modumque ſic deſcribit Muhammed, ut ante omnia id certiſſimum, & pro articulo fidei præcipuo tenendum inculcet, futurum judicium. Quod eum in finem videtur homo vafer egiſſe, tum ut terrorem hominibus ſuis, rudibus & Paganis adderet, eoque illos facilius ſub imperio contineret ſuo; tum ut ſic etiam affinitatem majorem quaſi cum Iudæis & Chriſtianis oſtentaret. Omnino judicii iſtum diem credi ob omnibus ſuis voluit. Sed & privatum particulare ſingulorum hominum, ubi mortui ſunt, præcedere; quod pueriliter valde & ludicrè exponunt. Nempe, defunctum (dicunt) in ſepulchro coram duobus Angelis nigris *Mungir*, &

Quare-

Quarequir, altero clavam ferream, altero uncum tenente, ſiſti, animâ corpore ut veſte iterum indutâ; ubi interrogatus de vitâ, ſuiſque in eâ actionibus, & num Muhammedis legem bene ſervarit, ſi quidem probe reſponderit, comites accipit duos Angelos albos, loco illorum nigrorum, quorum qui ſucceſſerunt Angelorum bonorum alter ei aſſidet à capite, à pedibus alter, aſſiſtuntque ſic eidem uſque ad diem judicii. Si vero improbus in vitâ, atque de eo convictus coram duobus illis Angelis fuerit, percutitur ei clavâ caput, ita ut ſeptem cubitis ſubter terram unico ictu ſtatim detrudatur; ab altero Angelorum, ubi ita jam priori vapulavit, ultrà uncino ferreo ſemper magis magiſque attrahitur ad inferna, uſque ad diem judicii. Sepulchra ſua ferè concava faciunt Muhammedani, quo commodius genua flectere coram Angelis, aliaque officia præſtare queant: eſtque apud illos uſitata precatio, quâ orant: *Deus noſter, libera nos ab Angelo interrogante, à tormento ſepulchri, & à viâ malâ.* Quemadmodum reſurrectionem quidem credunt ad judicium antecedaneam, ita non hominum ſolùm eam, ſed & brutorum animalium ſtatuunt futuram: nempe & illa in judicium, quin quoque in Paradyſum ſuum venient: & ovis iſthoc die à percuſſione & infeſtatione arietis vindicabitur ſeu juſtificabitur, ſecundum Muhammedem. In Alkorano, cap. *de animalibus* dicitur: *& non eſt brutum ſeu jumentum in terrâ, neque avis volans alis ſuis, niſi gentes ſimiles vobis hominibus. Non appoſuimus in libro aliquid ſuperfluum, vel injuſtum. Deinde ad Dominum ſuum ſuſcitabuntur.* Egregiè ſic jam bruta nobis ſimilia, & æquiparantur, unius nempe generis gentiſque, & reſuſcitationis ſimul omnes participes. Reſurrectionem quidem hoc pacto futuram fabulantur. Primùm ſcilicet Angelus mortis, quem Adriel vocant, Dei juſſu, interimet omnes creaturas viventes, nullâ exceptâ, & Angelos, Diabolos, homines, beſtias, aves, piſces,

omnia

omnia quæ vitam habent: quo facto & ipſe ad Deum vocatus, jubebitur pro eo quod omnia occiderit, & ſe quoque inter Paradyſum atque infernum ſuſpendere. qui dicto loco ſe in alis ſuis obvolvens tanto cum clamore, fremituque ſuffocabit ſeſe, ut hoc ſolo fragore, niſi jam occubuiſſent viventia omnia, eſſent interitura. Surat. lxxix. dicitur, *primo buccinæ ſonitu tellus & montes proſternentur, & in pulverem redigentur, horâ veniente cœlum fundetur, & debilitabitur, & angeli octo Dei thronum ſuſtentabunt.* Hinc mundus quadraginta annis ita conſiſtet vacuus. Poſtea reſuſcitabitur in vitam Angelus Seraphiel, cui tradetur tuba ſonanda, cujus longitudo ſit itinere dierum quingentorum; locus autem, ex quo ſonum daturus eſt, erit Jeruſalem. Inde animæ omnium piorum & improborum æque, huc illuc volabunt, atque corpus ſuum inveſtigabunt ſingulæ; ſonituque illo omnia omnium oſſa concurrent. Poſt quadraginta elapſos annos, Angelus iterum ſonabit, & tum oſſa carnem & venas recipient: & ubi tertium poſt alios quadraginta annos ſonuerit, remeabunt in corpora ſua animæ: quo facto, ſtatim ignis ab occidente Solis accenſus, omnes coget Ieruſalemum verſus, quò ubi pervenerint, ceſſabit. Hic ubi per quadraginta annos in ſudore ſuo nataverint homines, judicium præſtolantes, tandem multis defatigati angoribus & moleſtiis, communem parentem interpellabunt Adamum; Pater Adam, ad quid tu nos genuiſti in tantas, tamque acerbas miſerias? itane Pater filios tuos pateris in incerto pendere, ſpem inter metumque? quin potius apud Deum intercede, ut de nobis pronunciet, abſolvatque demum quod de paradyſo infernoque agere decrevit? at reſpondebit Adam, ſe interceſſionem pro illis apud Deum non ſuſcipere, quum ſciant inobedientem Deo fuiſſe, tum quando Diabolo ſuadenti infœliciter obtemperaret: verùm conſulet ipſis, ut ad Noachum pergant:

quo

quo rogato, pro ſe ut intercedere dignetur, detrectabit is quoque, ideo quod omnia fecerit ad illos ſalvandos tempore diluvii, quod jam ultra nihil pro ipſis poſſit: quare ad Abrahamum illos dimittet, ad quem: Pater omnium fidelium Abraham, nos quæſumus miſeros tu reſpice; reſpondebit & ille: quid vos à me poſtulatis, num ignoratis me diu infidelem atque incircumciſum olim fuiſſe? ego longe impar tanto ſum officio: quin ad Moſem potius ite: at is quoque dicet, quem appellatis? nonne ego legem vobis dedi, miraculiſque abundè confirmavi, & tamen mihi non credidiſtis? quod ſi mihi tum credidiſſetis, jam forte poſſem quod petitis; ſed properate ad Ieſum Chriſtum: ad quem converſi dicent, Ieſu Chriſte, Spiritus, verbum, & virtus Dei, moveat te tua pietas & pro nobis intercede: à quo & hoc reſponſum referent, ego ad vos miſſus nuncius fui, ſed mihi non credidiſtis: ultimum Prophetam Muhammedem accedite (hæc in Colloquio Muhammedis cum Abdiâ Iudæo, ubi & Muhammed ſeipſum deſignans, ait; illum ipſum Abdia, quocum præſens loqueris), cui denique dicent, ô fidelis nuncie, atque amice Dei, quidem peccavimus contra te, attamen nos exaudi &c. Inde pons (dicunt) conſtruetur ſupra infernum, atque ad pontis caput ſtatera, ad quam appendentur hominum facta, & quorum ea deprehendentur bona, tranſibunt in Paradyſum; alii verò dejicientur in infernum, puniendi. In eodem Dialogo inquit Muhammed, dies judicii duraturos mille annis; atque judicandorum conſtituendas catervas viginti & centum; quarum non ſupra tres ſint ſalvandæ, & unaquæque futura quaſi mille annorum itinere longa. In Alkorano Surat. LXVI, turmas judicandorum ſiſtendas dicit à Dei dexterâ & ſiniſtrâ; ibi ſalvandos, hic damnandos: illis traditum iri chartam ſuarum rationum legendam manu dexterâ; his ſiniſtrâ. Sur. LXX IX. & XCIII. liber juſtorum & ſalvandorum dicitur aſſervari

in

in ſupernis, & liber injuſtorum in partibus terrarum infimis. Surat. VII. dicitur, facies illorum obfuſcandas, & totas fore atras, qui fidem deſeruerint, Muhammedanam ſcilicet, & infideles fuerint; aliorum verò facies candidiſſimas, Surata lxxxv. cx. xcviii. Alibi de die judicii interroganti reſpondetur: nemini niſi ſoli Deo illum eſſe notum. Surata. lxxvii. lxxxii. Alibi dicit eum exſpectandum poſt ſpatium annorum quinquaginta mille. Surata. lxxx.

Paradyſum autem Muhammedanum, qualem faciant, quantumque, luſtremus porrò. Conſtituunt primùm cœlo ſuo portas, & claves: portas aureas penſiles, cujus claves aſſerventur in Dei theſauro: Paradyſi verò ſedes ſeptem vel locos, ex argento primum, dein aureum, gemmeum, ſmaragdinum, adamantinum, ſextum è carbunculis ignitum, & ſeptimum ex luce divinâ compoſitum. Omnia enim hic aurea argenteaque, mundana, corporalia ac carnalia imaginanda, qualia brutis ſuis, brutalibuſque ingeniis convenire augurabatur vanus Propheta. Pollicetur domicilia hic ſplendidiſſima, Surat. xxxv. & liii. talia, quæ tota auro obducta ſint, conclavia aureis lectis ſtrata, quodque ipſi induentur aureis annulis, coronis, veſtibus deauratis, lapidibus pretioſiſſimis, ſerico, tapetis, ſtramentis purpureis, & quod pecuniæ habituri ſint copiam maximam. Surat. xxviii. xxxii. xli. lxii. lxvi. lxvii. Et ne quid voluptatibus ſuis, libidinique deſit, etiam abundantiam formoſiſſimarum virginum à nullo virorum unquam cognitarum ibi conſtituit ad animi lubitum. Quæ certe infernum potius impudiciſſimorum deſcribere videntur, quam paradyſum. Sur. xlviii. *Habebunt in Paradyſo quodcunque illis libuerit, fruenturque fœminis, quibus oculi clariſſimi grandeſque ut ova, quos non ad alios quam maritos ſuos erigent.* Item Surat. xlviii & lxii. *Timentibus autem, Paradyſum poſſeſſuris, & ab igne penitus liberandis, dicetur:*

de

de fructibus omnimodis vobis datis, optimoque victu comedite atque bibite, ob actus veſtros optimos; & ſuper ſtramenta formoſiſſima pro modo veſtro diſcumbite, ducturi virgines decentiſſimas, cum oculis immenſis atque pudibundis, nuſquam niſi tantùm ad maritos ſuos flectendis. Sur. LIII. *Omnes enim qui noſtris præceptis crediderint, hodie cum ſuis mulieribus paradyſum poſſidebunt, gaudium plenum accepturi. Cum catenis enim & poculis aureis, plenis pro lubitu omnibus deliciis adminiſtrabitur illis, iſtic perpetuo manſuris, omnique voto ſuo perpetuò potituris, fructuſque multiplices comeſturis.* Haſce mulieres ſtatuunt non humanas atq; ex hominibus genitas, ſed ab æterno in hunc finem à Deo creatas, & cœleſtes eſſe; ſuas enim quas hic habuerunt Muhammedani mulieres ſtatuunt exſortes fore Paradyſi, atque extra eum foris conſtituendas, per cancellos eminus virorum gaudia, & cum aliis ſc. uxoribus congreſſus conſpecturas. Longe plures ibi credunt fore mulieres, quam viros, ſingulisque viris plures vel pauciores pro merito addendas, quibus non ad prolem, ſed unice ad lubitum & ſatietatem voluptatis uſuræ ſint; quin & vires iis ſubminiſtrandas majores eum in finem, ut ſæpius coire poſſint, eaſque eundem in finem fore mundas & liberas à menſtruis. Vah ſpurcitiem Muhammedici Paradyſi! haram porcorum dicas, vel proſtibulum meretricum. Tanta iſtarum puellarum deprædicatur pulchritudo & gratia, ut ſi earum modò una aliquando noctu in terrâ appareret, totam eam facilè eſſet colluſtratura: vel ſi in mare forte deſpueret, totam ejus ſalſedinem extingueret, inque mel dulciſſimum commutaret. Et cibum Paradyſi quod attinet, potumque, nam omne genus deliciarum, imo crepundiorum hic narrant, ſimiles habitura labra lactucas. totus Paradyſus, inquit Muhammed, eſt ſmaragdinus, hyacinthinus, admodum jucundus fertiliſque, ubi fontes lacte, alii melle candido, alii pulcherrimo vino fluentes. Hoc ſcilicet illis in Paradyſo

concedit, quo alioqui interdixit in terris; at porcina caro prohibita & ibi quoque erit: eâ exceptâ, omnibus, quibus delectantur, affatim posituris. Surata XXVIII. *Credentes & benefacientes ſua non amittent opera. Illi namque Paradyſum fontibus amœnum, & annulos, & torques aureos, & ornatus ſericeos virides, & deauratos poſſidebunt, & in lectis aureatis accumbent. Et hoc eſt maxima merces & interminabilis.* Sur. XXXII. *Credentibus & benefacientibus Paradyſum præbens, illis armillas aureas & margaritas, moniliaque, veſteſque ſericeas adaptabit, viam rectam, verbumque gratum edocebit.* Sur. LIV. *Timentes autem locum hortis & fontibus fœcundum poſſidebunt, veſtibuſque ſericeis & purpura veſtiendi, puellas ducent cum oculis claris & immenſis, quorum albugines candidiſſimæ, & pupillæ nigerrimæ. Pro lubitu ſuo fructus multimodos abſque timore comedent, non guſtabunt mortem amplius. Deus eos liberabit à foco, & hoc eſt grande donum.* Surat. LVII. *In Paradyſo ſunt aquæ dulciſſimæ. Suntque rivi ſaporiferi, lactis, & mellis. Pomaque ibidem omnis generis.* & Surat. II. & XLVI. & LIII. & Surat. LXI, *aciei*, ex verſione Cl. Golii, *condonabit vobis peccata veſtra, & introducet vos in hortos, ſubter quibus decurrunt fluvii, & manſiones amœnas in hortis Eden.* Surata LXXXVI. *Deus igitur illos ab illius diei malo liberat, dans honorem & ornatum atque mercedem maximam, paradyſum videlicet & lectiſternia ſericea: Vbi nec Solis fervorem, ſeu frigus ſentient: ſed arborum obumbraculum, ſibi ſuos fructus collectos inclinantium, illic habebunt. Et ibidem ex vaſis vitreis & argenteis optimè compoſitis, illis potus, velut, Zingiber ſaporifer, ex fonte Zelzebil adminiſtrabitur. Aderunt & juvenes velut margaritæ ſpecioſi, omniumque divitiarum & bonorum copia. Veſtes quidem ſericeas & deauratas illi juvenes induent, torques argenteos in brachiis ferentes. Vinum quoque benedictum illic Deo dante ſufficiet.* Surat. LXXXVII. de damnatis in inferno ait, nec refrigerium nec vinum ibi habituros, ſed

ignem;

ignem; at de paradyſo, ejuſque incolis ſuo more iterum: *ſufficienter illic poſſidebunt hortos palmarum & vitium, puellaſque ſocias, & ſpecioſas, papillis breviſſimis; vaſaque plena, nullum verbum inhoneſtum, ſeu mendax audituri.* Sura L. XCIII. *pulvinaribus & ſtramentis ſericeis in paradyſo quieſcent, potaturi vinum ſapidum & velut muſcus odoriferum: ſuiſque faciebus omnibus inerit decor atque pulchritudo. Et bibent vinum commixtum ex fonte Theſniz.* &c. idem Sur. XCVIII. Ibi nimirum ille fons Alcazar, Muhammedi à Deo ſpeciatim datus, tantæ amplitudinis; ut vix ſeptuaginta mille dierum itinere obambulari poſſit, cujuſque aquæ nive candidiores, & melle ſuaviores, & tot vaſa cyathique parati ad potandum adſunt, quot cœlum ſtellis ſcatet. Ibi & arbor maxima Tuba, quæ totum implet Paradyſum, cujuſque folia alterna ex auro & argento ſunt, atque inſcriptum gerunt nomen Dei & Muhammedis: *non eſt Deus niſi unus, & Muhammed ejus nuncius.* Ibique illud paratum Muhammedanis à Muhammede ſuo convivium, menſaque adamantina, cujus longitudo itinere dierum ſeptingentorum; appoſitis ſellis ex auro argentoque, mappis & linteis ex auro & ſerico inſtructa, ad quam menſam feſtivè excipientur omnibus Paradyſi epulis, potuque ex fontibus illis pulcherrimis. Tandem convivis ſingulis ab adoleſcentibus pulcherrimis epuli adminiſtris porrigentur veſtes, calceamenta, torques, ornamentaque alia, quibus induentur, ornabunturque; ſed inter alia, & mala-citrina ſingulis exhibebuntur quæ ubi odorabuntur, confeſtim ex iis proſilient virgines formoſiſſimæ, ſingulos Muhammedanos arctius; complexuræ, quæ per quinquaginta annos iiſcum in carnalibus voluptatibus atque deliciis commorabuntur. Poſt quod tempus, Deus faciem ſuam Muhammedanis viſendam offeret, qui illius fulgorem non ſuſtinentes, inde in terram ilicò concident; ſed à Deo erecti confirmatique videre eum valebunt: poſt

quam Dei viſionem abibunt ſinguli cum puellis, in ſua quæque palatia, perpetuo cum iis in omni voluptate victuri, & in copiâ omnium deliciarum, frugum cibi potuſque ſe æternùm oblectaturi. Quæ omnia breviter complectitur in colloquio ſuo cum Abdiâ Iudæo Muhammed, ſuper ſtatu paradyſi ab illo ſedulò interrogatus: *Paradyſi namque ſolum aureum*, inquit, *ſmaragdis & hyacinthis interpoſitis diſtinctum; omni fructiferâ conſitum arbore, per amœna decurrentibus fluentis. Quorum alia quidem lac, alia mel album, alia vinum puriſſimum fundunt. Dies mille annorum ibi erit.* Et de veſtimentis, eorumque colore ſic pronunciat, *omni ſiquidem colore veſtientur, præter nigro; qui ſolus concedetur Præconi Muhammedi, ob ſingulare ejus meritum.* Et de cibis ubi dixerat Muhammed, quod primo ingreſſis Paradyſum, proponeretur veſcendus piſcis *Albehbut*, mirabiliter delicatus &c. tempeſtivè rogavit Iudæus, annon quoque cibi iſti digererentur, & quæ ratio tum futura eſſet excrementorum? reſpondit lepidè, nihil excrementi inde ſecuturum, ut nihil quoque infans in utero, quamvis veſcatur, egerit; ſi quod tamen ſuperflui, id per ſudorem exiturum, odoremque optimum, qualis eſt muſci, fragraturum.

Hic ſcilicet Muhammedis, Muhammedanorumque Paradyſus, & cœlum, & omnia; non hominibus, ſed brutis, & ultra ſenſum ac carnem nihil ſpirantibus, ſperantibuſque digna. Hæc ille nempe ſuis perſuaſerit, mortalium quotquot ſunt, ſtolidiſſimis, facileque deliciarum tali apparatu ineſcandis, & ſpe. Sed qui paulum modo altius aſſurgunt, ac mente gaudent erectiori, faſtidiunt illa in terris, nedum in cœlo; atque tum ex Sacris, tum ratione, leviſſimâ operâ refutari omnia illa poſſunt, niſi explodi, ut inſulſiſſima & ab hominis dignitate ac fœlicitate alieniſſima debeant potius, quam ſerio dilui.

Vti in cibo potuque delicatiſſimis gloriam & felicitatem

ſtatem Paradyſi ſui conſtituunt Muhammedani, ita *Inferni* poenam & cruciatum multam partem in hujuſmodi rebus ponunt, quæ ingratiſſimi odoris ſunt & saporis, præter ignem, quem fatentur diriſſimum fore, & ſempiternum; uti quoque gloria Paradyſi illis æterna. Surat. lxxx1. *Credentes autem & benefacientes tunc veniam adepti, paradyſum perenniter inhabitandum, quod eſt maximum, poſſidebunt. Increduli verò, veſtriſque præceptis contradicentes, igni manſionique pravæ perpetuò tradentur.* Similiter Surat. xxx11. Ab igne hoc perpetuo uſtulantur damnati, & cutis quoties igne abſumta, iterum reparatur ad nova ſemper ſupplicia. Potus illorum omni felle eſt amarior, & cibus ex arbore Alzekon, quæ in profundo abyſſi naſcitur, ſoporis ingratiſſimi. Muhammed in ementitâ ſuâ cum Gabriële Angelo per cœlum inferoſque peregrinatione, dixit ſe hic vidiſſe Diabolos diverſiſſimarum figurarum, alios catenis igneis alligatos, verubus transfixos alios; homines menſis inſtructiſſimis aſſidentes, & relictis bonis frugibus, ad appoſitas malas fœtidaſque ferri, qui ſunt ii ſcilicet, nam ſic Angelus hæc interpretabatur, qui in vitâ ſpretis uxoribus propriis & bonis alias fuerant ſectati, id eſt, qualis ipſe quoque Muhammed: alios cernebat haurientes ſemper plumbum liquefactum, quem effuſum reſorbebant: hi nimirum erant, qui tutores bona pupillorum defraudarant, eaque fuerant dilapidati. Talia ibi plura, nempe qualia Poëtæ de ſuis inferis, Styge, pomis Tantali, rotâ Ixionis ſtrenue fabulati olim fuerunt. Infernus, ex ſententia Muhammedanorum, ſeptem habet portas. Sur. xxv. adde Sur. lxx1x. Et in colloquio quidem cum Abdiâ ſic infernum depingit Auctor: *Inferni ſiquidem ſolum ſulphureum, fumoſum, multa pice interſertum, ipſe totius flammis teterrimis æſtuans. Sunt in eo lacus & putei profundiſſimi, pleni pice fervente, ſuppoſitis flammis ſulphureis, quibus quotidie immerguntur damnati. Sunt illic &*

arbores, quarum fructibus veſcuntur, quo cibo nihil gravius in toto mundo excogitari poteſt. Quodque ibidem adfert de aliquo poſt mille annos ex inferni pœnis liberando, & in Paradyſum conſtituendo; qui tamdiu lateat in medio inferni, in arcâ vinctus catenis compedibuſque, quæ arca in puteo, puteus in gurgite, gurges in valle, vallis in inferni medio &c. uti reliqua, adeo inſulſum & fabuloſum eſt, ut audire ultra pigeat: vereórque etjam, ne fortaſſe prolixior vel diligentior fuerim in referendis illorum commentis & fabulis, quas ſcire tamen è re judicavi, ad illorum doctrinam opinioneſque circa ſacra noſcendam: & quia illa ex variis vel ipſorum vel aliorum ſcriptis conquirere, non nullius negotii fuit, ac uſus etiam alicujus, viderint quibus hæc ſcribo.

Jam poſtquam Muhammedicæ doctrinæ, tum in iis quæ ſuæ diſciplinæ habent propria, tum quæ adverſus fidei & religionis noſtræ articulos opponunt, luſtravimus διὰ τὸ πᾶσιν, ſupereſt denique ut in conſilium omnia adhibeamus, & videamus, quid ad illorum hominum *converſionem* forte fieri poſſit, atque debeat. Certe uti non ego, ita nec meorum aliquem, diſputare volo, in tanti præſertim negotii argumento ac hoc eſt, duntaxat ut diſputemus, ſed ut diſputationis noſtræ colligamus fructum uſumque, ad hominum *converſionem*; vel hæc ubi haberi nequit, quod ei proximum, eorum convictionem: Hæc mihi, hæc aliis in diſputando ſemper propono. *Quorſum* aliàs contendamus, & multâ laterum concuſſione clamemus alter ad alterum, niſi ut veritate eluceſcente, ad eam, & ſalutem ſuam hoc modo perducantur, qui utriuſque fuerint antea exſortes? Et profecto hoc qui non cogitat, ut animas Chriſto vincat vindicetque, & regnum ejus continuò propaget, ſed tantum ut diſputet, vel in diſputando laudem captet acuminis & victoriæ, καὶ ἀπέχει τὸν μισθὸν αὐτοῦ. Ergo & ante diſputationem, & in, atque

poſt

poſt eam, animum ſemper oportet in hanc rem intentum habere; & diſpicere, quibus mediis converſio eorum, cum quibus diſputamus, curari optime poſſit, abſque quo & manca, & vana eſt quæcunque de religione ſ. ſcipitur controverſia. Hoc ergo cogitanti mihi de Muhammedanis, occurrit primo doctrinæ illorum hæc conſideratio, quod cum ex *V. & N. Teſtamenti* Scriptura multa habeat interpolata & adulterata, quæ vindicare oportet ab illorum corruptelis & nęniis, ita fundamentum hęc præbent, ſuper quo porro diſputatio iiſcum inſtitui poteſt, eo futura facilior, quo commune principium religionis aliquatenus ſaltem agnoſcunt, & non operoſe primum hoc ſuaderi iis eſt neceſſe. Sciunt Chriſtum, norunt Euangelium, & Scripturas multas qua Veteris, qua Novi Teſtamenti tenent; unde tanto expeditior apud eos opera, quo non ex ſolo rationis principio, ſed ex illo Scripturæ etjam agere jam licet. Quod ad opus & certamen cum iis nos invitat, atque feliciorem pollicetur progreſſum, & victoriam in iis, quæ ad illam producta lucem facile conficiuntur. Huc ſpectat, quod Texeira refert, inter Muhammedanos eſſe, qui ex reliquiis & ſegmentis illis quæ in Alkorano occurrunt de Chriſto, Chriſtum etiam haud tralaticie venerantur. Inter illos, prę Turcis *Perſas* ſcribunt humaniores, dociles magis & tractabiles eſſe: quos proinde præſertim adoriti & ſeligere, ut ad fidem perducamus, convenit. Sed ſola tyrannis eſt, quæ apud eos impedit veritatis agnitionem, dum ſub gravi poena inhibentur de lege ſuâ diſputare, & commercio cum Chriſtianis, ac pręcipue libris de religione agentibus interdicuntur. Hoc niſi eſſet, & non aſſueta ſervituti gens, ſi ingenua magis & liberioris animi, procul dubio facilior præberet aures, quæ jam docta ſervire & duci ad aliorum plane arbitrium, ſublimiorem de Chriſto & Chriſtianâ religione cogitationem omnem reſpuit & horret. Quo magis & illo-

rum libertati, ſi quo modo, & quorum id fieri poteſt, ſtudendum à Chriſtianis eſt, & alliciendi præ aliis ii, qui propius apud nos vivunt.

An autem bello reſiſta committi debeat, id eſt, an ab omni Chriſtianiſmo junctis armis Turcæ oppugnari, & extrudi locis ſuis, quo ea reddantur Chriſto & Chriſtianis poſtliminiò eccleſiis & politiis, ſæpe multumque deliberatum olim, hodieque eſt. Pontifices Romani ſemper mirè ſagaces ſolerteſque in hâc re fuerunt, ut Europæos omnes Principes in bellum contra Turcas incitarent & extruderent, quo abſentibus longe Dominis, Imperatoribus, Regibus, Principibus, tanto melius prædari omnia & auferre terras, bona, & jura ipſorum poſſent, ac turbare ad arbitrium. Adeo artificioſe ſemper tali occaſione in rem ſuam uti, eâq; fimbrias ſuas dilatare à longo tempore didicerunt. Preterquam quod & hinc precipuum Bullis ſuis, Cruciatis, indulgentiis, jubilæis, non temporali ſolum & corporali, ſed & præſumtæ æque ſpirituali poteſtati ac arrogantiæ pretium ſuo modo querebant. Adde quod & finis illorum, qui vulgo pretexitur, omnino ſuperſtitioſus, quaſi pro recuperandâ terrâ ſanctâ ſcilicet, quæ potius maledicta dicenda, pro ſ. Sepulchro, aliiſque ſoli ſuperſtition devotis mercibus. Ne jam dicam, quod Lutherum commovit ad obloquendum, cum aliis Papiſticæ ſedis inſtitutis, tum huic bellandi adverſus Turcas prætextui, iiſque, quas ita nominant, Cruciatis, quod Turcam Chriſtiani nominis hoſtem conſiderare nos oportet ceu virgam in manu Dei, per quam affligere res noſtras, & per eum ceu lictorem pœnas ſumere ingratitudinis & improbitatis Chriſtianorum conſtituit: quod hactenus ferendum bono animo ſit, non malo modo atque artibus eludendum. Eo ſenſu Lutherus dixit: *Præliari adverſus Turcas eſſe repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos*: quod primo poſuit in aſſertione articulorum, quos dein Bulla P. Leonis x. damnavit,

anno

anno clↄ Iↄ xx. & hinc perpetuis non oppoſitionibus & argumentis, ſed calumniis impugnarunt Papales, adeo ut hæreſis etiam dicam eo nomine Luthero ſcripſerit inter illos Alphonſus de Caſtro Minorita, *lib.* III. *adverſus hæreſ.* tit. *bellum.* illamque Lutheri hæreſim ſc. faciat Manichaicâ deteſtabiliorem. Sed Lutherus non negavit ſimpliciter, contra Turcas præliandum eſſe, vel bellum contra eos eſſe licitum, ut exſerte agnovit Bellarminus, *lib.* III. *de Laicis*, *cap.* XVI. ubi hanc quæſtionem ſigillatim examinat; ſed eo modo, quo hactenus, claſſicum adverſus Turcas cani, à Romanis epiſcopis, ſuæ avaritiæ & ambitionis causâ, ſub Bullarum Papalium authoritate & veniâ, hoc Lutherus improbavit: de quo in Aſſertione artic. ſuorum adverſus Bullam P. Leonis dixit, à Turcis exprobrari nobis: *nos Bullis & literis veniarum bellare. Altera verò infelicitas, majoris dedecoris & ignominiæ, quod tot jam annis paſſi ſumus nos deglubi per impoſtores & legatos Romanos, toties ad bellum Turcicum, indulgentiis ac facultatibus impudentiſſimè venditis, pecuniam & ſubſtantiam noſtram devorantes, quam videmus non ſolum non veniſſe, quo mendaces illi & fallaces homines venturam promiſerunt, ſed etjam in turpiſſimas eorum libidines & pompas profuſam. Verum hæc minor querela. Hoc demum omnium atrociſſimum & intolerabile, quod nos indulgentiarum negocio fallaciſſimo, primum inanima cen bruta pecora falſis perſuaſionibus occupaverunt, & ſeduxerunt ad univerſam noſtram ſubſtantiam compilandum, donec eo ventum ſit, ut ne altare quidem ſit reliquum, quod non ſerviat Romanæ avaritiæ, ſemper novis excogitatis imponendi artibus. Sic in vindictam iniquitatis noſtræ dedit nobis Deus è Roma truculentiores, cruentiores, inſaturabiliores Turcas, quam illi unquam fieri poſſunt, adhuc pejores hi Turci, nos inſenſatos præſtigiis ſuis incitant adverſus meliores Turcas, tantum, ut interim omnia noſtra confiſcentur, ſub titulo belli Turcici. Et in iis omnibus non eſt averſus furor Domini, necdum intelligimus*

unam manum Dei, percutientis nos in corpore & anima per hos Romanos turciſſimos Turcas. Quid ergo dicam ego, quando hic video plus quam quadringentos Prophetas Baal ſuum Achab circumſtare, & ut aſcendat in Ramoth Galaad ſuis Prophetiis animari, & omnia proſpera ei nunciare? Forte ſicut Micheas & ipſe odioſus erat, quia non prophetabat niſi malum, dicam & ipſe meo Achab: Ite, præliamini contra Turcas, ut reſiſtatis virgæ Dei, & cadatis ſicut & ille cecidit. Quantò rectius faceremus, ſi primum orationibus, imò totius vitæ mutata ratione, Deum propitium faceremus? Tum idolo illi Romano Cæſar & principes modum ponerent tyrannidis, illuſionis, perditionis animarum. Nam ut & ego prophetem ſemel, licet non audiat, quod ſcio, niſi Romanus pontifex redigatur in ordinem, actum eſt de omni re Chriſtiana. Fugiat ſicut Chriſtus docuit, in montes qui poterit, aut vitam homicidis Romanis cum fiducia offerat in mortem. Nihil niſi peccatum & perditionem Papatus operari poteſt. Quid vis amplius? At quis rediget eum in ordinem? Chriſtus illuſtratione adventus ſui, & non alius. Domine, quis credit auditui noſtro? Qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papa nomen ſub cœlo valeat. Dixi. Quæ rationes fortiores ſunt, quam ut à Roffenſi Epiſcopo *Conſut. Aſſert. Luther. art.* XXXIV. facile ſolveantur. Quippe vult Lutherus, ne ſub Papæ nomine vel authoritate bellum inſtruatur, ſed illum ipſum prius in ordinem redigendum, ſiquidem felicem belli exitum cupimus, idque eo magis, quo in multis ſe adverſus Eccleſiam & fideles Turcâ ipſo gerat infeſtiorem: neque ejus vafritie amplius deludendos homines eſſe, ut ad ejus placitum, & avaritiæ ſatis faciendæ cauſa, in bellum longe abeant, ventoſis bullis ineſcati, omnia interim ſua Papis in prædam relinquentes. Non vel ſub Papâ, vel cum eo, aut cum Papanis iſtis, qui in Papæ gratiam ſoliti ſunt conſpirare adverſus Eccleſiam, prodeundum in bellum Turcicum cenſuit. Anno cIɔ Iɔ XXIV. ſcripſit: *In fine Chri-*

ſtia-

ſtianis omnes adhortor, ſeu potius obteſtor, ut mecum conjungant preces ſuas pro tam miſeris & faſcinatis Principibus, quos Deus citra dubium inflammatus ira, tanquam peſtes & ἀλάστορας immiſit nobis. Ne temere conſcientiam ad ſuſcipiendam expeditionem, aut conferendas pecunias adverſus Tyrannum Turcicum, cum Turca longe ſolertia, conſilio, integritate, moderatione noſtros Principes antecellat. Num ſperandum eſt tam inconſideratis, tam improvidis contra Turcam Ducibus omnia ſecunda fore, qui ſupremum adeo tentare Deum, & blaſphemiis afficere non verentur? Eſt oper. Lat. Tom. II. poſt exhibita Cæſarea, adverſus ſe, ſuamque doctrinam, Edicta. Iſtis de cauſis bellum adverſus Turcas diſſuaſit, quando videlicet Pontificio more geritur, non autem improbavit ſimpliciter, uti ipſe tum dictis locis, tum alibi ſe declaravit, præcipue ſingulari hunc in finem conſcripto libello anno CIↃ IↃ XXVIII. *de bello Turcico*, qui eſt Tom. IV. Jenenſ. Eraſmus quidem ſuaſit bellum Turcis inferendum, lib. *Conſultat. de bello Turcico*, at non ſimpliciter; verùm, uti Lutherus, quamvis temere viſus ab eo diſſentire, primum ſi præcederet apud Chriſtianos digna morum reformatio, neque tam infeliciter ut hactenus bellum iſtud cederet, *quia non Chriſti negotium egimus*, uti bene loquitur, *ſed adverſus Turcas animo Turcico pugnavimus.* Præterquam quod inter cauſas noſtræ infelicitatis, bene & ingenue referat, fractam, auctore Papá, à Chriſtianis turpiter fidem, Turcæ ſolemniter datam. *Iusjurandum*, ejus verba ſunt, *autore Eugenio violatum, nos in funeſta prælia conjecit. Siquidem & hoſti ſervanda fides.* Et Bellarminus in hâc diſputatione ingenuè dicit, *Lutherum non negare bellum contra Turcas eſſe licitum, quia putet in genere omne bellum eſſe illicitum &c. neque quia exiſtimet non habere Chriſtianos juſtam cauſam* &c. Cæterum ſi abſit nomen Papæ, id eſt, ut nec ejus authoritate, nec Bullis in arma prodeatur; ſi abſit ſuperſtitio & opinio terræ ſanctæ, uti temerè di-

ci-

citur; ſi non id exſpectetur demum ut omnes una Principes à Papâ quaſi ad bellum auctorentur; ſed hoc curemus, ut inique oppreſſis feratur ſubſidium, ut abrepta per nefas dominia & Eccleſias Chriſto Chriſtianiſque recuperemus, eo caſu adverſus Turcas Chriſtiani nominis hoſtes graviſſimos bellum juſte inſtaurari, quis ambigat? Certe plures quidem in Turcam Chriſtianorum expeditiones, haud tamen admodum felices multas numerare eſt. Ab anno cIↄ xcv. uſque ad annum cIↄ cclxx. duodecim adverſus Turcas & Sarracenos ſuſceptæ: atque ultima Ludovici Galliarum Regis, valde infelix extitit. Ita ut nil neceſſe fuerit, quod Roffenſis contra Lutherum, longum facere catalogum Pontificum iſtorum, qui Reges in iſtiuſmodi bella procitarunt; minus ut Cornelius à Lapide, *Præfat. Comment. in Prophetas Minores*, inter illos poneret quoque Eugenium IV. cum legato ſuo Iuliano, quorum nomina, ob perfidiam, & cladem ad Varnam, infeſtiſſima merito habentur. Epitomem Bellorum Sacrorum, ut dici amant, legere poteris, Incerti Auctoris, apud Caniſium, *antiq. Lection. Tom.* VI. qui à Ducis Bullionæi expeditione, deſinit in a. cIↄ.ccccxx II. Addeſis Benedicti de Acoltis Aretini, *de bello contra Barbaros à Chriſtianis geſto*, libros IV. Forbeſium, *Inſtruct. Hiſtorico-Theol. lib.* XV. *c.* XX. Plurimi conſilium inierunt & tradiderunt ſcripto, quomodo haud difficulter militaris res in Turcam adornari poſſet, interque eos Philippus Camerarius, Busbequius, ne Callimachi Experientis orationem dicam, *de bello Turcis inferendo*; ejuſque hiſtoriam, *de Venetis contra Turcas*; aliaque iſtius argumenti voluminibus variis collecta, & edita: neque exiſtimo tantæ difficultatis negotium fore, ſi non inter ſe Chriſtiani confligerent: at neque tamen etiam abs re monuiſſe Paulum Fagium cenſeo, ad Paraphraſ. Chaldaicam Geneſ. XVI. 12. ubi de Iſmaële dicitur: & ipſe erit rebellis inter homines; *hæc expendant hodie qui facile eſſe*

putant,

putant, ut opprimatur Turca, qui ab Iſmaële originem traxit. Nolo autem meam facere Vberti Folietę, *de magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperii Turcici*, ſententiam, vel diſputationem, quam ei propterea movit Henricus Stephanus Pariſienſis, duabus adverſus eum *Orationibus*, quod Turcarum potentiam ſupra modum viſus fuiſſet extollere. Sed propter duo expendi hæc etiam atque etiam debent, ſeu bellum inſtituatur adverſus Turcas, ſeu quocunque modo Chriſtiana res apud iſtos promoveatur, primò, quia tam late nunc imperitando Sarraceni tantam Chriſtianarum *Eccleſiarum* portionem ſuo imperio adjungunt, in magnum rerum noſtrarum detrimentum; deinde, quod illos, quos ſuæ poteſtatis faciunt, Chriſtianos dirum in modum vexant, & diſcruciantut miſerrima *mancipia*. Nullorum certe, quandiu vivunt, miſerior ſors eſt & conditio, quam Chriſtianorum Turcis captivorum, ab iiſque abductorum ad omnem ſervitutem non ſolum, ſed etiam, ad quod illos ſæpe cogunt, fidei abnegationem, & profeſſionem Muhammediſmi, circumciſionem, cæteraque perfidiæ iſtius probra amplexanda. Quem autem non moveat videre alligatos catervatim homines provectæ ætatis, juniores, fœminas, uxores, liberos, & promiſcue trahi ad graviſſimam ſervitutem, atque ad arbitrium peſſimorum hominum proſtitui eorum tum corpora, tum vitam? atque id paſſim apud illos fit, nobis interim altum ſtertentibus, & gravi ſocordiâ negligentibus caſum aliorum, quin & noſtrum. Æneam Sylvium ferunt, qui poſtea factus Papa Pius, ejus nominis ſecundus, quum aliquoties apud Germaniæ Principes in Comitiis, verba faceret de miſeriis per Turcarum invaſiones in Chriſtianos illatis, Principibus qui aderant ſępe lachrymas moviſſe, propoſitâ dirâ malorum omnium ſpecie, quæ à Turcis Chriſtiani paterentur: & nullus dubito, quin hæc ubi hominis, præſertim Chriſtiani animum ſubeunt, quæ de inhumanâ Turcarum

erga

ergaalios; ſed nullos æque ac Chriſtianos, feritate narrantur, nedum ut ſub oculos veniant, facile commotura mentes ſint ad auxilium ferendum captivis Chriſtianis, & proſequendum ſtudium, quod dicimus, de convertendis ad meliorem frugem, vel ſi qua fieri poteſt, veram fidem, Muhammedanis.

Scio laborare & iſtos quoque ſuis hic *præjudiciis*, ſed quæ adimi facile poſſunt ac debent: quo deinceps pergamus, ad perſuadendam ipſis Chriſti fidem ac religionem. Præjudicia alia habent à ſuâ parte; alia petunt à *Chriſtianis*. Illud commune de *Majoribus* ſuis Muhammediſmum amplexis, inque eodem liberos inſtruentibus, prout omnes innatâ quâdam religione lubenter Parentes ſequuntur. Quod apud illos quidem eo facilius ſolvitur, quo Muhammed ſuam quum primum hominibus commendaret legem, & facto, & verbis illud obſtaculum removit. Unde dicit Surat. II. *hi rogati præcepta divina obſervare, dicunt, ſe nullam niſi Patrum ſuorum ſectam ſecuturos. Patres itaque ſi ſtulti cæcique fuerint, eos imitabimini?* Item Surata XXXI. *Locmanni*, § 20. *Et cum dicitur iis, ſequamini id quod cœlitus demiſit Deus, ſc. Coranum, atque in eum credite; inquiunt: quin ſequimur id, in quo (qui inſtitiſſe) invenimus patres noſtros. Quid ſi Satanas inſtinctu ſuo, ac velut traditione quâdam, vocaret eos ad tormentum inferni, quo ſuggeſtiones ejus & idololatria ducunt; num ſequi eum vellent?*

Majus eſt, quod ſumunt à Muhammedicæ ſectæ *felicitate*, ejus ingenti à primis initiis progreſſu, & ampliſſimo per varias plurimaſque mundi regiones dominio. Sed & hoc quoque in Alkorano ſuo Muhammed ſic diſſolvit, quod etiam incredulis Deus & impiiſſimis aliquando multa terræ & mundi hujus bona indulget. Surat. VI. & VII. Tum progreſſus doctrinæ illorum neminem movebit, qui perpenderit, illam non virtute ſuâ, ſed armis, & imperio Sarracenico, cui incubuit; multâque tyrannide ita dilatatam fuiſſe, abſque quibus

ipſa per ſe nec eſſet quidquam, nec valeret. Vel ſi doctrinam velis, hoc facile ei augmentum contulit, quia compoſita ad voluptates omnes eſt, & libidines. Multam hominum partem, pro communi naturæ perverſitate, quidem occupat, ſed illam, ob eandem iſtam rationem, nequaquam optimam.

Præjudicia eorum quod concernit, à *Chriſtianis* ſumta; primum capiunt ſcandalum, ex mutuis & *diuturnis* illorum inter ſe *diſſidiis*, contentionibus, ſectis, & bellis. Ad quod primum reſpondeo, apud Muhammedanos non minus contentionum eſſe, quam apud Chriſtianos: Quod vel ſolum ſatis probat internecinum Perſarum Turcarumque odium, quo hi illos præ Chriſtianis ipſis execrantur & fugiunt, propter cauſam doctrinæ etiam, quamvis utrique Muhammedicam profiteantur. Præterea diſſenſiones & varias ſectas habent circa religionis ſuæ radices, uti vocant, id eſt, de rebus Theologicis; & circa ramos, id eſt, de rebus juridicis: de quibus agit Gregorius Abul-Faraji, *de Origine & moribus Arabum*; & Pocokius, in Notis. Tum non hoc Chriſtianiſmo objiciendum, quod rei per accidens, & per hominum vitia, cum Chriſti doctrinâ hactenus non convenientium, evenit, quod Chriſtiani inter ſe multum contendunt; & quod dicit Suráta *Maria*; *diſſident inter ſe nationes*: minus illum hæc dicere oportet, qui norit, quemadmodum olim in populo Iſraëlitico fuerant pſeudo prophetæ, ita jam quoque futuros inter Chriſtianos falſos doctores prædictum fuiſſe. Denique in ſe deſcendant Muſlimi, & culpam in ſe conjiciant ejus haud levem, dum imprecationibus ſuis vulgo contra Chriſtianos orant; ut Deus inter illos foveat diſcordiam & bella: ubi præter ſeipſos, in malâ ejuſmodi comprecatione: & Deum inſuper cauſam iſtius, quo offendi in nobis videntur, conſtituunt facinoris.

Præterea grave adverſus Chriſtianos ſe habere præjudicium publice atque identidem conqueruntur, ex

cultu

cultu tum *ſanctorum*, tum præcipue *imaginum*, apud nonnullos illorum frequentato. Ubi primò turpiter peccant, qui hoc, quidquid eſt, Chriſtianiſmo imputant, quod doctrina Chriſti ipſa aperte condemnat, & non niſi per fœdum aliquorum errorem in Chriſtianiſmo obtinet. Deinde, nec iſtud Chriſtianis omnibus tribuendum, quod idola, quod imagines colunt, tantummodo alicui eorum parti, cui ab ipſis melioris notæ mentiſque Chriſtianis plurimis continuò reclamatum, qui illa minus ferunt vel probare poſſunt, quam ulli, quam Turcæ vel Muhammedani.

Præcipuè verò cultus *Mariæ* ipſos offendit, adeo ut Surat. XIII. introducant Chriſtum à Deo interrogatum, num ſe & matrem ſuam pro Diis coli in terris unquam juſſerit, docueritve? *O Ieſu, fili Mariæ; tune hominibus ſuaſiſti, ut Dei loco Te, Matremque tuam, duos Deos haberent atque venerarentur?* Quod de Chriſto adducunt, certe non is pro alio vel ſecundo Deo ſe coli voluit; ſed qui multis argumentis probatus Deus, etjam pro eo, ſed uno, & homouſio cum Patre coli debet: neque id adeo abhorrent Muhammedanorum multi, quemadmodum ſupra audivimus. At de ejus matre Maria juſte cauſantur, temere eam tali, quo Deus Chriſtuſque, honore, id eſt, divino à nonnullis affici. Vbi & id obiter obſervari poteſt, quod, quidquid Mariolatræ diſtinguunt, cultum Mariæ, à divino, adeo tamen non appareat diſtinctionis vis, ut nec ab aliis, nec à Muhammedanis, in diſputatione adverſum Nos, non adeo ſemper obtuſæ mentis, utcumque malæ, capi poſſit; quin videantur Mariam venerari Papiſtę, ut Deum religioſo divinoque cultu.

Quantopere *imaginibus* offendantur, oſtendit Surata lxxxi. Neque alio loco habent illas, quam pro rudimento & reliquiis idololatriæ Ethnicæ. Auctor Septem Caſtrenſis, lib *de Moribus Turc. cap.* XIII. non aliter illos ſcribit imagines deteſtari & horrere, religio-

ligioſas videlicet, quam ipſum gehennæ incendium. Adeo ut Chriſtianos ideo *idololatras & cultores dæmonum vocent*, inquit cap. x. Quare idem teſtatur, quod etiam, in Chio inſula quando degeret, & legatis Turcicis forte oſtendentibus ſuorum templa, inque illis imagines, oborta ſuper illis diſputatione, nequidquam ſatisfacere potuerit, quin identidem regererent: *vos idola colitis*. Quod idem ſibi quoque eveniſſe ſcribit Hugo Linſchote, *Itinerar. lib.* I. *cap.* xliii. quando Maurorum templa ingreſſus eſſet cum Luſitanis, qui ex illis interrogabant, ubi forte ipſorum Sancti eſſent, quos colerent, quum in templis adeo nil imaginis obſervaretur, ſolummodo tabula, cui aliquid ex Alkorano Arabicè inſcriptum erat: reſpondebant Mauri; ſe non, quemadmodum Luſitani, lignum & lapides, ſed ſolum Deum adorare. Turpe profecto, à Mauris, à Muhammedanis, quos nos quidem infidelium loco habemus, iſta objici Chriſtianis, & hos ſe ita gerere, ut aliquâ in re Ethnicis ſimiles arguantur ab illis, quos alias non multum ſupra Ethnicos ipſi æſtimant. Et certe diffiteri non poſſumus, turpem hác in re, & Ethnicorum idololatriâ haud adeo diſſimilem, committi à Papiſtis, in imaginum veneratione, ſuperſtitionem, contrà expreſſum Dei mandatum, cujus violatione pariter Iudæi & Muhammedani, nobiſcum offenduntur. Nam & Iudæi primo loco objiciunt, quod imagines Chriſtiani, perinde ac Gentiles idola ſua, colunt; & quod hujus rei cauſâ, præceptum in Decalogo ſecundum, temerario & ſacrilego auſu adulterant. Profecto horribilis & deteſtanda res, in re tam manifeſte malâ, quam & Gentilium potiores damnarunt olim, tantum facere religioni præjudicium, & in aliorum converſione ſive Muhammedanorum, ſive Iudæorum procurandâ, obſtaculum! Iohannes Baptiſta Montalbanus, in Rer. Turcic. Commentario, ſententiam Muhammedanorum explicans, ait; *non cohibere parietibus Deum &*

ne-

neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur. quæ ipſa verba Taciti ſunt, deſcribentis mores Veterum Germanorum. Adeo ejuſdem ſententiæ ſunt Muhammedani, cum antiquis Germanis, ſub Ethniciſmo qui olim fuerunt, atque hâc in parte plurimis hodiernis nepotibus, Chriſtianis dictis, parentes multo meliores. Iohannes Cantacutzenus, Apol. III. contra Mahometem: *poſt alia verò crimina, quibus à Muſulmannis nos qui Chriſtum profitemur, accuſamur, etiam in hoc ab iiſdem accuſamur, quod ſanctorum adoremus imagines. Et quid adoramus? prorſus non aliud quam ligna, colores, & lapides.* Quinimo juſtum ſcandalum inde capiunt rudes illi & increduli homines. Bene hâc de re Thomas à Ieſu, Carmelitanus Monachus, de converſ. Gent. lib. x. pag. 706. *Habet hæc ſecta quedam & probabilia & laudabilia, Deoque grata, ob quæ videtur non ſine cauſa tolerari à Deo. Hæc enim ſecta maximè odit & deteſtatur idololatriam; prorſus adeo, ut nullas vel Dei vel Angelorum, vel ſanctorum hominum imagines non ſolum non colat, ſed nulla etiam in loco depingi patiatur, ſicut etiam in Veteri teſtamento, Deus omnium imaginum Iudæis venerationem & cultum interdixit.* Atque fruſtrea Idem pag. 644. inter errores doctrinæ Muhammedicæ collocat, quod *improperat Chriſtianis adorationem imaginum*? Nam non in eo errorem notare debuerat, quod alias urgente conſcientiâ videtur probare & laudare in illis ceu Deo gratum: neque enim aliam ob cauſam adeo imagines, quam quia idololatriam, refugiunt Muhammedani; & illud ut ethnicum jure habent, in quo Gentilium maxime conſpicua ſemper fuit & execranda idololatria. Philippus Guadagnolus, Apol. cap. VIII. ſect. XI. pag. 147. *addis*, alloquitur adverſarium ſuum Ahmedem Perſam, *nos in cultu ſanctarum imaginum & crucis predicto, idololatriam exercere.* Imo verè hoc addit, & quamdiu non omittitis, vos peccare

re graviter, & confirmare in infidelitate ſuâ miſeros homines objecto iſto ſcandalo, omnes aſſerimus; eoque gravius, quod illi non id capiunt pro aliquorum inter Chriſtianos vitio, quemadmodum eos hoc interpretari oportebat, ſed pro praxi & doctrinâ omnium Chriſtianorum; quod falſiſſimum: & Pontificii quando ex Chriſti doctrinâ, cultum imaginum comprobare ſatagunt, maximam ſanctiſſimo nomini impingunt calumniam. Huc etiam ſpectat, quod in ſui temporis hiſtoriâ auguſtiſſima refert Iac. Auguſtus Thuanus lib. XLIII, de Mauriſcis, quod XX. *virgines Chriſtianas ex voto mactaſſent, quarum capita ſparſis capillis pro valvis templi adhuc proſtabant, totidemque idolorum cultores, ita Sacerdotes noſtros, quod ante imagines procidant, vocant, ſe ſacrificaturos proximo conventu juraſſent.* Adeo idololatriam interpretatur illa Gens imaginum cultum, & earum cultores idololatras. Refert Matthias à Michou, lib. de Sarmatia Aſia I. cap. V. quod poſtquam P. Innocentius IV. anno CIↃ.CCXLVI. ad magnum Cham miſiſſet Aſcelinum, alioſque, pro convertendis ad fidem Chriſti Tataris; mox etiam, poſt diſceſſum Chriſtianorum, advenerint legati Sarracenorum, ſuadentes ut Tatari potius ipſorum, id eſt, Muhammedicam amplecterentur fidem, additis rationibus, ſuam eſſe faciliorem & tolerabiliorem, voluptatibus plenam, viriſque belligeris convenientiorem; *Chriſtianorum autem religionem confutando dicebant eſſe otioſorum, imbecillium, & idololatrarum imagines colentium.* Magnum ergo hoc ſcandalum, pro quo extenuando verbum non facimus, ut quidem Pontificii plurima hic adferre coguntur, ad diluendum iſtud præjudicium: ubi illis evenit, quod iis qui in cœno volutantur, quo plura ad excuſandum malum ſuum adferunt, eo turpius ſe dant, quum non niſi omiſſione & deteſtatione corrigi hoc quidquid eſt, poſſit. Nos interim precamur Deum, ut meliorem mentem indat illis, qui culpæ iſtius rei ſunt, utque perpen-

dant tandem quid ſanctum iſtud, quo inter Chriſtianos veniunt, nomen mereatur, ut amoveant præter alia, & hoc tantæ rei, ac eſt converſio infidelium, graviſſimum impedimentum.

Sed uti illa ſunt præjudicia, ad converſionem Muhammedanorum, quæ cavere & corrigere ante omnia oportet, ita ad promovendum opus, duo quidem omnino ſunt neceſſaria. Primum eſt *linguæ Arabicæ* cognitio, quâ Alkoran ſcriptum, tum ejus, quâ utuntur Muhammedani, quibuſcum nobis forte futura ſit res: alterum, *miſſio* ad illas oras iſtorum, qui ei negotio habeantur apti. Præ omnibus prædicandum hic exemplum Nicolai Clenardi, Grammaticæ illius Græcæ Auctoris, quam Voſſius poſtea expolivit & perfecit, & qui in præfatione etiam de Clenardo illud memorat; uti & Poſſevinus in Biblioth. *lib.* IX. *cap.* IX. *de Judeis.* Thomas à Ieſu, de Converſ. Gent. *lib.* X. *pag.* 7. 29. Melchior Adamus, in *vitis Germanorum Philoſophorum, pag.* 123. dignum exemplum, quod commendemus, quodque omnibus & Studioſis & Theologis ſerio proponamus, non ob linguam addiſcendam ſolùm, ſed ad imitandum etiam viri iſtius in promovendâ Sarracenorum converſione ſtudium. Dieſtemo, oppido Brabantiæ oriundus Clenardus, ſingulari cupiditate flagrabat linguæ Arabicæ, quam ſuâ etiam diſciplinâ accendit præceptor ejus Latomus. Quare non ſatis habens noſſe Græcas Hebræaſque litteras, quas in Academiâ Lovanienſi docebat, linguam Arabicam, cujus guſtum ex commentariis Hebraicis jam ceperat, & analogiam cum Hebræâ viderat, illis adjungere conatus eſt, uſus initiò ſolo Pſalterio Nubienſi. Interim in Hiſpaniam accitus, libros hic Arabicos primum vidit atque evolvit, docuitque Salmanticæ Græcas litteras, tanto auditorio, ac uſque eo in Hiſpania viſum fuerat nullum, & in Arabicis quidem ſpatio ſex menſium tantum profecit, ut linguam non jam

ſci-

ſciret ſolum, ſed & alios doceret. Evocatus hinc à Rege in aulam fuit, ad fratris Henrici, Archiepiſcopi Braccarenſis, inſtitutionem: verùm ſedari omnibus illis ardor ejus non potuit, niſi ipſos adiret in Africâ Arabes, & ſe conferret in celeberrimam Academiam Feſanam, ubi non linguæ adeo (quam jam prompte loquebatur, & quâ ipſum Regem ſalutare novus hoſpes poterat), ac quidem religioni ipſorum, & Alkorano pernoſcendis haud ſegniter incubuit. Epiſtolas ejus habemus *Peregrinationum, ac de rebus Muchometicis*, ſcriptas ad Iacobum Latomum præceptorem ſuum, & Franciſcum Hoverium, ab anno cIↄ Iↄ xxxv. & deinceps, uſque ad annum xl I. quum propoſuiſſet abeſſe tantum trienio: de quo in litteris ſuis ita alicubi conqueritur: *putabam me triennio tantum abſuturum, at nonus agitur annus exilii, & neſcio quo me jactet litterarum amor.* Litteris iſtis animum, & rationem ſtudii ſui omnem exponit. Eâ, quam Feſâ ſcripſit, ad Latomum, epiſtolâ, a. xl I. quæque ſummam ferè comprehendit ſuarum peregrinationum, inquit: *Cum incœpiſſem Granatæ legere Alcoranum, & miſcendis colloquiis cum domeſtico præceptore, cognoviſſem quam fœdis erroribus dementata eſſet gens iſta Muhometica, ſive ſic temerè venit in mentem, ſive Deus hunc laborem mihi objicere voluit, certè cœpi conſilium, ut omiſſis linguis omnibus, in quibus hactenus ſtudium poſuiſſem, jam in reliquum vitæ ſpatium me devoverem Arabicis, nec quieſcerem, donec ſic promoviſſem; ut & viva voce præſens, & abſens tollerabili calamo, poſſem cum illis in arenam dogmatum deſcendere, & ſimul meo exemplo provocarem, ſiquis forte hanc Theologiæ partem mecum vellet amplecti.* Deinde: *Ego vero in Brabantia ſtatui fundamenta jacere, reſpondique non mea conſilia deſtinari Granatenſibus, qui inquiſitionis metu ſimulant Chriſtianiſmum, ſed eos me ſomniare milites, qui cum Mahometiſtis ipſis poſſint confligere: & ibi nobis aliquando pugnandum eſſe, ubi apertè dogma profitentur Machometicum: nullum*

eſſe certamen, ubi nemo ſe præbeat hoſtem. Hunc ſcopum ſtudiis meis propoſui, quòd ita crederem me fructum è capeſſendis linguis reportaturum, ſi eas accommodarem pietati. Mundus cœpit Græcari, & Hebraicari, ſane ornamentum acceſſit hominibus ſtudioſis. Verùm ſi hâc viâ prorogata fuiſſent Chriſtianæ religionis pomeria, vera gratulandi eſſet occaſio. Quando ergo in Arabiſmum revoluta eſt mea peregrinatio, non me movit quod author dicerer profeſſionis Arabicæ, non ut medicis operam præberem reſtituendo Avicenna, aut Philoſophis, corrigendo Averroë: ſed hoc tantum ante oculos fero, ut quemadmodum contra cæteros hæreticos ſcribunt Latinè, ſic adverſus Machometiſtas ſtylum ſtringerem Arabicum. Id fieri non poteſt niſi illorum dogmata penitus habeamus cognita, nec credamus quid in Latinorum libris de illis nationibus jactatum ſit. Sed quod ſuis libris illi ferunt, id arripiamus, & contra id arma capiamus. Præter Alcoranum habent libros Sunnæ tam ridiculos, ut ipſi ſeſe poſſint confutare, niſi perſuaſum eſſet, Machometum fuiſſe prophetam veracem. Ex iis depromenda ſunt, contra quæ velis pugnare. Ego igitur putavi hos libros mihi conquirendos, & re communicata cum doctis Theologis, ad me propriè hanc revocandam provinciam, primùm ut linguam docerem, deinde rationes doctorum in Arabicam verterem. Neque enim omnes poſſunt Arabicari, quamvis multi queant Machometum impugnare. Et contra Machometum Latinè ſcribere, quid pertinet ad tot orbis nationes, quæ ſolam linguam norunt Arabicam? Non piguit iſta ob rei præſtantiam deſcribere, & ſingulis ob oculos ponere, quo videant, quid hic agendum ſit. Imo certe verus & ſalutaris notitiæ linguarum, cum aliarum, tum Arabicæ fructus eſt, non ad oſtentationem illas circumferre, vel in vertendis aut exponendis ſcriptis ſæcularibus ſemper hærere, ſed homines illarum adminiculo in verâ Chriſti fide & pietate inſtruere, infideles convertere, promovendo regno Chriſti illas conſecrare & inſumere. Hæc demum ſunt Chriſtiani homi-

nis,

nis, & in linguis eruditi ſtudia. Beatus, qui in iſtis laborem poſuit ſuum, quemque Dominus adveniens repererit ſervum ποιοῦντα οὕτως. Matth. XXIV, 46. Poſt illa Clenardus non diu ſupervixit, adeo ut exſequi & perficere animi ſui inſtituta minime potuerit, quippe obiiſſe dicitur anno cIↄ Iↄ XLII. Granatæ: verùm probatur Deo etiam bonæ voluntatis egregium rudimentum, & ad æmulationem valet aliis, quibus Deus mentem, vires, & occaſionem ad iſtiuſmodi benigniſſimè elargitur. Iam ante ſcripſerat: *Certè non extant apud nos monumenta hujus ſectæ tàm enucleata, ut ſi cum Machometiſtis congredi velis, citra dubium eorum myſteria poſſis aſſeverare. Hoc omnino verum puto, non eſſe nobis eos Arabicos, qui cum peritis diſceptent, quales habuimus adverſus Græcos. Quare cum gratia Dei, me nactum videam, ut viam aliquam ad hanc rem muniam, non eſt negligenda occaſio. Niſi mihi librorum defuerit copia, ſtat ſententia fideliter Latinis donare quicquid in ea ſuperſtitione poſitum eſt. Ac primum vertendus eſt Alcoranus, non ille quidem nudus objiciendus vulgo, ſed adjectis ſcholiis, & tuis, aliorumque Doctorum confoſſus hic illic jaculis. Quod ſi tam magno animo Clenardi non defuerint opes (nam Regium ſomnio ſomnium) longe majora tentabimus. Quid quæſo? Libri iſti Hebraici quos Venetiis imprimit Bombergus, in omnes orbis partes ad Hebræos navigant, in Aphricam, in Æthiopiam, in Indiam, Ægyptum, & cætera Iudæorum domicilia. Nos Alcoranos imprimemus, cum verſione Latina, & omnibus in locis ubi ab Evangelio deflectunt noſtrum habebimus præſidium, tum Latine, tum Arabice.* Quam velim ut quis talem nobis aliquando det Alkoranum, juxta cum verſione Latina! quod magnum certe in hiſce rebus præberet adjumentum.

Mirum, quod de Methodo, quâ Muhammedani in Scholis ſuis docent Arabicam, Clenardus ſcribit. *Eſt apud eos hic mos: Statim à primis annis ad verbum ediſcunt*

ſcant Alcoranum, & inſigunt memoriæ librum quem non intelligunt. Nec tamen ullis in ſcholis hic comparet codex: ſed ludimagiſter è memoria depromit penſum, & in tabula lignea deſcribit, id puer reponit in animo, & poſtridie alterum ſcribitur penſum, donec anni, aut biennii ſpatio, totum ediſcat Alcoranum. Multo plures reperias qui teneant ſic Alcoranum, quàm qui ipſum habeant domi codicem. Idem de iſto docendi diſcendique in Scholis ordine, ex Leone Africano, refert *Deſcriptio Arabic*, pag. 353. in hiſtoria Feſæ, cujus urbis Academia eſt celeberrima: *nuſquam ſic fervet Alkoranus ut hic Feſæ. Tuneta florebant & cæteræ omnes diſciplinæ, at Feſa poſt Grammaticam, toti ſunt in Alkorano & Doctoribus Scholaſticis*, inquit in epiſtolis ſuis Clenardus.

Ecquis non jure miretur, quando legerit conſilium hoc à Thoma Campanella Monarchę ſuo ſuggeri, quod habet lib. de Monarch. Hiſpan. cap. x. *Septimò Scholas linguæ Græcæ & Hebraicæ claudat, quia hæ imperio exitium tulerunt, atque hæreſes hodie potiſſimum illis nituntur, contra verò introducat Arabicam, qua Muhumetani convincantur, & Tranſalpini in coarguendis Turcis, non verò Catholicis occupati fiant?* Itane claudet Monarcha Hiſpanus Scholas omnes linguæ Græcæ, & Hebraicæ? hem barbaram vocem: nempe hæreſes potiſſimum illis nituntur. Felices ſane hæreſes, (nihil quam doctrinam noſtram intelligit) quæ tam excellens habent bonarum litterarum præſidium, & quibus hoc teſtimonii dat magnus earum adverſarius. Contrà Maturinus Simonius, in eleganti libello, *de literis pereuntibus*, in eos graviter invehitur, qui defectionis cauſam linguis attribuunt: *invitus repeto quoſdam turpiſſime ſuæ defectionis cauſam linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, refloreſcenti cognitioni attribuere.* Revera autem à Linguis, earumque reviteſcentiâ magnum reformationi acceſſit auxilium & honeſtamentum. Quod de Arabicâ dicit Campanella, facile nos, verùm una cum Hebræa

bræa, Græcaque lingua, & his quidem ſupra illam, utpote divinioribus, admittimus.

Sed de linguâ addiſcendâ res minus difficilis, quam de *miſſione* ad Muhammedanorum loca & regiones inſtituendâ: quare quid hic conſuli poſſit, videamus. Vel enim ad hanc rem ſeminaria in Scholis & Academiis inſtituenda erunt eorum qui ad hanc provinciam inſtruantur: quemadmodum ejuſmodi ſeminaria in Eccleſiâ Romanâ ad variorum hominum & partium converſionem habentur Romæ, atque alibi. Aut illis tótum committendum negotium erit, qui ſpontaneo mótu excitati ad hoc opus, eò ſe lubenter conferunt: aut qui occaſione ſive mercaturæ, quæ in illas partes dirigitur, ſive Reipublicæ noſtræ negotiorum, Legati, iiſque cómites adjuncti Concionatores, homines illos & loca frèquentant. Bene autem providere omnes oportet, quid ſuarum partium ſit, quid occulta & efficax in animis Dei vocatio, quid officii ratio, proximorum ſalus, infidelium converſio, oblataque ad eam occaſio, à nobis poſtulent, ſiquando Macedonem videmur audire acclamantem: *Διαβὰς εἰς Μακεδονίαν βοήθησον ἡμῖν. adveni in Macedoniam, opitulare nobis.* Act. XVI. 9. Ego exiſtimo, illa in Scholis juventuti, & candidatis Theologiæ ac miniſterii nonnunquam inculcanda eſſe, ut ſciant omnes, quæ quantaque à nobis requirantur, & ut cogitationes ultra parvum aliquorum hominum diſtrictum, intra quem nimis arcte nos incarceramus, & ſecuri aliorum exterorumque fidei vivimus, extendere oporteat, ſæpiuſque exigendam à nobis officii rationem eſſe, an præterquam noſtris inter quos vivimus, infidelibus quoque & remotioribus, qui ſalvari niſi vel per noſtrum, vel per aliorum ad eos acceſſum & prædicationem poſſunt, à nobis ſatisfiat? *quomodo vero credent de quo non audiverunt? & quomodo audient abſque concionatore?* Rom. X. 14. Diligenter expendendum, annon idem quod alii nobis fecerunt, & quas mole-

ſtias ad nos vel Majores noſtros convertendos ſumſerunt, viciſſim nos quoque aliis impendere deceat, & quæ plura huc ſpectantia ad commovendum animum ſibi quis objicere tum poteſt, tum debet. Ante omnia verò eum, qui operi huic admovendus ſit, præterquam rerum ſuarum benè ſcientem, & vitæ probæ atque ἀνεπιλήπτου eſſe docet: nullibi enim magis vitæ officit improbitas, quam apud eos quos convertere velimus, quique ob imbecillitatem non poſſunt ſcandala data fortiori animo ac fide digerere & inoffenſo pede præterire. Eo magis, quo in externâ morum diſciplinâ ipſi ſæpe infideles Turcæ, & Muhammedani cum Chriſtianorum vulgo certare poſſunt de modeſtiâ, aliiſque in vitâ civili moribus: adeo quidem ut Auctor Septem Caſtrenſis hoc argumento ſe nonnihil aliquando commotum ſcribat, & tentatum ad illorum ſequendas partes. Cap. IX. *Quis enim, non dico ſimplex tantum, ſed etiam ſapiens quiſque, non moveretur primâ fronte, videndo tantam compoſitionem morum in ipſis infidelibus? omnem enim levitatem in quibuſcumque actibus eorum, & geſtis, veſtitu & apparatu, deteſtantur ſicut ignem, & abominantur ſicut peſtem. Videntes enim levitatem Chriſtianorum in veſtitu & equitatu, & aliis quibuſcunque derident, & eas capras & ſimias vocant. Honeſtiſſimum enim modum, imo religioſiſſimum habent in veſtitu tam mares, quam fœminæ, tam majores, quam minores, tam curiales etiam quam ipſi ruſtici & villani. Et ita communem & ſimplicem, ut omnino nihil indecentiæ vel inhoneſtatis, ſeu ſuperfluitatis, vel curioſitatis vel levitatis in eis poſſit deprehendi vel notari. De his autem, qui religioſiores & devotiores habentur, quid dicam? tantum enim ſimplicitatis, & conformitatis & ſingularis apparentiæ & exemplaritatis oſtendunt in actibus, geſtis & motibus & veſtimentis, ut eos aliquem modum regularis obſervantiæ crederes profeſſos.* Confer eundem, cap. X. XI. XII. & quæ reſpondet cap. XIX. Quando ergo videmus illos haud ſegniter curare civilem modeſti-

deſtiam, ποταπὰς δεῖ ὑπάρχειν ἡμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις, præſertim inter illos, atque ad eos convertendos, videlicet à vitâ & viâ malâ ad meliorem. Aute omnia corrigenda & ſanctificanda eſt vita noſtra, ſi quid vel diſputatione vel bello contra illos evicturos nos ſperamus. Fateor equidem, non parvam difficultatem continere hoc, de quo impræſentiarum loquimur, converſionis Muhammedanorum negotium, ſed attollendæ cogitationes ſunt, & tum præſtantia, utilitas, atque neceſſitas operis intuenda, tum reſpicienda Dei ſupremi benedictio, & favor, & potentia in opere promovendo, atque ſanctificando. Procul dubio qui audierit & obſervare etiam aliquatenus ſtuduerit illud: *ite, docete omnes gentes*; experturus quoque eſt vim annexæ promiſſionis: *& ecce, ego vobiſcum ero omnibus diebus, uſque ad conſummationem mundi.* Ne addam, quod pro rebus terrenis & corporalibus, pro lucro aliquo, honore, alteriuſve mundanæ rei poſſeſſione homines longe graviores ſuſcipiant profectiones & labores, quam in hoc ſanctiſſimo maximeque ſalutari & divino opere ponere neceſſum eſſet. Præterquam quod conſolari ac erigere homines hic cum multa alia, tum & hoc præcipue poſſit, quod iſta ratione ſingularem in modum Apoſtolos, quin Chriſtum, Deumque imitentur, quando ſeipſos ita totos offerunt conſecrantque promovendæ aliorum ſaluti & converſioni. Præcipue ubi conſideraverimus, quantam proh dolor orbis partem Muhammediſmus occupet. Vide Edwardi Brerewood Angli, *Inquiſitionem linguar. & relig. per mundum*, *cap.* XI. Et Iohannis Cotovici, Vltrajectini, *Itinerar. Hieroſolymit. cap.* I. Magna quidem difficultas operi offertur ex immani Turcarum crudelitate, qua & ſuis omnibus ex præſcripto Muhammedis interdicunt rerum ad religionem pertinentium examine, atque omni ſuper illis diſputatione; deinde & ſævißime Chriſtianos, excipiunt

ſi

ſi quos hoc in opere deprehendant, & videant ſollicitare Muſulmannum (uti loquuntur) ad fidem Chriſtianam: ſed huic opponi debet tum animus vere Chriſtianus, id eſt, pro promovendo regno Chriſti, & converſione infidelium ad mortem & martyrium uſque anhelans; tum, illud ipſum eſſe cauſæ malæ & deſperatæ argumentum, non pati poſſe quod diſcutiatur & examinetur. Surat. XIII. *de præceptis hujus libri*, inquit, *quare quis quæſtionem querimoniamve movet? poſt conſtitutum enim Alkoranum, quidquam inde mutare nefas eſt*. Similiter Surat. XIV. XVII. & XX. *Contradicentibus dicito, ut ſibi ſua ſint negotia, tibi tua: ipſique à tuis factis, & tu ab illiorum liber.* Et Sur. XXV. XXXII. *Tecum diſputare volentibus dic, Deum ſolum omnes actus tuos cognoſcere, qui die poſtremo lites omnes & contrarietates diſcutiet.* CXIX. *homines incredulos ſic alloquere, ego quidem legem veſtram atque ſectam minime ſequar, nec vos meam. Igitur mihi mea maneant, & vobis veſtra.* Ex quâ eadem causâ eſt, quod typographiam terris ſuis arcent Muhammedani, & ſubmiſſos olim à magno Hetruriæ Duce typos Arabicos Turca rejecerit, veritus nempe hoc modo in multorum examen legem ſuam devolutum iri, cui nuſpiam majus quam in craſſa ignorantiâ præſidium. Prohibuit Muhammed omnem de lege ſuâ diſquiſitionem, aſtuto conſilio, ut caveret legis ſuæ infirmitati, & ſuffocaret mentis vel paulum ſe ad meliora erigentis impetum.

Erga Chriſtianos iniquior paſſim, aliquando & ſuo modo illis haud perfunctoriè videri vult favere. Apud Elmacinum, Hiſtor. Arab. cap. 1. dicit Muhammed: *benefacite Cophtitis Ægypti, ſunt enim vobis genere & affinitate juncti.* Item: *qui Chriſtianum opprimit, adverſarium eum habebit in die judicii.* Et: *qui Chriſtiano nocet, mihi nocet.* Aliquando iis ne quidem ſalutem ęternam videtur denegare, quin ſalvari in religione ſuâ poſſint. Surat. 1. *ſciendum autem generaliter, quod omnis*

rectè

rectè vivens, Iudæus ſeu Chriſtianus, ſeù lege ſuâ relictâ in aliam tendens, omnis ſcilicet Deum adorans, indubitanter divinum amorem aſſequetur. Ibidem: *his qui crediderint, & Iudæis & Chriſtianis & Paganis, ipſis erit merces eorum apud Dominum, & non erit timor contra eos neque contriſtatio.* Contendentibus de lege ſuâ benignè reſponderi præcipit: *num contendetis nobiſcum de Deo, cum ipſe ſit Dominus noſter, & Dominus veſter? & nobis opera noſtra, & vobis opera veſtra, noſque etiam ipſi Domino noſmet commiſimus?* Surata *Locmanni*, XXXI. *Dixit quoque Locmannus* (eſt is idem cum Græcorum Æſopo, eædemque fere utriuſque fabulæ): *o filiole mi, utique ſi fuerit boni piique operis quidquam pondere unius grani ſinapis, granorum omnium minutiſsimi, quod exiſtat in petra, abdita aliqua ejus lacuna, aut in cælis, ſummo eorum convexo, aut in terra, imo ejus fundo; nempe in parte mundi occulta, ſuprema vel infima, proferet illud Deus & conſpicuum faciet ac coram ſiſtet ut in rationem veniat.* ex Perſicâ paraphraſi, & verſione Cl. Golii. Illud eſt, quod Iudæi paſſim docent, Deum nullius opus fraudaturum mercede ſua, אין הקבה מקפח שכר כל בריה. Per opera ſalvatum iri ſe plerique apud Turcas ſtatuunt; quamvis etiam ſint qui non per ſua adeo opera, quam per Dei gratiam ſe ſalutem ſuam obtenturos credere videantur.

Salutem dico, à cujus exponenda natura quid ni diſputationem aliquando cum Muhammedanis inchoemus? utpote re gravi, & ſummâ, & cujus maxime quidem noſtra refert habere veram cognitionem & fidem. Quippe facile doceri poteſt, in rebus adeo futilibus & corporalibus ſitam haud eſſe ſupremam æternamque hominis felicitatem, in quibus illam conſiſtere docent Muhammedani: neque iſta tantæ beatitudinis eſſe ſi quis poſſideat, ſpurca, & bruta, quæ nec cum animæ noſtræ, nec beatitudinis præſtantia ſatis conveniunt. Unde Avicenna ipſe, quamvis Arabs Muhammedanus, lib. IX. de prima philoſo-

phia

phia, dixit: *lex noſtra quam dedit Muhammed diſpoſitionem felicitatis & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus; attendit. Sed eſt alia promiſſio, quæ attenditur intellectu. Sapientibus verò Theologis multo major cupiditas fuit ad apprehendendam iſtam, quam corporum; quæ quamvis daretur eis, non tamen attenderunt ad eam, nec in pretio habuerunt in comparatione felicitatis, quæ eſt conjunctio cum veritate.* Vivant homines lubenter cum Muhammedanis, ſed vel hos ipſos malle mori cum Chriſtianis, certum eſt: adeo anima quando ſibi redditur, & magis defæcatur à mundo, quod ſub mortem (ſi quando) fieri maximè ſolet, uti in rebus mundi tum nullam, ita nec in religione Muhammedicâ conſolationem capere ullam poteſt, in Chriſtianâ vero, ſi modo cognita, firmam & plenam reperit quietem, ſalutem, omnia. Bene hoc obſervavit Richardus ille, ex ordine Prædicatorum Monachus, lib. *Confutat. legis. Sarracen. cap.* x. quod multi quidem paſſim à Chriſtianâ religione deficiunt ad Muhammediſmum, ſed in vitâ; in morte nemo. verum quod jam illi ipſi etiam apoſtatæ velint Chriſtianè mori, aliique Muhammedani in fine vitæ liberius Chriſtianiſmum amplectuntur. *Et hujus rei ſignum in utriſque eſt*, inquit, *transſmutantur enim quidam Saraceni in Chriſtianos, & Chriſtiani quidam fiunt Saraceni. Chriſtianus quidem nunquam in morte fieret Saracenus, ſed in vita: Saracenus autem potius in morte fit Chriſtianus, quam in vita: uterque igitur horum potius eligit Chriſtianus mori, quam Saracenus.*

Sed jam tempus eſt ut finiamus, præter propoſitum prolixius in res Muhammedicas hactenus digreſſi: quæ non omnino abſque fructu futura ſperamus, tum ad cognitionem rerum iſtarum aliquam impartiendam; tum forte etiam ad accendendos pro juvandâ illorum converſione, Chriſtianorum animos, qui nimis à nobis paſſim negliguntur. Syllabum quoque, uti de aliis facimus, horum ſubjiciemus, quæ cum Muhammedanis controverſiam faciunt.

1. Num

I. Num Muhammed fuerit verus Propheta, & ipſo Chriſto major? *Neg.*

II. Num Alkoran ſit liber divinæ & infallibilis veritatis, ſupra Euangelium? *Neg.*

III. Num S. Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti, quam Chriſtiani habemus, ſit corrupta & depravata, multis ex eâ ablatis, aliiſque curſus inſertis? *Neg.*

IV. An Euangelium comprehendat doctrinam ſalutis, eaque ex illo ſolo cognoſcenda ſit? *Aff.*

V. Deus eſt infinitus, incorporeus, inviſibilis, & invariabilis.

VI. In uno Deo ſunt tres Perſonæ divinæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

VII. Chriſtus Jeſus eſt verus Deus, & ita quoque adorandus.

VIII. Chriſtus ipſe vere eſt crucifixus & mortuus; non alius ejus loco.

IX. Solus Chriſtus eſt verus & perfectiſſimus noſter mediator, ac ſalvator.

X. Juſtificamur coram Deo non aliâ re, quam ſolâ Chriſti juſtitiâ, pro nobis ab ipſo præſtitâ, atque propter eam obtinemus à Deo remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam.

XI. Num circumcidi oporteat? *Neg.*

XII. Num lotiones corporis Muhammedanis uſitatæ, ſint religioſæ, atque expiatoriæ? *Neg.*

XIII. Precari ad certum locum, videlicet Meccam, & per certas corporis proſtrationes, eſt ſuperſtitioſum.

XIV. Num jurare liceat per creaturas, animalia, ſtellas, Dæmones &c? *Neg.*

XV. Muhammedanorum jejunia nequaquam ſunt recta & ſancta.

XVI. Superſtitioſum eſt, quod Muhammedani in cibo & potu abſtinent à carne porcinâ, ſuffocato, ſanguine, & vino.

XVII. Contra honeſtatem & probitatem eſt Muhammedanorum polygamia; uti & repudium.

XVIII. Num beatitudo cœleſtis ſita ſit in voluptatibus & deliciis carnalibus? *Neg.*

Liber Quartus,

DE

PAPISMO.

Papiſmus quid. Ortus ejus, ex corruptione diſciplinæ, & rituum in Eccleſia. Ejus adoleſcentia, in Bonifacio III. *anno.* IↃCV. Α'κμὴ, *in Gregorio* VII. *anno* CIↃ LXXIV. *Hinc oppoſitiones celebriores, Doctorum, Eccleſiarum, Sectarum. Waldenſes, anno* CIↃ CLX. *Wicleſitæ, anno* CIↃ CCC LX. *Huſſitæ, anno* CIↃ CCCC. *Reformatores* ἐξόχως *dicti, Zuinglius, Lutherus, alii. Inde Padiſmi caſus. Denique ejuſdem ſtatus deſperatus, à Concilio Tridentino, anno* CIↃ IↃ XLV. *Series controverſiarum, & articulorum Papalium, juxta eorundem ætatem de cultu imaginum, Tranſubſtantiatione. Syncretiſmus: alius in doctrina, cum Doctoribus; alius in praxi, cum ſimplici & devota plebe, in communibus precibus. Religio noſtra ad praxim & ſalutem tutior. Lectio & ſtudium Scripturæ. Diſputationes cum Pontificiis. Colloquia iiſtum habita, & quomodo habenda: diſputatoria alia; alia charitativa, & conciliatoria: ubi expendendæ Adverſariorum Conceſſiones, & Confeſſiones. Quid in ſcriptione obſervandum, & præſtandum. Argumentorum ratio & claſſes variæ.*

PApiſmus, de quo acturi impræſentiarum ſumus, & cujus ante omnia explicandum nomen eſt, aut ſtrictè ſumitur, pro Papalis ordinis in Eccleſiâ Romanâ monarchiâ; quo ſenſu Cardinali

dinalis Petronus, in ſuis Epiſtolis, & paſſim Conclavia mſſ. diſtinctionem faciunt Cardinalium *Papabilium*, à *non Papabilibus*: aut latè, pro totâ Eccleſiæ Romano-Papalis doctrinâ. Neque nomen Papiſticum jam ultra indignantur Papales, ut de eo potius glorioſo ſc. æque ac proprio palam gratulentur. Et hoc certe adæquatum ipſis nomen veriſſime competit, à quo tempore (referunt autem ad Gregorium VII. in Concilio Romano) nomen Papæ epiſcopo Romano appropriatum, & non à ſuis ſolum, ſed & à Græcis, atque à Iudæis in ſcriptis hoc modo de notari cœpit: melius quam per nomen Catholici: quamvis nec hoc uſu Eccleſiaſtico illud dicat, quod multi opinantur, Catholicum, *ſc.* per totum mundum; ſed vel per provinciam, aut per diœceſem patriarchalem nominabant Catholicum Veteres epiſcopum: Salmaſius, *de Primatu, pag.* 210. Aliter tamen de Eccleſiâ dicitur, quod ſit Catholica: ſed verò hæc ſimpliciter ita nuncupatur: cæteroquin & particularis aliquando Eccleſia dicitur quoque Catholica. Remigius epiſcopus, in Teſtamento ſuo, apud Flodoardum, lib. 1. *Quandoque ego Remigius epiſcopus de hâc luce tranſiero, tu mihi hæres eſto, ſancta & venerabilis Eccleſia Catholica urbis Remorum*: quod explico, Catholicam fidem profeſſa, vel Catholicæ Eccleſiæ membrum illuſtre: ut nomen Catholici, vel Catholicæ, quod ſibi Roma arrogat, non ideo univerſalitatem ſignificare putandum ſit, quamvis nec quâ parte illud Eccleſiæ veræ eſt indigetamentum, Romanæ competat. Quippe uti Rainoldus in Theſibus verè poſuit, theſ. v. *Romana Eccleſia nec Catholica eſt, nec ſanum membrum Catholicæ.*

In Eccleſiâ quum tria ſint præcipuè conſideranda, *doctrina*, *diſciplina*, & *vita*, facilior & vulgatior corruptio in vitâ oritur, inde in diſciplinâ, quâ per vitioſos & vitiorum proluviem infectâ, tandem illud quod vitæ, quod diſciplinæ peccatum erat, doctrinâ etiam

ſtabiliri incipit, id eſt, facili compendio ab errore diſciplinæ pergitur ad corruptionem quoque doctrinæ. Vt illud de vitâ, quod primo loco dixi, omittam. quod etiam, quandiu ſana eſt cum diſciplinâ doctrina, curari per eam optime poteſt, prima corruptela Eccleſiæ fuit in *diſciplinâ*, in minoribus & levioribus initio, quæ parum curata ſenſim doctrinam etiam occuparunt, unde Papiſmus ſuo tempore enatus eſt. In diſciplinâ leviſſima videntur quæ *ritus* concernunt, tum quæ *ordinem*; atque eorum depravatio eſt omnium antiquiſſima. Primò in *ritibus* circa res Sacras, & officia, & cultum cœpit Eccleſia, ex malâ κακοζηλίᾳ, hinc Iudæos, inde Gentiles imitari, & quaſi horreret ſimplicitas Chriſti, doctrinam ejus variis ritibus involvere. Hæc vetuſtiſſima ſunt Eccleſię lemmata: inde progreſſum ad *ordinem* Eccleſiaſticum mutandum, & aliâ formâ magis ad mundi pompam & monarchiam inſtituendum, facto diſcrimine primum inter *epiſcopos*, & *preſbyteros*. inde quoque *inter epiſcopos*, ut tandem ex illis ſuccreverit, qui ſe poſtea ſuper omnes ambitioſiſſimè extulit, *Papa* Romanus. Hæc exordia dilapſi ſtatus Eccleſiaſtici à priſtinâ & primævâ puritate; inde circa cultum divinum, Sacramenta, regimen Eccleſiæ &c. prava dogmata ſubſecuta, quæ omnia in Romanam Eccleſiàm, ceu ſentinam confluxerunt, inque eâdem pertinaciſſimè ſemper fota fuerunt & retenta. Quæ uti olim fidei & doctrinæ ratione fuit commendatiſſima, quando ſcilicet ſcribebat illis Apoſtolus, quod eorum fides in toto mundo prædicaretur Rom. 1. 8. ita (nam corruptio optimi peſſima) præ aliis errores, & prava quæque, ad ſe magno impetu delata, ut ejus patrocinium, quo de cætero tuta eſſent, aucuparentur, ſemper avidius hauſit atque defendit.

Iamque facile adduci potuit Eccleſia illa, & ejus Epiſcopus, ut ſe ſenſim ſupra alios quoſque efferrent, ſive famâ, fide, authoritate, uſurpatione, & quod quidem

dem maximum adferebat momentum, urbis & imperii ſuprematu ſubnixi. Quod poſt annum ſexcenteſimum maxime invaluit, quando Bonifacius III. epiſcopus Romanus, ab Imperatore Phoca, digno ſcilicet, per infandum erga Mauritium Imp. ejuſque familiam parricidium, Auctore, obtinuit tum ut Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum haberetur mater & caput, tum ut Epiſcopus Romanus diceretur ſummus & univerſalis Epiſcopus, quæ facta ſunt anno IↃCV. Inde ad tempora Gregorii VII. haud ſegniter Pontifices Romani omni operâ in id incubuerunt, ut *primatum* iſtum ſuum promoverent, vel *ſuprematum*: ſic Salmaſius dicendum; Paulus Servita Venetus, accommodato novæ rei novo & miro vocabulo, *totatum* dici poſſe arbitrabatur, quod in epiſtolis ad Salmaſium Sarravius indicat, pag. 220. Poſt Gregorium ergo hoc egerunt certatim Pontifices, ut poteſtatem ſuam, vel omnipotentiam, quę etiam vox ipſis placuit, in Eccleſias omnes, & Epiſcopos, novis ſemper augmentis extenderent. Quouſque, nec contenti eo, ſupra omnes politias, regna, & imperia, ſuper omnes nempe homines, hominumque ordinem, & ſtatus, pari ambitione ſe efferrent, quod nimirum ad cumulum imperii & dominationis Antichriſtianæ deerat. Hoc Gregorius VII. dictus Hildebrandus, & Papa factus anno CIↃLXXIII. ad. X. cal. Maii, curavit gnaviter, & primum ejus documentum dedit in Imp. Henricô IV. quem non ſatis habens excommunicaſſe, imperio etiam (quantum in ſe) privavit, ſubditoſque abſolvit juramento fidelitatis & ſubjectionis, quo erga Imperatorem tenebantur. Hâc uſus formulâ, quam Platina in ejus vita prodit. *Henricum regem &c. imperatoria adminiſtratione regiaque dejicio: & Chriſtianos omnes Imperio ſubjectos, juramento illo abſolvo, quo fidem veris regibus præſtare conſueverunt.* Iterumque in ſecundo anathematiſmo: *ipſum Henricum ejuſque fautores vinculo anathematis colligo: atque iterum regiam ei poteſtatem*

adimo, interdicoque Chriſtianis omnibus illo juramento abſolutis, quo fides regibus dari conſuevit, ne Henrico ulla in re obtemperent, Rodulphum in regem ſuſcipiant. &c. Cui etiam Rudolpho coronam Imperialem miſit, cum famoſâ iſtâ inſcriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Adeo nunc omnia à ſe & ſuâ poteſtate dependere, & imperium à ſe accipere Imperatores, ſuarumque partium eſſe aliis id dare, vel adimere; ſimiliter regna omnia & dominia in toto Chriſtianiſmo, quin orbe, quia nimirum vicarius Dei eſſet & Chriſti, Petrique ſucceſſor, Papa exiſtimabat. Videlicet is ſenſus verborum illorum erat, quæ in ejus electione obſervata, atque annotata fuerunt: *cum eâ poteſtate Eccleſiæ Dei præeſſe volumus, quâ Petrus Dei mandato quondam præfuit.* lib. IV. epiſt. Gregorii. VII. ep. III. *Ex illis enim intelligitur*, ſcribit ad Germanos, *cur ſit anathematis vinculo alligatus, & à regia dignitate depoſitus, & quod omnis populus quondam ſibi ſubjectus à vinculo juramenti eidem promiſſi ſit abſolutus.* Præcedenti epiſtola docuerat, Pontifices Regibus longè præſtare. Neque adverſus Imperatorem Henricum ſolum illud egit Gregorius, ſed quoque Galliæ Regi Philippo ſimile minabatur, *lib.* I. *ep.* XXXV. *& lib.* II. *ep.* V. *Quod ſi nec hujuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere, nulli clam aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, temptemus eripere.* Idemque concluſum adverſus Galliæ regem, in II. Synodo Romanâ, ſub eo habitâ, anno cIↃ lxxv. Libro VIII. ep. ult. ſingulis per Galliam domibus imponi vult denarium, ſedi ſuæ in ſingulos annos pendendum: *dicendum autem eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendo, ut unaquæque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvant B. Petro, ſi eum recognoſcunt patrem, & paſtorem ſuum more antiquo.* Aſtuto [illegible]mento, ut ſic reliquæ Eccleſiæ agnoſcerent imperium Romanæ, & in Eccleſias atque in politias parem exerceret ubique tyrannidem

dem. Ungarię regnum Eccleſię Romanæ ſubjectum eſſe ſcripſit, illius Duci Geuſę, *l.* I I. *epiſt.* lx I I I. & *epiſt.* XI I I. idem ad Salomonem, Vngariæ regem: *regnum Vngariæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt.* De regno Hiſpaniæ ſimiliter, *lib.* I. *epiſt.* V I I. & *lib.* I V. *epiſt.* XXV I I I. de Ruſſiâ, *lib.* I I. *epiſt.* lxxiv. & quis omnia corroget Papalis faſtigii in Eccleſiaſticis, in politicis, hoc in homine abſoluti, ab eo edita documenta? adeo omnino hic ponenda eſt Papatus Romani ἀκμή. Lib. IX. epiſt. I I I. mittit ad Abbatem Hirſaugenſem, formulam juramenti, ab Imperatore præſtandi, quæ incipit: *Ab hac horâ & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apoſtolo, ejuſque vicario P. Gregorio, qui nunc in carne vivit: & quidcunque mihi ipſe Papa præceperit, ſub his videlicet verbis: per veram obedientiam, fideliter (ſicut oportet Chriſtianum) obſervabo.* Et quomodo perfectam Papatus formam fundarit, vide plenius ex his ejus dictatis, quæ leguntur lib. I I. epiſtolarum, ſcriptarum anno cIↃ lxx I V. *Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata. Quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis. Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare. Quòd legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adverſus eos ſententiam depoſitionis poſſit dare. Quòd abſentes Papa poſſit deponere. Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere. Quòd illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare; de canonica Abbatiam facere, & è contra divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire. Quòd ſolus poſſit uti imperialibus inſigniis. Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur. Quòd illius ſolius nomen in Eccleſiis recitetur. Quòd unicum eſt nomen in mundo. Quòd illi liceat Imperatores deponere. Quòd illi liceat de ſede ad ſedem neceſſitate cogente Epiſcopos tranſmutare. Quòd de omni Eccleſia quocunque voluerit clericum valeat ordinare. Quòd ab illo ordinatus alii Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non*

adimo, interdicoque Chriſtianis omnibus illo juramento abſolutis, quo fides regibus dari conſuevit, ne Henrico ulla in re obtemperent, Rodulphum in regem ſuſcipiant. &c. Cui etiam Rudolpho coronam Imperialem miſit, cum famoſâ iſtâ inſcriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Adeo nunc omnia à ſe & ſuâ poteſtate dependere, & imperium à ſe accipere Imperatores, ſuarumque partium eſſe aliis id dare, vel adimere, ſimiliter regna omnia & dominia in toto Chriſtianiſmo, quin orbe, quia nimirum vicarius Dei eſſet & Chriſti, Petrique ſucceſſor, Papa exiſtimabat. Videlicet is ſenſus verborum illorum erat, quæ in ejus electione obſervata, atque annotata fuerunt: *cum eâ poteſtate Eccleſiæ Dei præeſſe volumus, quâ Petrus Dei mandato quondam præfuit.* lib. IV. epiſt. Gregorii. VII. ep. III. *Ex illis enim intelligitur,* ſcribit ad Germanos, *cur ſit anathematis vinculo alligatus, & à regia dignitate depoſitus, & quod omnis populus quondam ſibi ſubjectus à vinculo juramenti eidem promiſſi ſit abſolutus.* Præcedenti epiſtola docuerat, Pontifices Regibus longè præſtare. Neque adverſus Imperatorem Henricum ſolum illud egit Gregorius, ſed quoque Galliæ Regi Philippo ſimile minabatur, *lib.* I. *ep.* XXXV. *& lib.* II. *ep.* V. *Quod ſi nec hujuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere, nulli clam aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, temptemus eripere.* Idemque concluſum adverſus Galliæ regem, in II. Synodo Romanâ, ſub eo habitâ, anno cIↃ lxxv. Libro VIII. ep. ult. ſingulis per Galliam domibus imponi vult denarium, ſedi ſuæ in ſingulos annos pendendum: *dicendum autem eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendo, ut unaquæque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvant B. Petro, ſi eum recognoſcunt patrem, & paſtorem ſuum more antiquo.* Aſtuto [illegible]mento, ut ſic reliquæ Eccleſiæ agnoſcerent imperium Romanæ, & in Eccleſias atque in politias parem exerceret ubique tyrannidem

dem. Ungarię regnum Eccleſię Romanæ ſubjectum eſſe ſcripſit, illius Duci Geuſę, *l.* II. *epiſt.* LXIII. & *epiſt.* XIII. idem ad Salomonem, Vngariæ regem: *regnum Vngariæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt*. De regno Hiſpaniæ ſimiliter, *lib.* I. *epiſt.* VII. *&* *lib.* IV. *epiſt.* XXVIII. de Ruſſiâ, *lib.* II. *epiſt.* LXXIV. & quis omnia corroget Papalis faſtigii in Eccleſiaſticis, in politicis, hoc in homine abſoluti, ab eo edita documenta? adeò omnino hic ponenda eſt Papatus Romani ἀκμή. Lib. IX. epiſt. III. mittit ad Abbatem Hirſaugenſem, formulam juramenti, ab Imperatore præſtandi, quæ incipit: *Ab hac horâ & deinceps fidelis ero per rectam fidem B. Petro Apoſtolo, ejuſque vicario P. Gregorio, qui nunc in carne vivit: & quidcunque mihi ipſe Papa præceperit, ſub his videlicet verbis: per veram obedientiam, fideliter (ſicut oportet Chriſtianum) obſervabo.* Et quomodo perfectam Papatus formam fundarit, vide plenius ex his ejus dictatis, quæ leguntur lib. II. epiſtolarum, ſcriptarum anno CIↃ LXXIV. *Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata. Quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis. Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare. Quòd legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adverſus eos ſententiam depoſitionis poſſit dare. Quòd abſentes Papa poſſit deponere. Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere. Quòd illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare; de canonica Abbatiam facere, & è contra divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire. Quòd ſolus poſſit uti imperialibus inſigniis. Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur. Quòd illius ſolius nomen in Eccleſiis recitetur. Quòd unicum eſt nomen in mundo. Quòd illi liceat Imperatores deponere. Quòd illi liceat de ſede ad ſedem neceſſitate cogente Epiſcopos tranſmutare. Quòd de omni Eccleſia quocunque voluerit clericum valeat ordinare. Quòd ab illo ordinatus alii Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non*

militare, & quòd ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere. Quòd nulla Synodus abſque præcepto ejus debet generalis vocari. Quòd nullum capitulum, nulluſque liber canonicus habeatur abſque illius auctoritate. Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quòd à nemine ipſe judicari debeat. Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem. Quòd majores cauſæ cujuſcunque Eccleſiæ ad eam referri debeant. Quòd Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum ſcriptura teſtante errabit. Quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante ſancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, ei multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur. Quòd illius præcepto, & licentia ſubjectis liceat accuſare. Quòd abſque Synodali conventu poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare. Quòd Catholicus non habeatur qui non concordat Romanæ Eccleſiæ. Quòd à fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere. Hæc exhibenda ob oculos fuerunt, ut Papatus genuinam formam & compagem ſpectaremus, quam hoc tempore à Papâ Gregorio accepit & ut pateret, quàm omnino in hoc iſtorum Auctore, Papatus vis ponenda ſit, qui eum ad ſuum culmen perduxit. Neque ſolùm ei debetur auctoritatis Papalis perfectio, quæ quidem præcipue in illis Dictatis reſpicitur, qualia ſunt de Eccleſiæ Romanæ, Pontificis authoritate ſuper omnes; in judicando, in ferendis legibus, ſupra Imperatores, Principes, Eccleſias, Synodos, de ejus infallibilitate; de neceſſaria cum Eccleſiæ Romanæ communione &c. ipſiſſima Eccleſiæ Papalis fundamenta: ſed & alia doctrinæ quoque ejus præcipua capita ab hoc Papâ confirmata fuerunt. In Synodo Romanâ I. ſub eo habitâ, anno cIↃ lxx IV. primâ hebdomadâ Quadrageſimæ, forte eâdem, quâ Dictata illa condita, quippe cujus eodem libro epiſtolarum meminit, *ep.* lxII. in eâ dico Synodo legem tulit de cœlibatu

tu clericorum, aliis quidem inante Synodis ſæpe etiam vexato, ſed jam ab Eccleſia Romana pro articulo ſeu jugo, quod omnibus Eccleſiis imponeretur, accepto: cui in Germania, ubi hanc ſuam legem per Legatos promulgabat, omnes Clerici reſtiterunt, & hæreticum, ac veſanum Papam clamarunt, qui non ultra attenderet vocem Domini, dicentis: *non omnes capiunt hoc verbum*; & Apoſtoli: *qui ſe non continet, nubat, melius eſt nubere, quam uri.* Ille tamen perrexit, & „vi multa obtruſit ſuum illum canonem, ne prebyteri uxores habeant, habentes aut dimittant „aut deponantur. Nec quiſquam omnino ad ſa„cerdotium admittatur, qui non in perpetuum conti„nentiam vitamque cœlibem profiteatur. In Synodo Romanâ v, anno cIↄ lxxv I I I. dixit, ut quicunque ſe „Chriſtianæ religionis participem eſſe deſideraret, ab „eſu carnium, die Sabbathi abſtineret. Nec hoc tantum, ſed Synodum Romanam VI. anno cIↄ lxx IX. habuit contra bonum Berengarium, eumque ad palinodiam coëgit, & quamvis contrà in Synodo diſputante magna parte, *maxima autem pars, panem & vinum per ſacra orationis verba, & ſacerdotis conſecrationem, Spiritu ſancto invisibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in Cruce pependit, & in ſanguinem, qui de ejus latere militis effuſus eſt lancea, aſſerebat, atque auctoritatibus Orthodoxorum ſanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum modis omnibus defendebat.* In quam ſententiam itum, & in eam jurare Berengarius adactus fuit. Ergo hoc tempore dogma illud tranſſubſtantiationis vel converſionis ſubſtantialis ſymbolorum Cœnæ in panem & ſanguinem cuſum fuit: poſtquam diſputata ab aliquo retro tempore Chriſti præſentia corporalis in Cœna, eaque aſſerta tandem contra Berengarium fuit, in Synodo primum Romana, ante triginta & novem annos, anno cIↄ l. ſub P. Leone IX. tum in Synodo Vercellenſi, eodem anno, menſe

ſe Septembri. In Turonenſi inde, anno cIↄ lv. ſub P. Victore II. præſidente Hildebrando, tunc temporis Eccleſiæ Rom. ſubdiacono, & Papæ Legato. inde iterum anno cIↄ lix. ſub Nicolao II. ubi ad palinodiam actus Berengarius formulæ iſti recantationis, ſibi ab Humberto Cardinale, omnium aſſenſu, propoſitæ ſubſcripſit: *Ego Berengarius* &c. ubi ex ſententia Eccleſiæ Romanæ dixit, *panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolum ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Quę verba poſtea ipſis Romanenſibus miras difficultates peperere; ut à Capernaitica carnis Chriſti manducatione excuſarent, monente Gloſſâ Juris Canonici, cui formula etiam inſerta eſt, ut verba illa caute acciperentur, ſecus paritura graviorem hæreſim, quam ipſa Berengariana fuerit. Atque ita ſub Gregorio VII. in Synodo Romana, quam diximus, anno cIↄ lxxix. ultimùm adverſus Berengarium ſententia Eccleſiæ Romanæ, non modo de *præſentiâ* Chriſti corporali in Cœna, ſed etiam de panis & vini ſubſtantiali *converſione* in corpus & ſanguinem Chriſti ratihabita, & in articulum fidei recepta quod ad *rem* primùm fuit. Sententia eadem, at *verbum* quoque & notio *tranſſubſtantiationis* primùm canonizata in Concilio Lateranenſi fuit, quod univerſale XII. Pontificii ajunt, ſub Innocentio III. a. cIↄ ccxv. cap. I. *Vna vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur. In qua idem ipſe ſacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.* Ex quibus palam eſt, quod uti Papatus adoleſcentiam in Bonifacio III. anno Iↄ cv, ita ejus *ἀκμὴν*

be-

bene ponamus in Gregorio VII. anno cIↄ lxxiv. & ſequentibus, ſub ejus videlicet Epiſcopatu.

Qui noſter calculus adulti hoc tempore Papatus eo certior habendus eſt, quo ipſi Papatus gnathones ſummi, & inter eos Baronius Cardinalis, hæc tempora ita deſcribit, ut non alio regnaſſe magis Antichriſtum etiam hinc certum eſſe debeat. Quippe is, occaſione libri à Petro Damiano Monacho eremita conſcripti, de infando ſcelere, tit. *Gomorrheus*, quo *quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Eccleſia*, uti loquitur, perſtringit, & de quo libro ſibi à P. Alexandro II. poſtea ſurrepto conqueſtus per litteras apud Cardinalem (tum temporis) Hildebrandum fuerat, hæc verba protulit, Annal. Tom. XI. ad annum cIↄ xlix. *Cæterum præter ipſos etiam & frutices illi infeliciſſimi, vepres infauſti, ſpinæ, & urticæ agrum Patrisfamilias in immenſum oppleverant, qui ex putore carnis, corruptionis fimo turpiter excreverunt. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam: ut non tantum ad eas abluendas ſordes videretur ſatis eſſe diluvium, ſed nefanda ſcelera ignem è cælo Gomorrheum, quo eſt exuſta Pentapolis, poſtularent.* Iudicet hinc quilibet, an alio, quam hoc tempore Apoſtaſiæ Romanæ robur & vis ſumma, ex quâ aliquot poſt ſeculis nefandum in modum Papatus imperitavit, ponenda ſit.

Inde Romanæ Eccleſiæ, ejuſque incircumſcriptæ poteſtati, uſurpationibus, tyrannidi, doctrinæ multi ſe ubique opponere, in Oriente Græci, in Occidente, præter plures alios, qui id privatim egerunt, integræ ſectæ, & Eccleſiæ. Namque trium generum conſtituo opponentes: *Doctores*, quales innumeri ubique: *Eccleſias*, qualis. v. g. Eccleſia Leodienſis, adverſus P. Paſchalem II. anno cIↄ cvii. denique *ſectas* integras (ſectæ vocem in bonam partem ſumo, uti apud Tertullianum pluries) VValdenſium, in Gallia ad annum cIↄ clx. VViclefitarum in Anglia, ab anno cIↄ ccclx. inde Huſſitarum, in Bohemia, ab anno cIↄ cccc. Se-

ctam dicit etiam Auctor Chronici Limpurgenſis Germanici, citatus in Hiſtoriâ Eccleſ. Sclavonica, lib. 1. pag. 5. *Moguntia Secta quædam innotuit, quæ occultè duraverat per ſex ſecula, aut ultra. Fuere igitur illi homines, ante annum à Chriſto nato* 800. *ſub Carolo M. Occidentis Imperatore: quo tempore Controverſia de Cultu Imaginum maximè viguit: & in Synodo Francofurtenſi, ſub Carolo M. contra Imagines diſputatum eſt, Anno* 794. *ita ut fuerit ea anti Synodus Nicena II. Ejus Secta dogmata & articuli erant; Sanctos, nempè defunctos, non eſſe invocandos: eò quòd pro nemine orent. Duas eſſe vias homini poſt mortem, Cœlum vel infernum. Epiſcopum, vel Papam, nullas dare poſſe indulgentias, Eleemoſynas, Miſſas, & Iejunia nihil juvare animas à corpore ſeparatas, quarum gratiâ illa fiant.* &c. In hoc etiam noſtro Belgio magnam VValdenſium fuiſſe copiam, poſt eorum in Galliis oppreſſionem, & diſſipationem, atque ipſius Petri VValdi acceſſum; quin & ante hunc, per Tanchelinum, celebrem apud Antverpienſes, & vicinas Brabantiæ Flandriæque partes Concionatorem, ad annum cIↃ c vi. temere, & per invidiam à Papiſtis pro hæretico notatum, multoſque in hiſce regionibus fuiſſe Papatus & Cleri adverſarios, certum. Atque inde adverſus optimos VValdenſes primùm exercitam hic fuiſſe Patrum Dominicanorum, ante Hiſpanicam, ſub ortum bellorum noſtrorum, Inquiſitionem, ignorare neminem ſinit Annalium noſtrorum fides. Quin & celeberrimo viro Marco Zuerio Boxhornio debemus antiquam VValdenſium Belgarum fidei Confeſſionem, ſeu Catechiſmum per interrogationes & reſponſiones, publici juris factum, *lib.* 1. *Hiſtor. Belgica pag.* 36. *ad* 42. incipitque: **wat eiſcht men van een kerſten.** dignum profectò, quod à Belgarum nemine neſciatur. VValdenſium Gallorum Confeſſionem & Catechiſmum edidit, in ſuâ de VValdenſibus Hiſtoriâ, Paulus Perrin. VValdenſes ſub tempora Reformationis, vel illorum

reli-

reliquiæ plurimæ adhuc fuerunt in Galliâ, Bohemiâ, Moraviâ, & alibi: atque dum diſperſi hic ibi erant, ſæpius ſuorum aliquos emiſerunt per varias orbis partes, quæſitum puriorem Eccleſiam, & melioris doctrinæ homines. Tempore Reformationis Huldr. Zuinglium, Lutherum, Oecolampadium, alioſque acceſſerunt, quibuſcum ſtatum Eccleſiarum ſuarum communicarunt, & ſi quæ corrigenda erant, aliterve apud ipſos inſtituenda, ab illis acceperunt: illud unice ſatagentes, ut omnes impuritatem Eccleſiæ Romanæ deteſtarentur, & fugerent, ſicut ipſi pridem fecerant. Vnde apud eos, inter ſcripta, ſua extitiſſe à longo tempore antiquum ſatis librum, de cauſis ſeceſſionis ipſorum à Papatu, *La cauſa del noſtre deſpartiment de la Gleiſa Romana*, ſcribit Joh. Paulus Perrin. De Reliquiis VValdenſium in Sabaudia, anno etiam cIↄ Iↄ lxv. in epiſtolis ſuis ad Camerarium Hubertus Languetus, Burgundus, ep. xx. *Dux Sabaudiæ expellit ex ſua ditione habitatores convallium Lucernæ & Angroniæ, quibus ante quatuor annos vendidit libertatem in religione, cum ab ipſis victus eſſet aliquot præliis. Sunt iſti Valdenſium reliquiæ, & à ducentis annis ſemper profeſſi ſunt eam religionem, quam jam profitemur; nec impedivit quò minus facerent, Rex Galliæ interea dum eſt ibi dominatus.* Et ad Camerarium filium, ep. xxiv. *Fui nuper in Moravia cum Doct. Iordano, qui duxit me Euangicium, ubi fratres Valdenſes habent præcipuam ſuam Eccleſiam. Loquuti ſunt mecum de noſtro Eſromo, & oſtenderunt ſe valdè expetere ejus ad ſe adventum.* & paulo pòſt, Eſromum ſcribit vocatum ab Heidelbergenſibus, & Baſileenſibus, & à Fratribus Valdenſibus, animumque ejus magis inclinaſſe in VValdenſes. Scripſit hæc a. cIↄ Iↄ lxxv. Deque Eſromo iſto etiam Hiſtoria Eccleſiaſtica Sclavoniæ.

Verùm hæc jam tempora ſunt Reformationis, quibus per tendit, & perrupit ſuperavitque impedimenta, quibus antè oppreſſa, cœpitque præcedenti ſe-

culo,

culo, anno cIↃ IↃ XVI. per Hudalrichum Zuinglium, in Helvetiâ; & anno cIↃ IↃ XVII. per Martinum Lutherum, in Saxoniâ. Zuinglium Luthero præpono, quia utut ætate minor, ante Lutherum tamen docere & reformare incœpit, uti teſtatur, in Explanat. artic. Tom. I. art. XVIII. pag. 37. *Cœpi ego Euangelion prædicare anno ſalutis decimoſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum, eo ſcilicet tempore, quum Lutheri nomen in noſtris regionibus ne auditum adhuc erat. Sic autem prædicavi quum Miſſa adhuc in uſu eſſet Pontificiis, Euangelium quod in Miſſa legebatur populo propoſui explicandum. Explicandum inquam non hominum commentis, ſed ſola ſcripturarum Biblicarum collatione. Tametſi tunc temporis vehementer priſcis doctoribus, ut qui eſſent puriores & clariores, addictus eſſem, quantumvis me & illorum non nihil pigeret. Teſtem hujus rei habere poſſum generoſum illum & vere nobilem Theobaldum de Geroldſek adminiſtratorem templi Eremitici.* In hoc templo, & Glaronæ jam veritatem Zuinglius docuerat, quam à præceptore ſuo VVittenbachio olim Baſileæ didicerat, de quo in ſequentibus: *Anno decimonono quum Tigurum conceſſiſſem & ibidem prædicare cæpiſſem, indicabam venerabilibus domino præpoſito cæteriſque collegii illius capitularibus, me poſthac prædicaturum eſſe Euangelium Matthæi, idque abſque humanis commentationibus ex ſolis fontibus ſcripturæ ſacræ. Initio ejus anni nemo apud nos de Luthero quidquam audierat, præterquam quod de indulgentiis quiddam prodierat, quod me parum erudire poterat, quum jam antea ſatis ſcirem indulgentiarum negotium nihil eſſe quàm fucum & dolum. Didiceram hoc ex diſputatione quadam, quam doctiſſimus vir Doctor Thomas Vuyttenbach Bielenſis, patronus & chariſſimus præceptor meus ante annos aliquot Baſileæ in conſeſſu publico in ſchola ac palæſtra theologica licet me abſente habuerat. Me tunc in Matthæi prædicatione, Lutheri ſcriptis parum eſſe adjutum quis non videt?* Obiit Zuinglius, anno cIↃ IↃ XXXI. d. XI. Octob. ætatis XLIV.

xlıv. vel xlvııı. ſecundum alios. Lutherus autem eo ætate provectior, mortuus eſt, anno cIↄIↄxlvı. d. xvııı. Februarii, ætatis anno lxııı. Sic plura peragendi tempus habuit, atque ex eo ante Zuinglium nominari vulgo ſolet. Ad horum verò tempus ponendum eſſe *caſum* Papatus, nemo neſcit. Atque ita annotavimus Papatus *ortum*, *adoleſcentiam*, *ἀκμὴν*, *caſum*: ſingula ad Auctores ſuos, & temporá: quæ in hiſce Controverſiis omnino decet habere præcognita.

Sed & quintam libet addere Papatus periodum, ejus ſcilicet *deſperati*, in *Concilio Tridentino* anno cIↄIↄxlv. quando adverſus adhibitam diu in eo Reformando fruſtra operam, ſe mirum in modum, & contra veritatem obfirmavit, ac non tantum priora ſua *βδελύγματα* retinuit pertinacius, ſed & ita ſe adverſus omnem admonitionem & doctrinam meliorem obfirmavit, ut conclamata exinde Reformationis Eccleſiæ iſtius res fuerit, pronunciato anathemate in puriorem doctrinam, & quoſcunque ex ea ſentientes. Ab iſto tempore deſperata facta eſt ejus ſalus, quam dum ſanare voluimus, curari renuit. Et hæc quidem diſtincta etiam à prioribus habenda eſt periodus, qua in illam formam ſe compoſuit Papatus, qualem antea non habuit, ſcilicet iſtam religionis compagem, quam ſuis omnibus ſub æternæ ſalutis pœna tenendam propoſuit, denuntiata in deviantes æterna maledictione. Hæc Synodus, uti cum rebus obduratis ſolet, Papatui corticem & callum adduxit, firmavitque doctrinæ tyrannidem: poſt quam rarius univerſalis regionum aliquarum, ut quidem antea, contigit reformatio, tam firmiter nempe & pertinaciter ſe nunc ad ſua recipiente Papatu, & ſola ſe tuente contumacia ac tyrannide. Incæpit Synodus vel *conventus*, uti ad eam ſcripſit Rex Galliæ Henricus, ſed quam inſcriptionem valde indignabantur Patres: Hiſtor. Concil. *lib.* ıv, *pag.* 356. ipſarum litterarum exemplar exhibet Bochellus, *Decret. Eccleſ. Gallic. lib.* v. *pag.*

pag. 907. intœpit (dico) Synodus anno cIↃ IↃ xlv. d. xIII. Decemb. ſub Paulo III. & continuata fuit ſub Iulio III. Marcello II. Paulo IV. denique abſoluta a. cIↃ IↃ lxIII. d. IV. Decemb. ſub Pio. IV. ſeſſionibus xxv. ſubſcripſerunt numero cclv Patres. Illamque eſſe fidem ſuam poſtquam omnes acclamaſſent, & doctrinam Eccleſiæ Romanæ perpetuò tenendam, dictum fuit à Cardinale Lotharingio primùm: *anathema cunctis hæreticis*: inde ab omnibus pariter, clamatum ultimò *anathema, anathema*: & mox ſequenti a. cIↃ IↃ lxIV. d. xv Ianuarii Concilium confirmavit Papa Pius, *atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inviolabiliter obſervari* mandavit. Hinc jam magno conatu ubique Concilii iſtius promulgationem & obſervantiam introducere conati fuerunt Papæ, quamvis cum multorum ingratiis: & non levi Regnorum, & Rerumpublicarum concuſſione. In Belgio quidem quando anno cIↃ IↃ lxv. proximo poſt habitum finitumque anno, obtrudi bonis incolis cœpit, belli facem accendit. Quare Regis litteris, quibus ille anni iſtius die II. Octob. Gubernatricem jubebat in ſuppliciis hæreticorum incunctanter pergere, tum Quæſitores fidei, denique & Concilii Tridentini uſum, quâ vi & auctoritate, invehere, *omnem Belgii calamitatem Orangius, aliique acceptam referre conſueruntꝫ* inquit Strada, ad iſtum annum, *lib.* IV. adde & Thuanum, *lib.* xl.

Atque in Galliis quos paſſim tumultus concitarit Concilii introductio, diligentiſſimus ſuæ patriæ temporiſque hiſtoricus, ad quaſque illius inſtantias, annotavit Iac. Auguſtus Thuanus. Quumque anno cIↃ IↃ lxIV. primum de obſervandis Concilii Tridentini per Galliam decretis ageretur, & eorum promulgationem à Rege petitum veniſſent Legati Pontificis, Regiſque Hiſpaniæ, Carolus Molinæus *magni nominis I. C. ac priſcæ libertatis retinens Conſultationem edidit, qua ob multas cauſas Concilium nullum, vitio indictum, habitum, & termina-*

natum contra antiqua Patrum decreta & Regni Francici dignitatem ac libertatem contendebat. quam ob rem in carcerem conjectus fuit, & poſtmodum quidem liberatus, at conditione additâ, ne quid in poſterum injuſſu Regis ederet in publicum, Thuanus, lib. XXXVI. Vide de hac re, videlicet introductione Concilii Tridentini, ejuſque obſervantiæ in Galliâ, eundem hiſtoricum, *lib.* LXVIII. *lib.* XCI. anno CIϽ IϽ LXXXVIII. Tandem in ejus acceptionem inclinarunt, ſed cum clauſula, quatenus neque Regiæ dignitati, neque libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, decreta illius contrariarentur. *lib.* XCIII. De eodem repetita conſilia, anno CIϽ IϽ XCIII. Thuan. *lib.* CV. & *lib.* CVII. Interque articulos reconciliationis Regis Henrici IV. cum Papâ, anno CIϽ IϽ XCV. XV. Kal. Octob. hic etiam fuit: *Efficias ut Concilium Tridentinum publicetur, & obſervetur in omnibus: exceptis tamen (ad tuam ſupplicationem & inſtantiſſimam petitionem) ſi qua forte adeſſent, quæ revera ſine tranquillitatis perturbatione, executioni demandari non poſſint.* Perron, Ambaſſades *li.* I. *pag.* 343. Thuanus, *lib.* CXIII. *lib.* CXVI. in fine, neque niſi ſub illâ reſtrictione in Galliâ Concilium illud agnoſcitur, Adde quod eſt inter *Memoires* du Pleſſis: *Advertiſſement ſur la reception du Concile de Trente, en France.* Quid vero hac in re actum tandem, & quo aſtu ſuis Tridentinam illam Helenam Synodis immiſcuerint Præſules Gallicani, nemo melius exponit Laurentio Bochello, in Præfat. ad *Decreta Eccleſiæ Gallic.* anno CIϽ IϽ XXI. quem audire loquentem expedit. Sic ergo ille: *Quantas noviſſimis temporibus ubique terrarum excitarit turbas Synodus Tridentina, nemo eſt qui neſciat: cum ob turpiter neglectos Regis Chriſtianiſſimi Legatos, tum propter nimiam illorum audaciam qui falcem in meſſem alienam immittentes, plura ſibi quam par ſit arrogare non ſunt veriti: quæ de re pleni libri, plenæ tabulæ publicæ. Doctrinam illius probare vel convellere, nihil ad meam Spartam: at ſcire me non diffiteor, quod*

nulli

nulli ignotum eſt, nec Regibus noſtris, nec ſupremis Parlamentorum Curiis huc uſque perſuaderi potuiſſe, ut Synodi iſtius Canones in acta ſua referrent, & obſervandos publicarent. Piget etiam refricare, quantò liberius Patres illi conſcripti Gallicæ libertatis aſſertores & vindices, hanc Synodum procul ab archivis Regiis amandarunt; tantò obſtinatius Præſules Gallos illius promulgationem à Principibus noſtris efflagitaſſe, & tandem ſimul ac vanas & irritas preces ſuas, quod regni totius & Eccleſiæ Gallicanæ juribus officerent, agnoverunt, conſpiratione quâdam, venia in quaque Diœceſi cogendi Synodos impetrata, id effecerunt, ut quæ in conventu Tridentino decreta fuerant, ea omnibus ſine delectu Synodos ſuas infarcirent, & ſub anathematis interminatione cuſtodienda Diœceſanis ſuis proponerent; ne dicam ad ipſorum tutelam furias ipſas armarent: ac ne fruſtra eſſe id putes, lapides loquuntur, opera interrupta minæque murorum ingentes apertius teſtantur. Vniuſcujuſque talium, Synodorum boni ſcilicet ominis, primordium à fidei profeſſione incipit, in qua non ſolum ad Symbolum Apoſtolorum, Nicæni Concilii, & Athanaſii auctarium ſatis amplum ſpondendum, vovendum, ac jurandum eſt: ſed quis „ feret hæc? Cætera item omnia à ſacris Canonibus & „ Oecumenicis Conciliis ac præcipuè à ſacroſancta „ Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, „ indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia ego damno, rejicio, & anathematizo. „ Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo „ ſalvus eſſe poteſt, ſponte profiteor, &c. *Huc Reges, Principes, huc Nobiles, Patres, huc omnes denique omne genus Ordines animis advertite veſtris. Hæc, inquiunt, eſt vera fides Catholica, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, indubitanter recipere atque profiteri omnia quæ à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata ſunt, ſimulque contraria omnia damnare, rejicere & anathematizare. Videte, quæſo, videte quam male vobiſcum actum ſit, qui animo tam præfracto Synodo Tridentinæ obſiſtitis. Lum*

ſpei

ſpei ſalutis nil eſt reliquum. Siſtite vos judicio Patrum, non Tridenti coactorum, ſed in ipſo Galliæ meditullio damnandos, & pœnis nunquam defituris afficiendos. Neque vero mirari aliquis poteſt, quod tantopere deſudent Papæ pro ingerendo ubivis locorum Concilio, qui conſiderarit hoc eſſe ipſam Papatus arcem & faſtigium, *cujus vox*, inquit Bellarminus, lib. v. de grat. & lib. arbitrio, cap. XIII. *Eccleſia Catholica vox eſt*. Romanam intelligit. Et de quo Ieſuitæ Profeſſi, in quarto ſuo voto nuncupando, primò ajunt: *Ego N. N. credo & recipio quæcunque ſacrum generale Concilium Tridentinum credit & recipit, etiamſi ea in Concilio non fuiſſent definita. Conveniunt enim illa cum iis quæ in Euangelicis & Apoſtolicis litteris continentur.* Deinde de Scripturis dicunt: *Prædictis verò Euangelicis & Apoſtolicis litteris atque aliis, quæ prædictum Concilium credi jubet, etiamſi ea in Euangelicis & Apoſtolicis litteris non invenirentur, credo propter auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ, quæ in uſu Eccleſiaſtico prædicta ſcripta & non ſcripta recipit.* En putidum circulum, Eccleſiæ credunt propter Eccleſiam; Concilio Tridentino propter Scripturam quaſi, ſed huic propter Eccleſiam. Romanam nempe, uti exponunt articulo ſequente tertio; hoc eſt, Eccleſiæ Romanæ Synodo, propter iſtam Eccleſiam. Cujuſmodi profeſſio deſperati ſtatus argumentum eſt, ut quæ teſtatur, illam Eccleſiam nec aliunde ſalvari ultra poſſe, neque velle, ſed in ſe & ſuâ pertinaciâ immori. In hoc ergo Concilio merito nos ultimam Papatus *deſperabundi* periodum aſſignamus; ipſum autem plenarie *καταργήσει manifeſtatione præſentiæ ſuæ* Chriſtus. II. Theſſ. II. 8.

Atque ex illo Concilio ſtatim videri poſſunt *dogmata* Papalia, & articuli, ob quos illam nos Eccleſiam cenſemus abominandam eſſe. Quamvis nec ignoremus, tum ex Hiſtoriâ Concilii Tridentini (cujus auctor eſt frater Paulus Sarpius, Servita Venetus, qui eam Italicè ſcripſit; & in Gallicum convertit Ioh. Deodatus; in

Latinum Adamus Neutonus, Scotus); tum ex Iacobo Payva Andradio, Luſitano, (qui Concilio interfuit, ibique ſcripſit adverſus Chemnitium, & ejus *de Ieſuitarum Theologiâ* librum, *Orthodoxas Explicationes de controverſis religionis capitibus*, decreta Concilii Tridentini paſſim explicans) ſingula magno ſtudio & arte compoſita eſſe, & conſuta ex mille dolis & amphiboliis. Quod vero Andradius titulum libri fecit, non Explicationem Concilii aut articulorum Concilii, ſed ita uti dixi, eſt quod Concilium hoc expreſſe vetat, vel Bulla Confirmationis Pii IV. ne cuivis liceat Commentarios vel expoſitiones ejus facere. *Ad vitandum præterea perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios, & interpretationes ſuas edere; Apoſtolicâ auctoritate inhibemus omnibus, tam eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus eccleſiæ, aliis verò, quicunque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, ullumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore, ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliquâ egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam, omnium fidelium magiſtram, cujus auctoritatem etiam ipſa ſancta Synodus tam reverenter agnovit.* En fabulam; ex authoritate & inſtinctu Papæ habitum concilium, ab eodem etiam interpretandum: atque uti nihil præter illius arbitrium decernendum fuit, decretumque, ita nec ab eo aliquid alienum tenere liberum. Vnus Papa illis Concilium, Eccleſia, fides, & omnia. Vnde qui in Concilii Triden-

dentini Canones ſcripſit poſtea *Remiſſiones*, Barboſa, continentes Doctorum, qui materias in Canonibus agitatas tractaverunt, diligentes valdeque compendioſas citationes, nonnihil operæ poſuit in libri ſui Prologo, ut ſe oſtenderet nihil egiſſe contra Pii IV. conſtitutionem illam & Bullam. Cæterum editæ ſunt Cardinalium, ad Concilium Tridentinum *Declarationes*, quæ ad ejus explicationem multi uſus ſunt, poſt varias in Galliâ & Belgio editiones, Antverpiæ a. CIↃ IↃ CXXXIII. cum aliorum Additionibus, & Rotæ Romanæ Deciſionibus, atque Barboſę illis Remiſſionibus: quam merito omnibus aliis editionibus & exemplaribus Concilii præferas.

Ex Concilii *Canonibus* quidem, maxime tamen *anathematiſmis*, additis Pontificiorum ſuper quovis articulo aut dogmate *diſputationibus*, tum capita dogmatum ipſorum, tum ſtatus controverſiæ erui poſſunt. Summam religionis Papiſticæ continet profeſſio fidei, à Pio IV. præſcripta: ubi etiam Concilii Tridentini recipitur authoritas, atque hæreſes illic condemnatæ rejiciuntur. Sed nemo compendioſius atque apertius totam Papiſmi formam & baſem ſimul complexus fuit, quam Silveſter Prierças, in Dialogo adverſus Concluſiones Lutheri, inſcripto Leoni X. (extat operum Lutheri Latin. Tom. I.) *fundamentum tertium. Quicunque non innititur doctrinæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romani Pontificis, tanquam Regulæ fidei infallibili, à qua etiam Sacra Scriptura robur trahit & authoritatem, hæreticus eſt.*

Permultum refert, in Diſputationibus Pontificiis inter ſe conferre doctrinam, theſes, & modum diſputandi à Papiſticis Doctoribus ſub initio Reformationis uſurpatum; cum hodiernis: tum ut varietatem rerum iſtarum inter ſe videamus: tum ut ſinceriorem ſenſus & doctrinę Papiſticæ habeamus confeſſionem olim, quam hodie ſuæ religionis incruſtatores Ieſuitæ aliique edere ſolent. Atque iſtam ob cauſam dixi, Controverſiarum ſenſum capiendum præcipue eſſe ex ipſo-

rum *diſputationibus*, non nudis aſſertionibus, aut propoſitionibus; & in diſputationibus, potiſſimum quidem ex illorum *reſponſionibus*, ad noſtra ſeu argumenta, ſeu exceptiones: ubi tum præciſius & ad lineam quaſi ſpectatis partium utrimque limitibus, non ſolum quid controvertant ambæ, ſed & quouſque ultimò procedant, manifeſtius apparet. Quantum autem ſitum ſit & in omni diſputatione, & in hâc cum Papiſtis, in ſtatu controverſiæ examuſſim conſtituendo, quantumque hic oſtendatur diſputatoris probi judicium, nemo, niſi qui omnem diſputandi rationem & momentum, ignorat.

Seriem controverſiarum Papiſticarum multi, verùm alii aliter exhibent. Proponunt ſuo modo illa VVhitakerus, VVilletus, Camero, in *Prælect. de verbo Dei pag.* 349. alii. Præterea methodus Papiſtica ſpectatur, quæ eſt vel ſecundum ordinem Concilii Tridentini; vel quem tenuit in ſuis Diſputationum Tomis Bellarminus; aut quis alius ejuſdem ſcholæ & commatis: vel ad ordinem locorum Theologicorum, eorum inter ſe ſpectatâ ſerie & nexu; quod nos ſequimur. Denique ad ortum Papiſmi, & juxta ſingulorum articulorum quibus quique temporibus orti, ſibique ſucceſſerunt, velim exhiberi controverſiarum noſtrarum ſpecimen & tabulam, juxta ea, quæ ſupra indicavimus, de Papatus ortu, & progreſſu. Vbi diſtinguenda tria ſemper tempora. I. quouſque in Eccleſiâ dogma aliquod Pontificium ſit *ignoratum*, id eſt, ignotus eâ in parte Papiſmus. II. quando primum *intrudi* aliquid cœperit, & diſputari. III. quando *definitum* ſit, ſive à Papis, ſive in Concilio à Papis accepto confirmatoque: ſiquidem deciſio articulorum fidei in Eccleſiâ Romana, vel *Papalis* eſt, vel *Synodica*. Vti Gretſerus in Colloquio Ratiſbonenſi III. anno cIↃ IↃ CI. *Pontifex Romanus, ſive ſolus definiat aliquid, ſive definiat cum Concilio Generali. Iſte Iudex ſemper eſt infallibilis.* Verbi

bi gratia, in cauſa *imaginum*, tribus prioribus ſæculis imagines Eccleſia non habuit, nedum illarum cultum; primùm intrudi cœperunt, & diſputare ſuper iſta quidem materiâ, à ſæculo quarto; ſed tantum ut imagines haberentur in templis, memoriæ ornatuſque cauſâ: at illarum adoratio ſæculo adhuc pòſt demum cœpit, id eſt, quinto, quamvis repreſſa tum etiam valde, uſque quo ſæculo octavo confirmata earum adoratio fuit, primùm in Concilio Nicæno. II. anno cIↄ cc lxxxvII. ſub Irene Imperatrice, quod P. Adrianus, legato, & ſententiâ ſuâ comprobavit. Ergo ad annum uſque ccc. nullæ imagines in Eccleſiâ. Circa hoc tempus introduci cœptæ, ſed mox ab Eliberinâ Synodo, celebri canone repreſſæ: *placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus pingatur.* Circa tempora Auguſtini, anno cccc. forte adorari cœptæ, ſed ab imperitâ & errante plebe, reclamantibus Doctoribus. Auguſtinus, lib. I, de moribus Eccleſ. Cathol. cap. xxxIv. *Nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeßionis ſuæ vim ſcientes, aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint, quidquid promiſerunt Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum adoratores; novi multos eſſe qui luxurioſißime ſuper mortuos bibant &c.* Vide quales notet fuiſſe illos, qui hanc novitatem inchoarent, & cum quibus illos componat. Ipſeque P. Gregorius I. ſub a. cIↄ c, utcunque imagines tueatur in Eccleſiâ habendas, adorari tamen minime voluit, ita ſcribens ad Severum Maſſilienſem Epiſcopum, qui, Veterum exemplo & canonibus inſiſtens, imagines omnes frangi & ejici juſſerat, lib. vII. epiſt. cIx. *Præterea indico dudum ad nos perveniſſe quod fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem Eccleſiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem Zelum vos, ne quid manu factum adorari poßit, habuiſſe laudavimus: ſed*

frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent: & populus in pictura adoratione minimè peccaret. Quæſtio ergo quum in hoc negotio duplex ſit, an habendæ in Eccleſiâ imagines? & de uſu earundem, an ad cultum adorationemque? primum ſolùm tum adhuc tenuit Romanus Papa, alterum rejecit. In quorum illo uti abiit à ſententiâ aliorum ſui temporis epiſcoporum, & à Veterum doctrinâ ac praxi, ita in ſecundo poſteriores Papæ ſimiliter ab illo diſceſſerunt, & tam hoc, quam illud, contra omnia jura exemplaque, arripuerunt, nempe in Synodo Nicæna II. quam Græci ſeptimam appellant, anno cIↃ cc lxxxvII. ubi aderant Legati P. Adriani: quamque Tridentina, *ſeſſ.* xxv. in negotio imaginum ſecuta eſt, & approbavit. In illâ Nicænâ, inter alia etiam ſanciunt, Act. VII. *Qui vero dicunt, ſufficere uſum imaginum ad memoriam ſolum, non vero ad ſalutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc vero recuſantes, ſemiprobi quadantenus & falſoveri, ut ita dicam, deprehenduntur, altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera vero perverſè agentes. O inſignem quoque horum inſaniam.* Quæ conferantur cum ſuperiori ſententia P. Gregorii: atque inde Papiſmi notetur progreſſus, & ad deteriora ſemper prolapſus. Salutationem imaginum intelligunt, cum adoratione, expreſſius in ſequentibus: *His ita ſe habentibus, in confeſſo & ſine ulla dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo eſſe venerandarum imaginum depictionem, & earum quæ diſpenſationem domini noſtri Ieſu Chriſti exprimunt, & virginis quoque Mariæ deiparæ intemeratæ, quinetiam glorioſorum angelorum, & omnium ſanctorum, has quoque adorandas & ſalutandas putamus, qui vero ita non*

eſt

eſt animatus, ſed circa venerandarum imaginum adorationem laborat & dubitat, cum anathematizat ſancta & veneranda noſtra ſynodus, quæ efficacia divini ſpiritus & eccleſiaſticis patrum traditionibus munita eſt & cincta. Anathema autem iſtud, nihil aliud eſt quàm ſeparatio à Chriſto.

In diſputatione de S. *Cœnâ*; ſimiliter tempus primò poni debet, quo ignoratum tranſſubſtantiationis æque nomen ac dogma, videlicèt uſque ad ſæculum nonum, poſt tempora Caroli M. id eſt, poſt agitatam de imaginibus controverſiam. Patres quidem nimiis ſuis in materiâ Cœnę Dominicę rhetoricationibus & hyperbolis imprudenter ſæpe locuti fuere, & occaſionem errori præbuerunt, ſed ipſum tamen dogma, prout Romana tenet Eccleſia, illis tam incognitum fuit, ut omnibus meritò nunc horrendum eſt. Sed quemadmodum voces meriti, ſacramenti, altaris adhibuerunt, longe alio ſenſu, quam eas poſtmodum arripuerunt Pontificii: ita & mutationis, quam in S. Cœna docebant contingere: mutationis nempe quoad *uſum*, non ſubſtantiam: Chriſtum adeo firmiter ſtatuentes in cœlo eſſe, non in terrâ, ut hinc in celebratione Cœnæ uſurparent ſolemnem ad populum monitionem *ſurſum corda*. Sub Carolo Calvo, Caroli M. nepote, circa annum I) ccc l. controverſia ſuper Chriſti in S. cœnâ pręſentiâ moveri cœpit: qui de re conſultus à Rege Bertramus, preſbyter, ſcripſit *commendabile opus*, uti id appellat Trithemius, in Catalogo, *de corpore & ſanguine Domini*, quod extat inter Orthodoxographa Patrum, & ſeorſim, commentariolo illuſtratum à Guilielmo Feuguereo, Leydenſi Theologo, a. cI) I) lxx ix. ubi quęſtionem tum temporis motam Bertramus ſignificat, in prologo, atque libri ipſius initio: *Dum enim quidam fidelium corporis ſanguiniſque Chriſti, quod in eccleſia quotidie celebratur, dicant, quod nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis nuda manifeſtatione peragatur, quidam vero teſtentur quod hac ſub my-*

ſterii figura contineantur, & aliud ſit quod corporeis ſenſibus appareat, aliud autem quod fides aſpiciat, non parva diverſitas inter eos eſſe dinoſcitur: ſic in Præfatione. Vbi obſerva, inter fideles inſtitutam dici diſceptationem: adeo & recens tum erat controverſia, & pars utraque in eadem eccleſiâ, neutram adhuc extra ſuum conſortium poſuerat, ut in ortu quæſtionis ſolet fieri. Hunc autem quæſtionis cardinem fuiſſe indicat, an in S. Cœnâ dicatur corpus Chriſti eſſe ſub figurâ, id eſt, ſacramentaliter, in ſigno; an ipſum corpus nude, proprie, verè, ſubſtantialiter? *utrum ipſum corpus ſit quod de Maria natum eſt & paſſum, mortuum & ſepultum, quodque reſurgens & cælos aſcendens, ad dextram patris conſideat?* uti in libri initio ibidem loquitur: *in myſterio fiat, an in veritate?* figuram explicat, quod eſt *obumbratio quædam, quibuſdam velaminibus quod intendit oſtendens,* & exemplum dat, uti quando Chriſtus ſeipſum vitem, diſcipulos appellat palmites; atque ita in ſigno vel figura Chriſti corpus oſtendi: *quod non ſenſibus carnis, ſed animi fidelis contuitu vel aſpicitur, vel accipitur, vel comeditur.* deinde: *quia panis illic vinumque figurate Chriſti corpus & ſanguis exiſtit.* Eandemque poſt alios ſententiam, ſæculo undecimo, anno cIↃ xxx. tenuit Berengarius Turonenſis, Andegavenſis Eccleſiæ archidiaconus, ipſi, Platinæ celebratus vir ſanctimoniâ vitæ & doctrinâ præſtans, cujus nihil ſupereſt, niſi quod in Synodis adverſus eum habitis, & ſcriptis adverſariis, præſertim Lanfranci Cantuarienſis, legitur. Deinde ex eâ, quæ ei præſcripta & injuncta fuit palinodiæ formula, apparet, quæ Eccleſiæ Romanæ fuerit, ſuæ oppoſita, ſententia, nimirum quod poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum ſit corporis Chriſti, ſed verum corpus & ſanguinem Chriſti ibi *ſenſualiter manibus ſacerdotum tractari, frangi, & dentibus atteri.* Horrendum thema, & verè tremendum, uti ipſi ſolent loqui, myſterium; ſed falſum, inane, & vere impium. Atque adeo

ſe

ſe; tum adverſus Berengarium oppoſuit ſequior Ecclesiæ factio, quam pro more tuebatur Eccleſia Romana, ut hinc in articulum fidei Romanæ tranſierit opinio de corporali Chriſti in Cœnâ *præſentiâ*, in variis adverſus Berengarium Synodis, ab anno cIↄ l. Romanâ, ſub Leone IX. Vercellenſi, eodem anno, menſe Septembri. Turonenſi, anno cIↄ lv. tempore P. Victoris II. cui Concilio legatus ejus interfuit Hildebrandus, poſtea factus Papa; ubi ad recantationem adactus Berengarius dicitur. Romanâ, anno cIↄ lix. ſub Nicolao II. quâ in Synodo illa ei recantationis formula, ab Humberto Cardinale conſcripta, propoſita fuit, in quam jurare coactus: *Ego Berengarius* &c. cujus nunc meminimus. Hic ergo vera ſententia condemnata, ſtabilita erronea, omnibuſque, ſub pœna hæreſis, injuncta fuit. De modo, quo Chriſti corpus & ſanguis præſentia eſſent, ſupererat adhuc quæſtio, nimirum an per mutationem ſubſtantialem, panis nimirum in verum Chriſti corpus, & vini in ejus ſanguinem? Sed & hoc non diu pòſt acceptum quoque fuit, ut fœcundus error perfacile alium parit. In Synodo Romana VI. ſub S. Gregorio VII. anno cIↄ lxxix. concluſum, *converti ſubſtantialiter* panem in corpus Chriſti, atque vinum in ejus ſanguinem: ſed poſt agitatam diu à diverſum ſentientibus in ipſâ illâ Synodo controverſiam: quod indicium eſt tum demum definitam rem illam fuiſſe, & pro fidei articulo habitam; ſecus haud licuiſſet in alteram partem multum diſputare. Ceterum in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. anno cIↄ ccxv. contra Albigenſes, & qui fautor eorum habebatur, Almaricum, poſita aperte tranſubſtantiatio, Cap. I. *tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem*. Adeo, quemadmodum ſuper negotio Cœnæ duplex nobis cum Papiſtis eſt diſputatio, una de *præſentiâ* Chriſti corporali in Cœnâ; de *Tranſubſtantiatione* altera, Pontificium dogma circa illud agitari cæperit ab

anno Iↄ ccc l. definitum verò anno cIↄ l. & cIↄ lix, hoc autem, nempe Tranſubſtantiatio, a. cIↄ lxx ix. & cIↄ cc xv. Atque ita in reliquis Papatus articulis ut compendioſe ortus & ætas eorundem aſſignatur, juxta tria quæ diximus dogmatis *ignorati*, *diſputati*, *definiti*, momenta & periodos, *deſidero*. Quod non tanti nunc operis foret, poſt omnium fere Papatus articulorum à Multis, ex antiquitate demonſtrationem, & ſive in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, ſive in Patrum Theologiâ & ſcriptis annotationes ſedulas & copioſas, Papatus tum emergentis variè, tum etiam repreſſi. Quod eſt ſchema Papatus hiſtoricum, doctrinæ ſcilicet iſtius juxta ætates, & ordinem temporis.

Verùm ut ſe hodie ejus res habent, non aliunde certius, quam ex Concilio Tridentino intelligas; quod, una cum Scriptore aliquo Claſſico, qualis v. g. Bellarminus (ne quis ſe pluribus obruat) ſi quis attente legat & volvat, optime ſtatum & formam Papiſmi addiſcet, quod longe conſultius, quam ut minutulis & levioribus libellis ſe quis addicat, & detineat. In Concilio autem Tridentino ita firmatæ res Papiſticæ ſunt, ut illis ne pilum quidem nunc cedere liceat, aut dare locum aliquem veritati, tot diris execrationibus ab ipſis excommunicatæ.

Ab iſto tempore deſperata res fuit *concordiæ*, antehac à nonnullis tentatæ, fruſtra tum quidem, ſed utnunc etiam aliqui poſt Concilium ſyncretiſmum noſtræ religionis & Papiſticæ moliantur, næ inepte ſapere videntur, & nimis lubenter ſuam iſti homines ludere operam. Concilium Tridentinum vel recipis, vel non? ſi hoc, jam non te audiet ullus Papiſta; ſin illud, nil tibi cum Reformatis, quos Concilium vel Ethnicis & publicanis habet deteriores. Flectere Synodum ad mentem & ſententiam meliorem aut benigniorem, nec potes, nec ſi poſſes, paterentur ejus patroni; atque illâ vigente, non major ſperari poteſt religionis utriuſ-

que

que συμφώνησις vel κοινωνία, quam lucis cum tenebris Ne de authoritate Papæ dicam, nec inflectendâ, nec vel aliquantulum demittendâ, nedum conciliandâ cum ullâ Reformatione. Quid autem de aliis loquar concordiæ aut emendationis in Papatu innumeris obſtaculis? ubi plurimis fortiſſimiſque rationibus tenere id nunc quiſque debeat, quod dudum Nicolaus Clemanges docuit, epiſt. ad Gerardum Marketi, Doctorem Pariſienſem: *non mentis tantum affectu à Babylone diſcedendum, ſed etiam pedibus corporis.* In doctrinâ fundare aut moliri velle ſyncretiſmum, res eſt fruſtranei laboris & impoſſibilis omnino, rebus ſic, uti nunc à Concilio *Tridentino*, atque ab *authoritate* Papæ, ſtantibus, ac pendentibus: quippe iſta duo jam notata, uti in Papatu pro ſummis habentur tum doctrinæ, tum Eccleſiæ cardinibus, ita occludunt omnem viam Reformationis, vel reconciliationis. In doctrinâ igitur tentari nihil cum Papanis poteſt, nihil boni ab ipſis ſperari, ut in ullâ re aut fateantur erraſſe ſe, vel corrigendam doctrinam ſuam eſſe, abſque quo tamen nulla vel cogitari conciliatio poteſt, Tantum omnia adverſus ipſos nunc in pugnam & deſtructionem doctrinæ illius conferenda ſunt. Atque uti in *doctrinâ* quidem nihil hic ad concordandas partes ſupereſt, nil niſi ab ipſis Papis, & ex Papatu prodeant rei iſtius conſilia, quod fruſtra exſpectes; ita apud *Doctores* ipſorum parum quoque agendum: quod ſi aliquid, hoc apud *plebem* reſtat, ut miſſis ipſorum Doctoribus, & ignoratâ, ut vulgò apud eos ſit, ſuorum doctrinâ, veram religionem amplectantur iſti vel inſcii. Vulgi in Papatu religio conſiſtit fere in externarum aliquarum rerum obſervantiâ, de cætero valde ſecuri: atque certum eſt, multorum animos longe aliter affectos eſſe, ac extus apparent, & ſentire eos multum diverſa, ab eo quod docentur. De Doctoribus non loquor, quos etiam vis veritatis & conſcientiæ tum fateri, tum ſtatuere ſaltem

mente

mente aliter jubet, ac doceri ſciunt in ſuâ Eccleſiâ, forte etiam à ſeipſis: ſed uti hoc eſt peccatum valde grave, & ad blaſphemiam in Spiritum Sanctum inclinans, ita liberiores hâc in parte habemus ex vulgo homines, & magis ſimplices, quod oportet. In palmario religionis articulo de juſtificatione, quot ſunt in Papatu, neque Cardinales excipio, Bellarminum, Contarenum, præſertim ex ſimplici plebe, definitiones & diſtinctiones Doctorum ſuorum tutò ignorante, qui omnibus diffiſi, & meritis juſtitiâque ſuâ, in ſolam recumbunt Dei per Chriſtum miſericordiam, neque aliter hæc accipiunt quam in noſtris Eccleſiis docentur, neque vel ſciunt contrarium apud ſuos prædicari? & hic, atque in pluribus articulis, quos ſolâ conſcientiâ & Spiritu divino duce homines amplectuntur, multa hominum, ſub Papatu quamvis viventium, cum noſtris eſt convenientia, atque apud tales, & in talibus concordia quærenda vel figenda, ſi qua, eſt: nulla in doctrinâ, aut Doctoribus. Fruſtra viri multi in eo laborarunt, ut doctrinam utramque, vel doctores in unum adducerent. Non à ſuperioribus, ſed ab imis inchoandum, apud plebem, non Doctores, & non in theoriâ religionis, ſed praxi, convenientiæ, quæ eſſe poſſit, collocandum fundamentum. Atque hinc plures ſub Papatu ſimplices, ſeductos, oppreſſos, nequaquam ex ſenſu aut notitiá Papiſmi, ſed ductu S. Spiritus, & conſcientiæ religioſæ, utut ſub multis imperfectionibus, viventes, nobiſcum ſalvandos, & eandem conſtituere eccleſiam arbitramur, cum quibus nec communionem denegamus implicitam, & ſi quoque fieri poſſit, apertam; Quare iſti nobis inquirendi, inſtruendi, incitandi, atque ad majorem lucem, fidem, & profeſſionem puriorem adducendi diligenter ſunt. Ad quod etiam non parum confert, iſtorum hominum conſiderare *precationes* & precationum formulas, quibus utuntur, ab hæreſi Papiſticâ caſtigatas, vel caſtigandas. Quippe, uti reli-

religionis vis in praxi hæret, ita hujus in verâ ad Deum precatione: quo in officio omnes Chriſtiani hominis virtutes junctâ manu concurrunt ſeque exerunt. Quod proinde ſingulari cura obſervandum, ut hinc & de hominibus judicemus, & partem religionis iſtam eo diligentius curemus, quo ad univerſam religionem majoris momenti, & hac viâ homines ſuavius & majori cum fructu duci, inſtrui, & ſalvari poſſunt. Quare haud inconſultum foret, preces ſcribi, quę comprehendant ſummam Chriſtianæ religionis & ſalutis, ita ut nullus eis obloqui poſſit, precationes verè Catholicas & pias, quæ non modo neminem offendant, ſed ad quarum verum uſum dicere liceat: *quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Rom. x. 13. tanti quippe apud Deum, atque ad ſalutem momenti eſt, divini nominis vera invocatio. Neque indignari Papiſta aliquis poteſt, quod ab invocatione Dei Sanctos amovemus, quos illi præſertim colunt, quandoquidem ſatis conſtat, & Deus novit, ipſique Sancti ſi adeſſent ſcire poſſent, vel ex Pontificiorum ſententiâ ignorare nequeunt, non ex ullo aut religionis contemtu, aut Sanctorum contumeliâ ea à nobis negligi, ſed ex ſolo ſenſu conſcientiæ & religionis, quam uni Deo deferendam exiſtimamus. Neque certe ulli culpare poſſunt (quidquid etiam ſit de controverſiæ circa hanc rem, aut ſententiæ veritate) quod certiorem inſiſtimus viam, & Sanctorum loco Deum potius adimus, hunc tantò ferventius colimus, quo ſolum ad omnia eum ſufficere nulli, neque etiam Pontificii, Sanctive negare poſſunt. Ita noſtra doctrina (miſſâ diſputatione de ejus veritate) ad conſcientiam & praxim relata, omni ratione ſupra Papiſticam tutior eſt, certiorque ad ſalutem obtinendam via.

Quemadmodum alterum caput ſi ſumamus, quod de juſtificatione noſtri coram Deo, ſepoſita diſputatione, rogo, utra ſententia ſit tutior, Papiſtarum; an noſtra? fac ita eſſe, ut Papiſtæ docent, & Deum nos juſtifica-

re propter bona opera: attamen annon, quamvis contrarium ſentiamus, juſtificabimur etiam, qui bona interim opera facimus, æque ac alterius ſententiæ homines? dum in eo utrique convenimus, neceſſario bona opera facienda eſſe, cuicunque ſalvari volenti: ergo ego, dum bona opera habeam, utcunque errans (loquor per συγχώρησιν) circa opus Dei, & propter quod ille juſtificaturus hominem ſit, ſalvabor nihilominus, propterea quia habeo id, ob quod ille juſtificet. At verò ſi non propter noſtra opera Deus juſtificet, ſed ob ſolam Chriſti juſtitiam, vide, ſi operibus meis nitar & ſatisfactionibus, non autem Chriſti, (cujus ſolius juſtitiâ ſtandum hic ſit, eoque ſolo per ſuam juſtitiam in Salvatorem accepto,) ut jam per illam ſententiam, non habens ſolam illam Chriſti juſtitiam, quo juſtificari contingit, gratiâ miſer excidam. Gal. v. 4. Atque ita in pluribus poteſt hæc noſtræ religionis præ Pontificiâ, ad ſalutem & praxim oſtendi præſtantia, quo facilius ad homines, fidei quærentes ſimplicitatem, illa urgeri, & magno cum fructu ipſis commendari poteſt, eaque precationibus prudenter ac judicioſe conceptis inſeri & doceri, citra aliquorum offenſionem, utpote ex communibus & confeſſis Chriſtianæ doctrinæ petita principiis atque fundamentis. Exempli gratia, neque enim ad manum habeo quo animi ſenſum melius exponam, quam ſi antiquam illam probamque Anſelmi formulam Conſolatoriam, retineamus, in quibuſcunque fere Eccleſiis olim uſitatam, vel ejus ſimiles componamus alias: quo pacto arbitror nos optime illam fidelium ubicunque in eadem profeſſionis ſimplicitate communionem & ſyncretiſmum promoturos, melius certe feliciuſque quam plurimis aut diſputationibus, aut de doctrinæ ſyncretiſmo conſiliis fruſtraneis & contentioſis.

Formula illa attribuitur paſſim Anſelmo, qui Cantuarienſis epiſcopus factus, anno cIↃ XCIII. d. IV. Decemb.

cemb. obiit verò, anno cIↄ cIx. d. xxI. Aprilis: errorem in notis putat Bellarminus, lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & obiiſſe exiſtimat a. 1106. quoniam tredecim annos in Epiſcopatu vixit, quod Edinerus teſtatur, in illius vitâ, & tamen obiiſſe hic ipſe quoque ſcribit a. *milleſimo centeſimo nono, qui ſuit annus Pontificatus ejus* xIII. atqui Pontificem factum ait *anno Dominicæ incarnationis milleſ.* xcIII. Franciſcus Godwinus, in Commentario, de Præſulibus Angliæ, dicit eodem tempore illum præſulem factum, vid. anno 1093. & mortuum anno 1109. *cum ſediſſet archiepiſcopus annos* 19. in quo item error eſt, quoniam nec ita 19. ſed 16. annos ſederit. Quidquid ſit de annis Pontificatus, in mortis anno conveniunt. Huic quidem Anſelmo ab omnibus formula conſolatoria tribuitur, ſed eam in operibus ejus, ſive editionis primæ Colonienſis, anno 1560. ſeu ſecundæ tomo quarto auctioris, anno 1612. non deprehendo: non in ejus Meditationibus, quas indicat Davenantius in Col. 11. 2. nec Epiſtolis, quem locum alii aſſignant. Non quidem admodum diſſimilia apud eum reperio. In Meditationibus: *Quem alium enim dici, jam interceſſorem pro me tibi neſcio: niſi hunc qui eſt peccatis noſtris propitiatio*; & ſimilia plura: ſed non illa, quæ ſub ejus nomine ubique veniunt. Formula, ejuſdem argumenti, alia occurrit *longior*, *brevior* alia. Anſelmo attribuuntur interrogationes vel *ſeptem*, vel *octo*, faciendæ moribundo; quibus vel Gerſon Pariſienſis, vel alii addiderunt alias quatuor. Nam uti Anſelmo, ita & Gerſoni illa in antiquis libris adſcribuntur. Formula alia *genuina*, quæ Anſelmi dicitur: *adulterata* alia, quæ Doctorum eſt ſequiorum. Formula utraque occurrit in Tractatu *Artis bene moriendi*, quod MS. & antiquæ editionis aliud eſt in Bibliothecâ Ultrajectinâ. In Mſ. cui tit. *Totum bonum*, ſcripto per manus (uti dicitur in fine) fratris Ewedei Boecholt, (ni fallor, Ultrajectini) ordinis Carthuſienſis, anno cIↄ cccc

xvIII

XVIII. d. VI. Aprilis, continentur prolixe Collationes in ſeptem interrogationes Anſelmi, quæ hunc in modum præmittuntur: *Iſta ſunt interrogationes & reſponſiones facta per Dominum & Magiſtrum Anſelmum Cantuarienſis Eccleſiæ epiſcopum, quæ unicuique fidelium morti appropinquanti fieri debent; & infirmus per modum infra ſcriptum reſpondebit. Et cui hæc proponuntur, ſecurus morietur, nec mortem videbit æternam. Interrogationes ſunt ſeptem, quarum prima hæc eſt: frater vel ſoror, lætaris te Chriſti fide eſſe inſignitum, & gloriaris in eadem fide te moriturum? Reſpondet infirmus attente & devote, & dicit, etiam. Secunda interrogatio. Laudaſne Dominum, quia in hoc nobili eſſe, ſcilicet eſſe rationali te produxit, & fide Chriſtiana te decoravit? Reſpondet infirmus, Laudo. Tertia interrogatio, fateriſne pro tua fidei profeſſione & gratia tibi à Deo facta, te non ita vixiſſe, & gratum Domino fuiſſe, quemadmodum merito debuiſſes? Reſpondet infirmus, fateor. Accuſas ergo te? Infirmus, accuſo. Doleſne de hoc? doleo. Confiteris ergo Deo, & ſanctis ejus? Infirmus, confiteor.* & ſic porro. Magiſter VVilhelmus Tzewers, Aquiſgranenſis Canonicus in lib. cui titulum fecit, *Præparamentum ſaluberrimum Chriſtiani ad mortem*, impreſſo Coloniæ, apud Hermannum Boemgart, de Ketwich, Alphabeto ix. ita habet.

„ Ideo qui vult in illa anxietate conſolari infirmum, „ quædam ſibi utilia & brevia proponat, quorum octo „ ponit Anſelmus, ſub certis quæſtionibus, & Docto„ res addunt quatuor, cum certis ammonitionibus, & „ dant conſolationem magnam, quomodo infirmus „ ſecure moriatur, & pœnam evadat æternam, qui Ze„ lo bono contrito ad iſta quærenda reſpondet, & re„ gere ſe vult ſecundum ammonitiones adjunctas. Et „ proponentur infirmo cum adhuc ſit compos rationis, „ & bene diſpoſitus circa tempus quando optat vene„ rabilia ſacramenta, & in materna lingua &c. Se„ quuntur interrogationes. Sic primo dulciter ei dicat:

„ Mi

,, Mi frater aut ſoror ; tu tantum vis vivere & mori
,, mecum ſanctæ Matris Eccleſiæ filius aut filia ; &
,, gaudes quod ſi Dominus præcepit quod in fide Chri-
,, ſtianâ morieris ? ſi dixerit ægrotus : volo utique &
,, gaudeo. Tunc dicat Sacerdos aut alter &c. Secundo
,, ei proponatur : Gaudes frater aut ſoror, quod in iſto
,, ſtatu, & ſub iſta regula aut habitu morieris ? &c. III.
,, Cognoſcis frater aut ſoror, te non ita bene vixiſſe in
,, ſtatu aut obſervantiâ regulari ut tenebaris, & inſuper
,, Deum tuum ſæpe graviter offendiſſe ; de quo tamen
,, nunc ex toto corde doles ? Si reſpondet, cognoſco
,, heu & doleo. IV. Cariſſime frater aut ſoror, tu ta-
,, men doles de tuis negligentiis multis, & potiſſimum
,, quod ita male vixiſti, & peccatis tuis Deum modis
,, variis offendiſti ? Si reſponderit, etiam Domine, u-
,, tinam ſufficienter dolerem &c. V. Care frater aut
,, ſoror, ſi Domino Deo placuerit tibi diutius concede-
,, re tempus pœnitentiæ, haberéſne bonam voluntatem
,, & propoſitum, te velle [illegible] in vitâ tuâ emenda-
,, re ? Cum dixerit, habeo, & libenter volo: &c. VI.
,, Tu credis frater aut ſoror, quod Dominus noſter Ie-
,, ſus Chriſtus propter te paſſus eſt, crucifixus & mor-
,, tuus ? Tunc dicit æger, ſcio & credo. VII. Tu er-
,, gis tamen gratias Deo, quod pro te tot & tantis paſ-
,, ſus eſt ? Tu credis te non poſſe ſalvari niſi per fidem
,, & mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti ? Si dicit, cre-
,, do, & ita eſt, dicat aſtans, cariſſime frater aut ſoror,
,, magna nobis Chriſtianis conſolatio & fiducia eſt
,, quod omnes homines ab exordio mundi ſalvati in
,, noſtra ſtant fide & in paſſione noſtri fratris & patris
,, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſunt ſalvati. Vnde etiam
,, verum eſt ; quod noſtris meritis & paſſionibus hu-
,, jus temporis nihil niſi temporalem vix mereri poſſu-
,, mus retributionem. Quia ad futuram gloriam omnia
,, illa minus digna æſtimantur, ſed ſalvamur æternali-
,, ter merito capitis noſtri Ieſu Chriſti, qui nos, per ſu-

in comparatione caruiſſime appretiatum eſt. Ideo iterum quamdiu anima eſt in te, fiduciam habe in mortem iſtam Chriſti confidens, quod illis ſalvaberis, non in meritis tuis. Et huic morti totum te immitte & committe. Hanc etiam mortem ſemper cogita & præ oculis habe, unde de manibus aut oculis tuis non recedat imago crucifixi, ſed hunc aſpice etiam mentales oculos in illum dirigendo, quomodo ipſe pro te paſſus eſt. Hanc etiam formam crucifixi amplectare, oſculare amoris tui dulcedinem in repræſentatum referendo. Sic crucem amplexando cogita, quod ſpiritualibus amplexibus circumdas dulciſſimum tuum redemptorem & patrem Dominum Ieſum Chriſtum, cujus morte cupis & ſperas ſalvari & æternaliter vivere. Et ſi judex velit te damnare, dic humiliter: Domine, mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti objicio inter me & ſtrictiſſimum judicium tuum, aliter tecum non contendam in hora mortis meæ. Et ſi dixerit Iudex, tuis peccatis multa neglexiſti, & ſæpe iram meam incitaſti & meruiſti, dic ut prius: mortem & meritum Domini mei Ieſu Chriſti pono inter meas negligentias, peccata, & iram tuam, & illa offero pro meritis meis, quæ ego deberem habere & non habeo. Et nunc clementiſſime Deus, veniam & miſericordiam ſuppliciter depoſco, contemplatione dilectiſſimi filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctiſſimæ genitricis Mariæ virginis advocatæ noſtræ, & omnium electorum tuorum, & ſignanter illorum quos aliquis in ſuam ſingularem recepit devotionem &c. Nam proponatur infirmo, cum ei venerabile Sacramentum altaris oſtenditur aut porrigitur: credis frater mi aut ſoror, credis quod in ſacramento altaris poſt Sacerdotis benedictionem verum contineatur Chriſti corpus? &c. Credis etiam quod hic Chriſtus verus Deus & homo, qui ſub ſpecie panis continetur, poſſe habet & aliis mille millibus fecit, quod libenter

tibi

„ tibi velit indulgere omnia peccata tua, ſi tu digne pe-
„ tis & deſideras? &c. habe etiam voluntatem promtam
„ ſpontaneam reſtituendi omnia aliena, quocunque ti-
„ tulo injuſto aut illicito ad te venerunt, aut devoluta
„ ſunt. &c. XI. Infirmo proponatur, an ſibi optet
„ miniſtrari corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in
„ eventum ſi opus fuerit extremam unctionem, &c.
„ XII. Ægro proponatur, an optat ut aſtans vel ſacer-
„ dos eum commendet Domino Deo, beatæ Virgini,
„ ſanctis Dei, aliis devotis hominibus? &c. Octo pri-
ores, vel ut Auctor præcedentis libri, *Totum bonum*,
ſeptem interrogationes Anſelmianæ, uti puriores ſe-
quentibus, ita paſſim iſto nomine veniunt, præque aliis
commendandæ: atque ex ſequiorum Doctorum opi-
nionibus ſuperſtitioſis, contra priorum mentem ac
doctrinam, cætera aſperſa; quæ tum hic, tum alibi
aureæ formulæ malè admixta leguntur, utcunque
pro iſtorum ſeculorum Theologiâ, non tamen pro in-
tentione Auctor um primâ uſuque. Melius & caſti-
us idem Hermannus Bumgart, Coloniæ, anno 1497.
menſe Auguſto, poſt Præceptorium Nicolai de Lyra,
edidit, appoſuitque hoc ſimplici modo ipſam ſolam
Anſelmianam formulam, ſeptem interrogationibus.
Exemplar apud me aſſervo: *Interrogationes faciendæ in-
firmo morienti. Primo interrogari libet. Si credit omnia
quæ ſunt fidei Chriſtianæ. Et reſpondeat. Credo. Secundo
ſi gaudet ſe mori in fide Chriſtiana, & reſpondeat. Gaudeo.
Tertio ſi recognoſcit ſe Deum multum offendiſſe, & reſpon-
deat, Doleo. Quinto ſi proponit de cætero ab omni offenſa
peccati mortalis abſtinere, reſpondeat: Divino auxilio me-
diante propono. Sexto ſi credit ſe per meritum paſſionis
Chriſti, & non propriis, ad gloriam pervenire. reſpondeat
tunc. Credo. Vltimo debet ſibi dici, ſi occurrerit tibi inimi-
cus Diabolus, ſuper ei opponas merita paſſionis Chriſti, A-
men.* Iam & librum ipſum Caſpari Vlenbergii, à Lu-
theranis ad Pontificios apoſtatæ, Paſtoris & Canonici

Colonienſis nactus ſum, quem ad hanc formulam comprobandam à multis citari notum: exhibebo autem ejus verba, neſcio an ab alio adducta, quidem ſummam ejus referunt Chemnitius, Perkinſus, Iohannes Gerhardi, alii; ſed jam habe ipſa ejus verba, additamque ab eo explanationem. Liber eſt: Erheblichẽ und wichtige Urſachen / warumb die altgleubige Catholiſche Chriſten bey dem alten waren Chriſtenthumb bis in ihren tod beſtendiglich verharren; Coloniæ anno 1589. Iſtius libri c. XIV. cauſ. XIV. pag. 416. Wollen alhie nur ein zeugnis füren / wie man zu den zeiten / da die finſternis des Pabſthumbs (wie ſie reden) am allerdickeſten ſoll geweſen ſein / die leute ſo gewaltig vñ tröſtlich / auff Chriſtum und ſeinen tod gewieſen hat. Ich finde alhie zu Sant Cuniberts in meiner Pfarrkirchen ein Buch / das man bey den Krancken uber die hundert jar her gebraucht hat; Iſt geſchrieben Anno 1475. In dem ſelbigen ſind etliche frageſtücke / die der H. Anſelmus ſoll geſtellet haben / auff alt / einfeltig Cölniſch teutſch geſchrieben: Gehen darauff / wie man bey außſpendung der Heiligen Sacramente / einen Krancken auff Chriſtum / und ſeinen Heiligen tod weiſen ſoll / und lauten die ſelbigen alſo: Sente Anſelmus ſeit / dat men alſus einen menſchen in ſynen leſten ende vragen ind vermanen ſal. Menſche / erwroweſtu dich / dat du in dem Chriſten geloven ſterven machs? He antworde: Ja Ich. Belieſtu / dattu nyet ſo wael gelevet en haes / als du von rechte ſouldes haven gedaen? He antworde: Ja Ich. Berouwet dich dat / ind haes den willen dich zo beſſeren / off du tzyt hebdes zo levene? He antworde: Ja Ich. Geloveſtu dat vor dich geſtorven is Chriſtus Jeſus / des waren levendigen Godes Son? He antworde: Ja Ich. Danckes du em des ouch? He antworde: Ja Ich. Geloveſtu ouch / dattu niet en machs ſelich werden / dan overmitz ſynen doet? He antworde: Ja Ich. Herumb / ſo lange as du beſt in in dieſem leven / ſo ſetze al din betrouwen alleyne in dieſen doet. In geyn and' dynck en have betrouwen: Mer alle heyl laß dich in dieſen doet / Bedecke dich gans hyrmede / Mit dieſem dode bewynt dich alle heyl. Ind wil der Here ordel van dir haven / ſo antwort: Den doet myns Heren Jeſu Chriſti ſetzen ich tuſſchen dich ind mich / ind dyn ordel? Ind anders en antworde ich nyet. Sprichte hey / du haes verdeynt de verdoemeniſſe / Antworde / O Here / dair halden ich vor den doet myns Heren Chriſti Jeſu tuſſchen dich / ind myne quade verdeynſte. Wante ſyne verdeinſte offer ich vor dat verdienſt / dat ich ſoulde haven gedaen / ind leyder nyet en haen gedaen. Ouch ſo ſage / O Here / yn dyne hande bevele ich mynen

geyſt /

geyſt / Jnd den ſterff vrielichen / ind ſo en ſalt u myt den ewigen doet ſien. Bisher aus jenem alten Buch. In margine Auctor: Die ſiheſtu / worauff man im Pabſthumb die leute gewieſen habe. Atque in fine, poſt allegata illa ex vetuſto Rituali, ſubjungit: Sihe / freundlicher Leſer / alſo hat man für hundert und etlichen jaren nicht allein alhie zu Cöln / ſonder auch in der gantzen Chriſtenheit / auff Chriſtum / und in Chriſto auff die ſeligheit gewieſſen; wie wir auch noch thun bis auff den heutigen tag / wen ſchon dieſe fragen nicht alſo von wort zu wort geleſen werden. Sölcher zeugniſſen weren mehr aus alten büchern beyzubringen. Valde benè, quod ejuſmodi teſtimonia ajat pluria adduci ex veteribus libris poſſe, de quo nos non dubitamus: ſed gratulamur veritati, quod tam illuſtria ſui, in Papatu & olim, & hodie habeat documenta, & quod in eundem ſenſum, quamvis non iiſdem verbis, dicant, ſe conſolationem moribundis impartiri etiam hodie, Papiſtarum Doctores. Subjungit Vlenbergius, pag. 444. de Bernardo: S. Bernardi vertrawen auff Chriſti tod im letzten: eine beſtetigung ſeines glaubens. & pag. 445. Warauff S. Bernardus geſtorben iſt / darauff ſtirbt alles was Catholiſch iſt. Quod ſi vere & ſincere ſic ſentiant, loquantur, & agant, optimum hoc certe conciliationis, in religionis praxi, fundamentum. Formulam illam olim in Belgio, Germaniâ, Poloniâ, Sclavoniâ, Galliâ, Pariſiis, Italiâ, Tridenti, Romæ quoque, & procul dubio (ſi illius Anſelmus Cantuarienſis auctor, uti ſcribunt Pontificii) in Angliâ etiam, id eſt, quemadmodum Vlenbergius rotundè aſſerit, in toto Chriſtianiſmo uſitatam fuiſſe gratulamur: ut nec de Eccleſiâ noſtrâ, ejuſque fide amplius interrogare nos, ubi ante Lutherum fuerit, Papiſtæ debeant; nec aliquis, de Majorum noſtrorum ſub Papatu mortuorum ſalute eſſe ſollicitus: denique in talium praxi benignius de multis ſub Papatu degentibus judicium noſtrum fundari, & ſalutis communio, illa ubi verè agnoſcuntur, poteſt. *Doctrinale mortis*, fratris Iohannis Raulin, Profeſſoris Pariſienſis, Pariſiis, a. 1518. ita habet *Tract.* 1. *cap.* XXVI.

xxvi. de infirmo exhortando, interrogando, advertendo, & obſervandis circa ipſum. Secundo interrogandus eſt defunctus, de multis & multipliciter. „ Primo de fide dicendo. Dilecte aut dilecta, vis mori „ & vivere in ſoliditate fidei Chriſtianæ, tanquam Dei „ & domini noſtri Ieſu Chriſti verus fidelis & obediens „ ſanctæ matris Eccleſiæ filius? Et reſpondere debet, „ volo: & ſi opus ſit, recitetur vulgari ſermone ſymbo„ lum fidei, & ad omnes articulos reſpondeat ſi poſſit, „ quod ita credit: & ſi forte quod abſit infirmitatis cau„ ſa, vel inimici illuſione aliter fantaſiæ occurrerit, „ quam fides judicet, illud revocat & pro nullo habe„ ri vult: ſed in illa fide vult reddere ſpiritum. Et po„ teſt ei oſtendi quomodo in illo lumine fidei & ſolum „ per illud tranſitur ad lumen æternæ gloriæ. juxta „ illud Sſ. in lumine tuo videbimus lumen. Secundo de „ ſpe veniæ dicendo, petis à Deo veniam peccatorum „ tuorum commiſſorum & omiſſorum, & quod con„ tra ejus amorem majeſtatem atque bonitatem ege„ ris, nec eum prout debebas honoraſti? & reſpondeat, „ peto. Tertio, de propoſito ſuo dicendo; habes tu ſince„ rum propoſitum, & explicitam voluntatem vitam tu„ am in melius commutare & corrigere: & de cætero à „ peccatis abſtinere, ſi vita comes ſuperfuerit? & reſpon„ deat, habeo. Et oſtendat tunc quomodo pœnitentia „ non eſt Deo grata, niſi cum tali propoſito, & quod „ pax Deo facienda eſt, & non treugæ. Deinde ſuper „ hoc interroget. Rogas etiam Deum, ut tibi gratiam „ det hoc propoſitum continuandi, & non recidivandi, „ veramque contritionem habendi? Quarto de conſcien„ tia ſua interrogandus eſt; dicendo. Es tu conſcius „ tibi ipſi alicujus mortalis criminis, de quo non ſis „ confeſſus? Optaſne etiam cor tuum illuminari ad o„ blitorum criminum ſi quæ ſint habendam notitiam, „ & ſi tu libenter ea confitereris, ſupervenirent ad tui „ notitiam: & ſi aliquem ſcrupulum vel aliquod dubi-

„ bium habeat in conſcientia quod aliud revelet. Quinto interrogandus eſt de amore Chriſti. Indulges ex corde omnibus qui nocumentum intulerint, ob reverentiam & amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, à quo & veniam ſperas, & ſimiliter petis indulgeri tibi, & remitti ab his quos verbis aut factis læſiſti. Et tunc ſi qui ſunt præſentes quos offendit, poteſt eis tacite vel publice, ut placuerit, veniam poſtulare & generaliter ab omnibus in generali. Sexto interrogandus eſt de his quæ ſpectant ad reſtitutionem, dicendo; Vis ablata per te reſtitui integraliter quantum ad id teneris juxta tuarum facultatum valorem, etiam uſque ad omnium bonorum tuorum ceſſionem & renunciationem, ubi aliàs ſatisfactio fieri non valeret. Et coram Deo & hominibus veniam injuriæ petis. Ad quas interrogationes affirmative debet ægrotus reſpondere, volo. In alio manuſcripto *Orationum* quarundam piarum ac devotarum, ſuper moribundum dicendarum, ita legi: *de interrogationibus.* Domine Jeſu „ Chriſte præventus tua gratia faciat me ex præcordiis „ lætari, quia in fide catholica & perfecta charitate moriar. Pœnitet namque me quod non melius vixi ſicut debui, nec honeſtius converſatus cum vere fidelibus. Confiteor tibi Deo cœli & omnibus Sanctis, quod te graviter offendi per ingratitudinem: propono ex nunc in antea me juxta fragilitatem meam emendare, ſi juxta voluntatem tempus & locum conceſſeris.

„ Credo firmiter, quod tu piiſſime Domine Jeſu vere pro ſalute mea turpiſſima morte mortuus es, reconcilians me inimicum & perditum Patri tuo. Ecce pellem pro pelle, carnem pro carne, vitam pro vita tibi ex penetralibus reſigno, intende in me & ego irrevocabiliter tibi ut credo quod aliter quam per effuſionem pretioſi ſanguinis tui & deſpectam mortem tuam non poſſem ſalvari. Agam gratias ipſi patri tuo te mittenti & tibi meo ſalvatori pro tam amara &

crucifixa vita quando mitiſſima anima tua vi pœnarum & dolorum ſeparabatur à teneriſſimo corpore tuo, & in hac ſola morte tua meum ſolamen & fiduciam conſtituo, in nulla alia re fiduciam habeo, quod mors tua mihi ſufficiens eſt ad ſalutem. Tuæ morti me committo. Tua morte me contego. Tuæ morti me totum involvo. Si me aliter velis judicare, dico ex nunc prout ex tunc, & ex tunc ex nunc, Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti Salvatoris mei objicio inter te & me & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Meritum ipſius digniſſimæ paſſionis offero pro merito quod habere debuiſſem, & heu non habeo. Mortem tamen Domini mei Ieſu Chriſti pono inter me & iram tuam. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Credo omnes principales fidei articulos. Deteſtor omnes hæreſes & errores atque ſuperſtitiones. Recognoſco Creatorem meum ſæpe multipliciter & graviter offendiſſe. Doleo toto corde de omnibus peccatis meis contra hujuſmodi amorem commiſſis, & de bonis omiſſis, & gratiis neglectis. Opto ut cor meum illuminetur ad agnitionem oblitorum, ut valeam de eis particulariter. Propono veraciter velle emendare & nunquam amplius peccare mortaliter ſcilicet ſi ſupervixero. Rogo Deum, ut præſtet mihi auxilium continuandi & non recidivandi. Indulgeo ex corde omnibus qui quovismodo mihi nocuerunt ob paſſionem Domini. Peto indulgentiam & remiſſionem ab omnibus iis quos quoviſmodo offendi. Volo ut reſtituantur ablata integraliter uſque in ceſſionem & renunciationem omnium bonorum meorum. Credo quod per mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvabor. Cui gratias ago quantum valeo. Cui me commendo, cui me committo. Crucifixam vitam ejus quantum infirmitas permiſerit ruminabo & meditabor, ut ad reſurrectionem cum gloria pervenire merear, amen. Atque

ita

ita in aliis libris, ac Paſtoralibus interrogationum illarum monumenta adhuc conſpiciuntur & reliquiæ, ſed à prioribus multum mutatæ. In Paſtorali, juſſu Mechlinienſis Archiepiſcopi, edito a. cIↄ Iↄ lxxx ix. His „ quoque interrogationibus ſaluti morientium conſuli „ poterit. 1. Nonne vis, frater chariſſime, & vivere „ & mori, in ſoliditate fidei Ieſu Chriſti, tanquam verus Chriſtianus? Reſp. volo. 2. Nonne petis à Deo „ veniam peccatorum, quę commiſiſti contra ejus ſummam majeſtatem, & quod eum condigne non honoraſti? Reſp. Peto. Nonne tibi deliberatum eſt, „ vitam tuam in melius commutare, ſi tibi incolumi „ hoc morbo liberari detur? Reſp. Eſt deliberatum. „ Atque tales xii. ſequuntur ibi interrogationes Formulam, vel Breviarium illud Anſelmi, in Belgicis noſtris Eccleſiis olim obſervatum, etiam ſub Papatu, ex antiquo, qui penes me eſt, libello Belgico, cui nec editionis tempus, neque typographi nomen adſcriptum, ex ſtylo apparet ſatis, eſſe vetuſtiſſimum, didici, quod ſic ſonat: Hier begint die Commendacie die men leeſt voer die ſiecke Menſchen als ſi leggen op haer uterſte. Men vint beſcreven in ſinte ancelmus boecken datmen eenen kerſten menſche die op ſijn verſceiden liet eer hi ſterft / ende de wile dat hi hem verweert ſo ſalmen hem vragen ende voer leggen aldus. verblijtſtu di dat een kerſten menſche biſt ende int kerſten gelove ſterven wilt alſt die wille Godts is. Ende ſoo ſal dye siecke ſeggen ja ick. ende ſoo vraechtmen voert Berouwet di dattu alſoo wel niet geleeft en hebſte alſtu mit rechte gedaen ſoude hebben. Jaet. Berouwet u uwe ſonden ende hebdi dye wil u leven te beteren of Godt u ſpaeren woude. Jae ick. Geloefſtu dat onſe Heere Jeſus Chriſtus die voer vy geſtorven is. Ja ick.

Dancheſtu ende leefſtu hem vaer of. Ja ick. Geloefſtu dattu niet behouden en moechſte werden ten waer overmidts den doot ons Heren. Ja ick. Soe lobe ende dancke Gode alle die wijl dattu leeft ende die ſiele in dy is / ende ſet alle dijn gelove ende hope ende dijn minne in hem ende in anders geen dingen/ ende beveelt u ſelben der paſſien ende den doodt ons Heeren Jeſu Chriſti ende bewint u ſelven daer in mit gepeynſen ende mit eenen bitteren overdencken ende beſcuddet u daer mede. Ende wil u die overſte rechter veroerdelen ſoo ſegget aldus Heere den doot Jeſu Chriſti die ſette ick tuſſchen mi ende dijn oerdeel ende anders en vermete ick myn geen were ende ſegt die heer dan du hebſte verdient der verdoemeniſſe / ſoo ſegt Here dijn ontfermhertichheit ende dinen bitteren doot die voege ick tuſſchen di ende mi Ende ſegget Heere Jeſu Chriſte levende Goeds Soon ontfermt myns doer uwen bitteren doot. Ende denct een droppel dat uten gebenediden lichaem quam ons behouders ons Heeren Jeſu Chriſti genoech hadde geweeſt om dye werelt mede te verloſſen. Ende als die menſch ſterft ſalmen hem voer ſeggen ſijn eyndelvaers ende dat is aldus. In dinen handen beveel ick minen geeſt Here du hebſte mi verloſt Godt der waerheyt. Verlicht myn oogen op dat ick nyet en ontſlape in myn doodt ende dat myn viant nyet en ſegge ick heb macht gehad tegens hem / Heere Davids Soen ontfermt di mynre Chriſte des levende Godts Soen ontferm di mynre. Soe wie dit leeſt of voergeſeit wordt in ſijn uterſte of eer hi ſterft op

dat

dat hi heeft kennisse ende rouwe van alle ſijn ſonden / ende oprecht goetheeft weder gekeert ende ſijn leven wil beteren is dat ſake dat hem God wil ſparen ende te libe blijft ende dan ſoo mach waerachtelick die menſche ſterven. Subjunguntur poſtmodum eodem in libello alia ad ſæculi ſuperſtitionem facta, ſed quæ ab illa Anſelmi commendatione liquido diſtinguuntur. Omitto, quę alibi ex Hortulo animę, Hoſio, Scioppio, Eybrachto, aliis pro eadem formula attuli, è quibus, ut in omnibus Occidentis Eccleſiis, non Coloniæ ſolum, ſed in toto Chriſtianiſmo, inquit Vlenbergius, Papiſta Colonienſis, Anglicâ, Gallicâ, Italicâ, Romanâ ipsâ, Tridentinâ, Germanicâ, Belgicâ, Polonicâ modus ille alloquendi & conſolandi moribundos Anſelmianus oſtenditur notus fuiſſe atque uſitatus. Videre etiam licet, ſuper eodem, Vſſerium, *de ſucceſſione Eccleſiarum, in Occidente.* Iohannem Gerhardi, *Confeſſ. Catholicâ, lib.* II. *part.* III. *pag.* 838. Voetium, *Diſput. Selećt. part.* II. *pag.* 738. ubi & alia gemina Anſelmianis plura, ex Auctoribus variis, pro immenſa ſuâ lectione, atque eruditione, adfert. Addere poſſem, quod in Miſſali Trajectenſi, Orat. poſt communionem, ad Deum dicunt: *quid tibi digne reddam, pro omnibus, quæ retribuis mihi. Si enim totius mundi merita in unum fuerint congeſta, non valerent tuæ dignationi aliquatenus comparari.* apud Henricum Kyſpenning, *de medit. mortis*, lib. III. in refutandis objectionibus Satanę, ex Bernardi vitâ adfert, *fateor, non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus Ieſus Chriſtus, hæreditate ſcilicet Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono, jure mihi illud vendicans non confundor.* ex Auguſtino: *merito mihi ſpes valida in illo eſt, quod ſanabis omnes languores meos, per eum qui ſedet ad dexteram*

tuam; & te interpellum pro nobis, alioquin deſperarem, & ſimilia. Præcipue autem quod hoc in loco annotemus, eſt *Proteſtatio morituri, qua ſe confirmat contra tentationes, & ut adſiſtentes ædificet*, quam habet Ludovicus Bloſius, in *Inſtruct. vitæ Aſcetica, lib.* 11. *cap.* 11. quamque non alii ſolum commendant, ſed etiam Regem Hiſpaniæ Philippum II. Hiſpanice totam moribundâ voce in extremis recitaſſe, narrat Didacus Vepes, qui Regi erat à confeſſionibus; hoc modo: Ego peccator indi- „ gniſſimus, redemtus pretioſiſſimo ſanguine Domini „ noſtri Ieſu Chriſti, palam profiteor, me ſincero corde „ ignoſcere omnibus, qui quovis modo mihi injuriam „ vel moleſtiam aliquam unquam intulerunt: & humi- „ liter rogo tam præſentes quam abſentes, omnes, ut „ mihi viciſſim ignoſcant & dimittant ſi in aliquo eos „ offendi.

„ Agnoſco me hactenus non vixiſſe pure nec ſancte „ coram Domino, ſicut vivere debueram: agnoſco ſce- „ lera mea multa nimis: agnoſco culpas & negligenti- „ as meas infinitas. Agnoſco quidquid mali, per o- „ mnem vitam commiſi, & ſupplici mente à miſericor- „ diſſimo Domino Deo noſtro veniam peto: dolens „ quod unquam eum offenderim, & proponens dein- „ ceps vitare peccata.

„ Quamvis autem graviter & multis modis hacte- „ nus deliquerim, non tamen diffido de omnipotenti „ & benigniſſimâ miſericordiâ ipſius Redemptoris mei: „ ſed ſpero me per meritum paſſionis & mortis ejus, „ non autem ita per merita mea, participem futurum „ æternæ vitæ atque hæreditatis. Ego ipſam paſſionem „ ejus ſacratiſſimam, pro refugio munimentoque tu- „ tiſſimo habeo: ego eam inimicis meis inviſibilibus „ ſemper & ubique, tanquam armaturam inexpugna- „ bilem, objicio; eam ſanctæ Trinitati pro meritis, quæ „ mihi deſunt, & pro perfectâ ſatisfactione de peccatis „ meis offero.

,, Credo in Deum Patrem omnipotentem, creato-
,, rem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum filium ejus
,, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu San-
,, cto, natus ex Mariâ virgine, paſſus ſub Pontio Pilato,
,, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos,
,, tertiâ die reſurrexit à mortuis, adſcendit in cœlum,
,, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde ven-
,, turus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiri-
,, tum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam,
,, Sanctorum communionem, remiſſionem pecca-
,, rum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam, A-
,, men.

,, Proteſtor coram ipſo omnipotenti Deo, & coram
,, tota curia cœleſti, me cupere & velle in eâ fide vitam
,, hanc finire, in quâ convenit obedientem ſanctæ ma-
,, tris Eccleſiæ filium mori. Proteſtor me credere uni-
,, verſa, quæ ipſa Catholica fides continet, & quæ à
,, veris orthodoxiſque Chriſti fidelibus credenda ſunt.
,, Quod ſi vel impugnatione Diaboli, vel violentiâ
,, morbi preſſus, aliquid huic propoſito contrarium co-
,, gitarem, loquerer, aut facerem: jam illud revoco, &
,, conteſtor me nullo modo conſentire talibus cogi-
,, tationibus, verbis aut operibus. Gaudeo, & gratias
,, ago miſericordiſſimo creatori & Salvatori meo,
,, cujus ineffabili pietate me in Sanctâ fide Chriſtianâ
,, moriturum confido. In manus ejus ſanctiſſimas a-
,, nimam & corpus meum nunc & in horâ mortis meæ
,, commendo.

Nihil eſt in totâ, integram exhibui, Profeſſione illâ, à Pontificiis quamvis ſcriptâ, commendatâ, uſurpatâ, an nec in formulâ, ſeu Breviario, quomodo id commode appelles, Aſſenſu, quod non utroque pollice comprobamus, quo non libenter utamur, & nos aliosque conſolari, atque Deo in extremis animas noſtras committere cupiamus. Adeo alii paſſim ſunt homines, in regulis vitæ, & mortis candide præſcriben-

bendis, uſurpandis; & hic quam uſpiam, minus diſſentiunt. Quod ſi ad talia revocare Papiſmum ſuum volint, & reſecare ſuperflua, quæ ſuperſtitio, & fæcundus error advexit, ſaltem nos iis non vexare, certum, quod propius inter nos faciliuſque conveniet. Quid autem de nobis dicere nunc poſſunt, quid culpare, qui illis ſtamus, & acquieſcimus, quæ ex ipſis producimus Papiſtis, & quibus Noſtris ut vivere, & mori cum pace concedant, unice poſtulamus? Ego nil dubito mihi uſurpare conſolationem Anſelmi, & proteſtationem Bloſii, quâ vel ultus monſtrum illud hominis Papaliſſimi fuit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Belgarum tyrannus. Quin nec ægre ferrem, Anſelmianam illam formulam, ad liturgiam noſtram adjungi, ut ſic omnibus conſtaret doctrinæ, fidei, & conſolationis noſtræ conſenſus cum priſcâ & meliori antiquitate, cum illâ conſolandi formulâ, quæ in medio etiam Papatu, omnibus fere Eccleſiis recepta fuit, & noſtræ quoque Belgicæ. Iam nihil eſt quod de majorum noſtrorum ſalute & fide vel quærant alii, vel diffidant, modo in illâ fide obierint, quæ ſub extremum ipſis caſte tradita fuit & relicta, cujuſque varia ubique apud Papiſtas quoſcunque monumenta reliqua. Deſinant de nobis male loqui Pontificii, nos criminari, condemnare; qui ſalutis illa retinemus ipſis etiam judicibus fundamenta, quibus ſuos immori voluerunt cum ante, tum etiam poſt Reformationem. Atque illis aſceticis ſuperſtruendum judicium, vel conatus de reducendis Papiſtis, potius quam doctrinæ, mille controverſiis involutæ.

Deinde eundem in finem urgeri debet communis lectio, & ſtudium Scripturæ linguâ vernaculâ. Quod dum licere Pontificii nonnunquam noſtris reſpondent, (ſcimus quantum adverſus themata pariter ſua, & commoda) eo facilius accipi poteſt, & obtineri. Fuit hoc inter Compactata in Bohemia olim, anno cIↄ Iↄ xxv. in-

inter Calixtinos, & Pontificios, art. V. *hoc tamen, &c. Laicis non prohibetur, ut in ædibus privatis Biblia legant familia ſine omni additione, ſeu expoſitione.* Vrgendum quovis pacto eſt, ut id vulgo contingat, atque ab omnibus gnaviter frequentetur ſtudium, ad ſalutem æque neceſſarium & utile. Quod, uti argumentum cauſæ noſtræ bonæ eſt, dum intrepide non modo concedimus cuivis Sacræ Scripturæ lectionem, ſed injungimus etiam, & ardentiſſimè expetimus, adeo ut nihil nobis inde metuamus, quemadmodum qui tenebras cupiunt & amplexantur; ita & medium optimum eſt, quo divina veritas ad animas certius penetret, & ad quoſcunque diffundatur. Atque hæc res eo diligentius commendari debet, quo in Papatu multi ſunt qui quod ipſis prohibetur Scriptura, ægre ferunt, & lectionem ejus uſumque urgent. Inter ipſos Hiſpanos ſcripſit Fernandus Texeda, converſus Monachus, plures Scriptores extare, qui idem clamant, atque ex illorum adductis teſtimoniis peculiari libello id oſtendit, Londini impreſſo, anno CIϽ IϽ C XX IV. *Exhortation of à Spaniſh converted Monke: collected out of the Spaniſh Authours them ſelves, to reade & peruſe the holy Scripturres.* Qui primus Biblia Belgice edidit a. CIϽ CCCC LXXVII. impreſſa Delphis Hollandorum, apud Iacobum Iacobi, & Mauritium Imants Mediobergenſem, in Præfatione, hunc in modum facinus ſuum excuſare & defendere neceſſe habuit: nochtans weet ick dat het ſal werden ſeer benyt onder die Clergie/ hoewel dat ſy nochtans weten ſullen die oorbaerlijckheyt daer af. Want ſommige Clercken torens, dat datmen de heymelijckheyt der Schrifture den gemeynen volcke ſoude ontbinden/ ende dat byſondere die de minſte Clercken ſijn/ ende en willen niet weten dat Chriſtus Apoſtelen in alle tongen ſpraken/ ende haer leeringe ende predicatie den volc-
ke

te leerden ende beſchreven. Contra & Eraſmus, in Paracleſi præfixâ Athanaſio, quæ etiam ſeorſim ab eo legitur: *Vehementer ab iſtis diſſentio, qui nolint ab idiotis legi divinas literas, in vulgi linguam transfuſas, ſive quaſi Chriſtus tam involuta docuerit, ut vix à pauculis Theologis poſſint intelligi, ſive quaſi religionis Chriſtianæ præſidium in hoc ſitum ſit, ſi neſciatur*, & quæ ſequuntur: ob quam cauſam Idem alibi, lib. XXIV. epiſt. IV. ad Carol. Vtenhovium, narrat Ludovicum Berquinum, præſtantem in aulâ Regis Franciſci I. virum, Lutetiæ Pariſiorum combuſtum fuiſſe, anno cIↃ IↃXXIX. eo quod ſcripſiſſet, *in rem eſſe pietatis, ut ſacri libri in linguam vulgatam tranſlati legerentur à populo.* Verùm P. Pius IV. in Indice librorum prohibitorum, Regulam IV. poſuit de libris ſacris non à quovis legendis, tantummodo ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi, aut Inquiſitoris. Videlicet Scripturæ Sacræ lectio in cenſum librorum prohibitorum, apud Papas venit. Nos contra in ſingulorum manus Scripturam tradimus, idque ſedulo agimus, ut omnes, & Pontificii vulgo eam habeant, ſi non aliam, ſaltem ex ipſorum verſione Vulgatam, atque ut eam modo legant.

Interim & *diſputationem* cum Pontificiis non omittendam cenſeo: quin videndum, ut quovis pacto & quâcunque viâ illos ſi non convertamus, confundamus & convincamus. Diſputatio eſt duplex, alia *ore* fit, & dicitur *Colloquium*, alia *ſcripto*, per libros. Colloquiorum inde à Reformatione, cum Pontificiis, à Noſtris habitorum, magnus eſt numerus. Primum fuit Lipſiacum, anno cIↃ IↃXIX. d. IX. Iulii, horâ ſeptimâ, & abſolutum d. XIV. Iulii, horâ octavâ antemeridianâ, eodem anno, inter Caroloſtadium, una cum Luthero, & Eckium. Diſputatio habetur Tom. I. Oper. Lutheri: ac primo quidem de poteſtate Papæ actum fuit, inde de aliis tum temporis non minus controverſis articulis, de Bohemis, de purgatorio, indulgentiis, pœni-

nitentiâ, &c. Breviter habes quoque eandem deſcriptam Diſputationem, in epiſtolâ Petri Moſellani, ad Bilibaldum Pirchamerum, quam ex M. S. exhibet, initio Annalium ſuorum Eccleſiaſticorum Reformat. Abrah. Scultetus, ad annum cIↃ IↃ XIX. Sed Tecelius, indulgentiarum primus & præcipuus mango, ubi audiiſſet conſenſum in Colloquium Lipſiacum eſſe, & ibi de rebus ſuis inſtituendam diſputationem, metuens ſibi, indignatuſque, dixiſſe fertur: *quin hoc faxit Diabolus*, das walt der Teuffel. Interim, ſive angore animi, ſive aliter, dum diſputabatur inter Lutherum, Eciumque de indulgentiis, ille Lipſiæ, in Monaſterio Dominicanorum, ad plures abiit.

Alterum abhinc habitum Colloquium Tigurinum, anno cIↃ IↃ XXIII. d. XXIX. Ianuar. inter Zuinglium, & Iohannem Fabrum, Epiſcopi Conſtantienſis Vicarium, in Curiâ Tigurinâ: quò innumeri undique ex agro Tigurino, & vicinis partibus confluxerunt homines, atque ſingulari Magiſtratus Diplomate evocati ditionis iſtius fuerunt Clerici, etiam Conſtantienſis epiſcopus, ejuſve Legati, qui adfuere, Fridericus ab Anvuyli, Ioh. Faber, atque Martinus Tubingenſis. Et quamvis diſputationem poſtularet Senatus, ut opponeret quicunque adverſus Zuinglium probare ſe poſſe confideret doctrinam ejus eſſe hæreticam, identidemque hoc flagitaret Zuinglius ipſe, & Collegæ, diſputationem tamen omnem ſubterfugiebant Conſtantienſes Legati, nemoque ex Pontificiis alius prodibat. Sæpe jam de invocatione Sanctorum, jam de authoritate Scripturæ, & Conciliorum, de cœlibatu Eccleſiaſticorum, diſputationem quærebat Zuinglius, ſed partes ſuas aliis conſtanter deſerentibus, tandem Senatus concluſit: *Quoniam vero contra Huldrychum Zuinglium majoris noſtræ eccleſiæ antiſtitem & eccleſiaſten (quem hactenus multi clam hereticum eſſe convitiati ſunt) poſt articulorum aut propoſitionum ipſius promulgationem, nemo*

prodire viſus eſt; quòd illum ſacra ſcriptura oraculis convincere conaretur, licet non ſemel eos provacarit, qui illum ante hæreticum dixere: prudentiſſimi viri Cos. S. P. Q. Tigurinus decreverunt & omnino ratum volunt, ut Huldrychus Zuinglius ſacroſanctam Euangelii doctrinam & divini verbi oracula (ut hactenus ab illo factitatum eſt) annunciare & prædicare pergat. Præterea aliorum quoque, quotquot vel in urbe vel agro verbi miniſterio præſunt, eſt, non quicquam aliud inſtituere aut docere, quàm quod Euangelica doctrina teſtimonio & ſacra ſcripturæ authoritate per ipſos probari poteſt. Ab omnibus vero vel hæreſium vel aliorum ſcelerum criminationibus illos abſtinere & in totum ſibi temperare volunt. Si qui enim in hic ſeſe immorigeros & rebelles præbuerint, eas de ſe pœnas ſumi ſentient, ut ſe iniquè & injuſte feciſſe omnibus teſtari queant. Actum Tiguri. Ianuarii XXIX. Anno M. D. XXIII. Non ſcio aliam diſputationem inſtituiam, habitamque meliori ordine, & majori cum fructu, ac hanc: ad quam, abſque tumultu, præeunte maturo examine, diſputatione; omniumque inſtructione, convictis Adverſariis, Eccleſiæ Magiſtratuſque unanimi conſenſu, in urbe & agro ſecuta fuit fœliciſſima Reformatio. Poſt actionem, & factum Senatusconſultum Faber, qui antea ſemper exceperat, ſe diſputare nolle, niſi forte in Academiâ aliquâ, Pariſienſem nominans, Colonienſem, aut Lovanienſem. Zuinglio interfante, quid vero ſi Erfordia aut VVittemberga huic negotio deſtinaretur? reſpondit; minime, quia Lutherus ibi nimis vicinus eſt: ab aquilone panditur omne malum: ſcripturum ſe ajebat adverſus Concluſiones, quas Zuinglius eo fine ſcripſerat, ne quis ignoraret, quâ de re habenda foret diſputatio; tum & ad Concilium propediem habendum, iſto, vel proximo (dicens) anno, rem differri volebat: ſed finitâ diſputatione, quaſi poſt prælium, loca aliqua Scripturæ proferebat, ad quod antea perduci non poterat, nunc pro Eccleſiaſticis tra-
di-

ditionibus &c. decertans ad quæ facillima opera Zuinglius reſpondit, & leporinum caſeum promiſit, ſi quando unam ſuarum propoſitionum ille ſubvertiſſet. Sed quomodo Faber ſteterit, vel ex hac ejus ultimâ reſponſione collige; ubi dicebat: *nihilominus certe amicè ſimul & pacifice vivi poſſet, & ſi Euangelium nullum extaret.* Et paulo ante, cum de Scripturis legendis, & per eas confirmandis omnibus fidei articulis Zuinglius monuiſſet, Paſtor Schlierenſis ſubjunxerat: *Quid vero illi agendum erit, cui ſacerdotii reditus tenuiores ſunt, quam ut hujuſmodi libros, Teſtamentum videlicet, emere queat? Mihi certe ſacerdotium eſt longe tenuiſſimum. unde neceſſitas hæc me dicere cogit.* Quomodo verò pro invocatione Sanctorum argumentatus fuerit Faber, ſcire vis? ecce: *Communi, dicebat, & unanimi eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu illud receptum & approbatum eſt, omnes denique Chriſti fideles illud credunt & recipiunt, ſimulque Letaniæ & Canonis Miſſæ authoritas idem illud confirmat & aſſerit, quod nimirum Dei Matrem & ſanctos omnes invocare debeamus, ut pro nobis intercedere dignentur. Teſtatur idem ipſa Maria virgo apud Lucam hiſce verbis: Ex hoc me beatam dicent omnes generationes. Et cognata ipſius Elizabet amiciſſime ipſam compellans inquit: Vnde mihi hoc, ut veniat mater domini mei ad me! Item, Benedicta tu inter mulieres. Accedit his mulieris Euangelicæ teſtimonium, clamantis: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Quotidiano item eccleſiæ ritu celebratur quod canimus, Sentiant omnes tuum levamen &c. Porrò, ſi quæ nos dicimus vana ſunt & pro nugis habentur, mihi prorſus tacendum eſſe video.* Quibus omnibus peractis, atque ubi poſtremo, pro partibus noſtris, VVolphangus Abbas clara voce dixiſſet: *ubi nunc ſunt, qui incendia nobis minati & ſe ligna allaturos polliciti ſunt: Quin nunc in arenam deſcendunt?* Tigurini, non ſufficere exiſtimantes, ut Chriſtus & Euangelium, loco inutilium traditionum, annunciaretur, niſi etiam idololatrica o-

mnia & offendicula cultus ſuperſtitioſi ubique amoverent omnia, hoc quoque non agendum cenſuerunt, niſi altera indictâ *Synodo* & diſputatione, quâ tanti negotii res debite examinaretur, & poſt habitam, recto ordine caperetur ejus, quod faciendum eſſet, maturum conſilium.

Quare denuo diſputationem inſtituunt, in urbe ſuâ, eodem anno, priore frequentiorem. Cui interfuerunt ex duodecim Helvetiæ pagis undiquaque huc vocati plus minus ſexcenti homines, vocatiq; etiam Epiſcopi Conſtantienſis, Curienſis, Baſilienſis, una cum Baſilienſi Vniverſitate; ſed illi quidem non adfuerunt, neque ſuos miſerunt legatos. De duobus hic, tollendis imaginibus, atque abrogandâ Miſſâ actum, duravitque diſputatio diebus tribus: & tandem poſtquam Ioachimus Vadianus, qui cum aliis duobus conſtitutus erat Præſes, omnes fuiſſet obteſtatus, ut ſi quis ſibi non ſatisfactum putaret, ſententiam diſertis verbis proferret; nemine prodeunte, peroravit breviter Zuinglius, tum Leo Iudæ, pòſt Vadianus, denique Conſul Marcus Roiſtius, atque ita finis impoſitus huic etiam Diſputationi fuit. Et tanto cum ordine, tamque feliciter proceſſit Reformatio Reip. ac Ditionis Tigurinæ.

Eodem anno, feriis D. Gregorii, habita Groningæ diſputatio fuit in ædibus Prædicatorum, inter Dominicanos, atque Sacerdotes Eccleſiæ (uti in Papatu loquuntur) Martini, nempe Magiſtrum noſtrum Laurentium Groninganum, cum fratre Ludolpho, reſpondente, & Suppriore Pittinck; atque Hermannum Abringium, juris Doctorem, Ioh. Albertum Timmermannum, Gerardum Piſtoris, & Nic. Leſdorpium, Gymnaſiarcham. Diſputarunt de poteſtate Papæ monarchicâ, quam iſti, contra illos, negabant: *Igitur hunc Imperialem gladium, quem Patres noſtri Romano tribuunt Pontifici, quod Imperator ſit, prorſus negamus & Romano, & cuivis alii eximio Antiſtiti.* porro: *Quod ſi Romanus Pontifex indicat*

feri-

ferias, quas noſtra Eccleſia Groningana Paſtor viderit ſuo populo eſſe exitio, licebit illi contrà Romani Pontificis edicta abrogare ferias, quas videt in perniciem vergere ſui gregis. Et quare eſt paſtor, niſi ut proſpiciat quæ in rem faciunt commiſſæ multitudinis? Romano Pontifici non ſunt commiſſæ tuæ oves. Præter illa, & hæc Timmermannus dixit: *Anhoratum lectio juris eſt divini? Quis me novus Apoſtolus coëgit certum pſalmorum & precum numerum quotidie emurmurare? cùm Chriſtus doceat, non multis verbis orandum, Ethnicorum more.* Denique, *quod ſi jure divino eam monarchiam Romano Pontifici vindicas, nitemur falſiſſimam aſſertionem validiſſimis argumentis eludere. Quid plus Romano Pontifici aſſeris eam monarchiam, quàm Alexandrino, aut Antiocheno? Si Chriſti habet monarchicum imperium qui Chriſti eſt vicarius, habent ex æquo omnes, quando ex æquo omnes Chriſti agunt vices. Neque enim cuiquam peculiariter Chriſtus eam monarchiam tribuit. Quam aſſertionem ſi non accipitis, nitemur eam Euangelicis authoritatibus ſtatuere. Primum igitur negamus Romani Pontificis monarchiam. Miniſtros ſuos Chriſtus Apoſtolos ſtatuit, non monarchas, non ſatrapas, non Principes, non Rabbinos, hoc eſt, Magiſtros noſtros.*

Secutæ diſputationes duæ anno CIↃ IↃ XXVI. in Rhetia prior, altera in Helvetia: verùm neutra eò vel ordine, vel ſucceſſu, quo utraque Tigurina, de quibus modo diximus. Rhetica fuit inſtituta Ilantii, inter Iohannem Comandrum, Miniſtrum Euangelicum Curiæ Rhetorum, qui octodecim theſes ad diſputandum conſcripſerat; & inter Vicarium Epiſcopi Curienſis, cum Abbate S. Luciæ: diſputatum de Eccleſia fuit, de purgatorio; & ſacramentis; ſed in altercationes deſinente diſputatione, Ordines ei finem imponendum cenſuerunt.

Eodem anno, menſe Maio, poſtquam Tigurini ſæpe ab aliis Helvetiorum Statibus ſollicitati fuiſſent ad de-

ſerendam reformationem, & Zuinglius diu variiſque calumniis per Eccium, Ingolſtadienſem Profeſſorem, de hæreſi fuiſſet accuſatus, variiſque inter ſe ſcriptis præſertim de Colloquio, & deligendo ei loco, jam per biennium fere egiſſent, Badenæ diſputatio, ex arbitrio Cantonum, inſtituta fuit. Quem locum ſibi non ſatis tutum exiſtimans Zuinglius, abeſſe coactus, miſit tamen Legatis Cantonum Badenæ agentibus, ad Eccii tum propoſitiones, tum Reſponſiones, quas in Colloquium attulerat, ſcriptum haud unum: namque diſputabant à Pontificiorum quidem partibus, Faber, Eccius, Marnerus, præſenteſque aderant Conſtantienſis, Baſileenſis, Curienſis, Lauſonnenſis Epiſcoporum Legati; à noſtrâ vero parte, Oecolampadius, Berth. Hallerus, VViſſenburgius, aliique nonnulli Baſileenſium, Scaphuſianorum, Mulhuſinorum, & Sangallenſium concionatores. Sed finis fuit in majorem tumultum, & hominum perturbationem, aliis hanc, illam aliis partem ſequentibus: atque à Novem Pagis concluſum, ut Zuinglius excommunicaretur, & Papiſmus, uti poſſet, in ditionibus ipſorum retineretur. Videatur Schultetus, *part.* II. *Annalium Eccleſiaſt.* qui germanice, & Latine extat.

Eodem anno Homburgi in Haſſiâ diſputationem haberi juſſit Philippus Lantgravius, per Franciſcum Lambertum, Avenionenſem Gallum, qui Latinè, & Adamum Cratonem, Fuldenſem, qui Germanicè, iis qui Germanicè vellent, reſponderent, de variis per totam Theologiam Theſibus & Paradoxis: ad quam cum veniſſent tres Pontificii, Nicolaus Herborn Minorita, Guardianus Marpurgenſis, & Iohannes Sperbarus, poſt aliquam ventilationem, confuſi abierunt: ſecutaque mox fuit Reformatio Eccleſiarum Haſſiacarum, Monachis & Monialibus exactis è Cœnobiis, & Monaſteriorum reditibus ad Marpurgenſem Academiam, & Noſocomia applicatis.

Anno cIↃ IↃ XXVII. d. 1. Ianuarii, in Friſiâ orientali, diſputationem publicam ſuſtinuit Nordæ, Henricus Reſius, frequenti omnis ordinis virorum concurſu: Reſio cucullum induto de ſuggeſtu veritatem ſtrenue defendente adverſus Gerardum Synellium, Nordanum Abbatem, qui ubi convictus à Reſio, conticeſceret, nullumque poſt eum certamen reſtauraret, victor Reſius cucullum coram omnibus poſuit, & Monachiſmum cum univerſo Papatu abjuravit, unde Eccleſiæ Nordanæ, quæ eum poſcebat, Paſtor datus, & ſecuta regionis iſtius Reformatio fuit. Vbbo Emmius, *Hiſtor. Friſic. lib. l.*

Eodem anno, in Sueciâ, Vpſaliæ diſputarunt M. Olaus, Lutheri diſcipulus, pro Evangelicis; & Petrus Gallius Profeſſor Vpſalenſis Pontificius, vernaculo ſermone: poſtquam antea etiam anno cIↃ IↃ XXIV. diſputârant Latine: atque ita triumphum obtinuit veritas, ut Rex Guſtavus inde palam & ſtrenue cœperit reformare, purgare regnum idolis & ſuperſtitionibus, atque ſacra linguâ vernaculâ, juxta puram Evangelii ſententiam, peragere juſſerit.

Celebris ſub hujus anni finem, die videlicet XVII. Decembris habita eſt Bernæ diſputatio: ad quam Senatus finitimos omnes convocavit Epiſcopos, & Clericos quoſcunque, ſuper decem theſibus diu ante impreſſis, propoſitiſque: noſtras partes tuentibus Franciſco Colbio, & Bertholdo Hallero, Bernenſis Eccleſiæ Miniſtris: ad quæ Reformatio ſuperiori anno ibi labefactata, ita reſtaurata eſt, ut abjecto jam integrè Papatu, ejus abjurati annum, diemque publicè aureis literis columnæ inſcripſerint.

Quum a. cIↃ IↃ XXXI. Magiſtratus Vlmenſis, qui jam ab anno cIↃ IↃ XXIII. Evangelium prædicari in urbe ſuâ audierat, pro reformandis plenius Eccleſiis, evocaſſet Oecolampadium, Bucerum, Blaurerum, Zimbrechtum, & Bartholomæum Biberacenſem; hique

 capita

capita doctrinæ octodecim fere thematibus comprehendiſſent, ex urbe & agro convocarunt paſtores ſacerdoteſque numero centum & triginta; quibus illa obtulerant examinanda: ubi poſtquam unus & alter ad diſputationem prodiit, nemo autem adferret aliquid, nedum dicta themata everteret, Vlmenſes, editis Colloquii iſtius Actis, XVI. Iunii, & ſequentibus, volente populo, miſſam, imagines, feſta, & reliquum Papiſmi apparatum ejecerunt, editis facti ſui publico ſcripto rationibus.

In Reformatione Genevenſi, a. CIƆ IƆ XXXIV. ex Bernenſium inſtigatione, Senatus diſputationem curavit haberi inter Farellum, una cum Vireto; & Furbitum Dominicani Ordinis Theologum, hominem dicacem & turbulentum, præſentibus Bernenſis Reip. Legatis, in pleno CC. virorum Senatu, de poteſtate Eccleſiæ in ferendis legibus, de authoritate Pontificis Romani, de traditionibus, & aliis id genus capitibus controverſis: ubi Furbitus ad incitas redactus, & damnatus ad palinodiam, eique illudens, à Senatu in carcerem conjectus fuit.

Anno ſequente à Senatu facultatem diſputandi publice impetravit (rem promoventibus Farello, ac Vireto) Iacobus Bernardus, Cœnobiarcha Franciſcanus, jam converſus, ſcripſitque themata de juſtificatione, &c. ſuper quibus diſputaretur in diem XXX. Maji, invitatis eò non Genevenſibus tantum, ſed & Lugdunenſibus, & Gratianopolitanis, & quibuſcunque veritatis indagatio curæ cordique eſſet. Oppoſuerunt pro parte Pontificiâ Carolus Sorboniſta, & Chappuſius Dominicanus, protractâque in multas hebdomadas diſputatione, tandem fœlix ille diuturnæ dimicationis eventus fuit, qui non alibi, ut non ſolum antagoniſtæ illi, raro ingenuitatis exemplo, manus veritati dare, & ab illâ victos ſe palam teſtari, atque prædicare eandem, lubentes voluerint; ſed per urbem ſubſecuta communi

muni omnium applauſu votiſque reformatio fuerit, cujus ad iſtum annum monumentum litteris bicubitalibus ære inciſum ad valvas curiæ perpetuum extare Genevenſes curarunt. Legi de hiſce poteſt elegantiſſima Spanhemii oratio, *Geneva reſtituta*; atque Benedicti Turretini, Theol. Genevenſis epiſtola, ad Scultetum ſcripta, quam is ſuis Annalibus inſeruit, *Decad.* II. *pag.* 431. *ad* a. cIↃ IↃ XXXIV. Eundemque vide, ad annum ſequentem, *pag.* 468.

Colloquium VVormatienſe a. cIↃ IↃXLI. d. XIII. Ianuar. habitum inter Philippum Melanchthonem, & Ioh. Eccium; ac per quatriduum diſputatum fuit, de peccato originali; quod pôſt abrumpere, & ad Comitia Ratiſbonenſia rem rejicere, per Imperatoris litteras juſſi fuerunt. Vide Acta diſputationis. *Tom.* IV. *Operum Melanthonis.* Colloquium iſtud nomine Cæſaris moderabatur Nicolaus Perenotus de Granvilla, vir Belgio noſtro ſatis notus, qui concordiam inter diſſidentes moliri videbatur, ſin minus Noſtros inter ſe committere; prout homo erat ingenii valdè aſtuti: unde de eo Melanthon, ad Camerarium ſcripſit: *non videtur hanc legationem ſuſcepturus fuiſſe, niſi ſpem haberet, vel de divellendis noſtris, vel de controverſiis dirimendis.* Extat Perrenoti Granvillani Oratio, quam ad pacem & concordiam, ſi ita placet, conciliandam, in VVormatienſi Colloquio habuit, ſeorſim impreſſa, cum Elogiis Chriſtophori Pannonii, *Utque aliquando Germaniam ipſam univerſam Chriſto Opt. Max. reconciliatam, genuinumque ejus & vere germanum cultum amoremque inſtauratum viderimus, & ſanctam denique deſideratamque pacem Chriſtiano orbi redditam, omnibus inimicitiis odiis & diſſenſionibus, quæ inter Chriſtianos aptius appellari non poſſunt, quam inteſtinæ diſcordiæ, in ſempiternum deletis & extinctis.* Sic etiam peſſimi & factioſiſſimi homines loqui poſſunt & perorare. Melanthon verò, concordiæ cæteroquin ſtudioſiſſimus, & quem Granvil-

villanus dicebat, ſe ſcire *modeſtum eſſe, cum vult*, has artes valde deteſtabatur, & *fucoſas* vulgo appellabat *moderationes*, atque ad Camerarium: *non poſſumus in Conciliationibus illis inſidias ſatis vitare*. Et: *adeo ex his laqueis conciliationum non poſſum me ſic extricare, ut non alicubi adhæreſcam.* Eo magis illa diſplicebant, quo non diſputari de Controverſiis Granvillanus volebat, ſed tantummodo moderari quæſtiones, & poſſe rem ſubito componi (ajebat) à ſtantibus, ſicut Judæi ſtantes agnum ſumebant, nam hoc ſimili utebatur. Ideoque non diſceptandum adeo, vel faciendos articulos, ſed clam inter Eccium & ſui ſimiles fabrefactos proponi, eoſque ſolummodo accipi à Noſtris debere, putabat. Super quo agendi modo, uti alias, ita ante habitam diſputationem, cum ejus nonnihil ſubodoratus fuiſſet, ad Præſides Colloquii dixit Melanthon: *Nec fucoſæ conciliationes tranquillitatem reſtituent. Et ſi de rebus ipſis integrè diſputari volent, nobiſcum potius agant, quam cum aliis. Speramus enim declarationem noſtram piis mentibus ſatisfacturam eſſe. Exiſtimamus autem Invictiſſimi Imperatoris Caroli Auguſti eam eſſe virtutem, ut veritatem patefieri, & veris modis conſuli ſaluti Eccleſiarum velit. Ideò oramus ut hanc noſtram petitionem boni conſulatis, eamque profectam non ab impudentiâ, ſed à pio quodam ſtudio judicetis.* Eckius dicebatur interim in articulo de peccato originis, & juſtificatione paria cum Noſtris ſentire.

Ad Colloquium ergo Ratiſbonenſe re dilatâ, quod eodem anno habitum primum, menſe Martio & Majo, delectis ab Imperatore Carolo, Pontificiæ partis Iulio Pflug, Eccio, Gropero; partis Proteſtantium, Melanthone, Bucero, Nidano: gubernatores Colloquii conſtituti erant Fredericus Dux Palatinus, & Granvillanus; additis ex Conſiliariis Principum variis auditoribus, una cum Comite de Manderſchied. Petebant noſtri pertexi diſputationem VVormatiæ inchoatam, ſed

nolebat

nolebat Cæſar, qui tantùm viam concordiæ & conciliationis tentari jubebat, oblato eum in finem libro, quo articuli religionis omnes continebantur diſcutiendi, & vel probandi, vel improbandi: nam liberum relinquebat, ut quę non probarentur, exponere liceret, & notare cenſurâ. Ibi articulorum nonnulli admiſſi, de hominis lapſu, libero arbitrio, cauſâ peccati, peccato originis: locus de juſtificatione ita conceptus fuit, ut neutri parti ſatisfaceret, quare ſepoſito libro, de re ipſa diſputatum, convenitque hanc in formulam: *fide propter Chriſtum gratis juſtificamur, non propter virtutes noſtras.* Super reliquis rejecta diſputatio in aliud tempus. Hinc tum de libro Cæſareo Ratiſbonenſi, quem legere potes in Actis Colloquii, à Bucero editis, & Tom. IV. Oper. Melanthonis; tum de articulis concordatis, varia Principum & Legatorum ſequuta, in Actis, judicia, inter ipſos quoque Pontificios, quorum alii aliis moderatius de totâ re, & Cæſaris propoſito judicabant. Nulli rigidius librum repudiârunt, quam Bavari, quibus Epiſcoporum plerique aſſentiebantur, huc illos ſedulo incitante Eccio, qui etiam Collegas ſuos Iulium, & Gropperum eo nomine inſimulabat, quod faciliores in concedendâ emendatione quorundam in Eccleſiâ abuſuum fuiſſent, ſed quos Carolus eo diligentius tuebatur, laudabatque adhibitæ majoris moderationis, atque prudentiæ. Candem Imperator Cardinalem Tontarenum adhibet, quum aliter non videret quo honeſtiori modo finem Colloquio imponere, multamque à ſe invidiam depellere poſſet, qui uno, alteroque ſcripto urgebat totum iſtud reconciliationis negotium remittendum eſſe ad judicium Pontificis Romani. Vbi tum noſtri aliique ſatis manifeſtè videbant, deluſos ſe hactenus vanâ ſpe reconciliationis, longeque aliud quæſitum fuiſſe quam pacem & concordiam, nihil verò interim de Imperatoris animo, meliori forte & apertiori, quam eſſet Eccleſiaſticorum plerorumque, quos nego-

gotium propius tamen concernebat, judicantes. Ut benè Melanthon hoc de Conventu ſcripſerit: *eventus ſatis oſtendit, eos que ſperarunt initio adverſarios noſtros aliquam moderationem, aut emendationem ſuarum opinionum admiſſuros, non ſatis perſpexiſſe eorum voluntates. Tentandos putarunt animos noſtros, ut ſeu inclinatio quædam ſeu diſtractio fieret, poſtea ſuum odium declararent*; Atque ab aliquo benè id ibidem obſervatum refert: *Audio, & N. cum videret fruſtrà tentatas eſſe has conciliationes, dixiſſe, Deum fortaſſis hos conatus impedivisse, qui arcano & mirabili conſilio regit Eccleſiam: quod his moderationibus receptis, mala quædam confirmata fuiſſent: & eorum ſtabilita potentia, qui errores præcipuè defendunt.* Adeoque non mirum, multos fuiſſe, uti ſcribit, qui ab hoc toto conſilio Conciliationum valde abhorrerent, propter harum periculum: *Multa enim ſunt, & vetera & recentia exempla, quæ admonent; in talibus conciliationibus plerumque decurri ad ambiguos, flexiloquos, fucoſos, & fallaces articulos, quibus veritas obtuitur, & non ſanantur Eccleſiæ, ſed diſſipantur.* Quare hinc doceri oportet eos, qui etiamnum Conciliationes ſomniant, poſtquam res Pontificiæ Eccleſiæ in deteriora, & obſtinatiora abierunt, quam tum adhuc eſſent. Qui ſi hæc aliaque exempla ſibi proponerent; non tantopere conſilia iſta, primo quidem valde ſpecioſa, ſed perluſtrata & applicata praxi, inania, approbarent; ex magnâ judicii, & hiſtoriarum iſtius rei imperitiâ. Imperator autem abrupto Ratiſbonenſi Colloquio, neque obſecundans ſanguinolentis aliorum adverſum Noſtros conſiliis, cupiens Eccleſiaſticas controverſias, non armis, ſed aliquando juſta Synodo dirimi, pacem certis conditionibus utrique parti mandavit, ſpem etiam oſtendens deliberationum, de emendatione Eccleſiæ, habendarum. Neque forte omnino vanum, quod initio Colloquii à multis de Imperatore jactatum, moliri eum novam Eccleſiæ reformationem, & doctrinam de juſtitiâ fidei pro-

pagaturum ad plures alios. Cæterum in iſto Ratiſbonenſi Colloquio, in articulo de juſtificatione conciliatio icta fuit, in hanc formam: *Et ſic fide in Chriſtum juſtificamur, ſeu juſti reputamur, id eſt, accepti per ipſius merita, non propter noſtram dignitatem, & opera, & propter inhærentem juſtitiam, eò juſti dicimur, quia quæ juſta ſunt operamur, juxta illud Iohannis: Qui facit juſtitiam, juſtus eſt. Et quanquam in renatis ſemper creſcere debent timor Dei, patientia, & humilitas, & aliæ virtutes, cum renovatio ſit imperfecta, & hæreat in eis ingens infirmitas: tamen docendum eſt, ut qui vere pœnitent, ſemper fide certiſſimâ ſtatuant, ſe propter mediatorem Chriſtum Deo placere.* Vt non de juſtificatione ſolum, ſed & de certitudine ſalutis, hominiſque imperfectione, concordatum jam videretur; & articuli diſtinguerentur in conciliatos, & non conciliatos. Conciliati placebant valde Imperatori, & Principibus: & conſentiebant ipſi partis adverſæ Collocutores, non ſolum Iulius Pflug, & Gropperus, ſed & hi in Apologeticis ad Præſides Colloquii, de Eckio teſtati fuerunt: *Gratia denique Deo, quod & ipſius Ecci manus apud nos eſt, quâ teſtatum reddere poſſumus toti orbi, ipſum non in quovis, ſed in articulo omnium maximo, qui juſtificationis eſt, eam ſententiam quam liber Cæſari oblatus complectitur, libenter approbaſſe.* Et Melanthon, in epiſtolâ, quæ eſt Tom. III. epiſtolarum, Ratiſbonâ hoc a. cIɔ Iɔ xl I. Kal. Maji ſcripſit ad Epiſcopum Vratiſlavienſem, *aliquid ſpei oſtendit duorum præſtantium virorum Iulii & Gropperi moderatio. Ideo jam de certis articulis formula, ut ſpero, mediocres propoſita ſunt.*

Vbi jam eo utrimque conventum eſſet, inſtitutum alterum Ratisbonenſe Colloquium anno cIɔ Iɔ xlvI. ut poſt illud dogma conciliatum, pergeretur ad alia, & viderent, num in reliquis etiam via aliqua concordiæ iniri poſſet, cui ad Concilii ſaltem, ſin minus, Comitiorum ſequentium tempus utraque pars inſiſteret, nimirum, ad Eccleſiæ, uti dicebant, *unionem & refor-*

ma-

mationem, ex eodem Imperatoris, in prorogatione VVormatienſi, ſuperioris anni, decreto. *Quia de conciliatione Religionis non potuit hoc tempore tractari, nedum conſtitui, & quo hanc neceſſariam conciliationem adhuc bono ordine, & quamprimum id poſsibile ſit, promoveamus, obtineamus, & reipſa conſtituamus, viſum eſt nobis fore, ad promovendam hanc conciliationem, utile & bonum, rurſus inſtituere, & Comitio indicto præmittere Chriſtianum colloquium, & collationem aliquot hominum proborum, timentium Deum, æquorum, & commodorum, honeſti & pacis amantium, & quidem parvo numero.* Hic jam quartus erat ab Imp. Carolo conciliationi articulorum religionis deſtinatus conventus: ſuper quâ in variis etiam actum Imperii Comitiis, Ratiſbonenſi anno xl i. Spirenſi, anno xl iv. VVormatienſi, anno xlv. & Auguſtano, anno xlviii. A Proteſtantium parte Collocutores erant Bucerus, Snepfius, Brentius, & Melanthonis loco Georgius Major: pro Pontificiis, Malvenda, Cochlæus, Billikius, Hofmeiſterus: injunctumque ab Imperatore, ut Confeſſionis Auguſtanæ articuli ordine, miſſis tribus primis extra controverſiam, examinarentur. Sed neque hoc ſervatum, & conciliatio ità nihil promota ulterius, ut de primâ illa articuli de juſtificatione hic quidem vehementius diſceptatum fuerit, quam antea; quæſitumque, an in priori Colloquio conciliatus ille fuiſſet, an non? & poſtquam, primum de modo & ordine Colloquii, an per Notarios (quod Noſtri urgebant) excipiendi; tum de juſtificatione iterum, de merito operum, & certitudine fidei aliquantum diſputaſſent, Imperatorio reſcripto, & revocatis per ſuos Principes Collocutorum nonnullis, hæc etiam diſputatio in fumum abiit. Refert in vitâ Buceri Melchior Adamus, ab aliquo tum temporis de Bucero, ejuſque cum Hiſpano Malvendâ congreſſu dictum fuiſſe, ad nomen illius alludendo: er heiſt wol Bucer / ich mein er hat ihn auſgebutzet. Præterea ſciendum, ad iſtud

Col-

Colloquium, cum Bucero, permiſſu Senatus Argentinenſis, profectum quoque fuiſſe Iohannem Diazium, qui quia ad Proteſtantium partes acceſſerat, à fratre ſuo Alphonſo, altero Caino, poſtea Neoburgi, in ſuperiori Palatinatu, miſere trucidatus fuit.

Sequuta anno cIↄ Iↄ xlix. iv. Nonas Maji, diſputatio Oxonii, in Angliá, inter Martyrem, aliquoſque Pontificios, inter quos cum imprimis adeſſe debuiſſet Smythæus, cujus puer paulo antè Martyrem ad habendam in Academiâ lectionem pergentem ſchedulâ ad diſputationem eâ ipsâ horâ habendam provocârat, quod tempus Martyr non diſputationis dicebat ſibi eſſe, ſed lectionis, illam in aliud commodius rejiciens tempus, à lectione verò cum Vice-Cancellarius Academiæ porrectâ manu apprehenſum de cathedrâ vix ſalvum domum reduxiſſet, jam tempore, legibuſque habendæ diſputationis ſcriptis, cum etiam Legati Regii adeſſent, Smythęus turpiter aufugit, in Scotiam primum, inde in Brabantiam: diſputatione nihilominus per quatuor dies productâ inter Martyrem, & tres alios Theologos Pontificios, cujus Acta, teſtimonio Legatorum Regiorum comprobata, extant.

Sequenti anno cIↄ Iↄ l. alia diſputatio habita fuit in altera Angliæ Academiâ Cantabrigienſi, vi. Idus Auguſti, inter Mart. Bucerum, & à parte Pontificiâ, Ioh. Iungum, Sedguicum, & Pernum; de Scripturæ libris Canonicis, de fallibilitate Eccleſiæ, & operibus non renatorum ante juſtificationem: quæ extat, inter Buceri ſcripta Anglica, fol. 711.

Diſputationem dicam, an conſpirationem ſuſtinuit Oxonii a. cIↄ Iↄ liv. d. xvi. Aprilis, ex carcere Thomas Crammerus, additis ei Latimero, & Ridlæo Epiſcopis, ſed nullum alium in finem, quam ut in arctiora vincula conjectus, tandem etiam, quod biennio pòſt factum, comburendus traderetur rogo.

Cui ſimilis fuit alia anno cIↄ Iↄ lvi. diſputatio, inter

ter Convallenſes, & Amatum Sanjulianum Præſidem, *in ſpeciem magis quam seriò*: uti loquitur Thuanus, lib. XXVII.

Quod toties tentatum in Germaniâ, ut aliqua religionum maxime diſſidentium conciliatio inſtitueretur, iterum aggredi placuit ex decreto Comitiorum Ratiſbonenſium proximè habitorum, VVormatiæ anno cIↃ IↃ LVII. die V. Septemb. præſide Iulio Pflug, episcopo Naoburgenſi, cujus æquitatem etiam Noſtri prædicabant, inter Proteſtantium Theologos, Melanthonem, Brentium, Iacobum Andream, Piſtorium, Eberum, alioſque; & partis Pontificiæ Michaëlem Epiſcopum Merſburgenſem, Caniſium, Staphylum, cæteros. Diſputatum initio fuit, de normâ & judice controverſiarum, an Dei verbum eſſet, an Eccleſiæ conſenſus: ſed poſtea Pontificii diſſenſionem inter noſtros aucupantes, urgebant condemnationem Zuinglianorum, aliorumque, in quam alii propenſiores, dum eam ſcribi & recitari publicè volebant, & Ienenſes Theologi illam Pontificiis publicè exhibebant, ſciſſis inter ſe Proteſtantibus, abruptum Colloquium fuit: quod quamvis produci juberet Ferdinandus, Pontificii tamen miſſum fecerunt, abieruntque.

Anno cIↃ IↃ LIX. d. ult. Martii, in Anglia, VVeſtmonaſterii, juſſu Reginæ Elizabethæ Diſputatio inſtituta; inter noſtræ partis Coxum, Gryndallum, Edwinum Sandes, Iuellum &c. & Pontificios, VVhitum, Bainum, VVatſonum, Colum, Harpesfeldum, alioſque; ubi de Sacris lingua populari celebrandis, de authoritate Eccleſiæ, & Miſſâ, paucis ſermone vernaculo diſceptatum: inde contentione, de modo diſputandi, obortâ, revera quia inconſulto Romano Papâ, non auderent, juxta axiomata Eccleſiæ ſuæ, palam de fide & vulgari linguâ agere, ſoluta diſputatio: ſecutaque publica Eccleſiæ per Angliam, & Hiberniam, Reformatio, repetitis, quæ Eduardi VI. tempore, circa

re-

religionis negotium editæ fuerant, pro Papatu eliminando, conſtitutionibus. Cambdenus, *Annal. Elizabethæ lib.* 1. Prolegomena de vita Iuelli, præmiſſa ejus Operibus, in fol. p. 48. Richard. Baker, *Chron. Angliæ, in vitâ Elizab.* Emm. Meteranus, *Hiſtor. Belg. lib.* 1. Et ex eo *Mercurius Gallo-Belgicus, Tom.* 1. *lib.* 1.

Poſt nonnullas illas, in Germaniâ primùm, inde Helvetiis, tum in Succiâ, & Genevæ, in Angliâ etiam habitas ſuper religione publicas, inter Noſtros & Pontificios, diſputationes, in Galliâ celebre colloquium inſtitutum fuit, Poſſiaci, quod oppidum Sangermano proximum, in aulâ Monaſterii, anno cIↄ Iↄ lx i. d. iv. Septembris. Indictum à Rege Carolo ix. ut diſputationibus de religione quotidie increbeſcentibus, plurimiſque Procerum ad Reformatorum partes inclinantibus, videretur tandem, quid agendum eſſet, & partis utriuſque ante omnia conſtarent ſententiæ & doctrinæ. Quare ad hoc Colloquium, cui ipſe Rex interfuit, cum Reginâ Matre, Fratre Duce Aurelianenſi, Margarethâ ſorore, cum Rege, Reginaque Navarræ, Principe Condæo, reliquiſque Regni Optimatibus, & Conſiliariis, magno numero; ex Pontificiis aderant Borbonius, Turnonius, Caſtellionæus, Lotharingus, Armeniacus, & Guiſius, Cardinales, cum Archiepiſcopis, epiſcopis, circiter quinquaginta, addito magno Sorboniſtarum, & Canoniſtarum numero: ex Noſtris eò vocati venerant Beza, Martyr, Marloratus, Viretus, Gallaſius, Merlinus, Morellus, Boquinus, Eſpineus, alii, duodecim numero miniſtri, additis viginti aliis ab Eccleſiis communiter miſſis, qui in Sangermano divertebant, & hinc per Regis ſatellites Poſſiacum deducebantur: ubi Rex cauſam indicti conventus exponens, ſcire eos dixit, *quâ de cauſſâ huc convocati fuerint, nimirum ut turbis, quæ paſſim in ſuo regno exoriantur, ſalutare remedium ex eorum ſententia quæratur: proinde videant, ut omni offenſionis cauſa præciſa, quæ emendati-*

datione egeant, corrigantur, & publicæ tranquillitati, quam optime fieri poterit, legitimâ ratione conſulatur, cupere ſe, ut non prius diſcedant, quam omnem operam dederint, ut tandem aliquando compoſitis disſidiis mutua inter majeſtatis ſuæ ſubditos populos concordia ac ſincera amicitia ſarciatur, quod ſi fecerint, uti confidat, non commiſſurum, ut patrocinium, quo à majoribus ſuis olim protecti ſunt, à ſe ſuiſve magiſtratibus in poſterum poſſint requirere. Inde Regis Cancellarius, Hoſpitalius, egregiâ oratione tum Regis animum, tum, ſermone ad Antiſtites converſo, horum in rebus iſtis officium explicuit: *verbum Dei ſufficere, ad quod tanquam regulam doctrina appendenda & examinanda ſit, nec vero erga Proteſtantes alieno adeo animo nos eſſe debere; quippe qui fratres ſint, & eodem lavacro regenerati eundem Chriſtum nobiſcum colant; nec eos præjudicio inauditos condemnandos; ſed amplectendos, accipiendos & amice in viam reducendos, ſine acerbitate & animi contumacia; nimiâ ſeveritate in eo graviter errari.* Thuanus, *Hiſtor. lib.* XXVIII. Poſt quæ, ortâ quâdam adverſus Hoſpitalium, Cardinalis Turnonii, & Lotharingii vitiligatione, Beza dicere juſſus, quod neglectum à Cardinalibus fuerat, à precibus exorditur: inde de ſingulis religionis capitulis, vernaculo & eleganti ſermone diſſerens, cujus quia ſummâ in Gallicarum Eccleſiarum Confeſſione, compoſitâ jam antè, anno cIↄ Iↄ lv. continebatur, hanc Regi ſupplex obtulit. Integra illa Bezæ actio & oratio, prout habita, extat in *Hiſtoire Eccleſiaſtique des Egliſes Reformees en France, Tom.* I. *liv.* IV. Gallicè; & Latinè, in *Commentario Status Religionis, & Reip. ſub Carolo* IX. *part.* I. *lib.* III. auctoribus (ni fallor) Bezâ, & Gallaſio. Nihil autem in totâ illâ Oratione adeo offenderat aures auditorum, & Antiſtitum, quam quod Beza dixerat in explicandâ tranſſubſtantiationis controverſiâ: *quod ad locorum diſtantiam ſpectat, corpus Chriſti tantum abeſt à pane & vino, quanto altius cælum abeſt à terrâ.* Quamvis id de

præſentiâ corporis, & de ipſius humanitate diſtinctè conſideratâ (ut Thuanus benè) dixerit, prout hæc ejus verba fuerant: *Si quis intereà à nobis quærat: An Chriſtum à Cœnâ abſentem faciamus? reſpondemus, id minimè nos facere. Sin verò ſpatia locorum (ut neceſſe eſt quum de præſentiâ ipſius corporali agitur, & de ipſius humanitate diſtinctè conſiderata) reſpexerimus, Affirmamus ipſius corpus tantum à* pane & vino abeſſe, quantum altius cœlum à terrâ abeſt, *nimirum quandoquidem nos in terrâ ſumus, & Sacramenta item: ipſe verò in cœlo ita eſt glorificatus, ut* gloria(*ſic inquit Auguſtinus*)non illi corporis veritatem, ſed infirmitatem ademerit. *Si quis inde colligat, Nos Chriſtum à Cœnâ abſentem facere: malè collegerit; hunc enim honorem Deo tribuimus, quòd licet corpus Jeſu Chriſti nunc ſit in cœlo, non alibi: nos verò in terrâ, & non alibi: nihilominus tamen participes ſimus corporis & ſanguinis ipſius, modo quodam ſpirituali, & fidei inſtrumento: æque verè ac videmus oculis Sacramenta, manibus tangimus, ori noſtro admovemus, & in hâc vitâ corporali illorum ſubſtantia alimur atque ſuſtentamur.* Quibus tamen quia valde offenſos viderat antiſtites, qui ſtrepitum parabant, & niſi Regis præſentia fuiſſet, turbas lubenter concitaſſent, poſtridie ad Reginam dictorum ſuorum explicationem ſcripſit. Hinc ſumtâ occaſione, Cardinalis Turnonius Regem obſecrabat, ne Colloquio ipſe intereſſet, & Miniſtrorum (ſic Noſtros appellabant) audiret diſſertationes, iiſque moveretur. Et poſtquam diu deliberaſſent cum Sorbonicis Antiſtites, quid adverſus illam Bezæ orationem faciendum ipſis eſſet, Card. Lotharingus, propter Bezam ingemiſcens: *utinam aut ille mutus, aut nos ſurdi fuiſſemus!* inquit. Deindè Colloquium inſtauratur d. XVI. Septembris, ubi præſentes etiam in hâc ſecundâ ſeſſione, eodem loco, erant Rex Navarræus, aliique Principes. Hic Lotharingus, *diu ante meditatâ oratione egit, quâ ſibi ne periret, congreſſum illum adeo contra Turnonii, ac plu-*

virum Theologorum ſententiam exoptaverat (verba ſunt Aug. Thuani): in cujus præfatione Regem haud leviter perſtrinxit, illum membrum, non caput Eccleſiæ dicens, eumque Eccleſiæ, & ejus miniſtris, præcipue Pontifici Rom. ſubjacere: ac dein pergens explicare duos articulos, de Eccleſiâ unum, alterum de ſacramentis, quos excerpendos, & à Miniſtrorum vel Bezæ oratione vindicandos, ab exitu prioris ſeſſionis Pontificii ſtatuerant, ſic concludit, ad Bezæ priora illa verba reſpiciens: *tam à veſtrâ opinione abſumus, quàm altius cælum ab imâ terræ parte abeſt.* Vnde jam Regem, aliósque omnes monere ipſe, & Card. Turnonius, ut non aliam, quam iſtam fidem reciperent, reliquos expellerent, & niſi ſuæ ſententiæ ac doctrinæ ocyus vellent ſubſcribere Miniſtri, ultra nec audiendos, nec ferendos eſſe. Quare ut ad Lotharingi orationem reſpondere ex tempore liceret, fruſtra petentibus Miniſtris, & Colloquii continuationem per libellum ſupplicem à Rege petentibus, vix impetrarunt, ut privato, non publico in loco, porro haberetur. Itaque die XXIV. Septembris tertiò conveniunt, non jam Rege Regiſque fratre, ſed Reginâ Matre, Rege & Reginâ Navarræ, Antiſtitibus, & duodecim delectis Miniſtris, pauciſque aliis præſentibus: ubi Beza ad præteritam orationem Lotharingi, de duobus articulis, Eccleſiâ, & Sacramentis copioſe diſſeruit: adverſus quæ nonnulla, à Lotharingo ad dicendum invitatus, dixit Claudius Eſpenſæus, Sorbonicus, vir modeſtus, qui palam profitebatur, ſe à crudelibus ſuppliciis, adverſus eos, qui religionem noſtram amplectebantur, adhibitis ſemper abhorruiſſe. Poſt quem, fruſtra ſe ad defenſionem parante Bezâ, Xainctius, eadem repetens, quæ jam Eſpenſæus dixerat, & nonnulla de traditionibus, *firmiori quam Scriptura fundamento niti* eas, addidit: quem utrumque dein Beza unâ reſponſione excepit. Tandem Cardinalis Lotharingus, clamorum Xainctii pertæſus,

ve-

veritusque, nè ſui idcirco à Reginâ increparentur, quæſtioni illi finem voluit imponi, alteramque de Cœnâ, cujus in primâ oratione plena mentio à Bezâ facta fuerat, adoriri: rogans, paratine noſtri eſſent Confeſſioni ſubſcribere Auguſtanæ, eamque recipere? Beza ex adverſo quærebat, an eandem amplecti illis in animo eſſet? tergiverſatus Cardinalis ſcriptum protulit, ſibi ex Germaniâ, uti dicebat, miſſum, ſed à Franciſco Balduino ſuppeditatum, cujus operâ hâc in re utebatur; & quoſdam Auguſtanæ Confeſſionis Theologos evocârat, quos propediem cum Noſtris ſuper controverſia de Cœnâ commiſſum iri ſperabat. Scripto iſti ut aſſentirentur Miniſtri vehementer ille quidem urgebat, non alio fine, quam ut vel contentionem noſtrorum cum Germanis Theologis provocaret; vel, ſi ſubſcriberent, de illis quaſi victor triumpharet. Scriptum continebat formulam, ex Auguſtanâ Confeſſione, uti Cardinalis ajebat, deſumtam: *Fatemur verum corpus & verum ſanguinem Ieſu Chriſti verè, realiter & Sacramentaliter adeſſe in Cœnâ Domini, & ita exhiberi, & ita recipi ab iis qui communicant.* Nihil hîc aliud Cardinalis Lotharingus intendit, quam ut commiſſos teneret Proteſtantium Theologos invicem, & Miniſtris eo facilius inſultaret, quo Lutheranos noſtris æquò infenſiores, ſibi verò addictiores habebat, quin & nonnullos, quod turpe profecto, ſtipendiarios. Id quod fide Hier. Zanchii aſſero, qui in Reſponſ. ad VVilhelm. Holderum, anno 1566. ita ſcripſit, pag. 20. *Certum mihi eſt, quod jam dicam coram Deo: Audivi ex viro harum rerum perito, & fide digno, ſe in libro Theſaurarii illius Cardinalis Lotharingi, paucis ante annis vitâ defuncti, nonnullorum Germanorum Theologiæ Doctorum & Paſtorum nomina vidiſſe: quibus penſiones annuæ, ex Archiepiſcopatu præſertim Metenſi aſſignabantur. In quem verò finem, non fuiſſe ſcriptum. Sed ſi (ut dixi) vera hæc ſunt, quod ego non ajo, quis fuerit finis, res ipſa docet: perpetua bella adverſus nos confirmant*

everſiones Eccleſiarum noſtrarum obſignant; & incrementum Pontificiæ tyrannidis palam proclamat atque promulgat. Nulla enim meliori ratione hæc obtineri poterant: quam perpetuâ diſſidiorum noſtrorum continuatione. Veni Domine Ieſu, veni: & diſſipa illos, qui bella volunt. Advenerunt autem poſt finitum Colloquium, Mich. Dillerus, Pet. Boquinus, Heidelbergâ miſſi, ab Electore Palatino; & VVittenbergici, Iacobus Andreas, Balthaſar Bidembachius, Iacobo Beurlino, eorum Collega, Pariſiis peſte extincto, ſed nullo uſui cum eſſent, fruſtraneo itinere mox domum remearunt. Die XXVI. Septembris reditum ad Colloquium fuit, ubi Beza primum de vocatione Miniſtrorum, & de S. Cœna ſermone habito, iterum Cardinalis poſt aliud quid in oratione Bezæ notatum, quærit: Confeſſionem Auguſtanam reciperent, an non? Noſtri duo reſpondebant, primo an illi eandem amplecterentur? ſic nempe non incommodam pacis viam iniri facile poſſe: deinde, an quæreret iſta Cardinalis ſuo, an communi nomine? ubi quamvis Collegas acutum intueretur, & vultu quaſi ſingulorum ſuffragia extorqueret, nemine annuente, Beza ſubiecit, iniquum proinde eſſe, quod id adeo à ſe poſtularet. Poſthæc Sorbonicorum aliquis, ad Bezam, ſublato digito: O ſi te intra Sorbonæ noſtræ mœnia ſemel comprehenſum teneremus! atq; ſic cœtus ille, poſt tumultuantium clamores & confuſam turbam, omnia quippe inordinatè, & abſque Notariis geſta, dimiſſus, atque Colloquii forma ſecundùm mutata fuit. Cujus tres formas & ſpecies ſtatuere licet, primam auguſtiſſimam, maximeque publicè, præſente, duabus ſeſſionibus, ipſo Rege: alteram minorem, quaſi privato-publicam, per ſeſſiones iterum binas: tertiam hanc privatam, Reginæ tamen juſſu, primò inter binos utrimque Theologos, inde Monlucium, & Eſpenſæum, hinc Bezam, & Gallaſium, d. XXVII. Septemb. ubi prima formula, ſuper articulo de S. Cœnâ, poſtquam

alia à Pontificiis ſolis cuſa, & à Reginâ ſuppreſſa fuerat, condita fuit: *credimus in uſu Cœna &c.* Inde XXIX. Septemb. inter quinos hinc inde Theologos: Pontificii erant, duo epiſcopi, Monlucius, & Vallius, tres Sorbonici, Eſpenſæus, Salignacus, Bontelius. Hic relecta prior formula, quæ dicebat *verè ſubſtantialiter* Chriſti corpus exhiberi: *Credimus in uſu Cœnæ Dominicæ vere & reipſâ ac ſubſtantialiter, id eſt, in ipſâ ſubſtantiâ verum corpus & ſanguinem Chriſti ſpirituali & ineffabili modo eſſe, exhiberi, ſumi, à fidelibus communicantibus.* Hæc Petro Martyri minus placebant, qui edito ſcripto: *reſpondeo*, inquit, *pro meâ parte, corpus Chriſti non eſſe vere & ſubſtantialiter alibi, quam in cœlo: non tamen inficior, Chriſti corpus verum, & ſanguinem illius verum, quæ pro ſalute humanâ tradita ſunt in cruce, ſpiritualiter percipi à credentibus, in S. Cœnâ.* Egregiè & accuratè, cui etiam reliqui quatuor mox aſſenſi ſunt. Inde alteram fecerunt formam: *Quatenus fides &c.* Hæc non probata fuit Eſpenſæo, quia fidei tribueret præſentiam Chriſti, in ſacramento; quam Eſpenſæus tribui volebat Dei potentiæ. Quare die ſeq. Septemb. tertia formula exarata: *Confitemur Ieſum Chriſtum in Cœnâ nobis dare &c.* quæ quidem Collocutoribus utrimque approbata, dein Reginæ etiam, & Cardinali Lotharingo, qui palam profitebatur, *ſe nunquam aliter credidiſſe*, & multum applauſum ubique concitabat, ob partium aliquam, & in primario articulo convenientiam, quam Bezæ profusè gratulata fuit Regina. Verùm quantum aliis placuit, tam diſplicuit Sorbonicis, & Antiſtitibus reliquis, quando ipſis d. IV. Octobris offerebatur: qui clamabant, formulam eſſe captioſam, hæreticam, & continere errores plurimos, contra inſtitutionem Sancti Sacramenti altaris. Quos ab illis notatos refert Auctor *l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de France* ad annum 1561. *pag.* 609. Quare & Collocutoribus Pontificiis poteſtas ulterius cum Miniſtris conferendi negata,

ut qui colludere, & ſe mutuo intelligere, credebantur: aliaque ab illis compoſita formula fuit, cui niſi Miniſtri ſubſcriberent, nefas haberetur amplius cum iis agere, quin contra ut hæretici & pertinaces ab Eccleſiâ judicarentur & pœnis ex Regiis Edictis afficerentur. Noſtri etiam, ſuæ ultimæ formulæ, ne qua ejus expoſitione poſtmodùm caperentur, pleniorem addiderunt explicationem; *Affirmamus nullam &c.* Atque is exitus Colloquii Poſſiaceni fuit, d. XIX. Octobris, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque plurimis diſcedentibus: quo Colloquio, *primum libertas publicè de Religione diſputandi in Galliâ Proteſtantibus conceſſa eſt.* Hinc ſequenti anno die XVI. Ianuarii, ſequutum primum pro religionis in Galliâ libertate, ejuſque uſu publico in ſuburbiis, Edictum, quod inde appellatum fuit *Ianuarii.* De Colloquio illo legere licet *Commentarium Reip. & Relig. ſub Carolo* IX. *part.* I. *lib.* III. Antonium Fayum, in *Vita Bezæ*; & qui hunc, vel illum, aut utrumque ſecutus fuit, Thuanum, *Hiſtor. lib.* XXVIII. Et *Hiſtoire Eccleſiaſtique des Egliſes Reformées en France, Tom.* I. *lib.* IV Commentarium, *de l' Eſtat de la Religion & Republique*, par le Preſident de la Place, *li.* VI. & VII. Ioſiam Simlerum, *in vitâ Petri Martyris.*

Poſtquam ex Colloquio Poſſiaceno reliqui domum eſſent reverſi, Beza autem cum paucis aliis diutius illic hæreret, Regina juſſit ut anno CIↃ IↃ LXII. menſe Martio conferrent inter ſe de imaginibus, in Sangermano, à Pontificiis partibus Mallarius, Salignacus, Botilerius, Demochares &c. adhibito viro eruditiſſimo, Petro Picherello; ex noſtris, Beza, Marloratus, Peruſellus, Barbaſtus. Hic Beza primo die, ad duas horas, contra imagines diſſeruit; ſequentibus diebus alii, abſque altercatione, aut tumultu. Exitus fuit, quod Monlucius, Eſpenſæus, Botilerius, Salignacus, Picherellus, imagines Trinitatis, Patris, & Spiritus Sancti ſim-

ſimpliciter damnarent: reliquas etiam à templis amovendas, exceptâ ſolâ crucis figurâ, dicerent; ſed cultum omnem omnibus abſolute denegandum. Atque iſta quaſi Conventus Poſſiaceni poſt-acta fuerunt.

Mihi autem videtur, temere admodum, poſt multas magnaſque ſuper doctrinæ aliquo articulo, & valde oppoſitas diſputationes, laborari de ſincerâ in controverſiæ puncto convenientia: niſi ubi alterâ pars in alterius deſcendit ſententiam. Alioqui in ambiguis locutionibus conſtituta conciliatio, uti nec aliis placet, ita ſuis Auctoribus, & cauſæ, propter quam adhibetur, nunquam non magnas parit moleſtias. Aliter eſt, ſi de momento diſpiciatur controverſiæ, an tale ſit, ut non ſalvâ religione, & ſummâ fidei in ipſo controverſo articulo, præteriri quæſtio, ſi non omnino, ex eâ ſaltem parte, quâ acrior videtur, poſſit, eâque omiſſâ, veritatis ſuo ſemper ſervato jure integro, talis conſtitui formula, quæ & ſummam neceſſariæ fidei comprehendat, & tutum recipiat utriuſque partis in ſe confluxum ac ἕνωσιν. Verbi gratiâ, in articulo & Controverſiâ de Cœnâ, velle ſententiarum, noſtræ & Pontificiæ, ſub eandem Confeſſionem, facere συμφωνίαν, mihi videtur res & impoſſibilis & infructuoſa: at verò ſi in hoc inquiratur, annon, accipiendo quod utrimque in confeſſo eſt, & ad ſummam religionis facit, ut quis ſacramentum cum ſalutis fructu participet, reliquum controverſiæ quod eſt, in praxi præteriri poſſit, manente ſalvâ utrius partis veritate, & ſuper eâ quæſtione; res alterius eſt examinis. Modò pro neceſſario habeatur, & fidem accipienti ſacramentum; & paſturam animi per verum Chriſtum, ejuſque & corpus & ſanguinem fractum fuſumque neceſſariam omnino eſſe; omiſſo interim, an inſuper carnaliter ibi Chriſtus & ſubſtantialiter præſens ſit, & ſic edatur quoque. Namque hæc præſentia uti (ſecundum Pontificios ipſos) non pendet à noſtrâ vel fide, vel infidelitate, ſed à Dei tum

veritate, tum potentia, mihi (liceat ſic loqui ad Pontificios) quantumvis iſtam non credenti, dummodo fide verâ in Chriſtum ſim præditus, obtinget etiam. Quare omiſſo ſententiæ Pontificiæ imperio, ac neceſſitate, cujus bono (ſi quod tale eſſet) fruetur fidelis quoque, etſi non admittat eorum ſententiam, ſi jam quis loquatur de partium potius, quam ſententiarum *συνθηκίας*, & de talis concordiæ formulâ, rem longe aliam ageret, & forte magis utilem. Præſertim quum non facile dicturi ſint Pontificii ipſi, notitiam iſtius, quod hic in quæſtione, præter confeſſa utrimque, ex Scripturâ probari poſſe adeo eſſe ad ſalutem neceſſariam. Nam diſtinguere oportet, ipſam *veritatem*, à neceſſitate *cognitionis*, quoad illam veritatem. Sed hæc obiter.

Pergimus in recenſione Colloquiorum, inter Noſtros, & Papiſtas habitorum: inter quæ quia vix ullum celebrius, certe auguſtius nullum, præſentibus tot Regiis capitibus habitum, illo Poſſiaceno, in ejus etiam narratione fuimus prolixiores. Anno cIↃ IↃ LXVI. Pariſiis, in ædibus Nivernianis, ex conſilio ducis Mompenſerii, inſtituta diſputatio fuit, inter binos utrimque Theologos, Simonem Vigoreum, & Claudium Sanctium, Theologos Pontificios, cum Johanne Spina, & Carolo Barbaſto, Proteſtantibus, ejuſque Acta poſtea Lutetiæ publicata ſunt, ſed iſto eventu diſputatum, *ut poſt longam & animoſam diſceptationem, exiguo partium nuſquam convenientium profectu, & eorum præcipue, quorum cauſa collatio habita fuerat, utrimque diſceſſum ſit.* Verba ſunt Thuani, *Hiſtor. lib.* XXXIX.

Eodem anno Diſputatio habita Harlemi, in ædibus Clementis Cornelii, diverſorio aurei velleris, inter magni templi Capellanum; atque ab alterâ parte Johannem Præpoſitum, Iohannem Arnoldi, Reinerium Cant, tertiumque alium, ante meridiem, à nonâ

ad

ad undecimam, & poſt meridiem à ſecundâ ad quartam, ſed quam Conſules urbis tumultum civium veriti, abruperunt. Refert Secundo Annalium, Petrus Bor, quod diſputatum quidem, non autem quâ ſuper re.

Anno cIↄ Iↄ lxxx. in arce Londinenſi, ubi tenebatur Iohannes Hartus, quia contra leges Regni, iſtud ſubintrârat, Colloquium eorum habuit Iohannes Raynoldus, de Capite Eccleſiæ; altera etiam propoſita quidem quæſtio fuerat de fide, probaturumque ſe Hartus ſuſceperat, fidem noſtram haud eſſe veram, & Catholicam; ſed eam aggredi noluit, manſitque intacta, dicens ille tandem, *longius non progrediar, niſi prius de vita ſim ſecurior*. Diſputarunt ſcripto, editaque diſputatio quidem à Rainoldo fuit, ſed quam Hartus approbavit, ſic ipſe ſcribens, *per literas tum datas ad Rainoldum, tum ab illo acceptas, obtinui ut ſermones rationeſque meæ prout volebam perficerentur. Quare, agnoſco veram iſtic ab illo deſcriptam eſſe earum rerum narrationem, de quibus ego & ille inter nos in Colloquio egimus, juxta fundamenta, locaque autorum ipſorum, quos deſignaram, & quibus me addixeram.* Quæ valde commendant Rainoldi tum eruditionem, tum æquitatem: quibus ipſi etiam Adverſarii alibi dederunt teſtimonium, in Concertatione Eccleſiæ Catholicæ in Angliâ, part. III. pag. 222. ubi de Harto ſuo, *ad eum miſerunt D. Reynoldum, miniſtrum Synagogæ Anglicanæ non vulgarem, qui cum Chriſti Confeſſore de difficultatibus inter Catholicos & Calviniſtas controverſis, diſſereret; idque ſane præſtitit quam diligenter.* Libro iſti Concertationis, quod obiter dicendum, oppoſitus fuit alius anno cIↄ Iↄ lxxxIV. regni Eliſabethæ xxvI. tit. *Iuſtitia Britannica:* ſcriptus Anglice, & Latine, quo oſtenditur, nullos in Angliâ, ſimpliciter & mere ob religionem Papiſticam, verum omnes ob perduellionem pœnis ſuis multatos fuiſſe. Neque candor Harto defuit, quum agnoſceret ſe *hoc tanquam cer-*

iam

tam concluſionem tenere, *eorum opinionem, qui Pontificem temporalem eſſe Regum Principumque dominum cenſent, à ratione atque probabilitate prorſus abhorrere.* Dignum eſt Colloquium, quod ab omnibus, ſuper iſthoc argumento, & propter plura alia, quæ doctiſſima undique pro eruditione ſuâ Rainoldus adſperſit, legatur.

Anno cIↄIↄ xcv. d. xii. Octobris Tirani; in Rhætiâ, diſputatio habita, inter Parochos Vulturenos, Stuppanum, Ruſcam, Cabaſſum, Mazzonum, Antonium Conſulatium, & Antonium Omodeum; atque Miniſtros Euangelicos Vallis Telinæ, Andreoſſam, Gafforum, Mey, Calandrinum, ac Cheſelium, de mediatorio Chriſti officio, an ſecundum utramque, an alteram demum, & humanam naturam? occaſione concionis à Simone Cabaſſo Parocho Tiranenſi habitæ, in eâque Calvini, & doctrinæ ejus diffamationis, contra expreſſa Trium fœderum decreta, quibus cavetur, ne hæc pars iſtam conviciis, contumeliis, vel calumnioſis verbis, ac imprimis ne altera alteram hæreticam vocet. Eandem proſecuti diſputationem fuerunt, in altero congreſſu anno cIↄ.Iↄ xcvi. Kal. Martii: ad quam Præſides pronunciârunt, *verba à Cabaſſo prolata in Ioannem Calvinum, eximium Theologum, ac ſanctæ memoriæ virum, ejus bonæ famæ, & eorum qui cum eo ſentiunt, nullo modo præjudicare poſſe, nec debere.* Denique in tertio congreſſu, iterum Tirani, eodem anno, d. 30. Auguſti, poſtquam per Præſides Actis ſecundi Congreſſus ad Comitia Curienſia, menſe Iunio habita, relatis, eorundemque Comitiorum decreto ſtatutum fuiſſet: *Simonem Cabaſſum Parochum Tirani palinodiam canere debere eorum, quæ in Calvinum dixiſſet, nec tamen probaſſet, vel ſi iterum experiri vellet, num probare illa poſſet: Diſputationem eſſe continuandam; eâ tamen conditione ut utraque pars ſufficienter pro expenſis caveat; ſeque intra modeſtiæ fines contineat:* Noſtri obtulerunt ſcriptum breve, ad

ad quod examinandum cùm poſtero die Adverſarii petiiſſent novem menſes, ſatis manifeſto argumento, effugium ab ipſis quæri, unus iis conceſſus fuit, dilatumque negotium, ad Cal. Octob. Status Controverſiæ erat: Vtrum Calvinus blaſphemaſſet, eo quod in Inſtit. lib. I I. cap. X I V. ſcripſit, prædicata illa apud D. Ioannem, præſertim cap. 5. ſicut enim Pater excitat mortuos, & vivificat, ita filius hominis, &c. Item, ſubjectionem illam, de quâ D. Paulus 1. Corinth. 15. poſtquam verò ſubjecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ſubjecit ſibi omnia. Item, officium Mediatoris, prædicari de Chriſto ſecundum utramque naturam ſimul? Calendis ergo Octobris, die à Præſidibus conſtitutâ, quum convenîſſent Tirani Noſtri omnes. Cabaſſus, neque Parochorum ullus adfuit, nundinas Tiranenſes, & proximam vindemiam cauſati: quæ ſatis futilia omnes videbant: dies etiam diſputationis in XV. Novembris dilata, quo tamen nec præſtitere Pontificii quod agendum erat: uſque dum anni ſequentis cIↄ Iↄ XCVI I. die XV. Ianuar. Præſides hanc pronunciarunt ſententiam: *Nos excelſorum Trium Fœderum Rhetiæ ſuperioris Oratores, & Conſiliarii, ex mandato Illuſtriſſimarum noſtrarum Communitatum, Curiæ, in publicis, & generalibus Comitiis, congregati: Auditâ expoſitione coram nobis hodie in publico noſtro conſeſſu &c. pronuntiavimus, ordinavimus, ac unanimiter declaravimus, & declaramus &c. In primis præfatum præceptum ad inſtantiam præfati Preſbyteri Cabaſſi ut ſupra emanatum, nullum, caſſum, & irritum: illudque cum contentis in eo omnino tollimus, & revocamus. Deinde pro bono pacis, & publicæ tranquillitatis, dictæ diſceptationi perpetuum indicimus, præcipimuſque ſilentium. Præterea definimus, præfatum Calvinum eodem citato loco, bene & orthodoxe ſcripſiſſe, & ſenſiſſe; dictumque Preſbyterum Symonem Cabaſſum (cùm nihil unquam ſani probare potuerit) iniquè injuria eum affeciſſe, ac maledictis eum*

impetiiſſe; propterea que dictum Preſbyterum plectendum, & ad expenſas in cauſa factas perſolvendas cogendum fore, ſtatuimus, & ordinamus. Poſt quæ Iohannes Lucius Gugelbergius à Mós Prætor Tiranenſis, ſententiam Dominorum exequutus, viſis & probatis expenſarum hinc inde factarum calculis, Cabaſſum condemnavit in centum & triginta duos aureos. Quod hic etiam præſtitit. Atque is diſputationis exitus fuit, feſtivus certè, & partium noſtrarum Theologis admodum honorificus. Neque alio pacto oportet coërcere ſacrificulorum petulantiam & maledicendi inſectandique intolerandam libidinem.

Anno cIↃ IↃ xcix. die xiii. Novembris Nannetenſe Colloquium Catharina, Regis Henr. ſoror, Religioni Reformatæ addictiſſima, quæ nupſerat Duci Lotharingiæ, ſui mariti in gratiam, qui adduxerat Ieſuitam Comelet, & Capucinum F. Eſprit, probaturos nempe, Catharinæ fidem & religionem falſam eſſe, inſtituit, cum Iacobo Couet Pariſienſi, quem Baſileâ, ſibi ut à ſacris eſſet, accerſerat, (eundem, adverſus quem Socinus librum ſuum ſcripſit, *de Chriſto Servatore*) & D. de Touche. Præſentes fuere, præter pſam ſororem Regis, ejuſque maritum, Dux, & Cardinalis Lotharingiæ. Actum de Scripturæ authoritate, vel nihil fere: quia quum noſtri nullum alium Controverſiarum judicem & normam vellent, quam Sacram Scripturam; Adverſarii autem non iſtam, quam in exordio diſputationis Ieſuita Comelet appellabat *litteram mortuam, corticem abſque medullâ, librum hæreticorum*, ſed Patres, & quas hi facerent Scripturæ expoſitiones, noſtris non refugientibus Patrum audire ſententiam, ſed infra & poſt Scripturam, ac quouſque cum Scripturâ conſentirent, tum ut non iſtis ſed Scripturæ ſervaretur authoritas decidendarum infallibiliter controverſiarum, quod nec ulli Patres unquam aliter voluerunt, aut docuerunt; factum, ut nihil ultra iſta quidem

dem colloquio actum fuerit, Principe Navarræ interim vehementer in fide ſuâ confirmatâ, & triumphante, quam tantum abeſt falſam oſtendiſſent vani jactatores, qui ad Scripturæ examen horrebant, atque ut ab eo omninò abſtinerent, aliunde etiam ſollicitè monebantur. Tandem 15. Decembris Regis Soror, publico Diplomate declaravit omnibus in Galliâ Reformatis Eccleſiis, & fidelibus, quam promtam & egregiam ſibi & cauſæ in Colloquio præſtitiſſet operam Covetus, quodque non niſi ex conſilio Ducis diſceſſiſſet. Quam Declarationem in Hiſtoriâ ſuâ profert etiam Borrius, lib. XXXVI. in fine. Extat & Hiſtoria Colloquii ſeorſim, Gallice edita, à Coveto.

Anno cIↃ IↃ c. d. IV. Maji, ab horâ primâ pomeridianâ, ad ſextam, habitum fuit Colloquium Fontiſbellaqueënſe, inter Philippum Mornæum, & Iacobum Perronum, epiſcopum Ebroicenſem, occaſione libri à Mornæo Gallicè ſcripti, de Euchariſtiâ, quo adverſus Pontificios diſputat non ex Scripturâ ſolum, ſed & ex Patribus, atque Scholaſticis. Perronus receperat ſe oſtenſurum, plus quam quingenta loca ab Auctore depravata, & in ſenſum alienum adducta fuiſſe: quare uterque poteſtatem conferendi à Rege petere, ejuſque præſentiam, & Commiſſarios Regios implorare; qui dati, pro Epiſcopo quidem, & parte Pontificia Iac. Auguſtus Thuanus, Franciſcus Pithœus, Nic. Faber, cujus locum ſupplevit Martonus, medicus Regius; pro altera parte, Gofredus Caligno, Philippus Carnajus, Iſaacus Caſaubonus, qui ſolus erat religionis Reformatæ. Diſputatum, præſente Rege, & primariis Aulæ Principibus, de teſtimoniis aliquot, Scoti primum, & Durandi, tum Chryſoſthomi, Hieronymi, demum & aliorum. Dura omnino erat Mornæi iſta conditio; ex tempore reſpondere, non in diſputatione de re; quod longe facilius, ſed de teſtimoniis Scriptorum, quæ innumera in libro ſuo adduxerat, & è quibus quingenta

genta ſe probaturum falſa eſſe, jactârat Adverſarius. Quæ nec ipſa ſcripto exhibere unquam voluit, ut, quod in tali argumento requiri omnes norunt, non deſultorie, ſed maturâ collatione, examine, ſtudio, ab objectis vendicaret Auctor. Quodque turpius, quando ad diſputationem ventum, non ultra ſexaginta Adverſarius loca adſcripſit, eaque Mornæo horâ demum primâ noctis tradi curavit, leviter notata, *Carolus Magnus p.* 816. *Scotus p.* 896. *Durandus p.* 870. libris, quos conferret, nam alios ſecum non habebat Pleſſæus, horâ demum noctis ſecundâ traditis; quos ad ſextam ejus diei, quo habenda à meridie diſputatio erat, repetiit alter. Adeo incommodo, brevique tempore virum, ejuſque ſtudia urgebant Adverſarii, ad Collationem, quam ut Regis, & Principum præſentia faciebat tremendam, ita ſuſtinebat ſolus Mornæus, uno ſuæ religionis adjuncto ſibi Caſaubono; atque cum eo, quem teſtatur Caſaubonus, in Epiſtolis, octodecim menſes & hoc amplius in hanc unicam curam inſumſiſſe, ut ſi quid in Pleſſæi libro vel ὄντως vel φαινομένως μεμπτὸν ineſſet, omne rimaretur, & in gloriæ ſuæ materiem converteret. Atque ut in diſputatione de rei probatione, ab humanis auctoritatibus non pendet fidei veritas aut certitudo; ita neque in tali collatione, quæ magis perſonalis videtur, quam realis, momentum cauſæ periclitatur, addo nec libri, cujus cauſâ ſuſcepta diſputatio illa fuerat. Nam, uti bene monebat Pleſſæus, quod ſi ad hanc normam examini ſubjicerentur omnes libri à Papiſticis Doctoribus conſcripti, nullus uſpiam ſubſiſteret. Et quod ex toto illo libro, totque innumeris Auctorum allegatis teſtimoniis, primum quingenta, inde ſexaginta, tandem novem modo indicata loca, libri & Auctoris fidem ſummopere comprobavit. Tum loca quod attinet producta à Perrono, ex Scoto, Durando, reliquiſque, quam ſatis bene tueri potuerit Mornæus, ap-

apparet ex Hiſtoriâ Colloquii, mox editâ, quæ Gallicè extat, Anglicè, & Belgicè: ipſiuſque Mornæi ſecutâ & editâ *Reſponſione* ampliſſimâ, ad librum Ebroicenſis Epiſcopi, de Colloquio Fontisbellaqueënſis quæ conferre oportet, cum iis, quæ de iſto negotio in variis ſuis epiſtolis memorat Caſaubonus; & Thuanus, lib. CXXIII.

Anno CIↃ IↃ C I. d. XXVIII. Novemb. habitum Ratiſbonæ tertium de religione Colloquium fuit, ex authoritate Maximiliani Bavariæ Ducis, & Philippi Ludovici Comitis Palatini, inter partis Pontificiæ Albertum Hungerum, Velſerum, Hannemannum, Gretzerum, Tannerum; & partis Lutheranæ varios, à Philippo Ludovico, à Saxoniæ Electore Chriſtiano II. alios ab Electore Brandeburgico Friderico, tum à duce VVurtembergico Frederico miſſos, inter quos præcipui erant Iac. Hailbrunner, Ægidius Hunnius, Rungius, Andreas Oſiander, Felix Bidembachius. Diſputatum à d. XXVIII. Novemb. ad d. VII. Decemb. per XIV. ſeſſiones; de authoritate Scripturæ, & judice controverſiarum: Gretſero theſin & ſententiam ſuam hunc in modum proponente; *Sacra Scriptura non eſt judex omnium controverſiarum fidei, & religionis Chriſtianæ. Eſt quidem norma infallibilis; verum nec ſola, nec unica; ſed præter hanc neceſſario admitti debent traditiones, & Eccleſiæ definitiones, Doctorumque Orthodoxorum conſenſus.* Cumque diu ſatis tergiverſati fuiſſent Pontif. noluiſſentque ſuum controverſiarum judicem exponere, authoritate Principum adacti, Gretſerus id fecit: *Iudex generalis, legitimus, ordinarius omnium controverſiarum, quæcunque poſſunt oriri in negotio religionis, eſt Pontifex Romanus, ſive ſolus definiat aliquid, ſive definiat cum Concilio generali. Iſte judex ſemper eſt infallibilis, quando ex cathedrâ definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius; & ſperamus, hoc die, & hâc ipſa horâ, hoc munere judiciario fungi ſanctiſſ. D. noſtrum Clementem VIII. Pontif. Opt. Max.* Diſputârunt utrimque ex Scripturâ primum, argumentis Theologicis, tum ex Pa-

tribus: ſed nullo, poſt multos etiam magnoſque clamores, effectu. Hic Gretſerus impudentiſſime exſibilans Spiritum Sanctum controverſiarum judicem, altâ voce clamabat: *Iam adſit Spiritus Sanctus, jam me condemnet. Iam, jam non poteſt dicere ſententiam condemnatoriam Spiritus Sanctus per hunc librum, ita ut evidenter conſtet, quæ ſit ejus ſententia. Ergo non poteſt eſſe judex. Iam adſum, dicat, erras Iacobe Gretſere.* Acta Colloquii à parte unâ & alterâ, Ingolſtadi, Monachii & VVurtembergæ, edita fuerunt: vide & Thuanum, *lib.* CXXVI.

Anno CIↃ IↃ CII. iterum id agente Regis Galliæ Henrici IV. ſorore unicâ, Pariſiis Colloquium inter Molinæum, & Cayerum fruſtra aliquandiu tentatum; tandem, poſt abitum principis, d. XXVIII. Maji, inchoatum fuit, & propoſita themata de ſacrificio miſſæ, *adoratione* Papæ, & Sanctarum imaginum veneratione. Quam adorationis vocem quum ægre ferret Carmelita aliquis in ipſo diſputationis exordio adhiberi; Cayer, & Doctor Sorbonicus ut bonam tamen retineri voluerunt. Actumque de his & aliis articulis diu fuit, quouſque pars adverſa Regios miniſtros induxit, ut, pro imperio, Colloquium diſſolverent, ex quo ſeditio ſcilicet metueretur.

A. CIↃ IↃ CVIII. Antverpiæ Colloquium habitum inter Franciſcum Lanſbergium, Concionatorem Roterodamenſem, qui illuc ierat, tempore induciarum, ubi ante occupatam à Parmenſi Duce urbem, miniſterio fuerat functus, & P. Goudam, præſente Filio Lansbergii Samuele, quoque Paſtore Rotterodamenſi, & P. Cornelio Cornelii, aliiſque octodecim viris honeſtis, auditoribus: diſputatum de tranſſubſtantiatione, & P. Gouda eò abſurditatum à Lanſbergio adductus fuit, ut palam conceſſerit, identidemque repetierit, ſe Chriſtum Deum & hominem in ſacramento, non ſpiritualiter ſolum, ſed & corporaliter, ore corporeo, quemadmodum & mures quoque, ſibi conſecratam nanciſcun-

ſcuntur hoſtiam, edere, exſpuere, addebat & cacare etjam. Quâ auditâ turpi, ſed ingenuâ confeſſione fidei & doctrinæ Papiſticæ, plures ex Auditoribus cum horrore Papatum abjurarunt, & ſe Eccleſiæ adjunxerunt. Acta diſputationis edita ſunt, & ſummam ejus refert in Hiſtoriâ ſuâ Baudartius, *Tom.* I. *lib.* III.

Anno cIↃ IↃ CVIII. d. I. Auguſti diſputavit apud acidas Swalbacenſes Paræus, cum Ieſuitis, Becano, Serario, Mulhuſino; de Purgatorio, Deo authore peccati &c. quia Becanus ante quadriennium diſputationem habuerat Moguntiæ de Deo authore peccati, eâque dixerat, *Deum Calviniſtarum eſſe Diabolum*: jam in Colloquio Swalbacenſi illo, poſt defenſum innocuum Calvini nomen, Paræus eo Adverſarios adegit, ut faſſi fuerint, ex illâ propoſitione ſaltem delendum eſſe *ſtarum*, & quidquid de Calvino ſit, male dictum, quod Deus Calviniſtarum ſit Diabolus. Acta poſtea Paræus edidit, cum Notis apologeticis.

A. cIↃ IↃCIX. die 19. Septemb. Francofurti ad Mænum, inter Clementem Boëſium, ſive du Boys, Miniſtrum Hanovienſem diſputatum; & Coſmam Morelles, Profeſſorem apud Prædicatores Coloniæ, qui nundinis Francofurtenſibus, Hanoviam profectus, ubi Cappucinum quendam monachum audierat publice abjurantem religionem Pontificiam, poſt habitam à Clemente du Boys concionem adeo eximiam, ut ipſe Morelles eum Demoſthenem Gallicum propterea appellaret, hinc Colloquium cum Noſtris expetivit, in quod haud illubentes conſenſerunt, veneruntque Francofurdum prędictus du Boys, Iſaacus Genius, quoque miniſter Eccleſiæ Belgicæ in Hovenbach, cum Timotheo, ejuſdem loci Miniſtro Gallico: ubi diſputatum cum Coſmâ Morelles illo, Hiſpano, de operum meritis; ſed cum *groſſis injuriis & calumniis*, uti loquitur Morelles, qui ſe *cholericum nonnihil vivacius & vehementius* diſputare fatebatur, ſeſſione primâ. Colloquium, urgente Nundi-

narum exitu, finitum, quod & edidit Morelles ex ingenio ſuo, *quantum memoria ſuggeſſit, Notarii enim præſentes non interfuere, qui ſingula quæ & dicebantur & gerebantur annotâſſent*, ſicuti ipſe teſtatur in præfatione; & ſcripto Coloniæ, ſuper eâdem quæſtione, deinceps diſputationem proſequutus fuit.

Anno cIɔ Iɔ cxviii. d. xxxi. Iulii Caſtrieraldi, in Galliâ, inſtitutum Colloquium, ad petitionem locum tenentis regii Pidoux, inter noſtræ religionis Iohannem Carre, Paulum Geſlinum de la Pittiere, loci miniſtros; & partis Pontificiæ Iohannem Breard, Doctorem Sorbonicum, Danielem Bandri, Theologiæ ipſorum Baccalaureum; de Purgatorio, invocatione Sanctorum, & Tranſubſtantiatione, ſeſſionibus xiv. quouſque authoritate publicâ interdictum ulterius progredi, Quod ſolitum Adverſariorum eſt artificium, ex illâ figurâ & modo reſpondere, ad noſtram concluſionem. Nam & eodem loci ante, anno cIɔ Iɔ xi. eadem μεθοδείᾳ diſruptum Colloquium, interventu archiepiſcopi Pictavienſis, fuerat, inter Chamierum, & Homblot.

Anno cIɔ Iɔ cxxv. d. xiv. Aprilis, indictum authoritate Comitis de Parabere Colloquium fuerat Cognaci, inter Guilielmum Rivetum, & Gilbertum Rouſſeau, Ieſuitam. Quumq; Ieſuita, ad methodum Veronianam vellet agere, nec ſinere Rivetum argumentari ex Scripturâ, per legitime ductas & formatas conſequentias, adeoque non convenirent in Colloquii conditionibus, re infectâ diſceſſum: Riveto ſcriptum *de vero & recto S. Scripturæ uſu* Gallicum ſubjungente.

Haud ita pridem anno cIɔ Iɔ cxlv. inſtitutus Conventus Thorunenſis fuit, authoritate Regis Poloniæ, Vladiſlai iv. d. xviii. Augusti, *fraterna Collatio, ſeu Colloquium charitativum*, quomodo appellatur in primâ ejus deſignatione, anno cIɔ Iɔ cxliii. d. xii. Novemb. in litteris Synodi Varſavienſis, quibus, ut & litte-

ris Regiis anno cIↄ Iↄ c xl i v. d. xx. Martii Colloquium primò indicebatur in d. x. Octob. anno cIↄ Iↄ c xl i v. quod tempus quia juſto anguſtius, prorogatum fuit. Noſtri primum in Synodo Ormenſi anno cIↄ Iↄ cxl i v. d. xx i v. Auguſti, ad Epiſtolas Regis, & Archiepiſcopi, ſingulas reſponderunt, & quamvis ſe multas ob rationes juſte vereri dicerent, ut is Colloquii foret exitus, quem ſperare ſe Rex ſignificabat, propter arctam illam & abſolutam adverſæ partis a Papâ dependentiam & ſubjectionem, quo inconſulto nihil quantumvis juſtum bonumq; (cujus aliqua adferebant exempla) facere illi auderent, propter juramentum quo Papæ eſſent devincti, & cognita jam eſſent ipſorum conſilia, quod ſolam cogitarent Noſtrorum ad Papatum reductionem, vel noſtræ à Papatu ſeceſſionis, condemnationem, nullam autem vel Reformationem vel emendationem, *ſine quâ conciliatio Religionum nulla* haberi poſſet, adeundum tamen Colloquium cenſebant; quamvis nemine ignorante, *alteram partem, cum alias non tantum emendare, ſed etiam judicare velit, ſeipſam ad ullum æquilibrium demittere nolle*, uti Noſtri reſpondebant. Scripſerat jam epiſcopus Vilnenſis, in ſuis ad Colloquium evocatoriis, Noſtros eò venturos, *ad docendum & probandum quomodo illi animas diverſarum Nationum & Regnorum, pretioſo ſanguine Chriſti redemtas, falſis & perverſis ſuis dogmatibus à verâ ſanctâ, Catholicâ Romanâ Eccleſiâ abducant, & ad barathrum detrudant, ad docendam & firmandam in præmiſſo quam ſe habere prætendunt, veritatem*. Quæ ſatis ſignificabant, longe aliud quæri, quam veram conciliationem & concordiam. Initium Colloquii factum anno cIↄ Iↄ c xlv. d. xxv i i i. Auguſti, inter tres diſſidentium Partes, Pontificiorum, Reformatorum, & Lutheranorum, datis ſingulis partium Præſidibus moderatoribus, Collocutoribus, Notariis, præſente Regis nomine Legato Georgio, Duce Oſſolino. Ex Reformatis præcipui fuerunt, Gorayſki, Caſtellanus Chelmenſis;

ſis; Theologi, Iohannes Bergius, Reichelius, Georg. Vechnerus, Comenius, Benj. Vrſinus, Ge. Lætus, Samuel Plachta, Ioh. Lætus, Muſonius, Reinoldus Adami. Ex Auguſtanæ Confeſſionis partibus, Hulſemannus, Bothſaccus, Calovius, Cimmermannus, Mochingerus, Iohannes Fabritius, alii. Fateor, leges & normam Colloquii à Rege præſcriptam fuiſſe eximiam, & pauculis exceptis, ſive ſcopum, ſive modum agendi, & ad ſcopum perveniendi attendamus, præſtantiſſimam. Articulus primus erat: *Imprimis, ſcopum quem ſuſcepto negotio præfigimus, Concordiam & Vnitatem Religionis, ac beatam Eccleſiæ PatriæquePacem, omnium votis tantopere expetitam, Collocutores præ oculis habeant, & ut aſſequantur, totis animi viribus contendant, remotis aliis omnibus intentionibus, quæ animos aliò, ſtudiaque divertere poſſunt.* Et circa tractationis ordinem, tres faciebant partes, ſeu periodos: ut primâ, utriuſque partis ſententiæ liquido proponerentur: ſecundâ, ad examen veniretur doctrinæ: ultimâ, ſi quid ad mores dicendum eſſet, inquireretur. Art. IV. *Optamus igitur, ut Collocutores, Tribus generaliter Actionibus, univerſum negotium complecti velint. Ac in Prima quidem inveſtigent quam accuratiſſimè propriam & genuinam ſingularum Partium Doctrinam & Sententiam. In altera, de Veritate vel Falſitate Doctrinæ conferant. In tertia, ſi quid circa P[illegible] & Mores controverſum ſit, diſcutiant.* Primum appella[illegible] bant, *doctrinæ liquidationem & ſincerationem.* Art. 5. *Primum, id eſt, perfectam totius Doctrinæ liquidationem & Sincerationem permagnificamus; cum compertum Nobis ſit, maximam jam Præſentium malorum cauſam eſſe, ſiniſtras Partium Intelligentias, & hoc uno fomite, tam luctuoſum diſſidium in hoc inprimis Regno foveri.* Atque id ſanè benè: nam in omni diſputatione permagni momenti eſt, primùm ut conſtet de ſtatu controverſiæ, ex partium ſincerâ expoſitione, miſſis omnibus adjectionibus, conſequentiis, calumniis, vel odioſis explicationibus.

Quem-

Quemadmodum in litteris ſuis Rex, datis anno ClƆ IƆ C XLVI. d. XXV. Martii, poſt habitum Colloquium: *Ergò hæc unica cura ſit eorum, qui pacem profligatam revocare curant, ut ſemotis omnibus offuciis, genuina Partium Doctrina in apertum prodeant, illis palam fatentibus quod affirmant, iſtis nequaquam imputantibus quod negant. Tum verò primum ſecernatur deartuatus error, fiatque periculum an ſuſtinere tenebræ valeant fulgorem veritatis.* Atque, uti paulo ante loquitur: *Præcipuus deſideriorum Noſtrorum ſcopus erat* LIQVIDATIO DOCTRINARVM. *Iam enim pridem compertum Nobis & perſuaſiſſimum eſt, Arcem præſentis Diſſidii eſſe* SINISTRAS INTELLIGENTIAS; *caput concordiæ* INTEGRATIONEM VERITATIS. Atque ita voluit Rex, priori hâc parte agi, non *num hæc vel illa pars verum ſentiat, ſed quid vere ſentiat.* Deinde alteri parti diſputationem aſſignat; neutiquam vero talem, quę in contentionem, ſed quę in convenientiam deſinat & conciliationem. Art. IX. *Quoad alteram Actionem, quâ de Veritate vel Falſitate alterutrius Doctrinæ diſſerendum ducimus, intelligant Omnes, non eſſe, nec unquam fuiſſe mentis Noſtræ, permittere, ut Partes infeſtis hinc inde diſputationibus ſeſe impetant, à quibus tantopere abhorremus, ut ne quidem diſputationis nomen, in toto hoc negotio uſurpari unquam voluerimus. Didicimus enim, experimento unius ſeculi, interminatas illas argumentorum conflictationes, in majores fere rixas deſinere, & poſt longos conatus, vix fieri poſſe, ut Divina Veritas ſolidioribus & validioribus firmetur argumentis, quam hactenus firmata eſt.* Ego valde hòc poſtremum noto, & revera obſervandum eſt, quod Rex de aſſiduis per integrum ſeculum iiſdem de rebus diſputationibus pronunciat, eo uſque eas perductas eſſe, ut vix videatur ulterioribus rationibus res firmari utrimque poſſe, quam hactenus firmata eſt. Adeo ferè idem agitur à variis Scriptoribus, dum ad eandem diſputationem raro alia adhibentur, quam jam allata à Prioribus fuerunt. Neque minus annoto,

ex legibus Colloquii, à Rege preſcriptis, undecimam hanc: *Quamvis autem certum Nobis ſit, quibusvis Religionum diſſidiis, finem difficulter imponi poſſe, niſi præſto ſit animatus Iudex, qui audiri poſſit, & cujus ſententiæ neceſſe ſit acquieſcere; non diffidimus tamen, pacificam, fraternamque collationem, ritè peractam, maximum habituram momentum, ſi abrogatis falſis imputationibus, & ſepoſitis, ſepultisque veteribus odiis, vel novis diffidentiis, integre & ſincerè judicare velint.* Quibus verbis animatum judicem (qualis Papa) ab hujuſmodi actione hactenus removet; neque adeo audiendum cenſet, cujus loco rem etiam peragere poſſint alii, quarumcunque partium Theologi, pacificâ, fraternâque collatione. Quæ utroque pollice approbanda exiſtimo. Denique id quod articulo XXIV. dicitur, omnibus, præſertim Theologis, atque imprimis Pontificiis commendandum: *Priusquam Partes Thorunio abeant, diligenter Poſtremis Seſſionibus Acta recolligant. Videantq; uid illud ſit, quod maximè obfuit, & deinceps obeſſe poſſit optatiſſimæ Paci & Veritati: Et quidquid illud ſit, tantumne pondus habeat, ut tanto Nos debeat privare bono. Quâ in re ſollicitè & clementer hortamur, tum Legatum Noſtrum, partiumquè Deputatos, & Moderatores, tum Collocutores ipſos, ut cordatè introſpiciant, quid in re tanti momenti utiliter conſuli ſtatuiquè poſſit.* Poſtquam diutius hinc inde de Conditionibus Colloquii diſceptatum, tum de titulis ac præſertim de titulo Catholici, in appellatione mutuâ, & ſcriptione Actorum adhibendo, quem ut ſibi proprium Pontificii volebant, ita ut eo noſtri pro ACatholicis haberentur, vel quibus non meliori jure nomen Catholici competeret, non ferendum cenſebant: inde traditis invicem ſcriptis pro liquidatione doctrinæ, Pontificii, de multis ſibi temerè attributis opinionibus aut conſequentiis circa doctrinam ſuam de regulâ fidei, de juſtificatione, de ſacramentis, de cultu conqueſti fuerunt: *Neque refert quòd aliqui per ſyllogiſticas Conſequen-*

quentias iſtiuſmodi propoſitiones rectè ſe inferre, & juſtè nobis imputare exiſtiment. Videndum enim eſt cui magis credendum ſit, mihinè ſimpliciter, apertè & in terminis terminantibus propoſitionem neganti, an alteri per Conſequentiam (quam ipſam legitimam eſſe nego) eandem mihi imputanti? Denique quando recuſârent Pontificii ſcripta Noſtrorum in Acta referre, quemadmodum alia, & ſua, Confeſſionem & Declarationem doctrinæ Eccleſiarum Reformatarum, quæ poſtea ſeparatim typis excuſa Berolini, anno clↃ IↃ c xlvi. atque etiam tempus interim Colloquii, à Rege conceſſum, quod trimeſtre erat, exſpiraret, ſolutum fuit, *mutuâ valedictione & in fraternâ charitate*, d. xxi. Novemb. ſeſſionibus xxxvi. Inſtitutum erat, ad *ſacram Eccleſiaſticam unionem atque concordiam*, uti expreſſum in litteris inſtructionis & miſſiônis, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi ad ſuarum partium Theologos: unde ſeſſ. xvii. Ieſuita Schonhoff: *dicam brevibus & apertis verbis, Nos pacem & concordiam volumus, per conſenſum in unam eandemque doctrinam, Deique cultum.* Quâ occaſione ſolerter uti, & qualitercunque oblatam pacis ſpeciem, amputatis omnibus quæſtionibus præliminaribus & circumſtantialibus, arripere, atque ad rem ipſam protinus accedere, & vel in bonum Eccleſiæ omnia illa vertere, aut animum ipſorum & inſidias confeſtim detegere, oportet. Quod, abſque multo prologo, vel verbo haberi poteſt. Quippe hoc unum duntaxat ipſos interrogo, exiſtimentnè, quo ad illam eccleſiaſticam doctrinæ unionem perveniatur, Eccleſiam ipſorum Romanam in doctrinâ corrigi, aut reformari poſſe, ac debere; an non? affirmandum hic, aut negandum eſt. Si illud, bene, atque arripimus ut argumentum Eccleſiæ Romanæ fallibilis: ſin hoc, fruſtra jam cum illis agimus, qui ſuam Eccleſiam putant ita non errare, ut neque errare poſſit. Hieronymus à S. Hyacintho dixit, ſeſſ. xxii. *Nunquam fidem noſtram Catholicam antiquiſſimâ poſſeſſio-*

ne ſuæ certitudinis, tot ſeculis firmatam, alea præſentis Colloquii animus fuit exponere &c. Longe alia eſt fidei noſtræ Catholicæ conditio, quam ut diſcuſſionibus infallibilis ſuæ veritatis, & certitudinis à nobis ſubjici unquam debeat, vel patiatur. Hoc ſi ſit, quorſum nobiſcum Colloquium petunt, diſputationem, unionem? ſiquidem nos Reformati ex primâ nominis noſtri profeſſione, Eccleſiæ Romanę doctrinam erroris notamus, eamque corrigendam, in doctrinâ primo quidem, dicimus: unde quàm non in unam eandemque cum iis doctrinam concedere poſſimus, facile liquet; dum illi quam diximus doctrinæ ſuæ infallibilis theſin, conſtanter tuentur, Nos in illorum doctrinam conſentire non poſſumus, niſi negatâ noſtrâ, & abdicato noſtro nomine, quod tum foret, non Eccleſias conſentire invicem, vel duas inter ſe unire partes, ſed tranſire in alteram. Quemadmodum quando Synagoga ad nos accedit, non fit unio Iudaiſmi, & Chriſtianiſmi, vel pax aliqua aut convenientia in eandem doctrinam inter utroſque, vel inter partes; ſed ſimplex illius ad noſtras converſio. Atq; hoc ſi intenderint Pontificii, Nos ad ſe allicere, utique quid hoc aut novi, aut ut ſpecie Colloquii charitativi, ſub προφάσει unionis Eccleſiaſticę, tentaretur? idque cum tantâ diſputationis devitatione, ut ab ejus ideo nomine etiam abſtinuerit Rex, in Colloquii deſignatione. Quorſum iſta? aperte, ſincere, nudatis agatur frontibus. Si velint uniri in eandem doctrinam utraſque Eccleſias, Romanam debent ſiſtere emendabilem, ſecus laterem laveris: ſi nos tantum velint reducere in ſuam Eccleſiam, quid ad hoc Colloquio opus; & tali charitativo, quum id univerſale ipſorum negotium ſit? & quomodo id queat aliter peragi quam diſputatione, & hâc quidem unicè? ut quam diſputationem videri voluit hoc Colloquium cavere, eam ſolam quidem ex illâ hypotheſi ſectari debuerit. Quamdiu illa tria tenent Adverſarii, *Eccleſiæ* ſuæ *infallibilitatem*, Romani *Pontificis authoritatem*, & Concilii *Tridentini veri-*

ritatem, ſeu in rebus religionis canonem, fruſtra eſt ut de conciliatione utrarumque Eccleſiarum & doctrinarum cogitetur. Atque illa velim protinus iis ſemper objici, quando ſpecioſo conciliationum titulo nos adoriuntur, ut ex reſponſione tum ſtatim de omni negotio liqueat. Quare dum ſeſſ. IX. pro principio ad liquidationem doctrinæ ſuæ proponebant Concilium Tridentinum, hoc unum modo petendum, an iſti Concilio inhæreant immobiliter ut infallibili principio, an vero patiantur illud ad examen reduci, & emendari? Si illud (neque enim iſtud dicent), verbum fruſtra additur, dum quo loco nos Concilium illud habeat, ſatis notum, certe non pro conciliandis ſecum in doctrinâ ullatenus. Ante Concilium Tridentinum, nondum in iſtam formam vallatis Pontificiorum rebus, per tot tamque dira in Nos anathemata, præcipue ubi non ægre admittebatur, Romanam Eccleſiam in nonnullis corrigi debere, & præſertim poſſe, denique & poteſtas Romani Pontificis non in iſtam amplitudinem extendebatur vel agnoſcebatur, ac jam, major aliquanto apparuit occaſio conciliandarum quâcunque ratione partium: ſed jam poſt illa omnia validius definita, & amplexa acrius, ut de partium unione ſerio adhuc agatur, eſt impoſſibilia captare, & fere (quod dicunt) luctari cum Coryco. Specioſum quidem, fateor, nomen pacis eſt, ſed ſinceræ, ſed juſtæ, & ubi proponitur non poſſibilis modo, ſed facilis? at ubi omnia ſecus ſe habent, & nec proba offertur, neque ex animo, & quam feceris undiquaque inacceſſam, eſt, quod dici ſolet, theſaurus carbones.

A. CIↃ IↃ CXLVI. Rex Angliæ Carolus diſputavit ad Raglani caſtrum, cum Marchione VVorceſtriæ Henrico, quæ edita diſputatio à Thomâ Baylie, Theol. Doctore, tit. *Certamen religioſum*, Anglicè. Certè de variis graviſſimiſque articulis ibi actum; ex tempore primum, imo noctu, dein ſcripto, & promte accurateque hinc inde reſponſum, ut non ſeculares, ſed exercitatos

The-

Theologos egiſſe dixeris.

Denique ultima, quam ſcimus, Diſputatio cum Pontificiis per Colloquium habita fuit nuperrime ad finem præcedentis anni cIↄ Iↄ c lI, d. xv I, Decembris, ad d. xx I I. ejuſdem menſis, ſcripto; niſi quod d. xx. habita fuerit diſputatio ore, dictata ad calamum; omnino in gratiam Erneſti, Haſſiæ Lantgravii, ad Papatum deficientis; inter Haberkornium, Mentzerum, Happelium, Theologos Aug. Confeſſ. Gieſſenſes; & Valerianum Magnum, Riginaldum Droſt, & Paulum Piſterfeld Cappucinos, in arce Rheinfelſâ. Cujuſmodi Colloquia per χεῖρα πολιτικὴν magis quæri tum ſolent ob prætextum, cui defectionem imputent certò conſtitutam, quam pro inſtructione, aut arcendo defectionis periculo. Diſputatum hic de primario diſſenſionis articulo, infallibilitate & primatu Romani Pontificis, ubi iſtam theſim à ſe confirmandam proponebat Valerianus: *Innocentius Papa X. Epiſcopus Romanus habet infallibilem juriſdictionem, ſuper univerſam Eccleſiam Chriſti.* Primum hic obſervanda, quæ ſponte ante conflictum, *Act.* I I. conceſſerat Valerianus; nimirum, iſtam ſuam theſim non poſſe probari ex Sacrâ S. nullamque in eâ mentionem fieri Pontificis Romani, uti nec eandem confirmari poſſe ex ullâ authoritate Eccleſiaſticâ, vel Eccleſiæ decreto: id eſt, dico ego, neque ex verbo Dei ſcripto, neque ex non ſcripto, quod utrumque ipſorum in rebus fidei eſt principium. Adeoque fundamentum Eccleſiæ, & articulus religionis ipſorum primarius probari, ipſis palam fatentibus, nullo modo poteſt. Audiamus ipſum: *Poſt ætatem D. Petri Pontifices Romani ſucceſſores ejus habent auctoritatem infallibilem in proponenda, & declaranda univerſæ Eccleſiæ ex cathedrâ, fidei Chriſtianæ doctrina, & juriſdictionem ſegregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Hanc, inquam, theſin non quimus inferre ex ſolo textu ſacro, ſiquidem in bibliis nulla ſit mentio Pontificis Romani, ſed neque*

ab

ab auctoritate Iudicii eccleſiaſtici poſſumus præciſè ſine argumento theologico confirmare illam theſin. Nos enim inter decreta eccleſiaſtica, fidem concernentia, nullum ſcimus, quod Pontifici Romano tribuat expreſſè infallibilitatem auctoritatis. Non ex *ſolo* textu ſacro: ergo neutiquam ex textu ſacro. Nam ſi aliunde, hoc vel ex textu ſacro probat, vel ex alio tantum ἔξω, vel utroque: ſi illud, ergo eo continetur, & ex eo etiam ſolo hactenus probari poteſt. Sin iſtud, ergo neutiquam ex ſacris. Et hoc ſi dicatur, quæro an rei ſubſtantia & fundamentum ex ſacro textu probari poſſit, an non? atque pro datâ reſponſione, eo vel continebitur, vel non: ſi non, fundamentum erit ἄγραφον; ſin imo, ergo id hactenus ex eo ſolo etiam probari poterit. Quomodo, Deum eſſe, & bonum, potentemque poteſt probari ex Scripturâ & ratione; ſed quamvis etiam hinc, tamen ex ſolo textu ſacro quoque. Quare quod non ex ſolo textu ſacro probari poteſt, id hactenus neque ex eo: quoniam ex textu ſacro probatio bona inſtituitur, ſive per expreſſa verba, ſive per legitimam conſequentiam. Deinde, ſi in Bibliis nulla fit mentio Pontificis Romani, ergo neque Pontificatus Romani: ſi enim hoc foret, illud dici non poſſet. Quare, fruſtra ſunt omnes Pontificii, ipſeque adeo Valerianus, qui illum ex Scripturâ Matth. XVI. 18. trahere ſatagit; atque improbum eſt, vel ejuſmodi articulum, nullo Scripturæ fundamento ſubnixum, facere Eccleſiæ fundamentum, aut propter eum non agnitum alias Eccleſias, hominesque innumeros condemnare. Temere ergo etiam hactenus alii infallibilitatem auctoritatis Papalis ex decretis & auctoritate Eccleſiaſticâ conati fuerunt ſtabilire. Pergit: *probamus tamen ab auctoritate Iudicis eccleſiaſtici, has ſeptem propoſitiones. 1. Pontifex Romanus eſt ſucceſſor D. Petri Principis Apoſtolorum. 2. Pontifex Romanus tenet primatum in univerſum orbem. 3. Eſt verus Chriſti Vicarius. 4. Eſt caput totius Eccleſiæ. 5. Eſt omnium Chriſtia-*

ſtianorum Pater. 6. *Et Doctor.* 7. *Cui à Domino noſtro Ieſu Chriſto in Beato Petro tradita eſt plena poteſtas paſcendi, regendi & gubernandi univerſam Eccleſiam. Patres enim Oecumenicæ Florentinæ ſynodi cum Eugenio IV. Pontifice Romano quæſtionem de primatu Pontificis Romani definierunt his verbis; Item diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Porrò ne quis exiſtimaret eam definitionem eſſe novam, cautum eſt his verbis; Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur, quæ immediatè ſubſequuntur præfatam definitionem ejuſdem Concilii.* Nos Pontificem Romanum majori ratione aſſerimus nec eſſe ſucceſſorem Petri, nec primatum tenere in univerſum orbem, neque Chriſti vicarium eſſe, aut caput totius Eccleſiæ, vel omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem, neque facto, neque jure: & cui talem poteſtatem dicere traditam in Beato Petro, eſt delirare verius, quam ſapere: utpote qualem quantamque Petrus neque unquam habuit, neque exercuit; & ſi habuiſſet, non perſonalem, ſed realem & ſucceſſivam fuiſſe, denique ad hos quaſi ejus ſucceſſores Papas Romanos devolutam eſſe, nemo unquam ullâ vel minimâ ſpecie rationis oſtendat. Sed, en Synodum Florentinam. Riſum profecto iſtud debet, ex hâc demum Synodo rei illius deciſionem petere. Quare non potius ex Synodo Romanâ, ſub Gregorio VII. de quâ nos ſupra diximus? vel an illam ignoravit Valerianus, aut ſuſpectam habuit. Hæc autem Florentina habita anno cIↃ ccccxxxviii. Tot ergo ſæculis vel non obtinuit ille primatus Papalis? vel non fuit articulus fidei? neque

que in Dei verbo, neque in Eccleſiâ definitus? Et quomodo hic demum definitus? cujus deciſioni neque Græci omnes, qui interfuerunt, interque eos præcipuus Marcus Epheſinus, ſteterunt, neque reliqui in Oriente, ubi ad eos reverſi illi ex Synodo Græci. Et in Synodo, quando hanc controverſiam compoſitam volebat P. Eugenius, reſponderunt: *ſe nullam adhuc reſpondendi facultatem habere*, quare & nolebant *conſentiente Imperatore, ut de aliâ quæſtione præter illam de Spiritus Sancti proceſſione, in Unionis litteris ulla mentio fieret.* Tandem circumventi & ſuperati à Papâ, hæc etiam admiſerunt Græci, & in litteris unionis inſerta fuerunt: verum, quod Valerianus inquit, nequis exiſtimaret definitionem eſſe novam, cautum eſſe his verbis: *Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur, quæ immediatè ſubſequuntur præfatam definitionem ejuſdem Concilii.* dolum, vel artem Valeriani oſtendunt. Quis enim iſta, *quæ immediate ſubſequuntur præfatam definitionem ejuſdem Concilii*, non ita capiat, ut deciſioni illi annexa fuerint Conciliorum priſcorum decreta? præſertim qui ſciat, in illâ Synodo, ad agitatam quæſtionem de proceſſione Spiritus Sancti multa Veterum teſtimonia paſſim adducta fuiſſe, etiamque ad diſputationem illam de primatu Papæ, lectas eſſe Græcorum Doctorum de ſummi Pontificis poteſtate ſententias? & tamen nihil tale in definitione Concilii, ubi hæc modo: *& gubernandi univerſalem eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Quare illa Valeriani, *quæ immediate ſubſequuntur præfatam definitionem ejuſdem Concilii*, intelligenda ſunt, quæ *verba*; non uti videntur capienda illa verba eſſe, *quæ Decreta.* Deinde, non dicit iſta Florentina, definitionem illam factam fuiſſe in præcedentibus Oecumenicis Conciliis: nam hoc ſi fuiſſet, non dixiſſet Valerianus, ſe inter decreta·

creta·

creta Eccleſiaſtica, fidem concernentia, nullum ſcire, quod Pontifici Romano tribuat infallibilitatem auctoritatis; neque miſſis illis ſe aſtrinxiſſet recenti definitioni Concilii Florentini: ſed dicit, qualitercunque tantum Romani Pontificis illam poteſtatem contineri Conciliis. Cui opponimus, quod utcunque Papa Romanus ſemper quidem ſtuduerit variis modis, atque in Conciliis etiam, illam poteſtatem ſibi arrogare, non minus tamen in Conciliis iſta ejus arrogantia, à potioribus retuſa fuit atque caſtigata. Quod ſi canones intelligant Florentini illi Patres, veterum Oecumenicorum Conciliorum, pro illâ Papæ poteſtate hic definitâ, uti in Sacris Canonibus contineri eam expreſſe ajunt, & ſic cum illis Valerianus: aperte dico, illud falſum eſſe; neque ex ullo œcumenico Concilio (inſpectis omnibus quæ ipſi adeo Pontificii pro talibus habent, & numerant ante Florentinum hoc, quindecim) canonem illum proferri poſſe. Quare & Florentinum Concilium falſi arguo, unicum Pontificiæ infallibilitatis Eccleſiaſticum (juxta ipſos) fundamentum, quod illud aſſerit; adeo neque Valeriano probatum, ut ante hoc, nullum aliud Eccleſiaſticum decretum, vel Concilium pro eadem re ſcire ſe palam profeſſus fuerit. Pergit Valerianus, in Colloquio, eadem Actione ſecundâ: *Et quandoquidem hæc definitio non arctat auctoritatem Romani Pontificis ad Concilium ſive Generale ſive non Generale: Nos eam pronuntiamus talem, qualem Chriſtus conceſſit Petro, & Petrus exercuit in actis Apoſtolorum, qualemcunque Romani Pontifices exercuerunt, & etiamnum exercent, non obſtantibus quibuſcunque contrarium ſentientibus, & demum qualem Patres Oecumenicæ Florentinæ ſynodi definivere.* Ergo jam hæc tua eſt argumentatio, non Concilii definitio, quam nos tam facile pronunciamus falſam fictamque, ac tu adfers. Subjungit: *Verum, cum Patres illius concilii non tribuant Romano Pontifici verbis expreſſis infallibilitatem auctoritatis, illam dari theologicè argumenta-*

tamur hoc modo. Hic jam iterum argumentum Eccleſiaſticum, quod ſolum adferre potuit, relinquit, & theologice agendum exiſtimat. Inter Eccleſiaſticum verò, & Theologicum ita initio diſtinxerat: *Iudex Eccleſiaſticus Iuriſdictione directivâ proponit, & declarat doctrinam fidei Chriſtianæ, quam, qui non crediderit, condemnabitur, & coërcitivâ damnat hæreſin, & ſeparat hæreticum à cœtu fidelium. Theologus verò caret omni poteſtate coërcitivâ: directivam autem habet ſine ullâ juriſdictione, ſcilicet, non aliam ab illa, quam exercet Orator ſupra Auditores, vel ad ſummum Magiſter ſupra diſcipulos.* Præterea, ſatis expreſſerunt Florentini Patres, quid Romano Pontifici tribuendum videretur, & tamen non infallibilitatem authoritatis, nec expreſſe, nec implicite: adeo ut ſi etiam ſtandum eſſet Concilio huic Florentino, neque ſequeretur tamen iſta fundamentalis Eccleſiæ Papalis theſis, in tantum neque Eccleſiaſtice, neque Theologice probabilis. Audiamus tandem Valer. argumentum: *Romanus Pontifex eſt ſucceſſor D. Petri, Principis Apoſtolorum. Tenet primatum in univerſum Orbem. Eſt verus Chriſti Vicarius. Eſt Caput totius Eccleſiæ. Eſt omnium Chriſtianorum Pater. Et Doctor. Cui à Domino noſtro Ieſu in Beato Petro tradita eſt plena poteſtas paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam. Is verò, qui eſt ſucceſſor D. Petri, Principis Apoſtolorum, ac tenet primatum in univerſum Orbem, eſtque verus Chriſti Vicarius, & Caput totius Eccleſiæ, omniumque Chriſtianorum Pater, & Doctor, cui à Domino noſtro Ieſu Chriſto in Beato Petro tradita eſt plena poteſtas paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam, neceſſario habet auctoritatem infallibilem in proponenda & declaranda univerſæ Eccleſiæ, ex cathedrâ, doctrina fidei Chriſtianæ, & juriſdictionem ſegregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Ergo Pontifex Romanus habet auctoritatem infallibilem in proponenda & declaranda univerſæ Eccleſiæ, ex Cathedrâ, doctrinâ fidei Chriſtianæ, &*

Jurisdictionem ſegregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Ego vero, quamvis ſufficeret minorem rejicere, nego etiam majorem, adeoque utramque propoſitionem: minorem verò principaliter, talem ſcilicet Papam Romanum Innocentium x. eſſe, ac hic ex Concilio Florentino per varia iſta elogia eum facit eſſe: neque æternùm hoc vel Eccleſiaſticè, vel Theologicè probabit ſeu Valerianus, ſeu alius unquam: Sed neque majorem poterit confirmare Adverſarius hanc: qui eſt ſucceſſor Petri &c. is ideo eſt infallibilis: nam illorum titulorum conceptum queo facere, & ponere aliquam rationem, etiam extra neceſſitatem infallibilitatis. Quid enim impedit, Doctorem aliquem dici & Patrem Chriſtianorum, eaque ratione & caput, & Chriſti vicarium (quamvis male; ſed de eo jam non quæritur: attenditur modo, an de ſe hæc neceſſario ponant infallibilitatem) & primatum tenere in univerſum orbem, & ſucceſſorem Petri eſſe, ut tamen illa omnia non ſit authoritate infallibili? Vide, quam non poſſit Valerianus ullo modo probare ſuam tanti ponderis theſim, cui univerſa Papatus incumbit moles & Eccleſia. Hoc ipſe ſenſit, quare immediate addit: *Verum nec definitio illa, neque argumentum noſtrum, aut aliud quidpiam ejuſmodi, ea ſunt, quæ poſſint captivare in obſequium Chriſti, & ejus Eccleſiæ, omnem altitudinem intellectus, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, niſi Deus ſtatuat intra caſtra Iſrael, & caſtra Ægyptiorum columnam nubis, his tenebroſam, illis illuminantem noctem: Niſi, inquam, Deus diſcernat unicam veram Eccleſiam à cœtibus Hæreticorum, ſignis & portentis, & variis Spiritus Sancti diſtributionibus.* O miſeram Eccleſiæ ſortem, & ſtatum undequaque deſperatum? ut nec hoc quod attuliſti hactenus argumentum, qua Eccleſiaſticum, qua Theologicum, *aut aliud quippiam ejuſmodi*, te ipſo fatente, queat rem evincere, niſi ad aliud medium & locum prolabaris, videlicet miraculorum: de quo nec

Con-

Concilium Florentinum aliquid, in ſuâ definitione, neque ullum aliud Concilium, parum abeſt quin dicam, nec ullus etiam veſtrûm Theologus, qui argumentum iſtud proferat, ad demonſtrandam infallibilitatem Pontificis Romani. Adeo in riſum abire debet, quem ſolum miracula Rom. Eccleſiæ jam à multo tempore referunt, fundamentalis ille articulus de Pontificis infallibilitate: vel, ſint vera miracula, quis diſcernet vera, à falſis? certe non quicunque tenetur juxta ipſos, illam credere infallibilitatem: & quale tum iſtud ſcilicet ad hoc probandum eſt medium unicum, vel argumentum, ſeu nubes illa Iſraëlitica, hinc illuminans, inde obſcurans, tam difficilis cognitu, incerta, rara, nulla? Neque dicimus, *quod vera miracula facta ad oſtenſionem veritatis nihil valeant*, ut nos facit dicere Valerianus, pag. 25. ſed de miraculis *Eccleſia Romana loquimur*: & hæc, negamus aperte, valere ad oſtendendam ejus *infallibilitatem*. Verum *cum id quod ſemel factum eſt*, inquit porro Valerianus, *neceſſariò potuerit fieri: ſi Pontifex Romanus definiens ex Cathedra erravit aliquando, neceſſariò potuit errare, ſeu eſt fallibilis, nobis verò nulla occurrit ratio, cur non poſſit errare ſæpius, ſi ſemel erraverit: quapropter præfatam infallibilitatem non urgebimus, ſi unus error Romani Pontificis tam certò confirmetur, quam certò* v. g. *conſtat Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum definiviſſe ex Cathedra Patriarchali hæreſim manifeſtiſſimam. Nos enim tametſi exiſtimemus Eccleſiam Catholicam non neceſſario errare, errante aliquo Pontificum Romanorum, tamen conſtantiſſime aſſerimus infallibilitatem ſedis Romanæ, quoad uſque evidenti facto nobis, uti ſupra, probetur, vel unus error in fide Pontificis Romani, definientis ex Cathedra.* Huc ergo jam omnis cardo rei devenit, ut errorem Pontificis Romani, ex cathedrâ docentis, oſtendamus. Verùm, quamvis illum nequiremus nos indicare, haud tamen inde ſequeretur nullum vel eſſe, vel eſſe poſſe, adeoque ipſum eſſe infallibilem: deinde,

à Multis ſæpe Paparum errores , quin & hæreſes oſtenſæ fuerunt ; & in hoc Colloquio quoque, ad quæ nil reſpondit Valerianus. Denique, omnino ſequitur juxta vos, errante ex Cathedrâ Pontifice, nullam in Eccleſiâ eſſe infallibilitatem, quia totam hanc uti derivatis ex ſucceſſione in locum Petri, quam ſedi alligatis Romanæ, ita nuſpiam agnoſcitis quam apud Pontificem: quo proinde errante, nullus inſuper eſt infallibilis.

Hæc ad argumentationem Valeriani in hoc Colloquio, dicenda mihi exiſtimavi, tum quia nuperrime illa contigerunt, tum ut oſtenderem in hoc recenti exemplo, quod ſæpe dixi, ex quotidianis Pontificiorum ſcriptis & Actis indicandam ſemper eſſe *Papiſmi declinationem*, à priſco ipſorum agendi modo, & quo pacto ad nos ſenſim propius accedant. Certe nonnulla ejuſmodi vel ex duobus jam memoratis proximis Colloquiis annotare poſſum. Ibi, præterquam in toto Actionis ſcopo, dum nobiſcum petunt unionem & concordiam Eccleſiaſticam: à quâ multum profecto abfuit, ut eam olim ultro obtuliſſent: tum etiam, in liquidatione, uti appellant, & ſinceratione doctrinæ ſuæ, ad quam proponendam videtur maximè etiam inſtitutum Colloquium fuiſſe, ecce de quibus conqueruntur, ſibi quaſi per calumniam attributis, circa regulam fidei: *accuſamur, & damnamur*, dicunt, *quaſi ab unica formali & ſuprema Fidei Regula deficientes, ipſamque ſacram Scripturam contemptui habentes, amplectamur humanas traditiones, tanquam fidei noſtræ fundamenta & baſes, eaſque DEI verbô, Euangelio Chriſti, Juſtitiæ Fidei, præferamus, conceſſâ etiam Eccleſiæ & Summo Pontifici poteſtate, ut nova dogmata, ſeu Articulos fidei, ſine verbo DEI, imò contra verbum DEI, pro arbitrio condat. Scripturas ipſas faſtigio Romanæ Hierarchiæ ſubjicere dicimur, ac ſi æterna inviolabiliſque DEI veritas, hominum arbitrio niteretur. In poteſtate Papæ eſſe ſcripturas abolere, quas velit, erigere*

cul-

cultus, ordinare Sacrificia, inſtituere Sacramenta, mutare Sacramentorum ſubſtantialia, figere leges quas velit, diſpenſare, ſolvere, quibuſcunque legibus velit, &c. Nobis autem quidquid vel Papa, vel Eccleſia contra vel extra DEI verbum ſtatuerit, habendum eſſe non alio loco, quàm certum DEI oraculum. Quilibet rerum Pontificiarum gnarus, dijudicet, annon, quamvis haud ita omnia, nonnulla tamen iſtorum verè Pontificiis tribui poſſint, facileque oſtendi, ipſos & talia docuiſſe, & fundamenta ea in doctrinis & ſcriptis ſuis jeciſſe, quibus illa continentur. Similiter circa juſtificationem ajunt, *Accuſamur & damnamur, quaſi prætermiſſâ DEI miſericordia, Chriſtoque mediatore, & propitiatore præterito, ac prorſus ſepulto, improbato, deleto, imò ſpreto Chriſti merito & gratiâ, Evangelio, de gratuita peccatorum remiſſione, deque Iuſtitia fidei penitus abolito, oppreſſaque doctrinâ Pauli, de gratia Chriſti, citra fidem polliceamur Iuſtitiam, & humanis tantum viribus, quæramus viam & acceſſum ad DEUM, & noſtris operibus, ſine Chriſto, & extra gratiam factis, obtinere, mereri, emere conemur remiſſionem peccatorum* &c. Quibus ſimilia multa, quin & eadem à Pontificiis doceri, levi operâ, ex collatis aliorum ſcriptis ac diſputationibus, præcipue vetuſtiorum, oſtendi poteſt, atque ad probandam Papatus declinationem, multo cum fructu, ab iis quibus hic ſatis otii, diligentiæ, & judicii, deberet. Pergunt de ſacramentis, & cultu paria recenſere: ſed in omnibus iſtam adhibent artem, ut duris & abſurdis theſibus, quas circa illos articulos vulgò fovent, hic ibi voculam intermiſceant, totam ſententiam, ut ipſis verè alioqui ſolet tribui, facile mutantem.

Atque in poſtremo Colloquio Rheinfelſenſi, ex Diſputatione Valeriani, nota quantam Papatus declinationem: primo, dum auctoritatem Pontificum Romanorum fatetur ſe non poſſe oſtendere ex ſolo textu ſacro; inde, nullam in Bibliis fieri mentionem Pontifi-

cis Romani; tertio, neque ex ſola authoritate Eccleſiæ poſſe confirmari illam theſim; præterea, nullum inter decreta Eccleſiaſtica ſe ſcire, quod Pontifici Romano expreſſe tribuat infallibilitatem auctoritatis; tantum Patres Synodi Florentinæ definiviſſe primatum Pontificis Romani: neque tamen illos Patres tribuere Romano Pontifici verbis expreſſis infallibilitatem. Imo, nec illâ definitione, neque argumento Theologico inde facto, neque quopiam alio ejuſmodi, poſſe irrefragabiliter probari illam Papæ auctoritatem. Recurrendum ultimò eſſe ad probam miraculorum. Hæc omnia, ſex aut ſeptem puncta à Valeriano tradita, in uná actione Colloquii iſtius ſecundâ, ab omnibus notari velim, pro totidem declinationibus rei Pontificiæ, in primario quidem Papatus articulo infallibilitatis ſuæ, cui univerſum ejus incumbit ædificium. Quibus addatur quod, poſt producta eadem ex Colloquio Thoruneniſi, Valerianus dixit: *Si diabolus ipſe afferret contra univerſam Eccleſiam unicum textum ſacrum, quem Eccleſia univerſa violaret, crederem diabolo contra Eccleſiam, nedum Luthero, quantumcunque infami: quapropter cum meis ſociis & univerſa Eccleſia catholica profitemur, proteſtamurque nullam eſſe ſub Deo auctoritatem contra ſacrum textum.* Atqui è contrario Pontifici S. ſæpe à ſuis attribui poteſtatem diſpenſandi adverſus Apoſtolum, adverſus ſacrum textum, quis neſcit? & ubi ignorare ſcivero Valerianum, lubentiſſimè ei ſum oſtenſurus, qui hominem ex hoc Colloquio, aliiſque ejus ſcriptis, judicii & candoris non vulgaris, prout decet has ejus virtutes agnoſcere, æſtimo. Porro quomodo ſe nunquam extricarit illis anguſtiis, ſed ſemper magis ac magis irretierit, per totam Colloquii actionem, ex integrâ ejus hiſtoriâ cuilibet ſatis manifeſtum. In quâ poſtquam putidam ſemper commiſiſſet principii petitionem, P. Valerianus, porro ſic argumentatus fuit: *Innocentius Papa x. ſuccedit Petro, ſupra quem fundata eſt Eccleſia, contra quam*

non

non prævalebunt portæ inferi. Is, qui talis eſt habet infallibilem juriſdictionem, ſcilicet, in decretis fidei, ſuper univerſam Eccleſiam. Ergò Innocentius Papa x. *habet juriſdictionem infallibilem in decretis fidei, ſuper univerſam Eccleſiam.* Breviter, negatur major, & minor. Valerianus: *Innocentius Papa ſuccedit Petro in illa juriſdictione, quæ conſervat Eccleſiam univerſalem incolumem adverſus portas inferi: Atqui: Is, qui ſic ſuccedit Petro, neceſſariò ſuccedit in Juriſdictione Monarchica à Chriſto collata ipſi Petro: Ergò. Innocentius* PAPA x. *ſuccedit Petro in juriſdictione Monarchica, eidem collata à Chriſto.* Negatur tibi iterum, & major propoſitio, & minor. Valerianus: *ſic argumentor ex textu Sacro*: CHRISTVS *ſoli Simoni in Novo Teſtamento mutavit Nomen*: *Peto ergò à Domino Haberkornio; utrum Chriſtus in hac mutatione nominis voluerit ſignificare inſignem aliquam prærogationem Simonis, quæ ſoli* PETRO *conveniat.* Non quæritur, de inſigni aliquâ prærogativâ Simonis, Valeriane; ſed de juriſdictione monarchicâ: adde, & infallibili &c. fiat argumentum: negabitur major, & minor, tertiùm. Et ſic ſemper idem repetiit; vel quod in quæſtione turpiter aſſumſit, probavit autem nihil: præterquam, quod nunc ex textu ſacro, & eo quidem ſolo inſtituit probare infallibilem Papæ juriſdictionem, quam antea dixerat, ex ſolo textu ſacro inferri non poſſe. Tandem, poſt illa ſic turpiter tradita, appoſuit illis geminum de utraque Eccleſiâ argumentum, 50. *Conſidero* inquit, *ab unâ parte Eccleſiam illam*, ſuam nempe, *à primo ſui exordio uſque ad hanc noſtram ætatem, fundatam ſupra petram juriſdictionis præfatæ; ab altera parte, Martinum Lutherum ab anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo ſtantem adverſus univerſam illam Eccleſiam.* miſera iterum putidaque petitio ejus quod eſt in quæſtione. Hoc argumentum regulæ ſuæ eſt adeo decantatæ, Catholicorum, uti facit, & Bibliſtarum: quo ſe & ſuos Catholicos appellat, ſed appellat tantum, utque probet

tantum abeſt, ut ne ullo quidem argumento id conetur. Nos facit Bibliſtas: bene, accipimus, nos à Sancto Bibliorum ſtudio denominari: *ſub titulo Bibliſtarum complectimur illos omnes Hæreſiarchas & Hæreticos, qui ſupponentes Eccleſiam erraſſe in fide, voluerunt corrigere illam ex ſacro textu.* Ineptiſſimè, quaſi hæretici Scripturam pro ſe habeant, vel ex eâ nos agamus adverſus Eccleſiam, & non pro eâ, ſed adverſus Papatum, in fide errantem. Cætera ejus de regula Catholicorum, & Bibliſtarum, ſunt merè logi, vacui omni ratione, & argumento. Specta quæſo: iſtam elumbem argumentationem: *Catholici excommunicarunt à ſuo cætu, tanquam Hæreticos, omnes illos, illoſvè ſolos ex Chriſtianis, qui auſi ſunt damnare ex ſacris litteris doctrinam ejuſdem Eccleſiæ Catholicæ, ſcilicet omnes Bibliſtas.* Quid ais? ego verò dico, Catholicos nunquam, nuſquam à ſuo cœtu excommunicaſſe Bibliſtas, quum ipſi Bibliſtæ ſint. Audi Theodoretum: *cum hæreticus profert multa humanæ ſapientiæ argumenta, orthodoxus reſpondet, ne talia proferas argumenta,* ἐγὼ γὰρ μόνῃ τῇ θείᾳ πείθομαι γραφῇ. Vel Tertullianum: *non recipio quod extra Scripturam de tuo infers.* Vnde quam inepte, quamque contradictoriè faciat Bibliſtas damnare doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, liquet.

Pergit jam de Eccleſiâ Catholicorum, ad alteram ſuam quaſi regulam: *Sic igitur probamus Eccleſiam Catholicam eſſe legitimam, & ejus doctrinam de fide eſſe veram.* Quid verò attinet, probare Eccleſiam Catholicam eſſe legitimam? quod nemo negat: ſed Eccleſiam Romanam eſſe catholicam illam, hoc probandum erat. *Quod autem omnes Cœtus Bibliſtici, qui extiterunt in orbe Chriſtiano, non ſint veræ Eccleſiæ Chriſti, neque foveant doctrinam fidei veram, probamus hoc argumento. Cœtus Bibliſtarum habuerunt in orbe Chriſtiano initium poſt fundatam Eccleſiam Chriſti, & deſierunt eſſe.* Hoc autem falſum eſt, Cœtus Bibliſtarum cœpiſſe poſt fundatam Chriſti Eccleſi-

am, quum ſit ipſa Chriſti Eccleſia, fundata in doctrinâ Bibliſtarum, ſeu Prophetarum, & Apoſtolorum, Epheſ. 11. 20, Non verò curamus, quam ipſe Bibliſtarum faciat deſcriptionem, quod æque alius poſſet facere Catholicorum; ſed nos rem capimus, prout in ſe eſt. Cæterum Theodorus Petreus, Carthuſienſis Monachus, in Catalogo hæreticorum pag. 34. *Bibliſtas* ponens, dicit eos docere, ſolum Scripturarum contextum populo proponendum, legendumque eſſe, abſque ulla interpretatione: quales facit Melanthonem, Caroloſtadium, qualeſque nos fingit eſſe Reformatos, qui ſola Biblia pro fidei & religionis regulâ habemus, non tamen vel alios in rebus aliis, & ſacris libros, vel Bibliorum expoſitionem rejicimus, ſed & probamus, & inſtituimus ipſi. Sic corruit, quidquid de duplici regulâ Valerianus retulit in Colloquio illo, vel ſcripſit ad Georgium Calixtum, hujus anni cIↃ IↃ c I I I. d. v. Febr. (quæ epiſtola impreſſa Coloniæ) in cauſa Erneſti Lantgravii: ubi iterum quam mire diſputat! *Hiſce argumentis exarabimus tuæ eruditioni ſeriem ratiocinationis, quæ nos cogit ad communionem in fide cum urbis Romæ Epiſcopo.* Hoc præ omnibus ſcire expeto, quid tantum ſit, quod virum magni ingenii animique Eccleſiæ Romanæ aſtringat. *Itaque ex præfata argumentatione noſtræ propoſitiones capitales à nobis demonſtrandæ ſunt tres. 1. Chriſtus contulit D. Petro primatum ſuper univerſam Eccleſiam. 2. Chriſtus voluit primatum collatum D. Petro tranſire ad ejus Succeſſores. 3. Epiſcopus Vrbis Romæ eſt ſucceſſor D. Petri. Probamus autem à ratione, Chriſtum debuiſſe conferre alicui fidelium primatum ſuper univerſam Eccleſiam: præmittimus tamen differentiam regni Cœlorum, à regnis terrenis.* Sed vero, non quid debuerit tuo judicio Chriſtus, id quod temerarium eſt aſſerere; ſed quid egerit, oſtendendum. Tu demonſtra, ſicut ſuſcepiſti, tres illas capitales propoſitiones. *Sic ergo argumentamur. Chriſtus fundavit Eccleſiam ſuam ſuper doctrina à Deo revelata,*

quæ fulgeat ipſi Eccleſiæ certò & infallibiliter uſque ad ſconſummationem ſeculi. Is verò, qui fundavit Eccleſiam unam ſuper doctrina à Deo revelata, quæ fulgeat ipſi Eccleſiæ certò & infallibiliter uſque ad conſumationem ſeculi, prudentiſſime conſtituit in eadem Eccleſia uſque ad conſummationem ſeculi unum hominem, aut hominum cœtum, pro tempore exiſtentem; qui habeat auctoritatem infallibilem in proponenda univerſæ Eccleſiæ, ex Cathedra doctrina à Deo revelata; & juriſdictionem ſegregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Ergo Chriſtus prudentiſſime conſtituit in eadem Eccleſia uſque ad conſummationem ſeculi unum hominem aut hominum Cœtum pro tempore exiſtentem, qui habeat auctoritatem infallibilem in proponenda, & declaranda univerſæ Eccleſiæ ex Cathedra, Doctrina à Deo revelata, & juriſdictionem ſegregandi à cœtu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Nos ergo Capuccini poſtulamus à tua eruditione, & prudentia ſententiam tuam de hoc argumento. At quale argumentum? neque enim probat, quod probandum eſt, neque unam iſtarum dictarum propoſitionum infert, quas ſibi demonſtrandas ſumſerat, nedum omnes. Concludis: *ergo Chriſtus prudentiſſime conſtituit unum hominem &c.* Imo ſi conſtituit, profecto prudentiſſime conſtituit: at illud proba, ſic eum conſtituiſſe. Nos negamus, & ſufficere dicimus, quod nobis loco hominis talis alicujus dederit infallibilis auctoritatis ſuum verbum, quod omnibus opponimus. Tum conſtituerit talem hominem, negamus illum Papam Romanum eſſe: tu proba. Præterea negamus nos, omnes illas tuas theſes: aut primatum ſuper univerſam Eccleſiam Petro datum; aut illum, ſi vel Petro collatus fuiſſet, tranſire ad ſucceſſores; vel Epiſcopum Romanum, ſucceſſorem Petri eſſe. Ego autem quum Valeriani argumentationem hanc toties uſurpatam conſidero, fere dubito an ſerio egerit; vel ſi hoc, an apud animum ſuum queat certam ſtatuere doctrinam illam, pro quâ tam imbellem videt,

aut

aut nullam ſibi procedere argumentationem: neſcio-que quid tandem Principem Erneſtum egerit, ut ad Papiſmum per illa deficere ſe credi voluerit, ubi niſi alia ſchemata intercurrant, ego certus ſum, ea apud ſanæ rationis hominem vim ullam habere neutiquam poſſe. Methodum ſuam Valerianus peculiari ſcripto, anno cIↄ Iↄ c xl I. tit. *Iudicium de ACatholicorum & Catholicorum credendi regula*, prolixe docuit, & adverſus objectiones plurimorum, Ioh. Majoris, Iac. Martini, Ioh. Botſacci, Anonymi, & Conr. Bergii tutari conatus fuit. Vbi in præfatione Bibliſtas nos, & fratres ſuos amanter nominat, exponitque ſcriptionis ſuæ hoc conſilium: *Eo ſuccurſum Bibliſtis fratribus meis* &c. *Si errantes educere ſtuderem congeſtis in novi voluminis formam, argumentis ab auctoritate Patrum, Conciliorum, Pontificum, & Bibliorum; actum agerem. Quis vel unum textum perquirat non pridem adductum*? Benè agnoſcit mecum, hoc pacto, vid. argumentatione ex Scripturâ, & auctoritatibus eo uſque jam diſputatum, ut vix aliquid, quod non pridem adductum ſit, proferri ultra queat. Alia ergo ab ipſo audiamus. Et certe talem, qui iſto animo, ingenioque ſit, cum Valeriano, vel ipſum ſi placet, in religionis & controverſiarum noſtrarum negotio, exoptem Adverſarium, vel diſputatorem, qui de diſputatis huc uſque noverit judicare, & non in eâdem ſemper hærere chorda, ſed ad ulteriora nos provocaret, & ſua. *Mentem*, inquit, *defixi in duo argumenta. Vno, Bibliſtarum credendi regulam everto. Id eſt: Bibliſtæ docent, quemlibet & quamlibet poſſe, ac debere dijudicare ex ſacro textu lecto, vel audito, etiam totius Eccleſiæ Doctrinam de eſſentialibus fidei, utrum concordet, aut diſcordet à ſacro textu.* Nego, id Bibliſtas docere. Non quilibet, vel quælibet poteſt, debetque doctrinam totius Eccleſiæ examinare, & dijudicare. Quilibet doctrinam probat, 1. Theſſ. v. 21. id eſt, examinat, & dijudicat ſpiritu *διακρίσεως*, (qui quorumcunque fidelium eſt 1. Cor.

Cor. 11. 15. & x. 15) quæ ſibi proponitur, num arripienda ſit. Hocne abſque judicio, ſeu bruto impetu facit, neſciens quid ſentiat? Id quod alicui proponitur credendum, varium eſt, & ab hoc ita, ab illo aliter docetur. Quæro jam an, & quod iſtorum arripiam, & quomodo? prout quodlibet offertur? at contraria eſt doctrina altera alteri. Probandum ergò mihi, utrum illorum accipiendum ſit. Tu vis ut ad ſententiam Eccleſiæ pronunciem, quod credendum ſit, quod non, videlicet quod illa jubet, vel improbat. Præter quæſtionem de Eccleſiâ, ipſe ſic cuilibet attribuis judicium de doctrinâ ſibi propoſitâ: ſolum inter nos diſcrimen ſupererit, de regulâ, ad quam judicium faciendum ſit, quod S. Scripturam dicimus, tu Eccleſiam, quam fruſtra nominas, donec ex Scripturâ oſtendas, & judicium vel imprimis adhibeamus, ad illam ex aliis dignoſcendam. Non ergo docemus, quoſvis, & quaſvis, doctrinam Eccleſiæ ad examen vocare; ſed examinare doctrinam ſibi tenendam, an Scripturæ, & ſic Eccleſiæ ſit, quæ non alio fundamento ædificata eſt, quam Prophetarum, & Apoſtolorum. Epheſ. 11. 20. Non magis nos doctrinam Eccleſiæ ſingulis ſubjicimus, ac Vos ipſi, quando doctrinam propoſitam (non dices, Eccleſiæ, uti neque nos) ſingulis dijudicandam dicitis ex authoritate & placito Eccleſiæ; cujus loco nos Scripturam ſubſtituimus. Namque illo pacto vos non deciditis quæſtionem, vel viam monſtratis eximendi feliciter dubii, ſed maximam difficultatem injicitis, factâ quæſtione, quæ & ubi ſit Eccleſia, Denique nihil iſtorum ex noſtrâ ſententiâ, ut veretur Valerianus, ſequitur, quaſi aut in Eccleſiam, aut Sacram Scripturam ullam poteſtatem, vel judicii authoritatem quibuſvis tribueremus: dum non adverſus Eccleſiam, ſed pro eâ, & pro homine judicio pollente, eoque ſecundum Scripturam inſtituto (quod vos potius præjudicio Eccleſiæ occœcatis) loquimur. Certe

iſta

iſtâ magnum bonæ cauſæ ſunt argumentum, quod noſtram doctrinam quibuſvis libere examinandam ex Scripturâ offerimus, neque cujuſpiam judicium aut examen reformidamus. Idem in Eccleſiâ Apoſtolicâ obtinuit, ubi Beroënſes ſupra alios commendantur, quod doctrinam ſibi ab Apoſtolis propoſitam contulerint cum Scripturis, dijudicantes, an ita haberent, *ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς*. Act. XVII. 11. Hoc ergo argumentum Valeriani primum regulam noſtram credendi adeo non evertit, ut ſtabiliat potius & confirmet.

Alterum, quo Catholicam fidei regulam confirmare ſe dicit, non ut ſimul damnet, quemadmodum loquitur, Bibliſticam, hoc eſt: *Communicantes in fide cum Romano Pontifice ſunt cœtus Chriſtianorum, qui ſolus claret regeneratis.* Simpliciter, & abſque ullâ trepidatione, quam in nobis hic multam ridicule imaginatur, illud nego. Quin recolligat, ut ipſe hic trepidarit, dum repetens argumentum, ait: *quod cœtus eorum, qui communicant in fide cum Vrbis epiſcopo ſit illuſtris regeneratis.* At omittit illud, in quo unica vis hærebat argumenti, *ſolus*: ut ſolus ille clareat, vel illuſtris ſit regeneratis. Quod in æternum non probabit Valerianus. Quaſi non inter illos etiam qui in fide non communicant cum Romano epiſcopo, ſint regenerati, vel clarentes fide & ſanctitate viri. *Clarere regeneratis*, inquit, *eſt clarere viris conſpicuis ſanctitate & miraculis.* Imperitè, quaſi regeneratio ſit ad miracula facienda, quemadmodum eſt ad ſanctitatem, vel non clareat ex regeneratione, niſi qui claret miraculis. Sed de his aliquando, ubi Deus otium dederit, lubenter ex profeſſo agemus.

Hactenus vidimus Colloquiorum inter Noſtros & Pontificios, variis in locis, temporibuſque, inde à Reformatione habitorum brevem narrationem, eorundem

dem materiam, eventum: plerumque ut inde Eccleſia multum lucrata fuerit, ſive ad plurimorum inſtructionem, qui ſecus aliàs nihil vel parum de doctrinâ reformationis inaudierant; ſive ad Reformationis plura per loca promotionem & introductionem; ſive etiam ad Papalis doctrinæ egregiam confutationem, & quod in nuperis Colloquiis obſervamus, (atque ut in aliis recentibus Papiſticorum Doctorum ſcriptis idem graviter annotetur, ſedulo monemus) Papiſmi declinationem. Hæc ergo Colloquia fuerunt, inter Proteſtantes, & Papiſtas habita.

A. cIↄ Iↄ xix. Lipſiacum, inter Lutherum, & Eckium.

cIↄ Iↄ xxiii. Tigurinum, inter Zuinglium, & Fabrum.

Eodem anno, Groninganum, inter Dominicanos, atque Sacerdotes Eccleſiæ D. Martini.

cIↄ Iↄ xxvi. Rheticum, inter Comandrum, & Vicarium Epiſcopi Curienſis.

cIↄ Iↄ xxvi. Badenum, inter Oecolampadium, & Eckium &c.

cIↄ Iↄ xxvi. Haſſiacum Homburgi, inter Franc. Lambertum, & Cratonem; atque ex Pontificiis, Nicolaum Herbornenſem &c.

cIↄ Iↄ xxvi. Olderſhemenſe, in Friſiâ, inter Laurentium Dominicanum, & Georg. Aportanum.

cIↄ Iↄ xxvii. Nordenſe, in Friſiâ, inter Reſium, & Synellium.

cIↄ Iↄ xxvii. Upſalenſe, in Sueciâ, inter M. Olaum, & Gallium.

cIↄ Iↄ xxviii. Bernenſe, inter Hallerum, & Alexium Grad &c.

cIↄ Iↄ xxxi. Ulmenſe, inter Oecolampadium, & Georgium Oſwaldum.

cIↄ Iↄ xxxiv. Genevenſe, inter Farellum, &

& Furbitum.

cIɔ Iɔ xxxv. Genevenſe, inter Jacobum Bernardum, & Carolum Sorboniſtam.

cIɔ Iɔ xl i. VVormatienſe, inter Phil. Melanthonem, & Ioh. Eccium.

cIɔ Iɔ xl i. Ratiſbonenſe i. inter Melanthonem, Bucerum &c. atque Iulium Pflug, Gropperum, Eccium.

cIɔ Iɔ xlvi. Ratisbonenſe ii. inter Bucerum &c. atque Malvendam &c.

cIɔ Iɔ xl ix. Oxonienſe, inter Martyrem, & Treſhamum &c.

cIɔ Iɔ L. Cantabrigienſe, inter Bucerum, & Iungum.

cIɔ Iɔ liv. Oxonienſe, inter Crammerum, & VVeſtonum &c.

cIɔ Iɔ lvi. San-Martinenſe, apud Convallenſes, inter VValdenſes, & Amatum Sanjulianum.

cIɔ Iɔ lvii. VVormatienſe, inter Melanthonem, & Caniſium &c.

cIɔ Iɔ lix. Londinenſe, inter Iuellum &c. atque VVatſonum &c.

cIɔ Iɔ lxi. Poſſiacenum, inter Bezam &c. & Cardinalem Lotharingum.

Eodem anno Caſtrieraldi, in Galliâ. inter Chamierum, & Homblot.

cIɔ Iɔ lxvi. Pariſienſe, inter Cl. Sanctium &c. & Johannem Spinæum, Barbaſtum.

Eodem anno Harlemi, inter Johannem, magni templi Sacerdotem, & Præpoſitum Johannem Lappium.

cIɔ Iɔ lxxx. in arce Londinenſi, inter Iohannem Rainoldum, & Ioh. Hartum.

cIɔ Iɔ xcv. Tiranenſe, in Rhetiâ, inter Stuppanum, Cabaſſum &c. & Andreoſſam &c.

cIɔ

cIↃ IↃ xcix. Nannetenſe, inter Iac. Covetum & Ieſuitam Comelet.

cIↃ IↃ c. Fontisbellaqueënſe, inter Phil. Mornæum, & Perronum.

cIↃ IↃ c i. Ratisbonenſe iii. inter Gretzerum &c. & Ægid. Hünnium &c.

cIↃ IↃ c ii. Pariſiis, inter Molinæum, & Cayerum.

cIↃ IↃ c viii. Antverpienſe, inter Franc. Lanſpergium, & P. Goudam.

cIↃ IↃ c viii. Swalbacenſe, inter Pareum, & Becanum &c.

cIↃ IↃ c ix. Francofurtenſe, inter Clementem du Boys, & Coſmam Morelles.

cIↃ IↃ c xviii. Caſtrieraldenſe, in Galliâ, inter Iohannem Carre, Paulum Geſlin de la Pilliere, atque Johannem Breard, Danielem Baudri.

cIↃ IↃ c xxiii. Londini, inter Doct. Featly, & Mushetum.

Eodem anno, d. xviii. Aprilis. inter D. Featly, & Egelſtonum.

Eodem anno, d. xxvii Iunii, inter D. Featly, & Ieſuitam Fisherum.

cIↃ IↃ c xxv. Coguaci, inter Guiljelmum Rivetum, & Gilbertum Rauſſeau.

cIↃ IↃ c xlv. Thorunenſe, inter Ieſuitam Schonhoff &c. & Bergium, Vechnerum &c.

cIↃ IↃ c xlvi. Caſtro Roglani, inter Carolum, Angliæ Regem, & Henricum, VVorceſtriæ Comitem.

cIↃ IↃ cl i. Rheinsfelſenſe, inter Haberkornium, & Valerianum Magnum.

Quæ ego Colloquia, & ſi quæ plura, cum eorum Actis, in unum *volumen* compingi omnia, ne quæ intereant, & ut ab omnibus haberi, atque legi poſſint, *deſi-*

deſidero. Nam certe ex illis multum, & plus quam ex ſcripto alio elenctico addiſces, ubi quid, & quomodo agendum cum Adverſariis, quæ validiſſima argumenta, in quibus plus metuant & deficiant, vel etiam glorientur, evidentiſſime cognoſcitur. Saltem ut nemo in colloquium cum illis deſcendat & præſentaneam diſputationem, niſi iſtis prius bene lectis, atque examinatis, conſulo. Colloquium omne inſtituitur, uti ex prioribus videre eſt, vel ad ſimplicem *diſputationem*, partiſque alterutrius confutationem & convictionem; vel ad utriuſque amicam *conciliationem*: qualia in Germania fuerunt VVormatienſia, Ratisbonenſia, & nuper Colloquium Thorunenſe. Pleraque vero diſputatoria. Semper attendendum, quâ de *materiâ* diſputandum ſit: inter quos *Collocutores*: quo etiam *tempore*; quibus *præſidibus*: præterea; quibus *auditoribus*: denique & quo propoſito *fructu*, vel fine. In quibus omnibus quantum ſitum, ab iiſque ut pendeat diſputatio bene an ſecus inchoanda, habendaque, priora ſatis Colloquia edocent. Ad diſputationem evocandi viri docti; ad conciliationem quoque moderati, & prudentes. Et quando cumq; offertur, nunquam, ubi commodè haberi poteſt, detrectanda: in offerendâ autem videndum; ne ad vanam ingenii oſtentationem, ex carnali impetu, vel animoſitate magis ineatur, quam ſancto, pro Dei gloriâ, & hominum inſtructione, zelo. Quare nec cum contentioſis, diſputacibus, & ambitioſis ingeniis quærenda, ſed declinanda potius: ad exemplum Ambroſii, detrectantis cum Auguſtino, quamvis mater hoc valde efflagitaret, diſputationem: *reſpondit enim me adhuc eſſe indocilem, eo quod inflatus eſſem novitate hæreſis illius, & nonnullis quæſtiunculis jam multos peritos agitaſſem, ſicut illa indicaverat illi,* inquit ipſe de ſe Auguſtinus. Atque de ejuſmodi Colloquiis verè pronunciavit Petrus Moſellanus, inter primos Reformatores, epiſt. ad Bilibaldum Pirckamerum, ubi de Colloquio Lipſiaco. anno

cIↃ IↃ x ix. *Mihi hoc diſceptandi genus Theatricum nunquam viſum eſt manſuetiſſimâ Chriſti doctrina dignum. Nec adduci poſſum ut credam, ſpiritum ſanctum pacis authorem, ad ejuſmodi pugnas unquam ſeſe demittere; Chriſtiana Theologia veritas citius impetratur orando, quam inveniatur diſceptando.* Tum, quando diſputabitur, videndum ut de articulo gravis momenti, cujuſque interſit omnium, etiam plebis: qualis v. g. de imaginibus, de communione ſub utraque ſacramenti parte &c. nam omnino obſervandum, ut præſente plebe, vel multis auditoribus Pontificiis, diſputemus, quò hoc pacto ad eos ſenſus aliquis verioris doctrinæ perveniat, quos alioqui hinc arcere ſolent Pontificii, & excludere. Non de re minutiori, vel de Patrum duntaxat ſententiâ aut teſtimoniis aliquibus multum contendatur, neque ſolis præliminaribus & circumſtantialibus, aut perſonalibus totum tempus tranſigatur fruſtra. Semper & Notarii adhibeantur, quod tantopere in Colloquio Ratisbonenſi altero urgebant Noſtri; quo adverſus calumnias, & falſas relationes, quibus mirum, quam ſe dare ſolent qui in conflictu ſuccumbunt, ſemper tuti ſimus. Idque ex more Veterum, omniumque famigeratorum colloquiorum. Epiphanius, hæreſ. lxxi. contra Photinianos: *Quemadmodum etiam in diſputatione adverſus Baſilium reperimus in his, quæ juſſi ſunt ſcribere velociter ſcribendi periti, Anyſius diaconus Baſilii, & Callicrates exceptor Rufini Præſidis provinciæ: & Olimpius ac Nicetes memoriſtæ ſive à memoria ipſius Baſilii: & Eutyches ac Theodulus notarii Baſilii.* In Colloquio Ratisbonenſi III. anno cIↃ IↃ c I, inter conditiones, ſeu regulas Colloquii, decima erat: *Notarii jurati bini ex utraque parte deligantur, qui dicta fideliter excipiant, & ſingulis ſeſſionibus, finito Colloquio, in præſentiâ Theologorum & Politicorum, partis utriuſque Protocolla conferant, eaque conformatis per omnia exemplaribus, reciproce facta ſubſcriptione, & obſignatione permutentur.* Sed & par utriuſque

utriuſque partis debet eſſe ratio, qua in argumentando, quà reſpondendo, ut non unus ſemper objiciat, vel reſpondeat, ſed tam hi, quam illi utramque partem, per vices, ſuſtineant. Probæ erant conditiones, quas Theologi Reformati, habituræ diſputationis, proponebant in Colloquio Thorunenſi, ſeſſ. I. quæ videantur. Uti & quæ Theologi noſtri, in *Admonitione de libro Concordiæ cap.* XII. Atque ita æquis conditionibus agendum, argumenta argumentis, ratio rationi opponenda; non calumniis, vociferationibus, minis, tumultu rem agere oportet, non devovendo ſe, alioſque, quod Pontificiis perquam familiare, qui actum probe, ſi animam ſuam vadem ſtiterint, vel alios præpropere damnarint, opinantur.

Aliud eſt pro *doctrina*, ejuſque veritate animam ſuam offerre: aliud pro *hominibus*, hos ut ſecuros facias, te oppignorare velle & ſalutem tuam, quod neutiquam licet, cum juſtus quilibet fide ſuâ vivat, & omnes coram Chriſti tribunali apparere oporteat, ut unuſquiſque referat quod egerit, ſive bonum, ſive malum. II. Cor. v. 10. Cyprianus, lib. IV. epiſt. II. *Nobis autem ſecundum fidem noſtram, & divinæ prædicationis datam formam competit ratio veritatis, unumquemque in peccato ſuo reum teneri, nec poſſe alterum pro altero reum fieri; cum Deus præmoneat & dicat, Juſtitia juſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum erit.* Pro doctrinâ vero ſe devovere fas eſt, ut fidem tuam, atque integritatem exponas. Pſalm. VII. 5. 6. Lutherus, in epiſtolâ ad Melanthonem, anno CIↃ IↃ XXX. d. XXX. Iunii, quâ eum valde anxium & conſternatum erigit: ſol es denn erlogen ſeyn / daß Gott ſeinen Sohn fur uns gegeben hatt / ſo ſey der Teuffel an meiner ſtadt. Simili ratione Noſtri Sylvæ Ducis anno CIↃ IↃ C XXX. in ſuo Manifeſto, promptos paratoſque ſe dicebant, animas ſuas pro veritate doctrinæ oppignorare.

Quod attinet Colloquia charitativa, inſtituta pro

controverſiarum inter nos, atque Pontificios conciliatione, quamvis hæc, propter ſuperiùs dicta, conclamata jam videatur & impoſſibilis, per prætenſam Eccleſiæ Rom. *infallibilitatem*, Pontificis *auctoritatem*, & Concilii *Tridentini* deciſiones, Papâ ejuſmodi Colloquia, ſi quæ alia, gnaviter ſemper diſſolvente; & ad ſe trahente, gaudeatque jam Papatus dici *irreformabilis*, uti in ſuis ad P. Innocentium x. litteris ipſe loquitur Erneſtus Lantgravius, d. VI. Ianuar. CIↃ IↃ CLII. attamen quandocunque ab ipſis offertur, & in eum finem petunt Colloquium, amplexandum omnino: quia utcunque ille ſyncretiſmus non ſuccedat, nonnulla tamen, ad coarguendam Papiſmi declinationem, ex illis lucramur, dùm in tali negotio videntur nobis velle aliquo modo gratificari, & accedere, ut poſſunt, propiores. Et juxta illa quæ in Colloquio Thorunenſi acta, atque in pace Germaniæ nuperâ concluſa ſunt, ut utrique parti ſèdulo commendetur, de concordiâ quâdam Eccleſiaſticâ ſerio cogitare: hoc, quod agant, adhuc ſupereſt. Atque id ſatiùs, quam ut ad vim aliam, bella, & perſequutiones iterum ſe convertant. Qui ut in illud potius vires ſuas omnes intendant, & ſine quo id haberi non poteſt, reformationem admittant, monendi, quemadmodum hæc latius pertractavimus, in *Examine bullæ P. Innocentii, adverſus pacem Germaniæ, à pag.* 169.

præterea in illis charitativis, ſeu Conciliatoriis Colloquiis ſummopere expendendæ Adverſariorum factæ nobis aliquando tum *conceſſiones*, tum *confeſſiones*. Conceſſiones appello, factas olim quadantenus conciliationes, ut in Colloquio Ratisbonenſi, ſuper primario religionis & controverſiarum articulo, de juſtificatione, & qualia in unum librum collegit Cochleus, ediditque, valde hic commendanda, quæ propterea hic aliqua deſcribere & exhibere, ad excitandas ſuper iis aliorum cogitationes, haud gravabor. Titulus libri eſt. *Quadruplex*

Con-

Concordiæ ratio, & Conſideratio, ſuper Confeſſione Auguſtanâ. anno cIↄ Iↄ xlIV. edita. Vbi, in *Explicatione Actorum Auguſtæ in Septenorum tractatu*, (quo de etiam ſuprà) & *Colloquio Haganoæ Regi Rom. &c. tradita d.* XVII. *Iunii*, anno cIↄ Iↄ xl. ad quæſtionem ſibi à Ferdinando Rege propoſitam: quid in Auguſtanæ Confeſſionis viginti octo articulis *eſſet à Catholicâ Eccleſiâ tolerandum aut acceptandum. Si quo modo in iiſce articulis per amicum tractatum cum eis concordari poſſet*? ita ad ſingulos reſpondit Auctor. De ſancta Trinitate, Art. I. *In hoc articulo nihil mihi diſplicet ex eorum Confeſſione*. De peccato Originali, Art. 2. *Hic concordavimus cum ipſis Auguſtæ in Delectu. Cui ſententiæ adhuc ſto & acquieſco*. De duabus naturis in Chriſto, Art. 3. *In hoc articulo itidem cum eis per omnia concordes ſumus*. De juſtitia fidei, Art. 4. *Auguſtæ in Delectu ſuper hocquoque articulo concordavimus. Nempe, ut non doceatur, quod ſola fides juſtificet, ſed quod omittatur hæc vocula, Sola. Quemadmodum & Cæſarea Majeſtas una cum aliis Principibus & Statibus in Receſſu Imperiali judicarunt atq; mandaverunt*. De miniſterio Verbi, & ſacramentis. Art. 5. *De hoc quoque articulo concordia in Delectu facta eſt, quæ permanere & rata haberi poteſt*. De bonis operibus, Art. 6. *De hoc quoque concordatum eſt, juxta tenorem concordiæ circa Quartum articulum*. De Eccleſia, Art. 7. *De hoc quoque concordatum eſt in Delectu*. De malis miniſtris Eccleſiæ, Art. 8. *De hoc quoque concordatum ibi fuit*. De Baptiſmo Art. 9. *Hic quoque concordatum eſt cum eis, adverſus Anabaptiſtas*. De ſacramento Euchariſtiæ, Art. 10. *De hoc quoque articulo concordatum eſt cum eis, contra Zuinglianos & Anabaptiſtas. Nempe, quod realiter eſt ibi verum corpus & verus ſanguis Chriſti, non ſolum ſignum aut figura*. De confeſſione, Art. 11. *De hoc articulo non fuit tunc concordatum. Poſtea vero prætulerunt Poteſtantes; in Delectu ſententiam ſuam in ſcriptis, ſub tribus ſane punctis. &c. Quod ſi hæc tria puncta ſerio accepta*

erunt ac profiterentur, non foret difficile in his cum eis concordare. De Pœnitentia, Art. 12. *De hoc quoque articulo concordatum eſt in Delectu.* De uſu Sacramentorum, Art. 13. *De hoc quoque concordatum fuit in Delectu.* De Ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ: Art. 14. *Articulus iſte in verbis quidem ſuis reprehendendus non eſt, in ſenſu autem adverſatur nobis.* De Cæremoniis & ritibus Eccleſiæ, Art. 15. *Hoc in articulo vellemus eis cito conſentire, ſi ex fundamento ſcripturæ demonſtrarent,. noſtras Ceremonias & antiquos Eccleſiæ ritus contra Euangelium eſſe, ſicut dicunt.* De Poteſtate ſæculari, Art. 16. *Hic quoque cum ipſis concordes ſumus.* De Extremo Iudicio, Art. 17. *De hoc quoque articulo concordatum fuit in Delectu.* De libero arbitrio, Art. 18. *De hoc quoque concordatum eſt in Delectu.* De cauſa peccati, Art. 19. *Et hic per omnia concordatum eſt.* De fide & Bonis operibus, Art. 20. *De hoc articulo excitata eſt ſcandaloſa, ſupervacanea ac diuturna contentio in populo per Lutherum, quæ tamen facile tolli poſſet.* De Interceſſione & Invocatione ſanctorum, Art. 21. *De hoc quoque articulo tractatum eſt in Delectu, ſed non plene concordatum.* De uſu utriuſque ſpeciei Euchariſtiæ, Art. 22. *Circa hunc articulum non eſt plene concordatum in Delectu.* De Conjugio ſacerdotum, Art. 23. *De hoc articulo non eſt concordatum in Delectu.* De Miſſa, Art. 24. *Hoc in articulo bene concordare nobiſcum poſſent Proteſtantes.* De Confeſſione, Art. 25. *De hoc articulo dictum eſt ſupra.* De Diſcrimine Ciborum, Art. 26. *Quum peterent noſtri in Delectu, ut Proteſtantes velint ſe univerſali conformare Eccleſiæ, in diſcrimine & ciborum & temporum. In jejuniis & feſtis diebus, in proceſſionibus & in aliis Eccleſiæ Ceremoniis & conſuetudinibus: Illi reſponſum ſuum in ſcriptis obtulerunt in hanc ſane ſententiam &c. Quod ſi ſerio ita ſentirent circa hæc Quinque puncta, bona nimirum forent hæc ad unitatem præparatio, ad invenienda media, quibus ſe nobiſcum & cum univerſali Eccleſiâ plene conformarent.* De votis Monaſti-

naſticis, Art. 27. *De hoc articulo admodum graviter & copioſe per multas ſcripturas & per exempla ſanctorum patrum, in publicâ Confutatione reſponſum eſt. Quod ſi avaricia & iniquus Mammon eos non obſeſſos & omnino excæcatos tenet, eſſet cum ipſis de hoc quoque articulo ſuper tolerabilibus mediis tractandum.* De poteſtate Epiſcopali Art. 28. *ſi autem ſerio ita ſentirent, ſicut verba ſupra dicta ſonant, ſperandum ſane foret, ut ſuper hoc quoque articulo poſſint pax & concordia per licita media comparari ac erigi.* Hæc Cochlæus, tum ex ſententiâ Colloquii Auguſtani, tum ſuâ, de articulis concordandis: quibus, præ aliis, inſiſtere licet in judicio de religionum conciliatione formando, vel in quâvis etiam iiſcum diſputatione; ut liqueat quæ conceſſa nobis à Papiſtis ad reformationem, vel conciliationem dogmata aliàs fuerint. Qui Cochlæus deinde in *Viis Præparatoriis ad ineundam per colloquium concordiam*; VVormatiæ, communi Theologorum Pontificiorum nomine anno ClↃ IↃ xl. viâ v. poſuit, ut articuli Confeſſionis, Auguſtæ in Septenorum Colloquio concordati, rati utrimque haberentur: quippe ubi tantam Collocutores adhibuiſſe ſcribit diligentiam, *ut ſedulâ partium diſquiſitione & amicâ interpretatione dictorum, ad multorum Confeſſionis articulorum unanimem ſenſum & concordiam partium perventum fuerit*: repetitque breviter concordatos articulos, poſt quos pergendum, ad compendifaciendam operam ita exiſtimat: *Vt igitur Reverendæ ac Magnificæ D. V. videant, quantum compendii temporiſque lucrandi ex priori concordia colloquio utrinque habeamus, ſi utraque pars ratum habeat, quod tunc placuit, recitabimus hic vobis bonâ fide bonam partem eorum, quæ utriuſque partis conſenſu tunc approbata & concordata fuerunt. Articuli Concordiæ Auguſtenſis Colloquii. Etenim in primo articulo, qui eſt de Trinitate perſonarum & unitate eſſentiæ divinæ, per omnia concordatum eſt; ſimiliter & in Tertio, qui eſt de duabus naturis & una perſona in Chriſto, & quidem abſque omni diſputati-*

ſtione aut contradictione. In Secundo autem, qui eſt de peccato Originali, poſt nonnullam diſceptationem in hac verba concordatum eſt, quod peccatum Originale ſit carentia Originalis juſtitiæ, quæ exigit fidem fiduciamque & timorem Dei, quodque Concupiſcentia, ex peccato Originali orta, remaneat in homine. Culpa vero Originalis peccati per baptiſmum tollatur. Id eſt; quod peccatum Originale tollatur quoad formale, ſed maneat quoad materiale. In Quarto deinde, Quintoque, & Sexto articulis ita concordatum eſt, ut omitti debeat hac vox Sola, quando de fidei juſtificatione loquimur, ne de cætero dicatur, nos ſolâ fide juſtificari. In Septimo poſtea, & Octavo articulis iterum concordatum eſt, per declarationem hujus verbi, Sanctorum, quod utraque pars fateri debeat, In Eccleſia in hac vita eſſe etiam malos & peccatores. In Nono, qui de Baptiſmo eſt, & in Decimo, qui eſt de Euchariſtia, plene concordatum eſt. Adjecto uno verbo, Realiter, quando dicitur, In Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti vere adeſſe. Additum eſt, contra Sacramentariorum fraudulentias, Realiter, Teuthonice Weſenlich. *Sic & in* 13. 14. 16. 17. 18. & 19. *pie ac benigne concordatum fuit, ita ut nullus in ejuſmodi articulis remaneret inter nos diſſenſionis ſcrupulus. In cæteris vero, etſi non per omnia concordare potuerimus, opera tamen precium videtur nobis, Reverendis & Magnificis D. V. commemorare, Quibuſnam in punctis ipſi ſuis propriis ſcriptis & atteſtationibus conſenſerint nobis.* &c. Denique idem Auctor, in *Diſcuſſione Confeſſ. & Apolog. Auguſtana*, ſcriptâ Ratisbonæ anno cIↄ Iↄ xl I. ad art. IV. V. & VI. de juſtificatione, iterum ſic loquitur: *Iſti tres articuli, quales habentur in Confeſſione (non quæ nuper variata & excuſa eſt, ſed quæ Cæſ. Majeſtati Auguſtæ exhibita fuit) facile poſſent concordari, ſi non obſtaret contendendi ac frivole diſputandi aviditas & pertinacia. Quemadmodum Auguſtæ concordati fuerunt in ſeptenorum colloquio, in hæc ſane verba. Iuſtificatio ſeu remiſſio peccatorum fit per gratiam gratum facientem & fidem formaliter, per*

verbum vero & ſacramenta inſtrumentaliter. Conferri poſſunt Proteſtantium nonnullorum in eandem rem conſilia, ſcripta ad Guilj. Bellayum, apud Melch. Goldaſtum, in *Politicis, Imperial. part.* XXVIII. Hæc & talia ſcire eum oportere exiſtimo, qui de rebus Pàpalibus benè ſit judicaturus. Namque noſtra plurimum refert, noſſe non ſolum quo pacto diſputatio aliqua adornanda adverſus illos ſit, quibus pugnandum argumentis rationibus, ſed etiam quid noſtra in re actum jam cum & illis olim vel pridem ſit, quod apprime & judicium firmabit, & diſputationem. Neque ullam bene ſuſtinebis diſputationem, cujus non quoque noris hiſtoriam. Id eſt, quid olim iſta ſuper re ſenſerint Adverſarii, quid hodie, quomodo tum, vel jam diſputent, & ubique ſcias quæ alicubi, ex bono & uſu veritatis, *conceſſerint.*

Deinde Adverſariorum *Confeſſiones*, in omni diſputatione, præſertim Colloquiis, & charitativis, expendi etiam volo: ſive *Particulares*, id eſt, ſententias, quas ex ipſis Pontificiis Doctoribus colligere eſt, ad ſingulos doctrinæ articulos, & quod multi viri docti ac diligentes egregie præſtiterunt, Mortonus, Iameſius, Ioh. Gerhardi, & opus quidem præſtantiſſimum eſt, quod quotidie magis & magis debet perfici; ſive *integras* accipiamus aliquorum confeſſiones, quas totas in uſus noſtros convertamus. Quales Confeſſio, vel Proteſtatio, quam Lud. Bloſius in Aſceticis, & Rex Hiſpaniæ Philippus II. aliique Pontificii tanto in pretio habent, atque in extremis uſurpant, ceu tutiſſimum, cui innitantur, ſcipionem, quam ſuprà retulimus; vel Confeſſio P. Pauli Veneti: ſuper quibus ſi fundare unionem cupiant religioſam Pontificii, age eos audiemus.

Cæterum de *ſcriptis*, quæ in cauſâ Papiſticâ ultro citroque innumera per integrum & quod excurrit ſæculum prodierunt, & ſeu *ætatem*, ſeu *locum*, & *materiam* conſideremus, quam tractarunt, varia ſunt, itá ſtatuo: videndum ſum in opere quid ſcribamus, quo poſt tot

egregia monumenta, & ſæculo huic docto, & quo ipſis Pontificii, nominatim Auctores Colloquii Thorunenſis, Valerianus Magnus, & ſimiles ingenue cenſent, raro ultra dicta olim & ſæpius, alia vel nova adferri, vix ſcribatur, niſi aut *novum* aliquod, indictum ante te aliis; vel *uſum* ſi poſſis facere dictorum aliquem ſingularem, ad hanc vel ad illam occaſionem, aut ad adverſarium *convincendum*, vel etiam hoc ipſum tradas fideliter, *quouſque* diſputatio ſuper quovis articulo inter partes *producta* ſit, quęque poſtrema hinc inde argumenta, exceptiones ſint & inſtantiæ. Super hiſce ſcribas licet, atque ſupereſt ſatis, in quo te exerceas, præcipuè in primo illo, ubi nova adferuntur. Hoc autem eſt, vel ut *Methodum* diſputandi novam calleas, vel *rei* quid ſimile habeas, ſive ad *convincendos* Adverſarios, vel etjam debito modo *conciliandos*. Atque in diſputatione novum *argumentum* eſt aut *artificiale*, aut *inartificiale*, ſive ex *Patrum* qui dicuntur, (ante omnia autem ex *Scriptura*) monumentis, præſertum *ἀνεκδότοις*, *nondum editis*, cui copia eſt veterum ſcriptorum, & ad M. S S. patet aditus, in magnis & egregiis Bibliothecis: aut ex *hodiernis* Papiſtarum ſcriptis, ipſos ut reddas magis *αὐτοκατακρίτους*. Quo in genere præivit Thomas Iameſius Anglus, libro, *A manuduction, or introduction unto divinitie: containing à confutation of Papiſts by Papiſts, throughout the important articles of our religion; their teſtimonies taken either out of the Indices Expurgatorii, or out the Fathers and ancient records; but eſpecially the manuſcripts.* In his ſi quid valeas, experire: ut vel nova contra ipſos proferas, vel quæ ipſi nova, evertas. Ego iſto conſilio recentiſſimas Paparum Vrbani, & Innocentii Bullas aliquot, religionem imprimis, ſed & politiam tangentes, examinavi: in quibus ut ipſi vel recedant in pejus, vel accedere ad nos videantur aliquantulum & reformare, oſtendi. Non novum dico, quod noviter ineptum:

qua-

quale quod Theodorus Petreius, Carthuſiæ Colonienſis Monachus, in *Catalogo hæreticorum*, quem nugaciſſimum edidit hoc ſæculo, a. CIↃ IↃ C XXVIII. tamquam diverſarum ſectarum Auctores & nomina recenſet, qui ei appellantur, *Bezanitæ, Calviniſtæ, Zuingliani, Buceriani, Vergeriani, Martyriani, Oecolampadiani, Farelliſtæ, Boquini, Musculani &c. Proteſtantes, Reformati, Hugonotæ, Biſacramentales, tum Anti-Lutherani, Anti-Calviniſtæ, Calvino Turciſtæ,* & neſcio quod non hominum genus nominumque: ſed quod ineptiſſimum, pag. 227. ponitur inter hæreſiarchas *Vincentius à Drielenburch*, exortus ad annum 1608. *Non poſſum*, inquit Auctor, *quin etiam Novatori huic Batavo locum in hoc hæreticorum albo aſſignem. Qui patriâ Vltrajectinus, cum Lugduni Batavorum juriſprudentiæ aliquamdiu operam navaſſet, juvenili quodam arreptus impetu, anno* 1608. *diebus circiter quatuordecim ante paſcha cum eſſet Vltrajecti, dixit in oratione matutinâ ſubitò in ſe deſcendiſſe virtutem Dei, veluti divinam quandam obumbrationem, atque inſpirationem, quâ certò intellexerit ſe eſſe per Chriſtum juſtificatum, & à damnatione redemtum &c. Alius porro quidam (ſic Batavus Batavum, hæreticus hæreticum excipit) preſſius ipſum deſignans, cucullum confecit inſcriptum hoc ſymbolo, DrIeLenbVrCh PaVs* **van alle ſotten** / *id eſt, omnium ſtultorum Papa. Quod latine brevius ſic dici poterit. DrIeLenbVrCh planè STVLTVS.* Ad quæ quis non rideat? quin Scriptorem ſtolidiſſimum fuſtibus excipiendum dicas, qui in hæreticis deſcribendis tam ſtulte inſanit? Omnes etenim, qui iſtum Vincentium, quam apte in *Catalogo hæreticorum & hæreſiarcharum* ponatur, novimus.

Ad illud de Patrum ſcriptis, refero etiam Antiquorum Scriptorum à falſificationibus & corruptionibus Papalibus vindicationem: quo in opere gnavum ſe præbuit eruditumque, ille idem Thomas Iameſius Anglus, Oxonienſis Bibliot. Cuſtos, qui libros impreſſos Romæ,

ex typographiâ Vaticanâ, contulit cum antiquis & M. S S. exemplaribus in Oxonienſi, illorumque multiplicem corruptionem notavit & detexit: cujus etjam argumenti ſcriptum edidit ſingulare & eximium, linguâ Anglicâ, *de Corruptione Scripturæ, Conciliorum, & Patrum.*

Sed & quorum uſum noris pro prudentiâ ad certos aliquos, ad plures diſpergere novâ ſcriptione, excuſat eam laudatque, modo ne aliorum ante te dicta optimè, ullo modo defraudari tuis cupias. Præterea multi fructus eſt accuratè oſtendere terminos & limites diſputationum, ut certo intuitu mox videas quid, & quouſque actum rebus noſtris ſit: quod præterquam aliis, valde conducet tum Controverſiarum Studioſis, tum ſcribere aliquid hâc in cauſa parantibus. Tentavi ego id aliquando in præcipuâ cum Papiſtis Controverſiâ, ſuper Scripturæ Sacræ perfectione, ut, recenſitis primo loco iis, qui hâc de re ab utrâque parte, & quando ſcripſerunt; tum propoſito ex ſcriptis claſſicis hinc inde Controverſiæ ſtatu, ex Concilio Tridentino, & Eccleſiarum noſtrarum Confeſſionibus, additâ ejus ex utriuſque partis Scriptoribus & diſputationibus expoſitione; tertio noſtra ponerem argumenta, & ſingula à ſuis exceptionibus vindicarem, argumenta nimirum ex Scripturâ, rationibus, authoritate Patrum, teſtimoniis Martyrum, confeſſionibus Adverſariorum: denique ultimo loco exhiberem objectiones ſententiæ Pontificię: omnia ad ultimos uſque proceſſus ſeu inſtantias, quantum potui: ſed ſi quis majori otio affluens per omnes id præſtet controverſias, detque quaſi Codicem, ſeu Pandectas Diſputationum, annotatis utriuſque partis ex optimis Auctoribus Diſputationum proceſſibus, ad exemplum eorum, qui in varios Scripturæ libros contexuerunt ex Patribus, qua Græcis, qua Latinis, Catenas; vel ex recentioribus Eccleſiæ Doctoribus Expoſitiones; ſive qui in Auctores opti-

ptimos & Litteratores, Plautum, Suetonium Terentium, Iuvenalem, Florum, Iuſtinum, Sulpitium, nuper dederunt annotationes ex variis Scriptoribus congeſtas, qui (dico) ad exemplum iſtorum, in rebus Theologicis, & Diſputationibus idem tentaret, ſpondere auſum quod is operæ pretium fructumque eſſet relaturus non exiguum. Quippe hoc pacto eximium facturus librorum, ſumtuum, & operis in ſtudio collocandi compendium; & tum quæ ſingulis Scriptoribus debeatur laus, tum quid ſequentibus agendum ſuper eſt, breviter oſtendens. Ex quâ tabulâ optime perſpicietur, quid factum hactenus, quid faciendum reſtet. Nolim, quod plurimis tamen video in uſu eſſe, propter unum forte vel alterum, quod dicendum habeas, & novum ſit, aut videatur, vel adferendum, vel refutandum, de integro iterum ordiri, & rem totam ab ovo (quod ajunt) retractare. Nam quorſum hoc? niſi ut oſtendas impotentiam animi judiciique, ſolùm ad fabricandas librorum moles laborantis, & te æque tuis diffidere, atque invidere alienis? Multo rarior ſcriptio foret, quam eſt vulgo, ſi tam ſua & meliora dictis, aut utiliora, uſumve ſingularem habitura Scriptores proferre laborarent, quam aliena, & hæc repetere duntaxat, aut deſcribere, tum maximâ ſępe Auctorum injuriâ, & Lectorum onere. Tum & videre oportet etiam atq; etiam, quibus ſcribas, tuiſne, id eſt, tuæ ſententiæ hominibus, an aliis: non dico tibi, quamvis certe ſint qui non in commodum aliorum, ſed ſibi, & pro nominis ſui inani ridendoque ſcriptitent muſtaceo. Sed in materiâ quidem controverſiarum Tuis quando ſcribis, prudenter videndum, num forte te ſcribere neceſſe ſit: ſin aliis, vide quem uſum apud illos habere, quæ ſcribis, poſſint. Nam utcunque utriſque aliquando ſimul prodeſſe queant, quæ dicis, aliquando tamen non æque aliis uſui erunt illa, quæ Tui probant. Iam quæ aliis ſcribis, primum ut ad illorum queant manus perve-

aire, diſpiciendum, ne operam luſiſſe, ſaltem magnâ ex parte, videamur. Quod ideo dico, quia dum libellis vernaculis nos identidem laceſſunt Pontificii, nobis duplex in reſpondendo incumbit cura, ut Noſtros homines adverſus illorum vexationes bene muniamus; tum quo pacto ad Pontificiorum manus queant pervenire noſtra, ea ut legant, æque ac illorum ſcripta Noſtri. Niſi enim hoc ab illis obtineamus (quod vehementer alioquin impediunt) ut quæ reſcribimus vulgari linguâ, ab ipſorum hominibus æque videantur leganturque, ac quæ illi edunt, à Noſtris, vide quam impari congrediamur alea. Ergo hoc ante omnia ſtipulemur ab Adverſario, ut noſtra legi ſinat à ſuis, perinde ac ejus ſcripta leguntur à Noſtris: quod niſi fiat, haud video quid adeo neceſſe ſit, ipſorum ſcriptis multum reſpondere, aliterve quam eadem inhibitione librorum adverſariorum, quâ ipſi noſtros excipere vulgò ſolent, & arcere. Nunc præſertim, ubi poſt diuturna graviaque diſputationum Theologicarum ultro citroque ultra ſeculum habita prælia, quid de re ſit, quidque pro veritate habendum, ſedulo & candido examinatori facile conſtare queat, etiam citra novam vel ulteriorem ſcriptionem. Quippe uti bene dixerunt Noſtri in Colloquio Thorunenſi, ſeſſ. I. in Poſtulatis de ratione Colloquii, art. VIII. *Alternationes inter Collocutores, juridico modo congruant, ultra tamen triplicam non procedatur; cum res ad tot gradus deducta ſatis patere queat.* Imo viris candidis, piis, non partium amore præoccupatis facile patere, poſt ternam diſcuſſionem, veritas controverſiæ poteſt. Atque illa cauſa occurrit ſollicite aliquando inquirenti, cur jam tam rara ſit Papatus reformatio, & converſio Papiſtarum tam infrequens, contra quam olim, quo tempore urbes & regiones integræ à Papatu reformatæ prius fuerunt, quam jam aliquot homines? nempe, quod veritas in libero examine, maturâ Papatus refor-

matione, dilucide ſtatim & facile apparuit, quæ nunc formatâ poſt multas contentiones parte obfirmatiſſimè irreformabili, ſævâ Papatus tyrannide oppreſſa & offuſcata, non ita ab hominibus cognoſcitur, inde nec accipitur. Primo illo tempore magis ingenua erat multorum de doctrinâ noſtrâ profeſſio, quam hodie, &c. in pœnam reprobatæ veritatis, quam ſola intercludit contumacia. Cum noſtra confeſſio, ſcribit Lutherus, Tom. VII. lib. *adverſus Papatum Romæ à Satana fundatum*, an. 30. coram Imperatore & omnibus imperii ſtatibus Auguſtæ recitabatur, alterius partis Theologi, num iſthæc ſacra ſcriptura refutare poſſent interrogati, Reſponderunt, ſcriptura quidem refutari non poſſe, ſed tantum Patrum & Conciliorum decretis. Ibi nonnulli Principum, riſu diffluentes, dicebant: Egregie ſcilicet nos Theologi noſtri defendunt, dicunt enim adverſariorum cauſſam Scriptura niti, & nos eâ deſtitui.

Jam in argumentatione adverſus illos diſputandum primo quidem loco ex *S. Scripturâ*, inde *rationibus*, tum ex ſententiâ *Patrum*, quarto ex Confeſſionibus *Adverſariorum* agendum, uti ultimo teſtimoniis *Martyrum*, qui & doctrinam & argumenta noſtra ſuo ſanguine confirmarunt. Quam ex Martyrologio topicam, ab Andreâ VVilleto didici, obſervatam in *Synopſi Papiſmi*, & poſt Martyrologium Anglicanum majus, facto catalogo, inſtruxit Foxus. Quippe quantum verba excedit actio, quâ nulla excelſior martyrio, ita quæ martyr dicit, & quidem pro martyrii ſui argumento, validiſſima merito habentur, ad animum movendum & convincendum. *Nam in igne manifeſtabitur, & cujuſque opus quale ſit ignis probabit.* 1. *Cor.* III. 13. 14. Nemo enim ſe vel lubens in mortem tradit ob cauſam fruſtraneam aut malam, vel ſuam bonam cauſam non tum confirmare geſtit argumento optimo, graviſſimoque. Cæterum ex ipſorum Adverſariorum confeſſionibus

diſ-

diſputare docuerunt egregii Scriptores, Mortonus, in *Apol. Catholica*; Ioh. Gerhardi, in *Confeſſ. Catholicâ*, quem librum, vel libros, plures enim ſunt, ſummopere neceſſarios facio diſputaturo cum Pontificiis, quia illis Auctor pro diligentiâ ſuâ, diffuſaque lectione, congeſſit varia hactenus in Pontificios, præſertim ex ipſis, prolata argumenta, & omnis generis teſtimonia. Adeo ex ipſis Papiſtis Papatus confundi poteſt. In Angliâ Iohannes VVhite, provocavit Adverſarium ſuum, quod de quovis Pontificiæ religionis articulo eſſe toſten-
„ ſurus, repugnare cum S. Scripturæ primùm, tum
„ Eccleſiæ primitivæ, denique & aliter eum à Schola-
„ ſticis, aliiſque in Romanâ Eccleſiâ doctum fuiſſe, ac
„ hodie tradunt Ieſuitæ, & Concilium Tridentinum.
Quemadmodum ad Patres provocabat Ioh. Iuellus: *Si quiſquam eruditus adverſarius, ſive univerſi ſimul adverſarii noſtri ullam luculentam aut ex antiquo & Catholico patre, aut ex vetuſto aliquo Concilio, aut è ſacroſanctis Dei Scripturis ſententiam, ullamve eccleſiæ Primitivæ exemplum in medium proferre poſſint, unde liquido clarèque conſtet, ullam in toto orbe per ſexcentos integros à Chriſto annos Miſſam privatam extitiſſe, ego me manus daturum, atque in contrariam ſententiam iturum ſpondeo.* Sic non de Miſſa ſolum privata, ſed de XXVII, Pontificiæ religionis articulis loquebatur. Scriptores autem adverſus Papiſmum præſtantiores vide annotatos in Bibliotheca noſtri D. Voetii *lib.* II. Compendiò ſtudioſi terant, Ameſii *Bellarminum enervatum*, Riveti *Catholicum Orthodoxum*, & à parte adverſa Concilii Tridentini *canones*. Tempus eſt, ut controverſiarum Papalium faciamus etiam hic catalogum.

I. Annon S. Scriptura ad ædificationem Eccleſiæ nunc ſit omninò neceſſaria? *Aff.*

II. Num S. Scriptura omnem ſuam auctoritatem apud nos obtineat ex auctoritate, & teſtimonio Eccleſiæ Romanæ? *Neg.*

III. Num libri, quos Papiſtæ, juxta Concilium Tridentinum (*ſeſſ.* IV.) præter illos, quos Eccleſiæ Proteſtantium, & Iſraëliticæ olim, pro Canonicis S. Scripturæ habuerunt; puta liber Sapientiæ, Iudith, tertius & quartus Ezræ, Baruch, Epiſtola Ieremiæ, libri Maccabæorum, Fragmenta Eſtheris, & Danielis, ut in Vulgatâ editione Papiſticâ leguntur, ſint ſacri Canonici? *Neg.*

IV. Num univerſa ſalutis doctrina, quæ ad Religionem, ſive fidem & mores eſt neceſſaria, non contineatur in S. Scripturis; ſed præterea ſit verbum Dei non ſcriptum, ſive Traditiones, de rebus neceſſariis, divinæ, & Apoſtolicæ, oretenus ab ipſo Chriſto, aut Apoſtolis acceptæ, & in Eccleſiâ, continuâ ſucceſſione, ſervatæ, quas pari pietatis affectu & reverentiâ, cum Sacris Scripturis, ſuſcipere oporteat, & venerari? *Neg.*

V. An S. Scripturæ lectio ſemper omnibus concedenda ſit, quin imò injungenda? *Aff.*

Ideoque

An oporteat, & expediat Sacram Scripturam in linguas vernaculas, uſui cunctorum fidelium, transferre? *Aff.*

Atque,

An dogmata Religionis neceſſaria in S. Scripturâ fidelibus perſpicuè tradantur? *Aff.*

VI. Num Latina Vulgata editio Papiſtica, ſola ſit authentica, (non Hebræa Veteris, vel Græca N. Teſtamenti) & in rebus fidei, Hebrææ Græcæque præferenda, adeò ut eam nemo quovis prætextu audeat rejicere? *Neg.*

VII. Num judicium Controverſiarum Theologicarum infallibile alligatum ſit, & hæreat ſolùm apud Papam Romanum, aut Concilium ejus Papiſticum, vel Eccleſiam Romano-Papalem; à cujus authoritate omnes debeant petere Sacræ Scripturæ cer-

tiſſimam interpretationem, neceſſariò ſequendam *Neg.*

An verò ſupremus & infallibilis Controverſiarum Theologicarum judex, ſit ſolus Spiritus Sanctus in S. Scripturâ? *Aff.*

VIII. Num, quia S. Scriptura Religionis omnis eſt regula perfectiſſima & ſufficientiſſima, ac ſola; ideò in argumentatione Theologicâ ex S. Scripturâ, nullus ratiocinationi, diſcurſui, interpretationi, formandis conſequentiis, aut commentationi relinquatur locus? *Neg.*

IX. Num Deus prædeſtinarit homines ad vitam æternam, propter prævisa ipſorum bona opera, & merita? *Neg.*

X. An Deus providentiæ ſuæ vi influat in ipſas cauſas ſecundas, etiam liberas, eas ad actum movendo, & determinando? *Aff.*

XI. Num juſtitia originalis in primo homine fuerit ſupranaturalis, data ad domandam carnis, contra ſpiritum concupiſcentis pugnam naturalem, ſive ad naturæ humanæ defectum, morbum, aut languorem corrigendum? *Neg.*

XII. Num ſit aliquod peccatum naturâ ſuâ non mortale? *Neg.*

XIII. Num hominis arbitrium in ſtatu peccati ita ſit liberum in utramque partem ut etiam ad bonum religionis indifferens, ac ex ſe potens ſit? *Neg.*

XIV. Num Maria immunis fuerit ab omni peccato, vel originali, vel actuali? *Neg.*

XV. Num Chriſti anima ſtatim ab ejus ortu perfectè beata, & omni ſcientiâ repleta fuerit? *Neg.*

XVI. An Chriſtus ſit Mediator, & Mediatoris officium exerceat ſecundum utramque naturam, divinam & humanam? *Aff.*

Num verò ſolum ſecundum naturam humanam? *Neg.*

XVII.

XVII. An Chriſtus in animâ etiam immediatè paſſus ſit? *Aff.*

XVIII. Num Chriſtus pro omnium & ſingulorum hominum peccatis indifferenter mortuus ſit? *Neg.*

XIX. Num Chriſti anima à morte, localiter deſcenderit ad inferos, ut ibi annunciaret fidelibus V. Teſtamenti in limbo aliquo hactenus detentis, completam redemtionem, illoſque inde ſecum educeret? *Neg.*

XX. Num gratia ad ſalutem ſufficiens omnibus & quibuſvis hominibus univerſaliter detur? *Neg.*

XXI. An gratiæ convertentis efficacia, veniat ex naturâ & vi gratiæ, hominem actu convertentis? *Aff.*

Num verò pendeat ex hominis cooperatione, & voluntate, in cujus arbitrio hæreat, illam gratiam vel admittere, vel repellere? *Neg.*

XXII. Num virtute, & merito fidei, aliorumque bonorum operum, homo coram Dei judicio juſtificetur formaliter per propriam ſuam & inhærentem juſtitiam? *Neg.*

An verò ſolùm propter imputatam ſibi juſtitiam Chriſti, fide apprehenſam? *Aff.*

XXIII. Num fides vera, & juſtificans poſſit eſſe ſine bonis operibus? *Neg.*

XXIV. An omnis fidelis poſſit, ac debeat certus eſſe divinæ erga ſe, & in ſe gratiæ, atque ſuæ ſalutis? *Aff.*

XXV. An vera & juſtificans fides ſemper adjunctam habeat perſeverantiam? *Aff.*

XXVI. An ſolus Deus religioſe colendus & adorandus ſit? *Aff.*

Num verò etiam Sancti, & Angeli invocandi, votaque iis religioſe nuncupanda ſint? *Neg.*

XXVII. Salutatio Angelica, *Ave Maria* &c.

 ſeu

l. Num homo in hac vitâ legem Dei perfectè & abſolutè implere poſſit?

Vel etiam pluſquam perfectè, & ſupra id, quod Deus præcepit, facere? *Neg.* utrumque.

lI. Num opera juſtorum verè, & proprie ſint meritoria vitæ æternæ? *Neg.*

lII. Num Eccleſia ſit cœtus hominum eandem fidem profitentium, & Sacramentorum communione viventium, ſub Papâ Romano? *Neg.*

lIII. Num Eccleſia ſemper & quibuſlibet ſit ſatis viſibilis? *Neg.*

lIV. Num notæ Eccleſiæ ſint variæ illæ, quas Papiſtæ ſuæ Eccleſiæ faciunt, ut nomen Catholicæ, multa antiquitas, duratio, amplitudo, Epiſcoporum ſucceſſio, miracula, Prophetiæ, felicitas temporalis &c? *Neg.*

An autem veritas doctrinæ, certa & perpetua Eccleſiæ nota ſit? *Aff.*

lV. Num Eccleſia Romana non poſſit errare, ac deficere? *Neg.*

lVI. Num Eccleſiæ in terris regimen debeat ab uno aliquo homine, poſt Chriſtum, eſſe monarchicum? *Neg.*

lVII. Num Epiſcopi jure divino ſint ſupra presbyteros, iiſque auctoritate, & poteſtate majores? *Neg.*

lVIII. Num Epiſcopi urbis Romæ, ſupremam & monarchicam poteſtatem, jure divino, ſupra omnes in toto orbe Eccleſias, & Eccleſiaſticos habeant? *Neg.*

lIX. Num Papa Romanus, in rebus fidei decidendis ac docendis, ſit infallibilis, nec poſſit errare? *Neg.*

lX. Num Papa, & Epiſcopi habeant poteſtatem coactivam, & poſſint leges condere, in conſcientiâ obligantes? *Neg.*

lXI. Num Papa Romanus habeat etiam poteſtatem temporalem ſummam, in omnium Chriſtianorum bona, & res, adeo ut de iis diſponere, etiam regna mutare, auferre, aliis conferre, Reges deponere, inſtituere

ere, & leges civiles ferre, vel abrogare, & temporalia quævis adminiſtrare, ac exercere ſibi liceat? *Neg.*

lx I I. An Papa Romanus ſit Antichriſtus? *Aff.*

lx I I I. Num civilis juriſdictio conveniat perſonis Eccleſiaſticis, ut ſimul quis ſit eccleſiaſticus & politicus, paſtor & princeps? *Neg.*

lx I V. Num debeant eſſe diſtincti & ſacri Ordines Clericorum, ſeu Eccleſiaſticorum in Eccleſiâ, Cardinalium, Exorciſtarum, Acolythorum, Sub-Diaconorum, Canonicorum? &c. *Neg.*

lxv. Num electio Paſtorum in Eccleſiâ, nullo modo pertineat ad plebem, neque ejus conſenſus hic requiratur: verùm id totum ad ſolos ſpectet Epiſcopos, atque potiſſimùm ad Papam Romanum, à quo ut capite, omnis Eccleſiaſticus ordo, & juriſdictio in cæteros Epiſcopos, & paſtores derivetur? *Neg.*

lxv I. Num jure & rectè perſonis Eccleſiaſticis imperetur perpetuus cælibatus? *Neg.*

lxv I I. Num Eccleſiaſtici, eorumque actiones & cauſæ civiles, atque bona temporalia, exemta ſint à poteſtate, ac judicio, & tributis Principum, vel Magiſtratus ſæcularis? *Neg.*

lxv I I I. Num in Conciliis ſoli Epiſcopi, non autem presbyteri, habeant ſuffragium deciſivum? *Neg.*

lx I X. Num Romani Pontificis ſit, generale concilium convocare, ac præſidere, & auctoritatem ſuam iis dare, eamque infallibilem? *Neg.*

lxx. Num Concilium Tridentinum ab A. M. D. xlv. & ſeq. ſub Paulo I I I. Iulio I I I. ac Pio I V. habitum, fuerit legitimum, œcumenicum, ſacroſanctum, & infallibile? *Neg.*

lxx I. Num præter, & ſupra præcepta Dei ſint aliqua conſilia perfectionis, hominibus commendanda, ut cælibatus perpetui, ſpontaneæ paupertatis, & obedientiæ erga Prælatum, quæ ſingularem apud Deum mereantur gloriam? *Neg.*

lxxII. Num vota Monaſtica, & ſtatus, & habitus Monachorum ſingularis, & varius, peculiaris ſanctitatis cauſâ probari debeant? *Neg.*

lxxIII. Num ad ſacramenti adminiſtrandi efficaciam, & perfectionem, neceſſariò requiratur intentio Miniſtri, adeo ut ſine eâ ſit inefficax? *Neg.*

lxxIV. Num ſacramenta conferant gratiam ex opere operato; ſive ex ipſius actionis externæ & Sacramentalis vi, ut causâ propriâ, verâ, & immediatè illam efficiente? *Neg.*

lxxV. An ſint duo Sacramenta, S. Baptiſmus, & S. Cœna? *Aff.*

Num verò ſeptem, & præter illa duo quoque, confirmatio, pœnitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium? *Neg.*

lxxVI. Num baptiſmus, ad ſalutem ſit medium abſolutè neceſſarium, adeo ut qui eo, neque ſuâ culpâ, caret, ideo in æternum condemnetur? *Neg.*

lxxVII, Num liceat aliquando quibuſvis etiam baptizare, ſive viris, ſive fœminis? *Neg.*

lxxVIII. Num baptiſmus adminiſtrari debeat ſub cæremoniis ſignandarum crucum in fronte, & in pectore, exorciſmo, exſufflatione, guſtu ſalis, tangendis ſalivâ naribus, atque auribus, ungendo pectore, & ſcapulis oleo, & chriſmate in vertice, & accenſo cereo in manus baptizati tradito &c.? *Neg.*

lxxIX. Num cognatio aliqua ſpiritualis oriatur ex baptiſmo, inter Suſceptores de baptiſmo, & baptizatum, ipſiuſque Parentes, nec non inter baptizantem, & baptizatum, hujuſque Parentes, quæ inter eoſdem impediat matrimonium? *Neg.*

lxxx. Concupiſcentia mali, etiam baptizatis & juſtificatis, mala, & peccatum eſt.

lxxxI. Num baptiſmus, confirmatio, ordo, imprimant in animá characterem indelebilem, ſive realem & abſolutam aliquam qualitatem, quà quis aptior red

datur

datur ad cultum divinum; configuretur Chriſto, atque diſtinguatur ab aliis? *Neg.*

lxxxii. Num verum Ieſu Chriſti corpus & ſánguis corporaliter ac ſubſtantialiter præſens adſit in Sacramento Cœnæ, per totalem ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſionem, ſive tranſſubſtantationem? *Neg.*

lxxxiii. Num Sacramentum Cœnæ celebrandum ſit in pane azymo, & hoſtiolis orbiculatis? *Neg.*

lxxxiv. Num in Sacramento Cœnæ fiat Miſſa, id eſt, ſacrificium verum & expiatorium pro peccatis vivorum ac mortuorum, atque impetratorium omnis generis beneficiorum, Deoque à Sacerdote in altari offeratur corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis & vini, jam publicè, miſſâ publicâ, jam privatâ, ubi ſolus communicat Sacerdos? *Neg.*

lxxxv. Num in ſacramento Cœnæ neceſſarium ſit vinum aquâ miſceri? *Neg.*

lxxxvi. An in ſacramento Cœnæ ſingulis fidelibus & communicantibus, non panis ſolum, ſed vinum, utraque ſacramenti pars tradenda? *Aff.*

lxxxvii. Num Sacramentum Cœnæ ad adorationem ſervari, extra uſum, & oſtentari debeat? *Neg.*

lxxxviii. Num in inferno ſit locus aliquis, ſeu *limbus Patrum*, quo fideles V. Teſtamenti fuerint detenti, uſque ad adventum Chriſti; & *limbus infantum*, abſque baptiſmo hinc decedentium; & *Purgatorium*, animis non ſatis in hâc vitâ purgatis, à peccatis plenariè per pœnarum ſatisfactionem expurgandis? *Neg.*

lxxxix. Num pro defunctorum animabus inſtituenda ſint, iiſque proſint ſuffragia vivorum, opera quælibet pœnalia & ſatisfactoria quæ appellant, orationes, eleëmoſynæ, jejunia, peregrinationes, miſſæ, &c.? *Neg.*

xc. Num Papa Romanus poſſit aliquos canonizare,

que ii ipſi ſic in ſuâ Confeſſione, editâ Hornæ a. cIↃ IↃ c xx I I. una cum ſuo Martyrologio; deinde etiam ſeorſim a. cIↃ IↃ c xx. **diemen Mennisten noemt.** Iſtamque Confeſſionem ex doctrinâ Mennonis, & Theod. Philippi congeſtam ſcribunt in Præfatione. Socinus diſputationem contra ipſos inſcribit, inter Miſcellanea, adverſus *Mennonitas*. Etiam in Lectionibus Sacris, pag. 152. inquit: *præter eos Anabaptiſtas, qui Mennonitæ vocantur.*

Originem ſuam debent ſuperiori ſæculo: neque ante id temporis aſſignabitur in univerſâ retro antiquitate, non qui in aliquo forte articulo eandem cum Anabaptiſtis tenuerit ſententiam, ſed vel una aliqua Eccleſia, vel Doctor, qui doctrinæ ſyſtema iſtud tenuerit, quod ipſi ſibi nunc fecere, & ſequuntur. Sæculo præcedente in *Thomâ Muncero*, ejuſque cohorte prima ſectæ fundamenta poſita fuere: nam & illos pro Fratribus ſuis agnoſcit Menno, atque inde in reliquam Germaniam, Belgiumque facta illorum propago. Ad meliorem confuſiſſimæ ſectæ hiſtoriam oportet tenerę ejus diſtinctas periodos. Quarum prima eſt *Munceri*, & Muncerianorum, in bello Ruſticano. Inde in *Helvetiis*: tum *Belgio*: inde in agro Monaſterienſi; ubi bellum eorum *Monaſterienſe*. Denique in *Friſiâ* quas fecerint tum ſectas, tum Sciſmata, ſpectandum.

Anno pręcedentis ſęculi vigeſimo primo, quando fœditatis & tyrannidis Papalis jam diu tæderet homines, primi *Nicolaus Storck*, Ciconia, *Thomas Muncerus*, aliique, inter quos recenſentur quoque *Marcus Stubnerus*, & *Martinus Cellarius*, infauſtam ſectæ anabaptiſticæ dederunt originem. *Storck* Cygneæ natus, ibi cum Muncero cœpit res novas moliri: homo indoctus & rudis, jactans colloquia & revelationes Angelicas, quibus multos adeo dementabat, ut in anabaptiſmum, quem prædicabat etiam, facile adigeret, quaſi non aliter ſalvandos.

Mun-

Muncerus Stolbergenſis erat, & Cygneâ tandem exactus, Alſteti, quod Ducum Saxoniæ, in Thuringiæ finibus oppidum eſt, concionatorem aliquandiu egit. Cum Luthero aliquoties loquutus, ejus librum *de libertate Chriſtianâ* peſſime interpretabatur, in animi licentiam & rerum confuſionem, rectiusque monentem Lutherum audire detrectabat, vel ſequi. Docebat novum & meliorem mundi inſtare ſtatum, quo exciſis impiis, ſoli pii regnarent: ejus ſe nunc præconem, mox vindicem futurum. Impios nominabat omnes à ſe, & ſectâ ſuâ alienos. Non ſermone tantum, ſed etiam ſcriptis multifariis tam in Papiſtas, quam in Reformatos, ſua gnaviter diſſeminabat. In Lutherum emiſit librum, inſcriptum Chriſto, Principi, uti loquebatur, illuſtriſſimo. Hic exprobrat Luthero, quod enthuſiaſtico ſpiritu careret, & nil niſi carnalia ſaperet. Quoque ad Melanthonem epiſtolam ſcripſit, cujus hæc inter alia, verba exhibet in Chronologia ſua Abrahamus Bucholcerus, ad a. cIↄ Iↄ XXIV. *Non in ſolo pane vivit homo: ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Videte, de ore Dei, & non ex libris proficiſcitur. Teſtimonium quidem verbi veri ex voluminibus eſt. Niſi enim in corde oriatur, verbum hominis eſt, damnans ſcribas verſipelles, qui furantur oracula ſancta, Ieremia 23. Nunquam eis Dominus locutus eſt, & ipſi uſurpant verba ejus. O cariſſimi, operam navate ut prophetetis, alioqui theologia veſtra non valebit obolum. Conſiderate Deum veſtrum è vicino & non à longo.* Miſſiſque quaquaverſum per omnem Germaniam epiſtolis, quas novarum rerum avidi, ſuique ſimiles homines percupide legebant, hos avertit facile, turbavit omnes. Nec contra Eccleſiaſticos tantum ſe opponere, ſed in Magiſtratum æque & politicos inſurgere, enthuſiaſmos prædicare inſtitit, & à Deo ſibi iſta cœlitus revelari, credi omnino voluit. Alſteto ejectus (nam videbat prudens Magiſtratus in quas iſta turbas vergerent) in ſuperiorem Germaniam, No-

rimbergam, atque in Helvetiam conceſſit: ubi moratus aliquandiu, non deſtitit omni opera & modo ſua dogmata & tumultuum ſemina ſpargere, præſertim in comitatu Stulingio, & vicinis locis. Vnde reverſus in Thuringiam, Mulhuſium quod Thuringiæ oppidum eſt percelebre, ſedi ſuæ elegit: indeq; datis crebris ad varios litteris ita plurimorum animos in mutationem rerum & Eccleſiaſticarum & politicarum promiſcuè accendit, ut non diu poſt in bellum quod ſequutum, habuerit pronos paratoſque. Priuſquam tamen Mulhuſium veniſſet, Lutherus per literas Senatum monuit, hominem ut à ſe arcerent, perniciofum, qui quid moliretur, Cygneæ jam, & Alſteti docuiſſet, & à quo nil niſi turbæ & rerum omnium vaſtitas eſſet exſpectanda. Scriptæ hæ litteræ Vinariâ fuere, anno CIↃ IↃ XXIV. Muncerus autem blanditiis & verborum pompâ, ac ἀποφθέγμ prophetiarum ſe ita in animis inſinuare noverat, eoſque capere, & ſe verum Prophetam eſſe à Deo miſſum dicere, qui contra aliorum tyrannidem & luxum, plebis partes tueretur, mox in libertatem vindicandę, ut Mulhuſii efficeret, quò ſenatu priſtino abrogato novus ex voto ejus & Muncerianis conſtitueretur. Hoc primum dedit animi, ſpiritnſque ſui documentum: Iamque tempus putabat, ut miſſo concionandi officio, galeam & gladium aſſumeret, quem Gideonis nempe dicebat ſibi à Deo traditum, ad tyrannos quoſcunque peſſundandos, & propugnandam plebis libertatem, erigendumque novum Chriſto in terris regnum. Interim, erat hoc anno CIↃ IↃ XXV. per Sueviam & Franconiam Ruſtici, conſcripto multo exercitu ad quadraginta, uti referunt, militum millia, in Principes, in Eccleſiaſticos, & quoſcunque ſuperiores inſurgunt, jamque arces, caſtella, domos, & quæcunque obvia diripiunt, & proſternunt, quibus mox, doctrinâ, ſcriptis & prædictionibus ſuis ante incitatis, acceſſit Muncerus, cum trecentis militibus, qui caſtra pone-

bant

bant Francuſii. Adverſus quos Saxoniæ Elector Johannes, ejuſque patruëlis Haſſiæ Langravius Philippus, cum Henrico Brunſvicenſium Duce, alium eduxerunt exercitum: & Muncerus quidem ſuos haud parum conſternatos, conſpecto Principum milite, & arcu cœleſti, qui tum forte apparebat, ſed quem in omen victoriæ interpretabatur, adverſum Principes jubet ſecuros eſſe, ut tyrannos omnium immaniſſimos, atque internecioni, quomodo olim Cananæi Principes, deſtinatos; quorumque pilas tormentis exploſas vel ipſe ſolus veſte ſuâ eſſet excepturus. Collatis ſignis ubi ad manus ventum, miſeri homines qui à temerarij Vatis pollicitationibus potius, quam armis ſalutem exſpectabant, catervatim cæſi, & in fugam acti ciciderunt ad quinque circiter millia, uno prælio: à quo deinde Francuſium, quò alii fugerant, capitur, & Thomas Muncerus, quamvis alium ſe & ægrotum mentiretur, deprehenſus ex epiſtolâ quam in crumenâ, qui prædam quærebat miles, ab Alberto Mansfeldio ad Muncerum ſcriptam, eumque ab incepto dehortantem, reperiebat, ad Saxonem & Langravium abductus, primùm reſpondit, ſe omnia ex Dei inſtinctu & ſupernâ revelatione egiſſe; dein tormentis ſubjectus, & quum præ dolore exclamaret, increpitus à Langravio, quòd tam multis ille cauſa extremæ cladis fuiſſet, magno cum riſu ſubjunxit: at hoc voluerunt. Tandem capitis pœnam dedit, agnitoque ante mortem errore & delicto, aliquâ viſus fuit tangi pœnitentiâ. Melanchton ſcribit in epiſt. ad Camerarium, quod quum de eo ſumeretur in caſtris ſupplicium, in coronâ ſtans precatus fuerit ut ſibi ignoſceretur, & flens dixerit, fateri ſe, quod majora juſto ſuſcepiſſet: quodque cum aliquoties multitudinem arma induentem voluiſſet revocare ab incepto, non potuerit; invituſque ſæpe perrexerit, vulgi voluntati obſecundatus. Acciderunt hæc anno CIↃ IↃ XXV. Cæſorum bello Ruſticano, quod æſtate unâ con-

confectum, numerus haud pariter ab omnibus refertur: qui minimum, ad quinquaginta millia occiſos referunt. Lutherus, tum ne quid commune cum illis hominibus habere videretur, tum ut quam malè abuterentur doctrinâ ſuâ de libertate Christianâ, oſtenderet, atque etiam ut homines quoquo modo ad meliorem mentem revocaret, publicis ſcriptis illorum & res & doctrinam condemnavit, multaque gravia iis comminatus fuit, ni deſiſterent: quorum ſummam in *Commentariis* ſuis accurate perſequitur Sleidanus. *lib.* IV. & V. Similiter Melanchton, ad petitionem Principis Palatini, ſcripſit *Reſponſionem ad articulos Rusticorum*. Atque ut omnino deteſtandum horum hominum fuerit ſtudium, tum rebellionis adverſus Superiores, & bellorum, cædiumque promiſcuarum; tum doctrinæ, de novo mundi ſtatu, & excidendis omnibus impiis, & anabaptiſmo, & quo omnia illa confirmabant, enthuſiaſmo, ac cœleſtibus revelationibus, quæque alia execranda; fatendum certe, intoleranda Superiorum & Politicorum, & Eccleſiaſticorum vitia & ſcandala, atque ſubditorum oppreſſiones cauſam dediſſe deſperatis illis conſiliis: quod neque Lutherus in ſuis hâc de re ſcriptis diſſimulavit. Illa Muncerus ſuis in acie quando ſtabant ſuggerebat, tamquam certaminis cauſam: Principes Tyrannos eſſe, qui nec ſubditis, neque viduis, pupilliſque, quod debetur, præſtarent præſidium, nec ſceleratos pro meritis plecterent, qui, omnium facultates in ſe convertentes, rationes ſolùm pro expilandâ pecuniâ excogitarent, qui vitia Eccleſiaſticorum non tollerent, ſed ferrent ac defenderent, neque reformationem pro eo ac debeant ſtudio promoverent. Et ante Muncerum in Sueviâ plebeii turbas iiſdem ferè ex cauſis moverant, quas edito libello expoſuerunt, ſimul quoque ſuorum poſtulata, quæ eò tendebant, non ut loco moverent Magiſtratum à Deo conſtitutum, ſed ut libertatem poſſiderent Chriſtianis debitam. Primum

pe-

petebant, ut ſibi liceret Eccleſiæ miniſtros eligere, qui verbum Dei purè docerent, nullis admixtis hominum decretis vel conſtitutionibus. Deinde nolebant poſthac ullas pendere decimas, præterquam frumenti, & has ipſas ajebant diſtribui debere partim in Eccleſiæ miniſtros, partim egenos, partim in uſus publicos. Non oportere ipſos duram adeo ſervitutem pati, ac hactenus: præter alia nonnulla. Illa non omninò abs re fuere quæ poſtulabant, abfuiſſet modo tumultus, & adverſus Magiſtratum à plebeiis, à ruſticis exercita pervicacia & rebellio; tum enthuſiaſmi, aliaque mali Spiritus argumenta. Atque illud fuit, quod viros non malos tum temporis commoverit aliquando in illorum hominum themata & prætextus. *Marcum Stubnerum* dico, convictorem Melanchtonis, qui vir erat litteratus; *Martinum Cellarium*; & ſi forte iis addendus *Andreas CaroloStadius*.

Maximè deplorandum, bonam animam Cellarii iſtis μανίαις etiam agitatam fuiſſe. Vir iſte, poſtquam VVittembergam ſtudiorum cauſa venisſet, ludimagiſterium, curante Melanthone, nactus, à Marco Stubnero, in partes factionis illius pertractus fuit; illorumque tenuit ſententiam, cum quâ, relictâ VVittembergâ, in Boruſſiam abiit, ubi juſſu Principis in liberam datus cuſtodiam, nonnulla etiam de doctrinâ illâ conſcripſit. Quod factum anno XXV. Poſtea autem animadvertens partes illas labaſcere indies, & ſpem de futuro altero mundi ſtatu fruſtrare, mutavit in melius ſententiam, & ſub annum trigeſimum ſextum venit Baſileam, mutato, cum doctrinâ, etiam nomine ſuo, Latino nempe Cellarii, in Græcum Borrhai: ductâ uxore, quiete hic & honeſte vixit, atque ſacrorum communionem cum Eccleſiâ habuit. Quia verò vir erat litteratus, qui Tubingæ ſtudiorum tyrocinia poſuerat, Heidelbergæ Magiſter Philoſophiæ creatus, VVittembergæ frequentem Scholam privatim habuerat, atque ſedulus

dulus ſemper, per iſtorum temporum de S. Cœnæ doctrinâ contentiones, victus cauſa feneſtrario opificio ſe aliquando addixit; demum Baſileæ inter Profeſſores adſcitus, inter Philoſophos primum, Rhetoricam explicuit; tum inter Theologos, Vet. Teſtamenti libros nonnullos eximio commentario illuſtravit, Pentateuchum Moſis, librum Iudicum, Regum, Jobi, etjam aliquot ex Prophetis; quæ præter alia ejus extant: atque tandem obiit Baſileæ, anno cIↄ Iↄ lxiv. Sed ad Muncerum regrediamur. Hic capite plexus fuit poſt captum à Principibus Francuſium.

Nicolaus Storck, non Torck, ut aliqui malè, ex prœlio profugus, in Bavariam pervenit, ubi in Noſocomio deſperabundus obiit. Muncerus ergo fundamenta jecit ſectæ fanaticæ Enthuſiaſtarum atque Anabaptiſtarum, quamvis fatear inter Muncerum, & ſequentes Anabaptiſtas Monaſterienſes multum diſcriminis eſſe, unde non ut vulgò ſolet tamquam paria utraque commiſcuero. Anabaptiſtæ *Helvetii* à Muncero originem trahunt, quem conſtat, Thuringiá exactum ad Helvetios abiiſſe, atque ibidem ſparſo ſuæ doctrinæ veneno corrupiſſe *Balthaſarem Hubmejerum* Pacimontanum, VValshutenſium concionatorem celebrem ac diſertum; & *Felicem Manſium, Cunradum Grebelium*, Tigurinos, alioſque, primos apud Helvetios Anabaptiſtarum parentes, à Muncero quidem ortos, ſed Muncerianis aliquantum modeſtiores. Interim & VValshuti, & Tiguri, & Baſileæ moverunt turbas: præcipuè ſuper negotio baptiſmi, tum contra baptiſmum infantum, tum pro anabaptiſmo.

Balthaſar Hubmejerus, Fridburgo oriundus, primus VValshutenſium à Reformatione concionator, anno cIↄ Iↄ xxv. tum voce, tum ſcripto multos turbavit: quo factum, ut oppidum facile in partes Auſtriacas iterum pervenerit, & reductus cum Epiſcopo Papiſmus in urbem ſit, ei poſtliminio ſerviturum. Hoc ſuis turbis, &

anabaptiſmo, & baptiſmi cum baptiſterio proculcatione ille effecit, qui oppido elapſus Tigurum conceſſit, hic de novo omnia commoturus: verùm Senatus ſuſpicatus hominis ingenium turbulentum, quum & clam in urbem irrepſiſſet, in Prætorio liberâ eum cuſtodiâ ſervari præcepit, neque vel Imperatori, ad pœnam poſcenti, tradere voluit. Aliquoties cum Miniſtris, præcipuè cum Zuinglio (cujus adverſus illum habetur *Reſponſio*, Tom. II. Oper. Zuinglii, & Epiſt. lib. II.) habitâ diſputatione, poſtquam Senatui haud ſemel revocatione erroris inſtitutâ, & de ſcripto recitatâ turpiter impoſuiſſet, abiit: *in eo autem homine*, ſcribit Zuinglius, ad Petrum Gynoræum, Tom. II. *nihil quam immoderatam rei gloriæque ſitim deprehendiſſe viſus ſum ipſe mihi*. Hinc in Moraviam diſceſſit, & Anabaptiſtis ſe aſſociavit, ubi, novos excitans motus, tandem captus, & cum uxore Viennam abductus, igne exuſtus, & uxor aquis ſubmerſa fuit.

Tiguri interim *Felix Manzius*, (de quo, & Balthaſare Hubmejero Martyrologium Anabapt. agit ad a. 1526. & in Appendice, tanquam de Sectæ ſuæ primis fundatoribus) & *Conradus Grebelius*, valde pro Anabaptiſticâ ſuâ tumultuabantur, & Zuinglium præſertim adoriebantur: quare Magiſtratus varias inſtituit diſputationes, inter illos, ſuper articulo baptiſmi, habendas die XVII. Ianuarii, d. XX. Martii, iterum VI. Novembris anno cIↃ IↃ XXV. quando per triduum diſputatum, ſed omnia fruſtra: Anabaptiſtæ interim furibunde per urbem clamitabant: væ Tiguro, væ Tiguro, pœnitentiam age, quin brevi interibis. Iam edicta in Turbones iſtos ſanciit Magiſtratus, & graviſſima comminatus fuit. Ad illos, Felicem Manzium, & Grebelium a. cIↃ IↃ XXII. originem ſuæ ſectæ referunt Anabaptiſtę Helvetii, qui de eâ epiſtolam dederunt ad Anabaptiſtas Belgas in libello aliquo, unde eam deſcripſit Auctor libri, *Succeſſionis Anabaptiſticæ*, ſeu *Babel A-*

anabapt.cap. 11.qui ſcriptus linguâ Belgicâ à V.P.& Coloniæ impreſſus a. cIↄ Iↄ c III. Mentionem illius libri facit etiam Aubertus Miræus, *De ſtatu Religionis Chriſtianæ lib.* I. *cap.* XXX. *de Belgicarum Provinciarum ſtatu*; eumque haudimmerito dignum dicit, qui in Latinum transferatur. Eandem quoque epiſtolam exhibet Hermannus Moded, lib. *de initiis Anabap. pag.* 146.

Additur duobus illis Manzio, & Grebelio, tertius *Georgius Iacobi*, dictus toga cærulea, Blauwrock, quem primum Grebelius rebaptizavit, uti poſtmodum reliquos. Georgius Blauwrock, ob repudiatum à ſe, cum Papatu, ſacerdotalem ordinem, alioſque baptiſmi articulos, publicè concrematus fuit, anno cIↄ Iↄ XXIX. de quo in Martyrol. Anabapt. *Manzius* Tiguri anno cIↄ Iↄ XXVII. d. V. Ianuar. juſſu Magiſtratus, cujus ſpretâ authoritate & mandato, nihilo ſecius in ditione Tigurina, rebaptizandis hominibus pergebat, aquis ſubmerſus interiit. Grebelius diſcipulos plures fecit, quorum unus *Laurentius* San-Gallum venit, atque auditorium Iohannis Keſleri ingreſſus, prælegentem ad cap. VI. epiſt. ad Romanos publice interpellavit, & contra baptiſmum infantium diſputationem exorſus, ſolidis Keſleri reſponſionibus retuſus abiit. Alterum Sangallenſium Profeſſorem *VVolffgangum Vlmiam* privatim aggreſſus avertit, atque in partes ſuas pertraxit: qui anno cIↄ Iↄ XXV. Scaphuſi ipſum Grebelium offendens, ab eo totus nudus in præterfluente Rheno baptizatus, mox revelationes divinas jactavit, ſed quas palam ediſſerere, quamvis rogatus & obſecratus aliquoties, renuit. Tandem hic, cum aliis quinque, VValſeæ anno cIↄ Iↄ XXVII. à Pontificiis ultimo ſupplicio affectus fuit, inſertusque martyrologio Anabaptiſtico. Sangallum confluebant paſſim greges Anabaptiſtarum, Grebelius ipſe, & quaruncunque inſaniarum ac enthuſiaſmorum magiſtri, inter quos *Iohannes Denckius*, Bavarus, Norimbergenſis dictus, qui docebat, nemi-

neminem, ne Diabolorum quidem, in æternum perdendum: vir cæteroquin non indoctus, qui VVormatiæ, cum *Ludovico Hetzer*, concionatorem Euangelicum in iſtâ urbe alium *Iacobum Cantium*, dum in vertendis ex Hebraico Prophetis majoribus una occupantur, ſuis opinionibus infecit, atque ut pro iis publicam ſuſtineret diſputationem, adegit. Hetzerus etiam contra Chriſti Deitatem librum ſcripſit, à Zuinglio ſuppreſſum, ac tandem Conſtantiæ annô cIↃ IↃ xxix. d. iv. Februarii ultimo ſupplicio, non abſque ſignificatâ prioris vitæ pœnitentiâ, periit, tum propter anabaptiſmum, tum crebra adulteria. Ab hoc Anabaptiſtarum anteſignano, articulus de Chriſti Deitate primum impugnari cœpit. Verum Denckii, cujus (opinor) libellos habeo lingua Germanicâ, de Deo, an peccati autor ſit; de ſublatâ lege &c. non abſque acumine ſcriptos, ſed ad enthuſiaſmos inclinantes, Deus miſertus, operâ Oecolampadii, qui eum in viam reduxit, & ad quem extat Denckii epiſtola, inter epiſt. Zuinglii & Oecolamp. l. iv. Baſileæ tandem a. cIↃ IↃ xxviii. piè mortuus fuit.

Antonius Kurſner docebat, quod omnes peccata ſua palam confiteri deberent, quæcunque unquam commiſiſſent; abuſus loco Iacobi Apoſtoli, epiſt. cap. v. 16. *Confitemini alii aliis offenſas.* Alii ſe, propter dictum Chriſti: *niſi fiatis ut parvuli &c.* puerorum inſtar in vitâ ac moribus gerebant, ſeque denudabant, & permulta alia indecora committebant. Etiam ex diſputationibus eorum apparuit, quas crebras alii voce, alii ſcripto iiſcum habuerunt, inter quos præcipuus Ioachimus Vadianus, Reip. Sangallenſis medicus, & qui Sangallenſibus opitulatum ibat Zuinglius, lib. *de baptiſmo*, quod jam non de baptiſmo ſolum, ſed & de juſtitiâ operum doctrinam ſoverent hæreticam. Quæ ut ſciamus, & quomodo ſecta Anabaptiſtica paulatim ulterius progreſſa ſit, ad alios porro articulos & errores, quod in omni hæreſi vel ſectâ ante omnia obſer-

vandum, operæ pretium eſt exponere themata, quæ anno cIↄ Iↄ xxvii. VVormatiæ Iacobus Cautius, de quo dixi, & adverſus quem ſe valide opponebant Collegæ ejus in miniſterio Vlricus Preu, & Iohannes Baro, cumque iis Argentinenſes Theologi, publicè diſputanda propoſuit. i. *Verbum quod eloquimur, audimus, ſcribimus, non eſt vivum & æternum Dei verbum, ſed tantùm teſtimonium & ſignum interni, ut externo etjam ſatisfiat*, ii. *Nullum externum verbum vel ſignum vel ſacramentum, nulla etiam externa promiſſio ejus eſt efficaciæ, ut internum hominem conſolari & confirmare poſſit.* iii. *Pædobaptiſmus non eſt à Deo, ſed directè contra Deum & Dei doctrinam per Ieſum Chriſtum filium ejus nobis propoſitam.* iv. *In Cæna Domini non eſt eſſentiale corpus & ſanguis Chriſti. Necdum rectè illa VVormatiæ celebrata eſt.* v. *Quicquid in veteri Adamo cecidit & mortuum eſt, id in ſecundo Adamo Ieſu Chriſto longè abundantius reſurget & reviviſcet, idque ordine juſto.* vi. *Ieſus Chriſtus Nazarenus nulla alia ratione pro nobis paſſus eſt aut ſatisfecit, niſi inſiſtamus veſtigiis ejus, & quam ille trivit, eamus viam, & mandato Patris obediamus, perinde ut filius, quisque ſuâ menſurâ. Qui aliter de Chriſto loquitur, ſentit aut credit, is ex Chriſto idolum facit: id quod omnes Doctores Theologi & Pſeudo-euangelici cum toto mundo faciunt.* vii. *Vt externus eſus de pomo vetito neque Adamo neque poſteris ejus nocuiſſet, niſi acceſſiſſet interna edendi cupiditas: ita ſine interna obedientia & ſumma cupiditate æternæ voluntati obtemperandi corporalis Ieſu Chriſti paſſio non eſt vera ſatisfactio & reconciliatio cum Patre.* Vide de illis Abrahamum Sculteṫum, *Annalium Euangelii*, ſeu Hiſtoriæ Reformationis, *Decade primâ, ad* a. cIↄ Iↄ xxv. *&* *Decade* ii. *ad* a. cIↄ Iↄ xxvii. Baſileę quoque, & in Sueviâ paſſim, Ulmę, Auguſtę, & in Bavariâ multo numero Anabaptiſtę graſſabantur. Illic quidem Oecolampadius reſiſtere, & diſputationes habere iiſcum publicas, annis cIↄIↄxxvii. & cIↄIↄ xxix.

E Ba-

E Bavariâ *Iacobus Hutterus*, & cum eo *Gabriel Scherdingus* in Moraviam abierunt, primique fuere in iſtis partibus Anabaptiſticæ ſectæ Auctores. In *Belgio* (*domi propemodum nati*, inquit Famianus Strada, *Lib.* I I.) quam primum nidulatum hoc hominum genus fuit: ſed qui huc Anabaptiſtica deliria attulit ex Germaniâ ſuperiore primus fuit *Melchior Hofman*. Hic anno cIↃ IↃ XXV I I I. Argentorato Emdam venit, atque ſtrenuè rebaptizavit: quod ubi aliquo tempore feciſſet, alterius ſocii cujuſdam & ſenis prophetiâ ferente, Argentoratum ut repeteret, ibi per dimidium anni incarcerandus, ſed poſtea multo cum Prophetarum numero, gloria, & ſucceſſu per omnem mundum, uti alter Elias, additis ei (juxta vaticinium Apocal. XIV. I.) centum quadraginta quatuor millium miniſtrorum copiis, prædicaturus Euangelium. Quò cum veniſſet, & diſputationem cum Theologis petiiſſet, inſtitutâ eâ ad d. XI. Junii anno cIↃ IↃ XXX I I. confutatus & ſuperatus diſceſſit: pergens autem nihilominus in enthuſiaſmis & opinionibus proſeminandis, turbiſque, in carcerem conjicitur: hic mire confiſus priori illa Prophetiâ, quam alii quoque ejuſdem farinæ Prophetę identidem confirmabant, excuſſis petulanter calceis, projecto pileo, obteſtatus Deum, ſe non niſi aqua & pane veſciturum, quouſque digito eum, qui ipſum miſiſſet, monſtraret: tandem miſer homo in carcere obiit. Hic finis primi Anabaptiſmi in regionibus noſtris inſtitoris, & prophetiarum de eo, fuit.

Reliquerat Emdæ Hofmannus, & in locum ſuum ſurrogarat *Iohannem Trypmaacker*, nempę ne vacaret ſedes: cui dum cum ſociis non benè conveniebat, diſceſſit in Hollandiam, & Amſteldami, Harlemi, Leidæ coëgit ſectæ ſuæ diſcipulos illos, qui inde tantas, tamque execrandas & omnibus notas dederunt turbas. Ipſe quum magnorum Amſteldami, inter plebem, tumultuum auctor exiſteret, à Magiſtratu

apprehenſus, & Hagam miſſus, flagitiorum pœnas dedit.

Interim Harlemi *Iohannes Matthæus*, piſtor, pertæſus uxoris vetulæ, aliam juniorem & magis gratam, filiam Cereviſiarii ad ſe pellicit, cum quâ Amſteldamum profectus, ſe Prophetam, & alterum Enochum, à Deo, redimendo ejus populo miſſum, jactat, ſtrenueque rebaptizat: quantumvis Melchior Hofmannus Argentorato ſcripſiſſet, ut per biennium baptizationes omitterent, ad exemplum Ezræ Haggæique, qui biennio ab ædificando templo fuerant impediti. Elegit quoque duodecim Apoſtolos, quorum binos, ad exemplum Chriſti, quaquaverſum, *Iohannem Bocoldum*, Leidenſem ſartorem, poſtea Regem Monaſterienſem, cum *Gerardo* Bibliopego, Monaſterium: *Theodorum Cuyper*, cum *Bartoldo* Bibliopego, in Friſiam: reliquos, *Iacobum Campenſem*, *Petrum* Vagino-fabrum, *Davidem Hornenſem*, *Leonardum* Bibliopegum, *Cornelium Brielanum*, *Nicolaum Alcmarianum*, *Meinardum Delfenſem*, & *Petrum* ligni-ſectorem, aliovorſum miſit, omnes divulgatum prophetias, inſomnia, anabaptiſmum & reliquam doctrinam ſuam, in quâ tradendâ minimè tamen erant concordes. Diſputare ſiquis iiſcum aut conferre inſtitueret, reſponſi nil aliud referebat à fanaticis, quam ita ſpiritum dictare, qui non quibuſvis contingeret, nec ubique ſpiraret. Interim librum edunt, *Reſtitutionis* titulo inſcriptum, in quo hæc congerunt: *Chriſti regnum ante ultimum diem rerum humanarum civile in terra futurum: ubi ſoli ſancti & juſti, regibus ferro & vi ſublatis, dominarentur. Id autem regnum eſſe jam cœptum Anabaptiſtarum. Magiſtratum omnem eſſe delendum: ei omnibus opibus obſiſtendum. Licet Chriſti apoſtolis nullum gladii jus, nullaque regni civilis adminiſtratio, nulla item imperii ſtabiliendi poteſtas permiſſa ſit, poſteris tamen eorum ſectatoribus, & iis qui poſt illos docendi munus in eccleſia ſuſcepturi eſſent, civile imperium, & jus gla-*

gladii traditam, poteſtatem facbere, impium Magiſtratum ferro abſumendi pro libidine. In Anabaptiſtarum eccleſia nullum impium inveniri: omnes ſanctos eſſe. Neminem ſervatum iri, qui univerſas ſuas facultates in medium non conferret. Lege natura, cum qua lex divina non pugnet, ſuo juſque eſſe, multas habere uxores. Chriſtum corpus ex Divæ Virginis carne non induiſſe. Atque iſtius commatis plura, quæ quantopere & doctrinam Eccleſiæ, & pacem Reip. læderent, quivis facile perſpiciebat. Amſteldami anno cIↃ IↃ XXXIV. magna audacia atque impudentia res ſuas agebant, & nequidquam auditis Imperatoris Caroli V. edictis, & nonnullis alibi capite damnatis, promulgatâque delinquentibus veniâ, perrexerunt: conductis navibus illorum multi abire ſe reſponderunt, terram, quam iis Deus oſtenſurus eſſet, petituri. Die XXII. Martii quinque viri nudi in publicum ſtrictis gladiis proſiluere, urbem totam pervolantes, & incondito clamore implentes omnia: *in nomine Domini. Dei benedictio in veteri urbis parte; maledictio in novâ.* Hic primus illorum in urbe iſtâ tumultus, qui captis, ut fieri potuit, anteſignanis, iiſque XXVI. Martii Harlemi, una cum aliis duobus, capitis ſupplicio affectis, ſedavit. Iterum alium excitarunt ſequenti anno, menſe Februario, quando viri ſeptem, cum quatuor mulieribus, quibus etiam quinta acceſſit, nudi per urbem mane horâ tertiâ diſcurrunt, & horrendùm clamant: *væ væ væ, vindicta vindicta, pater omnipotens;* ita ut contremiſcere videretur urbs, atque interire. Sed capti illi quoque, & capite multati fuere. Tertium tumultum dederunt ibidem, ejuſdem anni menſe Majo, quando curiam impetu facto occupabant, & non niſi cæſis hinc inde multis, capi, tum puniri, pro ſcelerum merito, potuere. Prætèrquam Amſteldami, quamvis hic quidem maxime: *nam eam civitatem negotiatorum frequentia, & peregrinarum gentium nationes mutuo commercio totam brevi tempore corrupere.*

Diverſa enim voluntates, diverſa judicia, & externa religiones in urbibus, rebuſpub. ſunt perniciosa, inquit Lambertus Hortenſius, lib. *Tumultuum Anabaptiſtarum*; per totam Hollandiam, Harlemi, Leidæ, Hagæ-Comitum multum turbarum ab illis hominibus datum fuit.

Monaſterium miſſi fuerant Prophetæ Iohannis Matthæi Harlemenſis Apoſtoli *Iohannes Becoldus*, & *Gerardus* Bibliopegus. Qui ubi advenerunt anno cIↃ IↃ XXXIII. ad VIII. Kal. Decemb. nocturnos primùm cœtus agere, multâ ſpecie modeſtiæ ſe in animos hominum inſinuare, hypocritas agere exquiſitiſſimè, omnium bona communia habere, & nullum divitem admittere, redigere in æqualem ſortem omnes. Quo brevi tempore adeo excreverunt, ut anno cIↃ IↃ XXXIV. in publicam diſputationem cum Lutheranis progredi auſi fuerint, quin aliquos in partes ſuas pertraxerint etiam; inter quos qui illis primum acriter, verè, an ſimulate? reſtiterat, *Bernardus Rotmannus*, primus in illâ urbe à Reformatione concionator (in quo idem, quod in Thomâ Muncero, Dei judicium) *Cnipperdollingus*, alibi nomen hoc legi *Cnoperus* Dolling, *Hermannus Staepeda* Rotmanni Collega, *Henr. Rollii*, de quo Trajectenſes ſupplicium ob anabaptiſmum paulo ante ſumſerant, diſcipulus, in pædobaptiſmum ſemper iniquior, atque alii. Hinc ad turbas & tumultus palam itum, & primùm per urbem conferto agmine clamitarunt, ut pœnitentiam omnes agerent, & rebaptizarentur, alioquin Dei irâ confeſtim excidendi: tum & trucidandos omnes dictis ſuis minus morigeros, ut ethnicos improboſque, dicebant, & per vim occupatâ curiâ, triduum in armis egerunt, & caſtra civibus magiſtratuique oppoſita tenuerunt, quouſque compoſitæ utrimque res, eâ lege, ut utraque pars ab armis diſcederet, & quiete viveret, nullis ſe mutuo convitiis aut injuriis laceſſerent, doctrina cuique ſua eſſet

eſſet integra, & Magiſtratui ſarta tectaque reverentia ac poteſtas. Interim Anabaptiſtæ veriti, ne forte de nocte aut improviſo obruerentur, ad ſocios ubique litteras dederunt; præcipuè vicinas urbes, Oſnabrugam, Veſaliam, Coeſveldum, & VVarendorpiam, ut confluerent omnes Monaſterium, ceu ad novum à Deo deſtinatum Ieruſalem, & rebus ſuis concordi animo conſulerent. Iohannes Matthæus jam tempus ſuum advenisse ratus, cò quoque properat, & naves certatim conſcendunt homines undique multi, quarum nonnullas juſſu & conſilio Curiæ Hollandicæ attinuit Magiſtratus Amſteldamenſis, aliæ duodecim Tranſiſulaniam petentes, fraudem ſuorum edoctæ, mari ſe dederunt, & Ditmariam appulere, ubi conſidentes, nomen Hollandorum ab eo tempore, id eſt anno cIↄ Iↄ xxx iv. d xx i. Maji, ſervarunt. Monaſterienſes interim videntes quâ hominum turbâ urbs oppleretur, quæque agitarentur, urbe cedebant plurimi. Quod videntes Anabaptiſtæ, ſe ſuperiores rati, Magiſtratum mutarunt, & crearunt conſules Cnipperdollingum, & Cippenbrochum, quibus addiderunt viginti & duos Senatores. Iam ad apertum bellum ſpectabant omnia. Epiſcopus Monaſterienſis, à Colonienſi Archiepiſcopo ſubſidium, adverſus ſeditioſos petebat, ad liberandam ab eorum tyrannide urbem. Scripto exercitu, eoque urbe occluſâ, Iohannes Matthæus Propheta, totius tragœdiæ auctor & inſtigator, furioſo quam duci ſimilior, poſtquam aliquos in Epiſcopi exercitum impetus feciſſet, ut videbatur, haud infelices, tandem cæſus, atque corbe à ſuis in urbem perlatus, fruſtra exſpectata ejus poſt quartum diem recuſcitatione in vitam, humatus fuit. Succeſſit in locum ejus Iohannes Bocoldus, Leidenſis ſartor, idque ex prophetiâ maxime & revelatione Cnipperdollingi Conſulis, quem ut alio beneficio remuneraret Propheta ille, fecit eum ſuum ac Reip. Lictorem, tradito ad hanc rem ſolemniter

ter gladio. Hinc propheta, poſtquam ex diuturno ſomnio triduanum præmiſiſſet jejunium, edixit, uni viro licere plures habere ſimul uxores: unde ipſe mox tres ſumſit, interque eas viduam quoque prædeceſſoris ſui Iohannis Matthæi. Tantæ verò luxuriæ atque improbitati reclamantes alios, ad quinquaginta, iſtam ſolam ob cauſam, trucidavit. Hinc, ex alterius cujuſdam Prophetæ cœleſti iterum revelation e, Rex renunciatur, *Rex juſtitiæ hujus mundi*: unde ſe deinceps regio more per omnia habuit, conſtituto oratore Regio Bernhardo Rotmanno: quatuor conſiliarios elegit, Gerardum Bibliopegum, Bernhardum Crechtingum, Henricum Reckerum, & Gerardum Reningum: aulæ regiæ præfecit conſulem Tillebeccum: vaſis aureis, argenteiſque Gerardum Cippenbrochium: urbis præfecto conſtituto Cnipperdollingo. Inde ex aliâ revelatione dixit, à ſe mitti debere in univerſum mundum viginti octo miniſtros, ad prædicandum Euangelium. Interim dum Epiſcopum tædium caperet diuturnæ obſidionis, fame obſeſſos enecare, vel ad deditionem adigere inſtituit. Vnde in urbe firmiter undiquaque occluſâ omnium rerum inedia, & primum carnis, tum frumenti, herbarum, olerum inopia eos torquebat, & conſumtis eduliis, in cibum cedere canes, feles, & mures, imo arborum frondes, coria calcei: quamvis in deliciis & opulentiâ agente, cum Reginis ſuis, Rege. Quod quia harum una, nondum penitus exuta omnem humanitatis ſenſum, reprehendiſſet, publice ipſius Regis manu, in conſpectu reliquarum quindecim uxorum, capite truncata fuit. Capta tandem urbs, captus & Rex fuit, repertaque in tres menſes apud eum, pro ſe & ſuâ Regia, annonæ copiâ. Is ad vicina primum loca ſpectaculum miſſus, ligatus ferreis catenis; tum agnitis errore ac flagitiis, vitæ, ut creditur, ſervandæ ſpe, natus duntaxat annos viginti ſex, una cum ſociis Cnipperdolingo, & Bernardo Crechting,

igni-

ignitis forcipibus per horam & ampliùs excarnificatus, tum gladio in cor adacto extinctus eſt, anno cIↃ IↃ xxxvi. corpora ferreâ caveâ incluſa è ſumma primi templi turre ſuſpenſa perpetuum poſteris monumentum fuere. Scripſerunt hiſtoriam varii, *Henricus Dorpius*, civis Monaſterienſis, illo ipſo anno; *Lambertus Hortenſius* Montfortius, Scholæ Nardenæ Rector; anno cIↃ IↃ xlviii. *Sleidanus*, anno cIↃ IↃ lv, *Comментar. lib.* x. Auctor *Succeſſionis Anabaptiſticæ*, belgicè Coloniæ impreſſus liber, anno cIↃ IↃ ciii. Ne Scriptores adverſus Anabaptiſtas dicam, *Bullingerum*, lib. ii. *Hermannum Moded*, de Initiis ſectæ Anabapt. Florimundum Ræmundum, *de hæreſ. lib.* ii. *Hondorfium*, in Theatro Exemplorum, ad præceptum Decalogi primum. Excisis Monaſterienſibus, cauſam illorum tuebantur adhuc alii, appellati *Batenburgici*, à Iohanne Theodorici Batenburg, conſule olim Steenvicenſi, cujus parens ex nobili Batenburgenſium familiâ, hic filius nothus. Iſti reliquos à ſe diſſidentes criminabantur pro perfidis & timidis. Adeo quod ſemel ex furore, quaſi zelo, arripuerunt homines, ægre dimittunt, quin alios μὴ συντρέχοντας εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν lubenter etiam blaſphemant. 1. Pet. iv. 4.

In *Friſiam* Apoſtolos jam ante miſerat Iohannes Matthæus, Propheta Harlemenſis, *Bartoldum* Bibliopegum, & *Theodorum Cuyper* anno cIↃ IↃ xxxiii, Leovardiam. Hi ſibimet perſuadentes tam bene Spiritum Sanctum per Iohannis Matthæi χειροθεσίαν ſe nunc accepiſſe, ac olim Apoſtoli in die Pentecoſtis, primùm in cœtu quindecim vel ſexdecim hominum Prophetæ ſui deprædicantes cœleſtem miſſionem, revelationes, prodigia, miris artibus, ementitâ authoritate & divino juſſu, ſtatim fecere diſcipulos nonnullos, & in ejus ſacramentum rebaptizarunt, inter eos *Obbonem Philippi*, & *Ioh. Scheerder* primos. Secutus, cum aliis, Obbonis frater, *Theodorus Philippi*, qui una cum *Menno*

none Simonis, & *Davide Georgii*, ab Obbone facti ſectæ ſuæ epiſcopi. David Georgii, Delphis Hollandorum; Menno, Groningæ. Neque in Friſiâ, & Groningæ, atque in illis partibus quaquaverſum minus tumultuatum ab Anabaptiſtis, quam alibi, aut in Hollandiâ. Groningæ *Henricus* Calcearius multam partem denudatus per urbem diſcurrere & vociferari cœpit: *occide, occidè, occide Monachos, Papas, & univerſum Magiſtratum, reſipiſce, reſipiſce, prope eſt tua liberatio.* Obbo ille, vir doctus, reſipuit poſtea, & publice fecit palinodiam, quæ legitur in ejus Confeſſione, editâ Amſterdami, annô cIↃ IↃ c IX, ex ejus autographo, ubi circa finem dolere ſe, ait, ex animo, quod aliquem ad iſtud „ munus promoviſſet, in quo tam miſere deceptus ipſe „ ſit, & quod non antea deſtiterit, ſed eo adactus e- „ jam fuerit, ut ad poſtulatum fratrum, Theodoro „ Philippi, Davidi Georgio, & Mennoni Simonis idem „ munus impoſuerit: quod me valde pœnitet, atque „ coram Deo (inquit) & fratribus meis deplorabo, „ quoad vixero, iſtiuſque ſemper reminiſcar. Et cum „ illis valedicerem, Mennonem ac Theodorum mo- „ nui, miſſionem meam iniquam, meque in eo cir- „ cumventum fuiſſe, ac optare ut nunquam hoc mu- „ nus accepiſſent: ſaltem exonerare coram illis con- „ ſcientiam viſum, culpam & ſeductionem agnoſcen- „ do, de cætero videant quid agant. Ingenuum rarumque apud iſtud hominum genus, exemplum. Hiſtoriam ſcripto illo contexit primi in his regionibus exordii Anabaptiſtici, in Melchiore Hofmanno, qui ſe pro Eliâ gerebat; tum, illo in carcere Argentorati, miſerè, & contra jactatas de ſe prophetias, extincto, in Iohanne Matthæo Harlemenſi piſtore, qui quaquaverſum Apoſtolos ſuos miſerat, & in Friſiam eos, à quibus in ipſorum ordinem aſſumtus fuerat, ipſe Obbo. Illud ſolvere apud animum ſuum hic nequibat, quâ autoritate vel nomine, aut Melchior Hofmannus, quem e-

ven-

ventus docuerat falſum, aut Matthæus Harlemenſis diſcipulos facerent & Doctores: quod certe validum adverſus totam ipſorum ſectam eſt argumentum, quo probetur, ſanctam illam & Chriſtianam eſſe non poſſe, quam fundarint homines, ita omnium judicio & ſenſu maleferiati. A quibus tamen & Menno quoque, & alii iſtius farinæ omnes ortum ſuum habent, miſſionem, & baptiſmum. Hoc urget identidem, & interrogat in ſuâ Confeſſione Obbo, quomodo quid boni ex infandis illis Auctoribus prodire potuerit? quiſve illis poteſtatem fecerit docendi agendique illa, quorum ſe, & fratrem Theodorum, adde & Mennonem, puduerit? Præterea tres illi, à quibus Obbo, uti ab hoc Theodorus, & Menno, aliique miſſionem ſuam acceperunt, utcunque prophetarent non amplius perſequendos homines, vel fundendum ſanguinem, quo ſe alii pacto adverſus vim Magiſtratus oppoſuerant, poſtquam Amſteldami per plateas curſitando & vociferando horrendas dediſſent turbas, Harlemum abducti meritas luerunt pœnas, & ultimo ſupplicio affici conſpexit ſuis oculis Obbo. Ad quam ſe converterit, poſtquam illi ſectæ valedixit Obbo, non ſatis conſtat. Florimundus Ræmundus dicit *lib.* II. *cap.* VI. Catholicum factum, ſed ex libro ejus illo judico ego potius eum Libertinum factum, uti facilis huc inde progreſſus eſt: obiit vero a. CIϽ IϽ LXVIII.

David Georgii, Delfenſis erat, artem exercens pictoriam, primum ob fortiter repulſum Papatum, inde ob ictam ſuo maxime conſilio inter Anabaptiſtas diſſidentes concordiam, in conventu VVeſtphalico, in oppido Buckholt, celebris, ſectam Hofmannicam anno CIϽ IϽ XXXIV. in inferiore Germaniâ incœptam imprimis firmavit & promovit. Deinde turpia & blaſphema plurima docuit, de quibus præter Ubbonem Emmium, ipſe Davidis gener Nic. Bleſdikius, in Davidis Georgii hiſtoriâ, ab eo conſcripta, à Cl. viro Iac. Re-

vio

vio edita. Obiit Baſileæ a. cIↄIↄ l, xxv. Auguſti, ubi biennio poſt, juſſu Senatus, exhumatus, & cum libris atque effigie ſuâ concrematus fuit.

Menno autem, de cujus miſſione & doctrina quid ſentiendum, ex Obbonis Declaratione colligi poteſt, natus eſt anno cIↄ cccc xcvi. in Friſiâ, prope oppidum Bolſwert, in vico VVitmarſum, ubi, poſtquam in vico Pinnigum, etiam ſacerdotem egit. Anno cIↄ Iↄ xxxvi. deſerto Papatu, ab Obbone Philippi rebaptizatus eſt, & docendi officium, cum ſolemni manuum impoſitione, accepit: quod Groningæ, atque aliis poſtea in locis ſolerter ſatis peregit, voce valens, & ſcripto. Obiit anno cIↄ Iↄ lxi. A Monaſterienſibus & Batenburgicis diſſentiebant Vbbonitæ ſeu Mennonitæ, non ſolum quod tumultus illorum & turbas non probarent, quemadmodum nec Hofmannici, ſed ab his & illis diſcrepabant imprimis in duobus articulis: primo, de futuro inſtantique alio Chriſti in terris regno, & admirandâ Eccleſiæ per novam & extraordinariam miſſionem Spiritus, quemadmodum olim ſuper Apoſtolos die Pentecoſtes, reſtitutione; altero, de uxorum pluralitate, & facili divortio: quorum neutrum Mennonitæ probabant. Quæ pluribus in locis teſtatus Menno fuit, adverſus illos, qui ipſum dicerent cum Monaſterienſibus facere, in hiſtoriâ ſui diſceſſus ex Papatu, quam ſcripſit a. cIↄ Iↄ liv. Eundemque in finem eſt, quod anno hujus ſæculi vigeſimo ſeptimo prodiit ſcriptum Mennonis, non antea impreſſum, *adverſus horrendam & maximam Iohannis Leidenſis blaſphemiam*, qui ſe pro vero Rege Davide, omnium promiſſo gaudio, venditat. Attamen, quamvis turbas Monaſterienſium Sociorum non quidem probaret Menno, illos tamen etiam pro fratribus agnoſcebat: miſſi quippe erant omnes à Johanne Matthæo Harlemenſi, & qui Monaſterii primo turbabant, quibus & ipſe Iohannes poſtmodum acceſſit; & illi, qui in Friſiâ res novas moliti,

liti; Obbonem, & Theodorum Philippi, Mennonem, alioſque ſuæ ſectæ primipilos conſtituerant. Et paſſim de Monaſterienſibus loquens, fratrum nomine eos indigetat in Confeſſione, vel Palinodiâ ſuâ Obbo Philippi. Inter alia: Ende als ick noch om die verbeydinge gedencke / die onder den Broederen geſchiede tot Amſtelredam/ int oude klooſter tot Nazertſan in den Dam / op het ſant / ende boven al tot Munſter / ſoo bedroeft mijne ſiele / ende verſchrickt daer voor. Ick ſwijge van alle die valſche ſendingen / prophetien/ geſigten/ droomen/ openbaringen/ende onuytſprekelijcke geeſtelijken hovaert die terſtont van die eerſte ure inbrack onder den Broederen. Menno ſimiliter in *Fundamenti* libro, Monaſterienſes *dilectos ſuos fratres* appellat: in Paræneſi ad corruptas ſectas, (ſcriptâ, uti apparet, adverſus Monaſterienſes, & David Joriſtas): ick en twijffel daer niet aen ofte onſe lieben broeders de en weynich tegen den Here voormaels miſhandelt hebben/ vermits ſy met geweer wolden hoeren gelove beſchermen/ ofte die hebben een genadigen God &c. hoewel ſy nochtans in weynich gedoolt hebben het welcke ons niet behoort om tho volgen/ gelijck wi boven geſecht hebben/ noemplijcken als dat ſy eenighe wapens gebruycket hebben anders dan lijdſaemheit unde Godes woordt/ het is oock geen wonder dat ſy in die tijt geſnoevelt hebben / vermidts ſy in die tijt de beproevinge der geſten noch niet en hadden. Die oprechte ende vromen heet ick mine ſuſters unde broeders vermits ſy onwetende geſnoevelt hebben / men den dobbelhertigen die Godt niet geſocht en hebben met puerder reynder herten hoewel ſy ſu-

ſters unde broeders genoemt waren unde die Princen der verboeringe als bennen Munſter unde Amſterdam die laet ick des Heeren handt. *fol.* 125.126.*edit.A.*1616.*ſed ad correctiſſimum exemplar Anni* 1539. Quæ ideo magis ad verbum exſcripſimus, quia in aliis exemplaribus non leguntur: tum quoq; ut appareat, nos rectè originem Mennonitarum & Anabaptiſtarum ad Monaſterienſes illos retuliſſe. Scripſit Menno pluria, inter quæ, uti olim epiſtola fundamentalis Manichæi, celebris eſt liber *fundamenti*: in quo moralia nonnulla, & admonitiones, tum controverſiæ etiam tractantur, ſcriptus ab Auctore linguâ Friſicâ, inde tranſlatus in Belgicum, anno lxii. ſæpiuſque impreſſus. Menno non in ſolo anabaptiſmo, & oppugnato pædobaptiſmo, uti priores, ſed nec pro enthuſiaſmis & revelationibus quemadmodum illi, ſtetit, ſed ulterius progreſſus, & dogmata alia procudit, novæ ſectæ fundamenta. Iam diſputabat de incarnatione Chriſti ex Mariâ matre; de officio & vocatione Magiſtratus Chriſtiani; inſuper de diſciplinâ Eccleſiæ: nam, uti alii Eccleſiæ eripiunt, quæ tradunt Magiſtratui; ita Mennonitæ politica, quæ Chriſtiano Magiſtratui auferunt, in Eccleſiam transfundunt, & ejus diſciplinam. De quâ tamen, ejus formâ, modo, rigore & limitibus vehementer inter ipſos diſputatur, & hinc ſciſſi in diverſa ſtudia animi, ac cœtus. Iohannes Calvinus ad Micronium ſcripſit olim epiſtolam, in quâ contra Mennonem prolixe diſputat, ſuper primo articulo aſſumtæ à Chriſto ex Mariâ matre carnis & naturæ humanæ: atque in exordio epiſtolæ obſervat vir maximus, Mennonis doctrinam è Manichæorum deliriis hauſtam eſſe. Micronius cum Mennone diſputationem habuit anno cIↃ IↃ liii. quæ edita Belgicè à Micronio, anno cIↃ IↃ lvi. ejuſque hiſtoriam ſuæ narrationi, de Eccleſiâ Peregrinorum in Angliâ, inſeruit Joh. Utenhovius. Ab anno cIↃ IↃ xlii.

xlii. Menno, & Theodorus Philippi alios iterum concionatores atque epiſcopos miſerunt: inter quos *Adamus Paſtor*, VVeſtfaliâ oriundus, antea dictus Rudolphus Martini, ſed qui cum illis non diu fecit, atque cum Mennone aliquoties collocutus, in Arianiſmum tandem prolapſus eſt. *Franciſcus Cuperus*, poſtea reſipuit, ac Mennoniticas opiniones, coram Curiæ Friſicæ præſide Hypolito anno cIↄ Iↄ liv. publicè abjuravit. Adami Paſtoris mentionem lego in Anabaptiſtarum Martyrologio, in hiſtoriâ Iuſti Kint, ad annum cIↄ Iↄ liii. ubi hic interrogatur, à quo ſit rebaptizatus, an dicunt, ab Adamo Paſtore, an Davide Georgio?

Porrò concionatorem Menno fecit *Leonardum Bouwenſoon*, quem præcipuum in hiſce regionibus Magiſtrum fuiſſe, lego in libro M. S. Confeſſionum Anabaptiſticarum, quod pœnes me eſt, à Prætore & Magiſtratu Amſteldamenſi anno cIↄ Iↄ lxxi. exceptarum. Ille acerrime res ſuas egit, & quum inter ipſos obortæ fuiſſent quæſtiones ac diſſidia ſuper excommunicatione, & de cavendis excommunicatis, an iiſcum communis vitæ officia obire liceret, edere, mercari, &c.? an vinculum non ſpiritnale & eccleſiaſticum ſolùm; ſed naturale & politicum excommunicatio frangeret quoque, & tolleret neceſſitudinem inter parentes ac filios, atque inter conjugatos.? an reus, quantumvis pœnitens, tamen excommunicandus eſſet? Leonardus, cum Theodoro Philippi, tracto etiam in conſortium Mennone, rigidiorem excommunicandi diſciplinam inſtituerant, & ſectæ ejus auctores exſtiterunt, quæ inde *Rigidiorum Excommunicatorum* dicta, vel etiam *Flandri*, atque *Mennonitæ veteres*: cujus doctrinæ horrenda paſſim exempla data ſunt, ablegatæ à marito uxoris, quia ille Reformatæ religionis forte eſſet, vel apud ipſos excommunicatus, hæc non; avulſorum à Parentibus filiorum, & ſimilia. Quæ ipſorum alii de-

 te-

teſtantes, alteram Rigidis iſtis adverſam ſectam erexerunt, poſtquam ab iis ob ſuam in diſciplinâ & excommunicatione moderationem excommunicati eſſent, a. cIↄ Iↄ lvii. nempe *Henricus Naeldeman*, cum *Georgio Heyns*, & dicuntur *Friſii*, vel etiam, quia ſcilicet ab aliis ſuorum ſectis excommunicatos recipiunt, neque eos rebaptizant, & laxiori vivunt diſciplinâ. *Barborita*, de Dreckwagen. Inde inter *Friſios*, atque *Flandros* gravis extitit ſemper contentio, ad quam tollendam a. cIↄ Iↄ lxvii. d. xix. Septembris, compromiſit bonâ fide pars utraque in duos arbitros, conſenſu communi electos, *Iohannem VVillemſoon*, & *Lubbertum Gerritſoon*, cui *Compromiſſo* ſubſcripſerunt omnes. Pronunciatâ ab Arbitris ſententiâ, non acquieverunt, contra ac polliciti fuerant, Flandri, quantumvis obteſtarentur Arbitri, ſe tam probe hoc in negotio verſatos fuiſſe, ac optarent Deum animis ſuis propitium. Hinc implacabiliter ſciſſi Flandri, Friſiique, illis Iudices eorumque fidem, his perjurium ſuis Adverſariis & ruptam pacem exprobrantibus: adeo ut quandoque nec una ire, nec ambulare, edere, vel loqui ſecum, etiam in ſupremâ mortis neceſſitate, ſuſtineant. Arbitri ſe Friſiis, judicio ſuo acquieſcentibus, adjunxere, quorum epiſcopus erat Leonardus Bouwenſoon, qui ut Theodorum Philippi, à quo ordinem acceperat, excommunicarat, ita ab aliis quoque excommunicatus fuit, excommunicatione apud illos ferè in ludum verſâ, quam, ceu pueri pilas, in quoſvis promiſcue torquent & repercutiunt. Anno cIↄ Iↄ cxxiv. prodiit ab ipſis ſcriptum, impreſſum Hornæ, quod utriuſque partis errores in contentione Flandrorum & Friſiorum ab anno cIↄ Iↄ lxvi. commiſſos indicat, proque Sciſmatis præcipuo auctore à parte Flandrorum ponit *Ieronymum Tingieter*, & ex parte Friſiorum *Huite Renicks*. Flandris præerant Hans de Weber / Jacobus vander Meulen / Petrus van Ceulen / alii, quibus, uti

cum

cum Friſiis, ita nec inter ſe bene convenit, quin mutuis exarderent erga alterum excommunicationibus. **Petrus van Ceulen**/ cum nonnullis aliis, antea factionis Flandricæ, quia cum iis eundem ſequi rigorem, & ſuam ſolam eſſe Chriſti eccleſiam, extraque eam nullam aliam aſſerere recuſabat, excommunicatus, publicam, coram Friſiis, priſtini erroris edidit confeſſionem anno cIↄ Iↄ lxxxix. d. xx. Iulii. Similiter ex Friſiis nonnulli, inter quos primus, Iohannes Henrici Schiedamenſis, anno cIↄ Iↄ xc. ſuos errores in fovendo diſſidio publice agnoverunt: quare pacem cum illo Petro Colonienſi acceptarunt hi & coluerunt variis in locis. Sic jam alii partes facere & ſequi acerrime, alii unire maluerunt: quod poſtremum certe multum honeſtius. Hi tertii, priorum Sciſma deteſtantur, & in unum aguntur, ex tractu Hollandiæ Borealis, apud nos appellati **Waterlanders** / vel cœtus **Johannis de Ries**/ & cœtus uniti, cępti ad annum cIↄ Iↄ lv. ab *Hermanno Timmerman*, qui inter Martyres Anabaptiſticos ponitur, Antverpiæ interemtus, anno cIↄ Iↄ lxix. cujus etiam Hermanni, in ipſorum Martyrologio, brevis legitur Confeſſio. Huc etiam faciunt, quæ apud illos actitata ab anno cIↄ Iↄ cxxvi. & deinceps, occaſione unionis initæ inter Harlingenſes Anabaptiſtas, & Friſios, quam Groningenſes damnarunt, probarunt autem alii, interque eos Amſtelodamenſes; quæſtione factâ, an Friſii Anabaptiſtæ, ab aliis agnoſci poſſent pro populo Dei? unde diſputatum de articulis fidei fundamentalibus, de notis filiorum Dei, quo de negotio libellum ſcripſerunt Amſtelodamenſes Anabaptiſtæ Flandrici, tit. *Ramuſculus olivæ*, **Olyftackskẽ**/ probatuſque à nonnullis ipſorum cœtibus, anno cIↄ Iↄ cxxvii. & nuper anno cIↄ Iↄ cxlix. d. xxv. Julii, in ipſorum Synodo Harlemi habitâ, una cum Confeſſione Iohannis Sitſen, & Adriani Cornelii, ut quæ proxime facerent ad pacem & concordi-

am cœtuum fovendam. Quis autem diſſidia ipſorum, ſciſmata, ſectas, earumque cauſas omnes referat, vel digne proſequatur? Neque, uti ipſi loquuntur **Opſtackſken** *pag.* 60. in uno Sciſmate res ſtetit, ſed poſt primum varia ſubſequuta, quæ apud multos, longâ conſuetudine, & ex animorum abalienatione, humaniſque affectibus, diu fota. Iam ſcindunt, jam uniunt, jam ob quam cauſam alios à ſe, ipſi ab aliis excommunicantur, & omne hoc cum ſummo acerbiſſimoque ſuorum odio & inſectatione.

Ad annum cIↃ IↃ lxxxvi. Franekeræ ob cauſam emtæ domus ab ipſorum epiſcopo *Thoma Beenkens*, ubi alii dicebant eum fide non uſque bonâ verſatum, alii contrà, Sciſma Eccleſiarum aliud conſequutum: unde hi appellati **Huiſ-kopers** *Domus emtores*; alii **Contra Huiſ-kopers**, *Contra emptores*; quibus & tertii acceſſere *Neutrales*, qui quidem emtionem illam culpabant, ſed propterea Eccleſias ſcindi nolebant. Scilicet digna cauſa ſciſmatis in Eccleſia erigendi, ſed tali Eccleſiâ, quæ ejuſmodi oſtendit actis ſe haud eſſe veram. Et tamen ob illam etiam cauſam crudelem in modum excommunicarunt, hi illos triginta aliquando & quadraginta homines unâ vice. Ne de alio infami Sciſmate loquar *Mamillariorum*, Harlemi nato, ex eo qui puellæ mamillas contrectaſſet, & cauſam contentionis non solùm, ſed & ſciſmatis videbatur feciſſe, quæſtione motâ, annon propterea excommunicandus eſſet: quod hi urgebant, nolebant alii. Qui autem olim dicti fuerint *Apoſtolici, Separati & ſpirituales, Cathari, Silentes, Euchitæ* ſive *Precantes, Enthuſiaſtæ* etiam, *Libertini, Hutitæ, Auguſtiniani*, vide apud Bullingerum *adverſ. Anabapt. lib.* I. & II.

Dogmata Anabaptiſtarum ſunt qualia ipſi hominum genus, varia, aliaque hæ inter eos ſectæ, diverſa iſtæ tenent. Apud nos vulgo noti ſunt ex quinque articulis; oppugnati *pedobaptiſmi*, erroris primarii, & apud illos

iſtos communiſſimi; defenſi *anabaptiſmi*; negatæ Chriſti ex Matris *ſubſtantiâ* incarnationis; interdicti ipſis omnis generis *juramenti*; & officii *Magiſtratus*. Sed & alia aſſumunt, illis nequidquam leviora: liberi arbitrii vires in ſpiritualibus plus æquo communiter extollunt; negant peccatum originis alii, & juſtificationem gratuitam abſque noſtris operibus; Trinitatem Perſonarum, in unâ Dei eſſentia, aliaque, in quibus aut Pelagianorum, aut Socinianorum prava dogmata adoptant, & ſequuntur. Enthuſiaſmi, & anabaptiſmi, atque oppugnati pædobaptiſmi primus auctor Thomas Muncerus fuit: de incarnatione Chriſti, juramento, Magiſtratu, & diſciplina Eccleſiæ inde diſputatum: Chriſti Deitatem impugnavit inter Anabaptiſtas primus Ludovicus Hetzerus, & ſic alii alia. Verùm ſciendum, ob articulos de baptiſmo præcipuè, etiam ob non aſſertam Chriſti ex matre incarnationem, Martyres ipſorum (ut ita iiſcum loquamur) paſſos; non autem ob aſſertum incarnationis modum, per mutationem verbi in carnem, aut aliter; neque etiam propter alios ſeu Socinianorum, ſeu Pelagianorum errores: quod ex Martyrologio ipſorum obſervare promptum eſt. Nam quum à Papiſtis vulgo occiderentur, tum ob improbatum nobiſcum Papatum, unde factum, quod nonnulli & in Noſtro, & Mennonitico (ita dicimus ob præmiſſam ei Mennonitarum fidei confeſſionem) Martyrologio occurrunt; tum ob additos de baptiſmo errores, aliquando etiam de juramento, & Magiſtratu, denique & impactas iis turbas politicas, propterea trucidati fuere. Hinc proteſtabatur Iacobus d'Auchii anno cIↄ Iↄ lviii, palam dictitans, nihil ſibi cum Monaſterienſium, vel Amſtelodamenſium turbis eſſe commune. Et quod ad alios religionis articulos, qui anno cIↄ Iↄ lxxv. in Angliâ captivi ſub Elizabethâ tenebantur, in ſupplici ad Reginam libello, nil hæretici quod ad dogmata de baptiſmo, juramento & magiſtratu ad-

miſcere ſe, ſolùm, judicium verò de modo vel principio incarnationis Chriſti, an ex carne matris, ſuſpendere, cæterum & convenire cum Belgicæ Eccleſiæ miniſtris ajebant, in eo etiam quod bonâ cum conſcientia, in re certâ & probè notâ Deum quidem teſtem invocarent. Et in Reſponſione ad Ioh. Foxum, Scotum, ita „ palam loquuntur: ſive vivamus, ſive moriamur, ſa„ lutem ponimus non in operibus noſtris vel ſanctita„ te, ſed ſolùm in Chriſti morte & reſurrectione. Quare quemadmodum doctrinæ & religionis alicujus capita diſcenda ſunt tum ex Confeſſione, tum ex martyrio, unde ob quæ quis pati extrema velit, liquet; ita ex Martyrologio Mennonitarum obſervabis, propter abjuratum Papatum vulgò, additis ſæpe erroribus catabaptiſticis, rarius pro juramenti & Magiſtratus interdictione, illos mortem ſubiiſſe. Ob iſta ut à Noſtris aliquis occidatur: vel non factum, (aliud eſt, ſi turbatio politiæ, regnorumque; aut etiam dogmata blaſphema accedant) aut ut fiat, non probamus. In Anabaptiſmi exordio, quando cum ſeditionibus multis & execrandis opinionibus res ipſorum junctæ, tum etiam quia in Sectæ exordio ſemper licet ſeveriori reſiſtere diligentiâ, ſi forte opprimi in herbâ poſſit, acrius repreſſi ubivis fuere. Tiguri anno CIↃ IↃ XXV. tum CIↃ IↃ XXX. coërciti, *quia hæc ſecta ad Magiſtratuum & honeſtarum rerum publicarum interitum potiſſimum ſpectat*: in Edicto ſuo loquitur Magiſtratus. Confer ad hæc Rud. Gualtheri præfationem in Tom. II. Zuinglii. Regno Angliæ illos primum adventantes exegit Elizabetha, ſingulari edicto anno CIↃ IↃ LX. Ludovicus Palatinus, anno CIↃ IↃ XCIV. in Churfürſtlicher Pfaltz Landtsordnung/tit IV. in Widertäufferiſchen Irthumbs halb gegebene Inſtruction / ſuâ ditione exterminat. Omitto crudelia & ſanguinaria Imperii Germanici in Anabaptiſtas edicta: Comitiorum Spirenſium anno CIↃ IↃXXIX. Iterum, anno CIↃ IↃ XLIV. Auguſtanorum

norum anno cIↃ IↃ lx. vel Regis Philippi, in Belgio: de quo ex litteris Regis, ad Gubernatricem, anno cIↃ IↃ lxv. d. 11. Octob. hæc producit Strada, lib. iv. *principio in plectendis Anabaptiſtis, aliiſque hæreticis, quorum illicunque familiarum ſint, nolle quidquam aut remitti, aut differri.* Quod à Papatu ſe ſegregabant, uti hactenus bene, ita cauſa fuit odii & perſecutionum Papalium adverſus illos, æque ac alios; ſed in illos quidem eo gravius, quo præterea variis heterodoxiis, enthuſiaſmis & turbis omnia commovebant: quibus & magnum ubique creabant Reformationi præjudicium & impedimentum. Unde Zuinglius, qui exordia ſectæ vidit, & pro virili oppreſſit, jam illos ſciſmaticos, jam & hæreticos appellat. In epilogo Elenchi contra Catabaptiſtas, Tom. 11. *mirum non eſt eos à nobis exiviſſe.* In initio Reſponſionis, ad libellum Baltazaris Huebmer: *Catabaptiſmum hæreſim vel ſectam eſſe nemini obſcurum eſſe poterit, qui primam ipſius originem & inſtitutionem conſideraverit. Qui enim apud nos primi hujus authores extiterunt, à nobis flagitare ſolebant, ut peculiarem & nobis propriam eccleſiam eligeremus. Vbi vero id nullo modo à nobis impetrari poſſe intellexerunt, in agrum Tigurinum diſperſi paſſim inter ſimplicem rerumque imperitam plebem inconſulto magiſtratu, inconſultis eccleſiis, inconſultis denique epiſcopis vel eccleſiarum miniſtris, privatim in angulis docere & rebaptizare cœperunt.* Idem, Epiſtolâ ad Berchtoldum & Franciſcum, Miniſtros Bernenſes, anno cIↃ IↃ xxvii. Tum, in Exegeſi Euchariſtici negotii, ad M. Lutherum: *Prodierunt enim Catabaptiſtæ, pernitioſum genus hæreticorum. Hos meritò hæreticos adpellamus: nam multoties convicti, reſipiſcere tam abeſt ut voluerint, ut etiam ſeceſſionem fecerint, non ab impiis, Chriſtum aut negantibus aut pontificem aſſerentibus, ſed ab iis fratribus & eccleſiis, quæ Chriſtum ſanctiſſime & confitentur, & vita in melius mutatione colunt: neque alia ratione, quàm quod iſti perhibent retingi oportere, noſtri*

porrò abhorrent à Catabaptiſmo. Quid enim refert hic ea quoque memorare, in quibus & errant & miſcere omnia tentant? Virum Chriſtianum gerere magiſtratum non poſſe: juſiurandum non debere Chriſtianum præſtare: quo quid aliud quàm magiſtratus diſſolvitur? &c. De iiſdem, in expoſitione fidei Chriſtianæ, ad Galliæ Regem Franciſcum: *Qui tametſi à nobis abierint quia ex noſtris non erant; ſunt tamen qui nobis omnes illorum errores imputent, cùm acrius contra eos pugnemus quàm quiſquam; diverſumque, quam ipſi, in omnibus ante dictis doceamus.* Ratione variorum ab illis ex veteribus hæreſibus aſſumtorum dogmatum Melanthon etiam dixit, in ſuo de illis judicio, ad Fridericum Abbatem Norimbergenſem: *Nulla eſt veterum hæreſium, quæ non videatur his autoribus repullulare.* Hodie etiam in Socinianiſmum illorum multi plus æquo propenſiores. *Polonos fratres* appellat Petrus Iohannis Twiſck, Hornanus, lib. Belgico, *de Chriſti lutro pag.* 51. quamvis videri velit Confeſſio Mennonitarum illos deteſtari, ut quum art. XIV. de incarnatione, Socini ſententiam de Chriſto mero homine, expreſſim rejicit: ſed quare non idem facit ad ſeq art. de Chriſti officio, ubi de Chriſti ſatisfactione clarius loquendum, & Socini hæreſis æque rejicienda fuerat? Socinus autem, uti contra illos diſputavit aliquando, ita Monaſterienſes peſſimos homines appellat, iiſque comparari ſuam Racoviam ægerrimè fert, *Reſponſ. alterâ ad Volanum pag.* 226.

Benignius ſemper judicarunt Docti, de Adverſariorum erroribus, præſertim illis qui circa juramenti uſum, & officium Magiſtratus Omnes fere ex magna benè diſtinguendi imperitiâ orti videntur. Vt de juramento, & officio Magiſtratus unde errant? niſi ex neglectâ regulâ de abuſu non tollente uſum, quodq; non diſtinguant *abuſum*, qui in juramentis ſolet contingere, & magiſtratu, à legitimo utriuſq; officio & *uſu*? abutantur jurandi licentiâ alii, & poteſtate gerendi Magiſtratus; an

ideo

ideo non bonus utriuſque uſus eſſe poteſt? vel vitium *perſonæ* quidquamne derogat *officio*? atque ex abuſu gladii apud Monaſterienſes, & ex infando Iohannis Leidenſis exemplo cauſam ſumſiſſe Mennonem, in genere diſputandi adverſus Magiſtratum Chriſtianum, & uſum gladii, legenti Mennonis adverſus Iohannem Leidenſem librum manifeſtum, præſertim ex ejus *pag.* 17. Sed quid hoc adverſus legitimum Magiſtratum, quod, ſi quid aliud, ſtatum illum probat potius & confirmat, ut juſtum & neceſſarium, quando Iohannes Leidenſis & Monaſterienſes ſub non aliter reprimi, quam legitimorum Principum gladio potuerunt? Similiter quia videre non poſſunt, quomodo ſi naturam ſuam ex carne matris habeat Chriſtus, non etiam aut peccato infectus ſit, aut non carnem habeat peccatricem vel minus *ἁμαρτωλόν*, & diſtinguere nolunt *naturam* ab accedente ejus *vitio*, à quo immunis debuit eſſe Servator, ut illius, juxta ac nos, particeps, quod utrumque poſſe eſſe Angelus ſic docuit: *Sanctum quod ex te naſcetur*; naſcetur ex te, neque minus ſanctum tamen: inde (dico) quia hic bene diſtinguere nequiverunt, illorum error de negatâ Chriſti ex Mariâ incarnatione ortum habet. Atque ita in pædobaptiſmo hærent, quia uti vident *officii* nihil ab aliquo præſtari extra uſum rationis, ita putant abſque eo nihil *beneficii* recipere quemquam poſſe: quod quantopere ab omni deviet ratione & uſu nemo non videt. Hinc tamen eſt, quod conſiderantes nonnulli, mitius de illis judicent. Graviſſimus autem iſtorum (loquimur de quinque famoſis, ſupra nominatis) eſt de incarnatione Chriſti error: ubi tolerabilius eſt, ſi errent non poſitive, ſed privative, id eſt, veram theſim non capiant, haud verò contrariam teneant, aut mutationem verbi in carnem &c. doceant, quæ craſſiſſima hæreſis; ſed ſuſpendant judicium circa carnis Chriſti originem, cujus veritatem in dubium nec trahant, nec

ſe

ſe trahere videant. Hodie quando illius quid defi-piunt, corpus Chriſto in Mariæ utero formatum, quamvis non ex ejus ſubſtantiâ, aſſerunt. Extat Petri Martyris epiſtola, ſcripta a. cIↄ Iↄ lxI. ad Eccleſiam Peregrinorum Londini, in quâ diſputat adverſus Hadrianum quendam, qui ſtatuebat, opinionem de carne Chriſti cœlitus allatâ, non ſumptâ ex beatâ virgine, Anabaptiſtis non adimere ſalutem, quamvis pertinaciter in eâ hæreant, ſed etiam illos in eâ profeſſione cum ad Chriſtum, tum ad eccleſiam pertinere. Contra eundem Hadrianum eſt epiſtola Bezæ, nomine Genevenſium ſcripta anno cIↄ Iↄ lxvI. ad Eccleſiam Gallicam Emdenſem, in quâ tum miniſterio fungebatur: ubi inter alia ad judicium Capitonis, quod diſerte ſcripſiſſet, *quoſdam inter Anabaptiſtas eſſe bonos, veros ſervos Dei, Chriſti martyres, & chariſſimos fratres noſtros*; ita reſpondet Beza: *Denique quum innumerabilia penè ſint Anabaptiſtarum dogmata; & quidem inter ſe diſſidentia, quorum alia alii probent, quædam prorſus intolerabilia, quædam ſtulta & inepta potius quàm perverſa, & quidam etiam illorum ſint commiſeratione digniores quam ſupplicio, quis Capitonem miretur illos diſtinxiſſe?* Zuinglium confer, lib. II. epiſt. Zuinglii & Oecolampadii, pag. 78. Ad ſententiam Hadriani illius facit libellus, vernaculâ linguâ impreſſus Amſteldami, anno hujus ſæculi vigeſimo quinto, *Breve examen an ad ſalutem neceſſarium ſit, credere Ieſum Chriſtum carnem ſuam habere à verbo, & non ex Maria?* Etiam Eraſmus, Anabaptiſtas commiſeratione dignos ajebat, ut qui magnam partem errore potius, quam malitia peccarent. In ipſorum Martyrologio, ex quo judicandos eos, eorumque ſectam eſſe, nullus inficiabitur, neminem occurrere ſcimus, qui paſſus fuerit pro errore, hoc in articulo, poſitivo, ſed negativo quidem, dum judicium circa hanc rem ſuſpendit, neque explicat unde carnem Chriſtus ſuam habeat. Ex libello, quem Nordlingenſes Pa-

ſtores

ſtores, in initio Reformationis inſcripſerunt. *Reformatio Eccleſiæ Nordlingenſis*, hæc ad annum cIↄ Iↄ xxv. in ſuis Annalibus profert Abrahamus Scultetus: *tingimus pueros, tingimus provectioris ætatis, non arcemus ab Eccleſia qui pueros ad tingendum non offerunt, ſed tantum manuum impoſitione & deprecatione Eccleſiæ Chriſto mediatori & ſervatori noſtro commendant. Nullam ætatem præcepit baptiſmo Chriſtus, ſed neque ullam vetuit.* Quod judicium neque examino impræſentiarum, neque probo, prudentiæ Eccleſiaſticæ relinquens, quid conſultum & ad ædificationem aliorum faciendum ſit, vel minus. Vide Philippi Melanthonis Conſilium, Tom. II. pag. 166. de baptiſmo infantium, & an recipiendi ſint Anabaptiſtæ; ubi inter alia inquit: *Scio pleroſque Anabaptiſtas tollere peccatum originis, & pariter polliceri ſalutem Iudaicis, Turcicis, & baptizatis infantibus, &c. Hæc deliria non ſunt toleranda. Et de his rebus doctrinam claram tradi oportet in Eccleſia. Et ſi velis recipere infirmos Anabaptiſtas, certè adverſari huic doctrinæ non debebant. Si adverſantur, ipſi ſe ſejungunt, cùm profectò non ſatis cauſſæ habeant.* in fine: *Cæteras cavillationes omitto. Non vellem confirmari Anabaptiſtas. Ideò prudentia opus eſt, in his vel ſanandis, vel reprimendis. Et ſi foveri ſe intelligent, fient pertinaciores, & plures amplectentur ea deliria.* Scribit item Scultetus, ad annum cIↄ Iↄ xxviii. Fratres unitatis in Bohemiâ, alioſque tum temporis pios, rebaptizatos fuiſſe; non quod Anabaptiſtarum erroribus patrocinarentur, ſed quod non viderent, quomodo ſe aliter à mundo immundo ſegregarent. Sed & Anabaptiſtæ non tuentur rebaptiſmum, quaſi baptiſmum ſecundum, ſed quod priorem exiſtimeat illegitimum fuiſſe, ex ſuâ ſententiâ, & nullum. Sic exſerte in ipſorum Martyrologio Petrus VVitſes, cæmentarius, ad annum cIↄ Iↄ liii. interrogatus, numquid eſſet rebaptizatus? reſpondit, ſe anabaptiſmum ignorare, ut qui ſemel tantum

eſſet

eſſet baptizatus, idque, uti rebatur, juxta doctrinam Dei.

Anabaptiſtarum *dogmata* tripliciter diſtingui debent. I. in *Communia*, quæ omnes habent, qualia de catabaptiſmo, contra Chriſti incarnationem, juramentum &c. II. *Singularia*, id eſt, ſingulis Sectis propria, ob quæ inter ſe dividuntur, & mutuum ſibi dicunt anathema. Qualia de excommunicatione inter ipſos, & vitandis excommunicatis, Sciſmata Flandrorum, & Friſiorum &c. de matrimonio extraneo, ſive cum hominibus non ſuæ ſectæ, deque illis excommunicandis, neque vel ſi pœnitentiam agant recipiendis, niſi adducta perſonâ extraneâ ad ſuum quoque cœtum, aut demortuâ. Vel quæ olim tenuerunt, ſive de bonorum communione Hutteriani, aut Huttitæ in Moraviâ; de non exercendâ mercaturâ, aut cauponariâ, alii: de cultu divino non inſtituendo in templis olim Papiſticis, aut idololatricis &c. Eodem pertinet quod illorum nonnulli *Agapas* obſervant: de quo Honorius Reggius, id eſt, vir clariſſ. Georgius Hornius, *de Statu Eccleſ. in Angliâ, pag.* 100. quod alii de *podonipſia*, quaſi ad exemplum Salvatoris ſcilicet Ioh. XIII. cujus præcipuus apud Anabaptiſtas patronus initio fuit Matthæus Servatius, unde ſecta Podoniptarum: dicebantur etiam Apoſtolici, de quibus Bullingerus, *lib.* I. *adverſ. Anabapt. cap.* IX. Atque illam inter præcepta Chriſtianis obſervanda, una cum *oſculo pacis*, ponit Confeſſio Mennonitarum, *art.* XXIII. & quidem non aliter quam ſi Sacramentum eſſet, quo erudiamur, ita Chriſtum animas noſtras ſuo ſanguine abluiſſe ab omni peccatorum maculâ & ſordibus. Quare Theodorus Philippi in Enchiridio, inter Notas Eccleſiæ illud conſtituit: & Nicolaus Nicolai, in Confeſſ. ad art. XV. præceptum & inſtitutionem Chriſti ait nobis obſervandam. Dilutum vero eſt, quod illud abſolvit à Sacramento, quum juxta datam ab ipſo diſtinctionem, non hic

hic ſolum (juxta ipſos) obſervetur Chriſti præceptum; ſed & ſpiritualis gratiæ ſeu noſtræ ablutionis per Chriſti ſanguinem ſignificatio intercedat, & quod Apoſtolus in celebratione Cœnæ præſcribit, commemoratio mortis & paſſionis Chriſti, quod abſque ejus applicatione non fit. Confer Bellarminum, *lib.* II. *de effectu ſacram. cap.* XXIV. hâc de re diſputantem. Similiter in libello henotico Olyf-tacxken / i. e. *Ramus olivæ* (conſcripto à cœtu Anabaptiſtarum Flandrorum Amſtelodamenſium, anno hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo, approbatoque in Synodo ipſorum Harlemenſi ſeſſ. II. anno cIↃ IↃ cxlix.) pag. 34. podonipſia ad exemplum, & tamquam ex præcepto Chriſti commendatur. Adeo omnes, ſaltem plurimi podoniptæ. Fruſtra verò hic exemplum Chriſti, aliaque ex utroque Teſtamento allegantur, apud quos, utpote locorum & perſonarum hoc ferente ratione, podonipſia crebro in uſu: & non eo exemplum Chriſti facit, ut iſtam actionis ſpeciem commendet, nedum in formam aliquam ſacramenti, ſed in genere officium mutuæ obſervantiæ docuit, quibuſvis actibus uſitatis exprimendum. Niſi velimus cœnam illam in Romanâ Eccleſiâ die Iovis Sancto (uti loquuntur) ante Paſcha adhiberi ſolitam, ubi Prælati, vel etiam Reges & Principes aliorum & pauperum ac ſubditorum pedes lavant, comprobare. Lege ad hoc argumentum, ſi placet, Gretſerum, *de Pedilavio.* In Pontificali Romano, officium quintæ feriæ in Cœnâ Domini explicatur, ut primo laventur pedes pauperum, hoc modo: *Primum itaque circa horam tertiam Pontifex paratus, ſi velit, amictu, albâ, & ſtolâ, ſine mitra & baculo paſtorali egreditur ſacriſtiam cum canonicis & toto clero, & intrat capitulum, ubi parati ſunt* XIII. *pauperes. Quibus ſedentibus, ipſe flexis genibus lavat pedes & tergit & oſculatur. Deinde oſculata cuilibet manu, dat ei eleemoſinam arbitrio ſuo* &c. Adde Scriptores Liturgicos, ad Feriam quintam hebdo-

hdomadæ majoris. *Antiquit. Liturgic. Tom.* 11. *pag.* 914.

Sed ad Anabaptiſtas, *die Tauffer* appellat Oſtorodus, In ſuis inſtitutionibus Socinianis. III. Uti alia ſunt dogmata *Cœtuum*, alia *Doctorum*, ita à *Communibus* illorum, & *Singularibus* Cœtuum dogmatis ſecernenda ſunt *propria* Doctorum, eaque valde pernitioſa. Qualia, quæ Iacobus Outerman anno cIↄ Iↄ c v. Harlemi docuit, de tribus in Deo eſſentiis divinis; & eſſentiæ Patris in cœlo circumſcriptione, quod VVeke VValles, in diſtrictu Groningano anno cIↄ Iↄ c xxxv I I. de probitate & ſalute Iudæ proditoris, qui tradendo Chriſtum non peccarit, uti nec ſacerdotes & ſcribæ, juxta ſuam ſententiam; & quod ambo latrones, una cum Chriſto crucifixi, æque fuerint ſalvati: quas opiniones tantâ urgebat cum vehementiâ, ut diſſentientes, pro ſatis levi apud ipſos excommunicationis vi & pretio, excommunicaret, tamquam in Spiritum S. blaſphemos. In quem proinde Magiſtratus animadvertere neceſſe habuit: &, ut ad exemplum Groningenſium, totâ Friſiâ expellerentur alii, inſtitit Synodus Franekerana a. cIↄ Iↄ c xl I v. Illiuſque commatis inter veteres hæreticos nonnulli collocati, qui factum Iudæ aut excuſarunt; aut probarunt. propter ſequutam nempe (ſed non ex facto Iudæ per ſe) redemtionem: de quibus Philaſtrius, *hæreſi* v I. Epiphanius, *hæreſ.* xxxv I I I. Adde Alphonſum de Caſtro, *adverſ. hæreſ. lib.* v I I I *tit. Iudas*.

Lepidum eſt, quod inter Doctores Anabaptiſticos Franciſcus de Knuyt Confeſſionem & libellos ſuos hâc notâ in fronte præmuniit, Onder verbeteringhe / quod eſt, *ſalvo meliori judicio*, vel ſententia: cui Vdemannus reſponſum oppoſuit concinno titulo; Noodige verbeteringe / *melius judicium*. Sed in eo tamen Franciſcus egit omnino ex præſcripto Remonſtrantium, & certe obſervantius, quam ipſi. Sic enim

ſcri-

ſcribunt in Apologiâ, pag. 6. *Vti in neceſſariis & quæ aperti juris ſunt, nimis parum eſt ſi dicatur, Nos hoc credimus verum eſſe: Aſſeverantius loquendum eſt, Hoc credendum eſt: Anathema qui id non credit: Ita in iis, quæ controverſi juris ſunt, nimium dicitur, ſi dicatur, Hoc credendum conſtanter firmiterque eſt. Contractius & retinentius loquendum eſt, Nos expenſis omnibus ſic credimus, ſic ſtatuimus ſine cujuſquam præjudicio.*

Poſtremo diſpiciamus, quid *facto* opus videatur cum Anabaptiſtis, ad illos vel *coërcendos*, vel *convincendos*. Pro coërcendis aut noviter *pullulantibus*, aut ſua pomæria *extendentibus*, juxta cum *Politicis* etiam *Eccleſiæ* eſt vigilare, præcipue locis illis ubi frequentiores ſunt, & ab iis plus periculi vel contagii metuitur. Hinc in Friſiâ edictum adverſus illos, & eorum Epiſcopos promulgatum anno cIↃ IↃ xcviii. Groningæ, anno cIↃ IↃ c i. d. vii. Septemb. proque illo exequendo & renovando inſtitere aliquoties Synodi, præſertim adverſus novos Adverſariorum cœtus, vel loca cultus alia quę extruant, potiſſimum ubi ſua agunt omnia extra conſenſum Magiſtratus. Synodus Leovardienſis, anno cIↃ IↃ xcviii. art. vi. Bolſwardiana, anno cIↃ IↃ c i. art. vi. Franekerenſis, cIↃ IↃ c ii. art. viii. Doccumana, anno cIↃ IↃ c iv. art. xxv. Leovardienſis, anno cIↃ IↃ c v. art. x. Bolſwardiana, anno cIↃ IↃ c viii. art. iii. Harlingenſis, a. cIↃ IↃ c x. art. vii. Snecana, a. cIↃ IↃ c xiv. art. xii. Bolſwardiana. cIↃ IↃ c xxix. Franekerana, a. cIↃ IↃ c xliv. aliæ. Et quia ex Anabaptiſtarum Synodo Harlemenſi, anno cIↃ IↃ c xlix. d. xxv. Iulii, ſeſſ. iii. patuit, quomodo locis iſtis, in quibus hactenus nulli cœtus Anabaptiſtici fuerunt, aut nulli ipſorum Concionatores, quales recenſentur, Daventria, Harderovicum, Arnhemum, Neomagum, Horna, Veſopium, Raropum, Huiſdunum, VViecringæ, Delfi, Haga, Schoonhovia, Boſcopum, Maeſlantſluſa, Haſerſouw, Cattovicum maritimum, Viana,

na, Gorchomum, Buren, Bommel, Maarſeveen, &-tio Brielana, Ziricæum, jubeant per proximos Cœtus & Concionatores provideri: ita & noſtrum eſt obviam ire, qua poteſt fieri diligentia & prudentia, novis ejuſmodi eruptionibus: atque huc pertinet decretum nuperum Illuſtriſſ. D. D. Ordinum, in magno Conſeſſu a. cIↄ Iↄ c I I. factum, art. I I I. quo ſtatuunt, ſectas cohibendas atque in ordinem redigendas, neque permittendum ut in plura loca, quam hodie ſint, diffundantur. Quod in cauſâ Anabaptiſtarum exſerte poſuit, & ne fieret, cenſuit Synodus Franekerana, cIↄ Iↄ c I I. Harlingenſis, a. cIↄ Iↄ c x. & Franeker. cIↄ Iↄ c xl I V. Edamenſis, a. cIↄ Iↄ c xxv. art. xxx I I. Præterea quo vergat, quod illi incipiunt quoque Synodos cogere, & de anno in annum indicere, ad exemplum noſtrarum, ut in ipſorum Harlemenſi factum, ubi ex omnibus provinciis & cœtibus coïerunt ex Hollandiâ Auſtrali, Selandiâ, Noorthollandiâ, Vltrajectinâ, Flandriâ, Tranſiſulaniâ varii, & Synodus in ſequentem annum Amſterdamum conſcripta, omnibus perpendendum. In eo ſupra modum felices, quod ne quidem rogato Superiorum conſenſu, ſuo arbitrio & indicant, & agant Synodos, prout ipſis viſum.

Cæterum ſingularia aliqua hęc ſecta habet: in politiam incurrentia, ob quę adverſus eam Politicis diligentius vigilandum: præter turbas iſti connatas, dogmata in pacem & ordinem Reip. peccantia, de excommunicatione & excommunicatorum, quantumvis conjugatorum, mutuâ fugâ, quæ domeſticam æque & politicam tranquillitatem infeſtant. Quare hoc argumentum ſæpius D.D. Ordinibus expoſuerunt Eccleſiæ. Synodus Amſtelodamenſis, a. cIↄ Iↄ xcv. qu. V I I. Hornana, a. cIↄ Iↄ xcv I. art. xv. Emdana, cIↄ Iↄ c I I I. art. xv. Adde Alcmarianam, cIↄ Iↄ c v. art. V I I. Similiter matrimonia illorum clandeſtina, Synodus Harlemenſis, cIↄ Iↄ c. art. xv. Hornana, a. cIↄ Iↄ c xl I. art. xxxv. Enchuſana, a.

a.cIↄ Iↄ c xl i i.art. xxxv i.Edamenſis,a.cIↄ Iↄ c xl i i i. art. xxx i, Alcmariana, cIↄ Iↄ c xl i v. art. xx ix. & xxx i i i. Amſteldamenſis, cIↄ Iↄ c xlv i. art. xxv. Scripſit olim Joh. Schwebelius, Bipontinus Theologus, epiſt. ad Philippum Melanthonem, a.cIↄ Iↄ xxx. *Memini me in Conventu Spirenſi hortari D. Iacobum Sturmium, ne Anabaptiſtas in urbem veſtram reciperetis, futuros aliquando permoleſtos hoſpites: vides in eo genere cum ſumma inſcitia conjunctam incredibilem quandam αὐθάδειαν, & opiniones habent nimium aptas civitatibus, de Bonorum communione, & ſimiles fanaticas perſuaſiones, mihi perinde obſeſſi videntur, ut olim, qui ſubitò ἐκστάσει quadam rapiebantur ad quærendas Divorum ſtatuas.* Preterea quia doctrina Anabaptiſtraum quorundam hodie multam partem inclinat ad Socinianiſmum, quem Edicta politica dudum regionibus noſtris exterminarunt, operæ pretium eſt qua politicè, qua Eccleſiaſticè providere, ne ſub illorum nominibus latenter Socinianiſmus irrepat, quin potius patroni illorum ad hoc tenendi, ut fidejubeant de non intromittendâ per ſe vel directe, vel indirecte exitioſiſſimâ hæreſi. Certe ferè eſt, uti aliàs dixi, Anabaptiſta indoctus Socinianus; Socinianus autem, doctus Anabaptiſta.

Quod ad illos *convincendos*, agendum inſtandumque diſputationibus, & *Colloquiis*. Quem in finem crebræ iiſcum à primis temporibus inſtitutæ à Noſtris, Zuinglio præſertim, Oecolampadio, Vrb. Regio, Ioach. Vadiano, Mart. Micronio &c. Collationes, & Congreſſus. Tiguri anno cIↄ Iↄ xxv. Et quidem iſto anno ter, primum d. xv i i. Ianuarii; iterum, d. xx. Martii: demum d. v i. Novembris, per triduum integrum, ac poſtea pluries; ut Zuinglius ſcripſerit, in epiſt. ad Eſlingenſes, anno cIↄ Iↄ xxv i. *Doctrina ipſorum ſepties publicis & liberis colloquiis confutata eſt.* Baſileæ, ab Oecolampadio, anno cIↄ Iↄ xxv i i. Eodem anno Auguſtæ, ab Vrbano Regio, & aliis. Bernæ, anno cIↄ Iↄ

XXVIII. Iterum Baſileæ, anno cIↃ IↃ XXIX, Bernæ altera cum illis habita diſputatio, anno cIↃ IↃ XXXI. Zofingæ, in ditione Bernenſi, anno cIↃ IↃ XXXII. Eodem anno Argentinæ, cum Melch. Hofmanno. Genevæ, à Calvino repreſſi, anno cIↃ IↃ XXXVII. Georgius Caſſander bis cum illis coram diſputavit, de quo inter ejus opera fol. 1227. Semel cum Iohanne Kremer a. cIↃ IↃ lVIII. captivo in Comitatu Marchiæ. Iterum a. cIↃ IↃ lVI. cum Matthiâ aliquo, Coloniæ. Sequuta Protocolla celebria, Francothalenſe, anno cIↃ IↃ lXXI. Emdanum, anno cIↃ IↃ lXXIX. Leovardienſe, anno cIↃ IↃ XCVIII. quorum poſteriorum etiam meminit in Annalibus ſuis celebris noſter hiſtoricus, Petrus Borr, lib. XIII. & lib. XXXIII. Et Eccleſiæ noſtræ ſemper bonum ac utile cenſuerunt, Adverſarios ad diſputationem & Colloquia provocare. Synodus Hornana, a. cIↃ IↃ lXXX & a. cIↃ IↃ lXXVI. imploratâ eum in finem Gubernatoris Theod. Sonnoyi auctoritate. Enchuſana, a. cIↃ IↃ lXXVIII. art. IV. Alcmariana, cIↃ IↃ XCIII. art. XI. Edamenſis, cIↃ IↃ XCVIII. decernit provocandum in diſputationem Hans de Ries.

Scripſerunt adverſus Anabaptiſtarum errores pluriſimi, Zuinglius, Lutherus, Melanchton, Oecolampadius, Vrbanus Regius, Iuſtus Menius, Bullingerus, Ioh. à Laſco, Caſſander, Guido de Bres, Ioh. Taffin, Herm. Buſchius, Car. Gallus, VVigandus, Ioh. Tayo, Caſp. Heidanus, Ruardus Acronius, Ægid. Hunnius, Luc. Oſiander, H. Faukelius, Petrus Pauli, Herm. Moded. Abr. Coſterus, Gerardus Nicolai, Franc. Lanſpergius, Ampſingius, Ioh. Seu, Rob. Puppius, Ainſworth, Adrianus Voſſenholius, Vdemannus, Cloppenburgius, Abrah. Dooreſlaer, cum Petro Iacobi Auſtro-Sylvio, Iac. du Bois, Bontemps, Spanhemius. Iam ab anno cIↃ IↃ XCIX. Eccleſiæ noſtræ cenſuerunt, ſingulare Volumen Controverſiarum Anabaptiſticarum, quo præſertim illorum ſententiæ referrentur, & dilu-

lu-

luerentur argumentat, conficiendum: quod operis primum ſuſceperat Arminius, paſtor tum Amſtelodamenſis, & aliquò uſque perduxerat, verùm ad profeſſionem Theologicam vocatus in Academiam Leidenſem, veritus ſe, & heterodoxiam ſuam promere, tum cauſatus varias operas, & ſtudium poſitum in confutandis erroribus Papiſmi, revera in ſuis evomendis diſſeminandiſque, intermiſſum fuit & ſuffocatum. Inque Synodo Alemarianâ anno cIↄ Iↄ c v, declinati à ſe illius operis hanc cauſam dedit, quod inde forte apud aliquos in ſuſpicionem veniret heterodoxiæ alicujus in nonnullis Theologiæ articulis. Inde in Synodo Enchuſanâ anno cIↄ Iↄ c xxiv. Ripperto Sixti, & Petro Iacobi Auſtro-Sylvio injunctum, ut Mennonitarum Confeſſiones, præſertim recentes omnes diligenter conquirerent, controverſias enotarent, diſcuterentque. Deinde ſolus in hoc opere relictus Auſtro-Sylvius, ab anno cIↄ Iↄ c xxvi. cui, poſtquam id aliquoties petiiſſet, ſocius operis adjunctus Abrahamus à Dooreſlaar, anno cIↄ Iↄ c xxviii. In Synodo Amſtelodamenſi, conjunctis operis tandem ediderunt anno cIↄ Iↄ c xxxvii. noſtrâ linguâ, Corpus Controverſiarum Anabaptiſticarum, ubi exactiſſimè tamquam in tabula variæ Anabaptiſtarum opiniones, ex propriis ipſorum ſcriptis (quorum catalogum in operis proœmio exhibent, & exemplaria ſervantur apud venerandum ſenem, atque de Ecclefiis noſtris hinc adverſus Anabaptiſtas, inde Remonſtrantes optimè meritum Abrah. Dooreſlaar) tamquam in Digeſtis enotatæ conſpiciuntur. Opus arduum & præſtans, quod multam lucem cognoſcendis hiſce controverſiis, & magnum uſum præſtat ad facile feliciterque diſputandum: factum uti ex Synodi Enchuſanæ anno cIↄ Iↄ c xxx. Actis, art. xxxiv. video, loco prodromi, ad extruendam hinc plenam Anabaptiſmi Confutationem, quod levi operâ ad illam controverſiarum deductionem & expoſitionem

nem

nem addi nunc poſſet. In diſputatione iiſcum obſerva, ut magis diſputes modo Socratico, per preſſas interrogationes, quam Ariſtotelico: ſunt enim homines multi verſipelles, illiterati, loquaces, qui ſuis facile conſtringi & capi poſſunt theſibus ac verbis, quoſq; nimis operoſa vel doctâ reſponſione non debemus videri majoris pretii facere, aut eruditionis & judicii æſtimare, quam revera ſint. Sed & videndum quam maxime, ne illis in iis, quæ proba, cedamus ullo pacto, ut in morum ſimplicitate, non autem fucatâ; in Scripturæ ſtudio & cognitione: quo nomine illos demiratur potius, quam prædicat Florimundus Ræmundus, lib. II. de Origine hæreſ. cap. III. ubi hæc ejus verba nequidquam diſſimulanda: *Memini me non numquam medium inter decem aut duodecim horum mortificatorum (ſic enim videri volunt) varia de ipſorum religione cum ipſis diſputaſſe, illoſque quamvis nauta eſſent ac deſpicabiles homines, ad omnia quæcumque inciderant, Scripturæ aliquem locum in numerato habuiſſe.* Sed hoc Pontificium, in alio quam ſuæ ſectæ homine demirari non novum. Iterum c. ſeq. de Anabaptiſtarum moribus: *Quum Burdigalam noſtram variæ nationes è plaga Septemtrionali negotiandi cauſſa confluere ſoleant; volupe mihi nonnumquam fuit diverſarum religionum homines convenire, ac ſermonem cum eis conferre, ac præſertim cum Anabaptiſtis, ut myſteria ejus religionis perdiſcerem. Hic fateor me non ſemel ingenii perculſum admiratione, quum viderem eos in mediis negociorum turbis eundem vultum atque eundem animi ſtatum ſemper ſervare, nec ulla injuria, ira, aut quocumque alio affectu ab eo dimoveri; eundemque vivendi morem atque inſtitutum inter tot nationum colluviem retinere. Quum Anno* MDXCVIII. *in horum aliquot incidiſſem, eo tempore quo tota noſtra Aquitania extrema fame laborabat, poſt multa ultro citroque verba, unus ex iis liberrimo vultu & ſermone ita infit: An vos Catholici, Chriſtiani dici vultis, qui deliciis immerſi, ante fores fatres veſtros jacere ſinitis? En plateas*

plateas veſtras languentibus & ſemimortuis plenas, interea dum menſæ veſtræ ciborum & vini deliciis redundant. En laceros illos & cutem nudam oſtendentes; dum vos byſſo & ſerico veſtiti, ſuperbitis. Non hoc apud nos fieri ſolet. Nemo noſtræ religionis panem ſuum emendicat. Si cui quid deſit, id reliquorum fratrum liberalitate ultro ſuppletur. Nemo apud nos eleemoſynam petit; ſed nec quiſquam ocioſam vitam ducit. Omnes laboramus. Quod ſi quis naufragium aut jacturam faciat, ea communi omnium contributione ex parte reſarcitur. Hæc ſcriptor Pontificius, de hominibus, ſe ſuiſque (fateor) multum melioribus. Verùm enotemus illorum Controverſias, non hujus aut illius Cœtus, (ſcimus enim ab alio ſæpe improbari, quod hic affirmat) ſed quas communiter nobis faciunt.

I. Num ſola Novi Teſtamenti Scriptura, & non etiam Veteris, ſit canon fidei? *Neg.*

II. An præterquam ex Scripturâ S. canonicâ, etiam ex libris Apocryphis (qui vocantur), certam articulorum fidei probationem petere liceat? *Neg.*

III. An de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. uſurpandę voces *Perſonarum, & Trinitatis*? *Aff.*

IV. Num in Deo tres ſint diſtinctæ eſſentiæ? *Neg.*

V. An cauſa prædeſtinationis divinæ, quâ hominum alios in æternam ſalutem elegit, alios non, ſit ſolum Dei beneplacitum? *Aff.*

Num verò ejus cauſa ſit apud homines; ut quos Deus præſcivit credituros & obtemperaturos ſibi, atque in fide & obedientiâ perſeveraturos, ideo eos elegerit; contrà alios, ob pręviſam improbitatem, reprobarit? *Neg.*

VI. Num voluntas Dei, & prædeſtinatio ſit mutabilis? *Neg.*

VII. An Dei providentia omnia & ſingula regat, etiam mala, (quà permittendo, quà gubernando) juxta æternum ſuum de iis conſilium? *Aff.*

VIII. An primi homines fuerint creati juſti & ſancti? *Aff.*

IX. Primus homo, ſiquidem non peccaſſet, non fuiſſet moriturus.

X. Annon omnes naſcantur cum peccato originali? *Aff.*

XI. Num poſt lapſum etiam permanſerint in homine vires liberi arbitrii, ad præſtandum bonum ſpirituale? *Neg.*

XII. An Chriſtus carnem ſuam habeat ex ſubſtantiâ matris Mariæ?

An verò ex eſſentiâ, ſeu ſemine Patris (uti loquuntur); aut ex materiâ, eſſentiâ, & mutatione Verbi in hominem; aut alio quo pacto ex cœlo attulerit; vel an ignorari debeat, unde ſumſerit? *Aff.* prius: *Negantur* reliqua.

XIII. Num unio naturarum in Chriſto, divinæ & humanæ ita ſe habeat, ut divina facta ſit viſibilis, paſſibilis, & mortalis? *Neg.*

XIV. Num legem Moſis moralem Chriſtus novis præceptis correxerit, atque adauxerit? *Neg.*

XV. Num Chriſtus morte ſuâ pro omnium & ſingulorum hominum peccatis æque ſatis fecerit? & omnes Adami poſteros, à communi, ex Adami peccato, reatu actu redemerit, & reconciliarit Deo? *Neg.*

XVI. Num gratia, & ſpiritus converſionis omnibus hominibus univerſe offerantur? *Neg.*

XVII. An Deus per ſolam Spiritus S. operationem, fidem & converſionem in homine efficiat?

An verò homo per ſuam cooperationem ſibi fidei & converſionis author ſit? *Aff.* prius. *Neg.* poſterius.

XVIII. An nullo unquam caſu Chriſtiano homini jurare liceat? *Neg.*

XIX. Num Chriſtiano nefas ſit fungi officio Magiſtratus politici, eòque gladio uti, vel in reos, vel in bello adverſus hoſtes? *Neg.*

XX.

xx. An Deus ita fideles & filios ſuos, in Chriſto conſervet, ut non ſinat eoſdem planè à gratiâ excidere? *Aff.*

xxi. Num eò perfectionis homo in hâc vitâ pervenire queat, ut ſit abſque omni peccato? *Neg.*

xxii. Num inter Miniſtros Eccleſiæ ſervari debeat imparitas illa, ut alii ſint ſimpliciter Concionatores, vel Admonitores, alii autem Epiſcopi, qui præter miniſterium verbi, etiam ſacramenta ſoli adminiſtrent, & pluribus præſint Eccleſiis, non ita alii? *Neg.*

xxiii. An Miniſtris verbi, ut miniſterio ſuo toti vacent, debeatur certum ab Eccleſiâ laboris ſui ſtipendium? *Aff.*

xxiv. Num conveniat, ut Miniſter in publico Eccleſiæ conventu, juxta cum aliis, tacitè precetur?

An verò deceat clarâ voce aliis in precando præire? *Neg.* prius: *Aff.* poſt.

xxv. Num ſolùm aliqui Davidis Pſalmi in Eccleſiâ cantandi? an omnes? *Neg.* prius. *Aff.* poſt.

xxvi. An etiam fidelium infantes baptizandi? *Aff.*

xxvii. Num ſemel baptizatos benè rebaptizent Anabaptiſtæ? *Neg.*

xxviii. Num Eccleſia peccantem aliquando etiam citra antecedentem admonitionem excommunicare poſſit, vel debeat? *Neg.*

xxix. Num qui peccavit, quantumvis reſipiſcentiam agat, nihilominus tamen excommunicandus ſit? *Neg.*

xxx. Num excommunicatio Eccleſiaſtica dirimat vinculum divinum, & humanum, ſocietatis naturalis, domeſticæ, & politicæ? *Neg.*

xxxi. Annon hominum animę poſt hanc vitam ſtatim, piorum in cœlis fruantur beatitudine; & impiorum pœnas ſentiant infernales? *Aff.*

Vel potius omnes ignoto aliquo loco ad diem judicii quieſcant, & quaſi dormiant? *Neg.*

Liber Sextus

DE

ENTHUSIASTIS,

ET

LIBERTINIS, &c.

DE Enthuſiaſmo, & Enthuſiaſtis. Primi, Anabaptiſtæ præcedentis ſæculi. Varium iſtorum hominum genus. De Theologia Germanica. Controverſiæ cum Enthuſiaſtis. de Davide Georgio: ejus themata, vel quæſtiones. De Libertinis: in Belgio, in Gallia. Deiſtis. Theſes Libertinorum. De Henrico Nicolai, & Familia charitatis. De Weigelianis. De Fratribus Roſeæ crucis. Swencfeldo. Matth. Vejero. Jeſaia Stifelio. Ezechiele Metz. Refutatio libelli, ad legem & ad teſtimonium.

E*Nthuſiaſmus*, ſive afflatus in animum aut mentem, alius eſt *bonus*, alius *malus*. Ille, *à Deo*: ſive modo & viâ *ordinariâ*, communis omnibus fidelibus & ſanctis, qui à Dei ſpiritu aguntur, & reguntur. Ioan. III. 8. I. Cor. XII. 3. ſive *extraordinarius*, qualis Prophetis, & Scriptoribus ſacris contigit. II. Tim. III. 16. II. Pet. I. 21. Malus eſt, quem *à Diabolo* homines patiuntur: vel à ſuis propriis *illuſionibus*: vel quando divinum enthuſiaſmum fingunt ſibi & pingunt, *fictitius* plane, & ementitus. II. Theſſ. II. 2. Hunc impræſentiarum ſpectamus, in quo nil obſtat, quin omnia mali enthuſiaſmi genera vel ſpecies quandoque concurrant, ut idem, qui divinum enthuſiaſmum temerè fingit, & à ſuis phantaſticis imaginationibus deludatur, & à Satanicis vexetur, in juſtam mentiti ſa-

cri

cri ſpiritus pœnam. Quales Maſſaliani, vel Euchitæ veteres, de quibus Harmenopulus: *vocantur etiam Enthuſiaſtæ; nam agitatione dæmonis occupati, putant eam eſſe Spiritus ſancti.* Ementitus enthuſiaſmus eſt, quando quis ſuis opinionibus, doctrinæ, aut factis extraordinarium divini Spiritus prætendit & mentitur afflatum, cœleſteſque revelationes. Cujuſmodi homines quovis tempore fuerunt varii, qui viſiones, & ſomnia, allocutiones ſeu Angelicas, ſeu divinas, & revelationes cœleſtes jactarunt. Sub V. T. Pſeudo-Prophetæ divinas apparitiones, collocutiones, & mandata commenti. Deut. XIII. I. I. Reg. XXII. II. Et in N. Teſt. II. Theſſ. II. 2. I. Ioan. IV. I. &c. A tempore Apoſtolorum, in primâ Eccleſiâ, præter *Cerinthum* fuit *Montanus*, qui Paracletum in ſe potius, quam in Apoſtolos deſcendiſſe, dicebat; & aſſumtis duabus Prophetiſſis Priſcâ, & Maximillâ, ecſtatica multa jactabat, atque à Spiritu Paracleto omnia ſua provenire dogmata. Hujus id vulgare erat verbum, ab Epiphanio notatum, hæreſ. XLVIII. *homo velut lyra, & ego velut plectrum.* Spirituales ſe; cæteros autem homines pſychicos & animales appellabant. Quę apud Tertullianum non uno in loco occurrunt, ubi in Montaniſtarum deliria ille tantus vir prolapſus fuerat: quin librum integrum *adverſus Pſychicos* conſcripſit, de jejunio: cumque de *ecſtaſi* libros ſex feciſſe, author eſt Hieronymus. Habuerunt olim, quos hoc nomine deſignarent, *Enthuſiaſtas*, qui *Meſſaliani*, & *Euchithæ* etiam dicti, in mediam hominum turbam quandoque proſilientes, dein miris geſticulationibus, verbis, ſtrepitu, quaſi furore ſacro correpti prophetabant, orabant aſſiduo, & ſomniis dediti, *ἐνθουσιάζειν τὰς τῶν ὀνείρων φαντασίας καλοῦσι*, inquit Harmenopulus, lib. *de Sectis*. Talis etjam Muhammed fuit, impoſtorum quotquot unquam terram triverunt, maximus, qui ſua cum Angelo Gabriele colloquia, & divinas revelationes, raptuſque

apud

apud agreſtem & veſanam gentem crepans, maximam hominum turbam poſt ſe & furores ſuos traxit, perdiditque. Enthuſiaſmus non ita in malum vulgò ſonat, ac enthuſiaſta: unde & titulum libri fecimus, de Enthuſiaſtis, non de Enthuſiaſmo, uti ſupra de Anabaptiſmo, Papiſmo &c.

Noſtro ſæculo, initia Anabaptiſtarum ab Enthuſiaſmis fuerunt, primique ſectæ iſtius authores Enthuſiaſtæ: uti olim quoque Montaniſtæ enthuſiaſmum, & anabaptiſmum unà conjunxerunt: de quibus Philaſtrius Brixienſis auctor eſt, rebaptizare ſolitos, quos ſeduxiſſent homines. Noſtro ſæculo, vel ab exordio Anabaptiſtarum, primi & anabaptiſmi, & enthuſiaſmi, (nam & primum Anabaptiſtarum, quo denotati fuerunt, nomen fuit Enthuſiaſtarum) patroni extitere *Nicolaus Storck* vel *Ciconia*; *Thomas Muncerus*, qui Ruſticorum ſeditioſum quem ducebat exercitum, revelationibus ſuis paſcebat ac gubernabat, ejuſque methodum in enthuſiaſmis ſervatum breviter memorat Chemnitius, *loc. Com. part.* 1. *de lib. arbitrio cap.* VIII. ubi de illo in hunc modum: 1. *Ponit ante auditum verbi præparationem ſeu diſpoſitionem per mortificationem, illam vocat* Entgröbung. 2. Studierung/ *legere, audire verbum.* 3. Verwunderung/ *id eſt, dubitare, an verum ſit quod in verbo legis & audis, & petere talem ſenſibilem revelationem, ut nihil dubitationis vel diffidentiæ reliquum ſit. Et quidem ita orare juſſit ſuos auditores, exſpuentes in cælum:* Vatter gib mir ins Hertz die außgeſtrackte Luſt zu deiner Gerechtigkeit/ wo nicht/ ſo will ich dich und alle deine Apoſtel verleugnen. 4. die lange Weil/ *quando adhuc cum peccato pugnandum eſt.* 5. Beſprengung/ *id eſt, in revelatione per vivam vocem Dei erudiantur.* Und kompt der Beſitzer in das inwendigeſt/ und gibt ins Hertz ein gewis Urtheil von allen Dingen/ und wird alſo der menſch den Creaturen entriſſen. Anabaptiſtæ apud Helvetios, *Conradus Grebelius*, & qui ab ipſo in idem præcipitium abductus, Sangallenſium antea in Scho-

lâ Profeſſor, *VVolffangus Vlmian*; præterea *Melchior Hofmannus*, præſertim Monaſterienſes illi Turbones, *Iohannes Bocoldus* Rex, ſociique *Cnipperdollingus*, & *Bernardus Crechting*; tum *Batenburgici* qui ſic appellabantur, & cauſam Monaſterienſium acriter tuebantur; præ omnibus verò *David Georgius*, enthuſiaſmos & ecſtaſes ſomniabant, urgebantque. Confer Bullingerum, *lib.* II. *adverſ. Anabapt.* Vnde de Enthuſiaſtis ſua habet Lindanus, in *Dubitantio. Dial.* XII. & ex hoc Prateolus, in *Elencho Hæreſium. lib.* V. *num.* 12.

Homines Enthuſiaſtici ſunt non unius generis, alii haud vulgares faciunt ſuos enthuſiaſmos, ſed admodum *ſingulares*, & revelationes, viſiones, ſomnia, oracula: eaque ad portentoſa, extraordinaria, & flagitia inſignia peragenda, quales erant Monaſterienſes, ipſorumque ſimiles. Alii magis *communes* habent enthuſiaſmos, etiam aliis à ſe quin communiter ſuæ ſectæ hominibus contingentes; qui adverſus verbum Dei, & Scripturæ S. regulam, ſuo ſpiritu duci amant, & ex eo illud interpretari, & fidem, religionem, omniaque inſtituenda, aſſerunt. Illos ab hiſce haud gravatè aliquando damnari continget, quamvis eodem fere utrique genio agitentur, ſed ille turbulentus, enormis, truculentus; hic ſedatior, & ad religionem, fingendam ſaltem, magis videtur compoſitus. Hi omne ſuum odium in S. Scripturam evomunt, eam ſimplicem litteram, elementum, alphabetum criminantur, ſolis pueris, non adultis & ſpiritualibus, quales ipſi ſint ſcilicet, imperandam aut præſcribendam. Spiritum ſuum ajunt verum Dei verbum, internum, & ſpirituale normam & judicem Scripturæ; hoc audiendum, & ſequendum eſſe, non Scripturæ textum aut ſenſum verbalem: ac prout faſtidiunt ſimplicem & apertum Scripturæ ſtylum, ita obſcuris eum, inauditis, & cothurnatis loquendi modis myſticiſque exponunt: atque hoc ſpiritu correptos, ajunt ſe vulgo deificari. Anabaptiſtæ hodie cautiores,

&

& quamvis Spiritum ſanctum neceſſarium quidem faciant ad S. Scripturæ intelligentiam, exſerte addunt, hoc non eò facere, *quaſi Scriptura in ſe imperfecta ſit, vel per Spiritum S. interne aliud extra aut contra Dei verbum doceatur*: uti in Confeſſione ſua art. 1. de Scripturâ habet Nicolaus Nicolai, Cl. Cl. quod aperte eſt contra Enthuſiaſtarum tum axiomata, tum praxim.

De Enthuſiaſtis, & adverſus illos ſcripſerunt, *Philippus Marnixius*; & qui adverſus Anabaptiſtas, *Bullingerus*, *Calvinus*, *Spanhemius*, *Diſputat. Anti-Anabapt.* XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. parumque adeo adverſus illos ſcribendum videtur, qui inſanis dogmatis gyrant tum ſe, tum alios, erudiunt nullos, & quorum tam deploranda eſt amentia, ut quemadmodum ipſi ſolent cavere ne cum quopiam agant, niſi jam ſuæ ſectæ ſe addicente, & ſimpliciter ad accipienda omnia ipſorum placita tradente: ita ut ab alio, quam vertiginoſo & parum ſanæ mentis homine illa arripiantur, parum verendum eſt, pluſque conſtringendi in ſuis thematis, & ad contradictiones vel abſurda adigendi homines, quam ut cum iis ſerio vel ſollicitè multum diſputemus. Ipſorum omnia hinc facile coarguenda ſunt & confundenda, primò quod apertis frontibus in *S. Scripturam* incurrunt, eam petulanter repudiant, contemnunt: unde facile quæcunque Enthuſiaſticus Spiritus dictat, præter & contra Scripturam ſunt. Deinde, ad *turbas* vergunt ipſorum omnia. Denique ille Spiritus ſibi mutuo in diverſis hominibus, vel aliis alium æque jactantibus Spiritum, paſſim *contrariatur*, & variis ac contrariis dictatis ab hoc & illo confunditur facile & coarguitur. Quid ni enim liceat uni exſibilare Spiritum, nullâ certitudine ſe probantem à Deo eſſe, quam alteri iſtum aſſerere? vel quâ ratione non audietur ſpiritus aliquis in hoc dictans aliud ab illo ſpiritu, diverſumque, vel forte quid adverſum, ac contrarium? Ad duo præcipue attendere ſemper oportet, ad *Scriptu-*

ram,

ram, quam iſti homines vilipendunt; & Spiritus proprii *enthuſiaſmos*, quos ſequuntur & deprædicant. Prout facilis hæc ubique methodus, Deo ejuſque authoritate repudiatâ, ſibi, quantùm quis Deo abſtulit, arrogare. Homines hi Dei verbum mancum, mutilum, obſcurum dicunt, non omnibus ſemper, non ipſis videlicet perfectis & adultis ſimpliciter ſequendum, ſed Spiritum, ejuſque afflatus, & dictata, præter etiam ac contra Scripturam. Quum *Scriptura* non ſolum perfectiſſima religionis regula ſit, ſemper & in omnibus ſequenda, II. Tim. III. 16. 17. Ephcſ. II. 20. quæque alias, præter ſe, regulas reſpuit, & condemnat. Deut. v. 32. & XII. 31. Apoc. XXII. ſed & *Spiritus* iſtiuſmodi quod attinet, cavere nos jubeat. I. Tim. I. 4. I. Joann. IV. I. & jactatas fruſtra confictaſque revelationes. Gal. I. 8. II. Theſſ. II. 2. Iam quod ad hos ipſorum *enthuſiaſmos* ſpectat, ſpiritumque enthuſiaſticum, hoc eum imprimis refellit, quod ſe palam Dei verbo opponit, non authoritati ſolum ejus, ne eo habeatur loco & honore, quo debet; ſed & veritati dictorum, quam non ex ipſis, ſed ſuis φαντασίαις cupiunt explicari. Tum, quo ſe argumento ille ſpiritus comprobat divinum, audiendumque eſſe? nullo. Imo exinde, quod dictata ejus ſunt improba, blaſphema, turbulenta contra Reſpublicas & Eccleſias, aliter ac Deus qui omnis ordinis & pacis in Sanctorum Eccleſiis, nullius autem ἀκαταστασίας auctor eſt, I. Cor. XIV. 33. everſiva S. miniſterii, tollentia certitudinem fidei in fidelibus, contraria mutuò, viam pandentia quibuſvis ſpiritibus peſſimis & hæreſibus, colligitur qualis ſit iſtorum auctor Spiritus. Denique quo feſtivo adverſus illos utitur argumento Marnixius: quum illi nos velint convincere ſuo ſpiritu, noſter quid ni æque valeat adverſus ipſos, certiſſime teſtans & clamans omnes illorum enthuſiaſmos falſos, vanos, atque improbos eſſe? Quod dicant, ſuum verum ſpiritum eſſe, non ita noſtrum, ridiculum eſt,

eſt, præſertim ubi genuinum ſpiritus indicem & probam tollunt, quæ eſt Scriptura Sancta, & nuda ipſorum aſſeveratione nos non magis tenemur, quam vel ipſi noſtrâ, aut utrique aliorum: & ipſorum quidem ſpiritus tot ineptis & perverſis infandiſque effectis ſatis ſe ipſum convincit.

Nullius eſt quod vulgo occinunt, ex II. Cor. III. 6. *littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.* Neque enim vel per litteram ibi intelligitur verbum Dei, litteris comprehenſum, non omne iſtud, non Euangelium, ſed ſola lex, quatenus illa, ejuſque miniſterium opponitur miniſterio Euangelii, uti in ſequentibus Apoſtolus illud miniſterium mortis, hoc ſpiritus, illud condemnationis, hoc juſtitiæ appellat: nequaquam etjam per ſpiritum intelligit Apoſtolus Enthuſiaſticum illum, ſed Spiritum Euangelii, vel novi Teſtamenti, unde dixit: *Deus nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritus: littera enim &c.* Hinc quaſi meri ſpirituales homines ſint noſtri Enthuſiaſtæ, quando de re aliqua, vel ſacris loquuntur aut ſcribunt, tam ſublimi, cothurnato, & allegorico utuntur ſermone, ut nec aliis, nec ſibi intelligantur: *tantam fundunt in tumore ſapientem ſtultitiam*, quod de Valentinianis dixit Irenæus, ut nec ſpirituales ſint, neque litterales. Fuerunt ſub Papatu, qui vel inſcii, vel imprudentes viam multùm ſtraverunt Enthuſiaſticis illis, ſuâ Theologiâ *myſticâ*, quemadmodum loquuntur, & libellis pietatis: in quibus, terminis & phraſibus duris, myſticis & allegoricis, tum inſpirationis, tum deificationis &c. ſæpicule uſi, qui ab aliis pro enthuſiaſmis habiti vel accepti poſtea fuerunt. Quales, *Iohannes de Schoonhovia*, *Ioh. Taulerus*, quem inter Pontificios, Eckius; inter noſtros, Marnixius carpunt: defendit autem Lud. Bloſius, ſingulari pro eo apologia: *Iohannes Ruisbrochius*, Belga, qui multa ſcripſit ſuo idiomate, & in latinum converſa ſunt, atque edita Coloniæ: quem repre-

hendit Iohannes Gerſon; at iterum Dionyſius Carthuſianus, & Bloſius defendunt: *id enim accidere ſolet iis, qui ſcribunt de myſticâ Theologiâ, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur*, inquit Bellarminus, de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

In eundem cenſum refero libellum, *Theologia Germanica*; pro quo in Belgicum tranſlato legitur commendatio Lutheri, eâdem facilitate ac imprudentiâ, quâ Oecolampadius Swencfeldum (non dico Zuinglium, eundem, ſed ad alterius argumenti librum: *Confutatio Impanationis ac Tranſſubſtantiationis*, laudaſſe) teſtimonio ſuo ornârat, pro libello ejus, *de curſu verbi divini*. Quis auctor libri *Theol. Germanicæ* ſit, vulgo ignoratur. Videtur ſibi Beza, in epiſtolâ ad Guljelm. Gratarolum Medicum, quæ eſt epiſtolarum ejus XLVI. hominem deprehendiſſe: quærit modo, an tutò affirmare poſſit, vel probare teſtibus & idoneis argumentis, ſiquidem ille inficietur: vocat, hominem improbiſſimum: in latinum etiam converſus liber, & impreſſus Antverpiæ, anno CIↃ IↃ LVIII. ſub nomine Iohannis Theophili. Sacerdos, ex Teutonicorum ordine, aliquibus perhibetur ejus auctor. In ſcripto quodam fratrum Roſeæ Crucis, cui tit. *Frater crucis Roſatæ*, anno CIↃ IↃ CXVII. adſcribitur Taulero: & hinc commendatur ibidem Pontificiis primum, tum etiam Reformatis, Anabaptiſtis, Lutheranis, his præſertim, propter commendationem illam Lutheri. Exemplar meum Germanicum anno CIↃ IↃ LXI. Schwencfeldum authorem præfert. Quidquid ſit, fundamenta Enthuſiaſmi & Libertiniſmi apud eum occurrere, ſaltem incautâ & prodigioſâ ſuâ locutione, ut quando cap. XIV. ait: Vetus homo eſt Adamus, & inobedientia, ipſeitas, egoitas, & ſimilia; at novus homo Chriſtus & obedientia &c. Antagoniſtæ Libertiniſmi, & Familiſmi jam annotarunt Iohannes Knewſtub, in *Dedic. Confutationis H. N*,

& Rheturfurd, *adverſus Antinomos part.* 1. *cap.* XIV.

Cum omnibus iſtius farinæ hominibus neutiquam operoſè diſputandum eſt: nam neque id merentur illorum dogmata & opiniones, quæ difficultatem nullam magnam continent, neque illos reddes eo magis dejectos aut convictos; quin uti cum improbitate, audaciæ impudentiæque litare propoſitum illis, ita inde prius animos ſumunt, atque inſurgunt arrogantiores, ſi prolixe refutentur, quaſi tanti fiant, & ipſorum ſententiæ non levi labore oppugnari poſſint. Quod in Helvidio notavit Hieronymus, cujus confutationem hoc aggreditur exordio: *Nuper rogatus à fratribus, ut adverſus libellum cujuſdam Helvidii reſponderem, facere diſtuli, non quod difficile fuerit hominem ruſticanum, & vix primis quoque imbutum literis, ſuper veri aſſertione convincere: ſed ne reſpondendo dignus fieret qui vinceretur.* Ego potius contemnendos exiſtimo, & quantum in illis ſanandis plerumque fruſtra impenditur operæ, tantum aliorum causâ, quos adverſus ſeductionem muniri & moneri oportet, detegenda quidem illorum *κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης*, & *τὰ βάθη*, & in quæ principia atque *ἀνόητα* dogmata incurrant, ſed abſque multo opere & moleſtiâ, digito quaſi oſtendenda arbitror: longas multaſque adverſus illos ſcriptiones faciendi ego author non ſum. *Quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodo demonſtrare, deſtruere eſt*, inquit Tertullianus: planè uti de Valentinianis, Idem in initio libri, quem adverſus illos ſcripſit: *Si bonâ fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, Altum eſt, ajunt. Si ſubtiliter tentes, per ambiguitates bilingues, communem fidem adfirmant. Namque nihil magis curant, quam occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant.* Et adverſus Enthuſiaſtas quidem hæ controverſiæ.

1. Num Scriptura S. non ſit verum, & unicum, atque ſufficiens Dei verbum, nec perfecta omnibuſque

ſem-

ſemper neceſſaria fidei regula, explicanda & intelligenda juxta verborum ſenſum, ſed juxta liberum & proprium cujuſque ſpiritum, afflatum, quaſi verbum internum, & verum, atque illud terminis & locutionibus novis, ſublimibus & miris, ſupra modum allegoricè, myſticèque? *Neg.*

II. Num homini aliquod ſingulare & proprium ſabbathum, vel quies animæ ſuæ frequentanda ſit, quâ omnium vacuus, in ſe abire, hærere, ac præſtolari debeat cœleſtem à Deo enthuſiaſmum, qui tum ſit certiſſimum Dei verbum, & ſpiritus? *Neg.*

III. Num homines in ſe, ac ſpiritu ſuo omnia habeant, & tantummodo eum ſequi, ceu omnium credendorum, & faciendorum normam, debeant? *Neg.*

IV. Num ſpiritu illo acti, ita in Deum rapiantur, & cum eo uniantur, ut deificari ipſos contingat? *Neg.*

Enthuſiaſtarum & Libertinorum apud nos coryphæus fuit *David Georgii*, Hollandus, Delfis natus, parentibus infimæ ſortis, ipſe litterarum rudis, ſed ingenio ad præſtigias facto, & faſtuoſo, qui vitri pictoriam artem primum exercuit, partibuſque Anabaptiſtarum ſe adjungens, propter concordiam aliquam inter illos, ſua potiſſimum opera, ictam, in oppido VVeſtphaliæ Bockholt, Doctor haberi, & propriam, ſed infandam omni ex parte, quà doctrinæ, qua vitæ ratione, ſectam erigere tentavit, ubi ſe Davidem ſecundum ſpiritum eſſe, verumque Meſſiam Chriſto prȩſtantiorem, ſuam doctrinam præ Moſaicâ, & Chriſti eſſe perfectiorem, polygamiam licitam, & peccati ſenſum, infernos, Dæmones nihil eſſe, docuit. Cœpit ad annum cIↃ IↃ XXVII. Patria extorris ob edicta & perſequutiones contra Anabaptiſtas, alioſque religioni Papali adverſantes, Baſileam ſe contulit, anno cIↃ IↃ XLIV. & multos annos ſe illic clam, mutato nomine

in Iohannem Bruck, vel etiam ab agro & domo, quam emerat, Iohannem Brimingen, magnâque modeſtiæ ſpecie tenuit, diſcipulos interim in Belgio varios promiſſis multis, libriſque prodigioſis fovens, ſolis ejus inſciis Baſileenſibus & Helvetiis, apud quos non tenui fama opum vitæque agebat, uſque dum Baſileæ mortuus anno cIↃ IↃ l I I. & honorificè ſepultus, detectâ tandem ejus improbitate & impoſturis, juſſu Senatus per carnificem, triennio fere ex quo obierat, effoſſus, & publicè una cum libris, quos varios linguâ Belgicâ ſcripſerat, ſuiſque crebro ſubmiſerat, & effigie in ejus ædibus repertâ, concrematus fuit anno cIↃ IↃ l IX. Hiſtoriam edidit Academia Baſileenſis, & exſtat converſa in Belgicum, eamque accurate perſequutus eſt Thuanus *lib.* XXII. & Nicolaus Bleſdikius, Davidis gener, in Hiſtoriâ Soceri ſui, à quo ſe circumventum agnovit, & meliora poſtea ſapuit, una cum aliis Davidis, ſive Bruckii dicti filiis, & generis, cujus Nicolai Meinardi Bleſdikii partem Hiſtoriæ Davidicæ aliquam editam debemus Clariſſimo viro, & amico noſtro D. Iacobo Revio. Denique Vbbo Emmius, Rector Groninganus, libello vernaculo, *de Spiritu David-Ioriſtico* ſcenam hominis nobis pandit atque explicuit. Adeoque quum adhuc in Belgio eſſet, ſub nomine proprio Davidis notus, multis impoſuit, ut nobiliſſimus vir Iohannes à Laſco, ſub initium anni cIↃ IↃ xl IV. ad illum litteras haud ſemel inſcripſerit, *Dilectiſſimo fratri Davidi Georgii, verbi divini miniſtro &c.* quarum in ſuâ hiſtoriá meminit is, quem diximus, Nicolaus Bleſdikius. Interim Apologiam ſcripſit ſermone vernaculo, ad Annam Oldenburgicam, a. cIↃ IↃ xl. quâ omnia fere negat ſibi objecta probra, & dogmata. Quod autem revelationibus, & divino alloquio omnia tribuerit, apertiſſimum eſt. *Fundamentum totius negocii nititur revelationibus, quas ſibi accidiſſe ait in ſuâ officinâ ſedentariâ, vel in ædium ſuarum conclavi,* id-

idque tertio aut quarto menſe poſt illud VVeſtphalicum colloquium, inquit Bleſdikius, pag. 18. & deinde per omnem vitæ ac doctrinæ ſuæ curſum ad idem ſemper recurrit, & revelationes cœleſtes jactavit inceſſanter. Quæritur hic,

I. Num Deus ultimò, poſt Chriſtum, ſe perfectiſſimâ revelatione manifeſtârit in Davide Georgio, tamquam in altero Chriſto, eoque præ priori meliori & magis ſpirituali? *Neg.*

II. Num cum iſto Chriſto Davide Georgio deſinere in Eccleſiâ debeat cultus omnis religionis externus, verbi prædicatio, Sacramentorum, & aliarum rerum uſus? *Neg.*

III. Num Angeli non ſint ſubſtantiæ incorporales, ſed tantùm animi cogitationes & motus: ſimiliter Dæmones, nil niſi carnis adverſus mentem rebellio? *Neg.*

IV. Num vita æterna, cœlum, Chriſti poſtremus adventus, judicium, infernus, intra hominem omnia ſint, & ſolùm hic, non alibi exſpectanda? *Neg.*

V. Num peccata omnia ſinguli palam in Eccleſiâ confiteri debeant? *Neg.*

VI. Num omnis genitalium pudor exuendus ſit, & deponendus, atque hoc ad perfectionem faciat? *Neg.*

VII. Num probanda, atque introducenda ſit polygamia? *Neg.*

VIII. Num inſtituenda bonorum omnium communio? *Neg.*

Quæ de Spiritu, eadem ſunt *Libertinorum*, qui ita appellantur, & cum Enthuſiaſtis paria faciunt, ita dicti, à prætenſâ ſpiritus ſui libertate, quam ſectantur. Atque hos non immerito Anabaptiſtarum prolem conſtituas. Quare Calvinus eodem opere edidit *Inſtructionem* adverſus *Anabaptiſtas*, atque adverſus *Libertinos.* Libertini noſtri ab abuſu libertatis, hujuſque

profano prætextu dicuntur, qui nullis verbi divini regulis, nulli diſciplinæ eccleſiaſticæ, aut profeſſioni aſtrictos ſe opinantur; ſed Spiritus ſui arbitrio vivendum eſſe; atque uti hinc ex unâ parte omnem rationem virtutis, peccati, pœnarum, ipſiuſque etiam inferni floccifaciunt, nullo iſtorum admiſſo diſcrimine; ita ex alterâ haud quaquam verentur Deum authorem peccatorum, eorum ſcilicet quæ nos pro malis, illi ſecus, merito habemus, facere. Profana & execranda profecto hominum improbiſſimorum ſecta, cujus religio eſt, nullam religionem æſtimare. De quibus vide Bullingerum, *adverſ. Anabapt. lib.* II. *cap.* XIV. Prateolum, *lib.* X. *num.* 4. Pezelium, *part.* II. *Argument. &c. pag.* 210. *de cauſa peccati, contra Libertinos.* Calvinus, qui adverſus Libertinos maſculè & accuratè, quomodo ſolet, ſcripſit, illos ait, initio impudenter & palam ſolitos fuiſſe blaſphemare Scripturam ſacram, & Scriptores ejus divinos. Apud eos Paulus, vas confractum erat; Petrus, abnegator Dei; Iohannes, adoleſcens ſtolidulus; Matthæus, fœnerator: ſed poſtea cum viderent ſe ita loquentes, horrori omnibus eſſe, vertebant ſtylum, & obſcurius agendum cenſentes, allegoriis myſticiſque locutionibus omnia involvebant, pervertebantque. Auctores recenſet primos, *Coppinum* quendam, Inſulanum; & *Quintinum*, ex partibus Hannoniæ oriundum; *Bertrandum*, cum illo unà ex ſartore Doctorem factum, patriâ ſuâ ob maleficia potius, quam ob verbum Dei, egreſſos: *Claudium Perſevalum*; denique *Antonium Pocquium*, ſacerdotem. Hi Flandriam primùm, & Brabantiam, deinde Galliam ſuis opinionibus & fœditatibus conturbârunt, atque diſcipulos reliquerunt ubique plurimos: uti in improbitatem & nequitiam homines facile eſt reperire & efficere pronos paratoſque. Pocquius aliquod tempus Genevæ egit, diſceſſurus teſtimonium & commendationem petiit à Calvino, quo apud alios

quoſ-

quoſcunque aditum ſibi & gratiam pararet, ſed, quamvis ignoraret adhuc ejus ſpiritum Calvinus, delirium tamen hominis jam obſervârat, adeoque nec ad dandum teſtimonium adduci potuit. Martinum verò Bucerum, addebat Pocquius, conceſſiſſe quod ei Calvinus denegavit: adeo decipere bonos viros doctus erat, & eorundem abuti nomine ac facilitate. Quod in Reginâ Navarræ evidentius apparuit, quæ quamvis iſtorum hominum non teneret myſteria, eo uſque tamen ſermonis fuco & blanditiis faſcinata erat, & erga Quintinum ac Pocquium, ceu viros bonos, inclinabat, ut ægerrime ferret illos à Calvino nominatim adeò acriterque, in ſcripto contra Libertinos, caſtigatos fuiſſe; arbitrata, quaſi ſe per illorum latus, quod inter domeſticos ejus degerent, Calvinus pupugiſſet. Vnde hic neceſſe habuit ſcriptâ ad Reginam anno cIↄ Iↄ xlv. epiſtolâ, crimen iſtud diluere, & quàm imprudenter patrocinium ejuſmodi hominibus commodaſſet, monere. Exſtat inter epiſtolas Calvini, *pag.* 53. Hoc pacto quidem gnaviter Gallia iſtâ lue purgata fuit, ſed unde ortum, *totum feré Belgium eo malo circumſeptum*, uti Calvinus illâ epiſtolâ haud falſo ſcripſit: ac neſcio quo modo in noſtris regionibus adeo hæſerit firmiter radicatum, ut hodie quoque pauciores ejus fautores exiſtere optandum eſſet. Hoc ſenſerunt jam tum de noſtrâ Belgarum natione primi Reformatores, nimis leves & petulantes in negotio religionis ſibi illos videri. Vnde Melanchton, quando cum Bucero Bonnam à Colonienſi Archiepiſcopo eſſet evocatus, ad promovendam in diſtrictu iſto reformationem, cum Bucero aliquando ad Rheni ripam obambulans, extenſâ dextrâ aliquoties Bucero dixiſſe ſcribitur: *væ Belgio, ab horrendo ſanguinis balneo, & ingeniorum petulantiâ.*

Ad annum cIↄ Iↄ xl. Antverpiæ fuit ſcandularius aliquis *Loy* vulgo dictus, unde qui ipſum ſequebantur

Loiſtæ appellati; qui doctrinam Libertiniſticam inter cives diſſeminavit, negatâ reſurrectione, inferno &c. inde per Germaniam, ubi cum Melanchtone diſputavit, præſente Luthero; denique reverſus Antverpiam, & aliis, & ſibi cauſa extitit ultimi ſupplicii, combuſtuſque palam eſt anno CIↃ IↃ XLVI. Meteranus, lib. I. Hiſtor. Belg. Neque hic ſolùm, ſed ubique terrarum ſatis magna Libertinici gregis eſt copia, illorumque quibus religio ludus eſt: non diſſimiles admodum Cobilâ Tartarorum Rege, de quo Maffæus in epiſtolis Aſiaticis, *pag.* 332. quod feſta & Chriſtianorum, & Iudæorum, & Sarracenorum, Idolorumque peræque coluerit. Rogatus cauſam, reſpondit: quatuor in orbe magnos Prophetas adorari, à Chriſtianis, Chriſtum; à Iudæis, Moſem; à Sarracenis, Muhammedem; ab Idololatris, Sagonombarem Chamum, Deorum primum: quos omnes dum veneror, ajebat, hunc etiam qui in cœlo maximus ſit & Deus verior, me honorare exiſtimo. Quæ refer ad librum, non inter Gentiles aut Tartaros, ſed Chriſtianos, proh dolor! editum, *de Tribus Impoſtoribus*; cujus auctor an Petrus Aretinus, an alius fuerit, jam non inquiro. Quibus ſuccenturiandi, qui hodie in Galliâ Deiſtæ, (alii à Deiſtis, ſeu Anti-Trinitariis & Arianis Prateoli, de quibus agit *lib.* IV. *Elenchi Hæreſ.*) per antiphraſim dicuntur, quaſi Deum optimè cognoſcant, interim ejus providentiam negantes, aliaque communis Theologiæ capita, carni & rationi ſuæ minus placita: eaque quia repudiant, quæ Chriſtianorum vulgus ſimplici fide amplectitur, ſe appellant *fortes*, *eſprits forts*, quaſi potentes illa devorare, ac nullius facere, ad quæ alii ſummâ fide & religione contremiſcunt; & *Degruës* dicti, quaſi emunctioris naris, & non, uti cæteri, grues. Controverſiæ Libertinorum ſunt, præter illa, quæ cum Enthuſiaſtis habent communia:

1. Num unicus tantum omnium viventium ſit ſpiritus,

ritus, ubique diffuſus, Dei, qui in creaturis ſit, & vivat: quare nec animæ noſtræ ſint propriè ſubſtantiæ, vel earum immortalitas ſit aliud quid quam Dei ille in nobis ſpiritus immortalis? *Neg.*

II. Num omnia quæ homo agit, ipſaque adeo mala & peccata quæ dicuntur, ſint opus Dei, & Deus iſtorum omnium propria & formalis cauſa? *Neg.*

III. Num peccatum revera nihil ſit, ſed imaginatio modò, ſeu opinio, quæ facile evaneſcat & aboleatur, cum iſtius nulla amplius habetur ratio; quare nec ob illud aliquis ſit improbandus, aut judicandus? *Neg.*

IV. Num infernus nihil ſit, niſi forte mala hominis conſcientia? *Neg.*

V. Num ea demum ſit vera & ſpiritualis libertas, & quam ſequi debeamus, omne diſcrimen boni malique tollere, peccata nihili æſtimare; perinde habere omnia, bona ſive mala, neque ullâ tangi peccati conſcientiâ, aut ſcrupulo, verùm ut unuſquiſque ſeſe ſpiritui ſuo ducendum committat? *Neg.*

Ejuſdem cum Enthuſiaſtis & Libertinis eſt commatis *Henricus Nicolai*, & quæ ab eo inſtituta *Familia charitatis*: quemadmodum Ciſtercienſes Monachi ſuam *regulam* appellant *charitatis*. ſic appellata ab ejus auctore, Abbate Stephano Hardingo, ut eſt in Chronico Ciſtercienſi, pag. 33. Natus Henricus Nicolai fuit Monaſterii VVeſtfalorum; ſed Amſtelodami diu habitavit, & poſt Davidem Georgium, circa annum cIↄIↄ lvI. nova ſua themata & paradoxa cæpit diſſeminare: homo indoctus, vafer, ad hypocriſim factus, revelationes Angelicas à Gabriële Angelo infuſas ſibi ſomniabat, & ſymbolo utebatur: *charitas extorſit*; ſeque *primum illuminatum familiæ charitatis ſeniorem* dicebat. Moſi, & Chriſto palam ſe præponebat: huic, fidei; illi, ſpei præconi; ſe charitatis, utrâque majoris, Doctorem præferendum merito eſſe dictitans; quod-

que non ut illi, in atrium, vel ſanctum, ut Moſes & Chriſtus; ſed in Sanctum Sanctorum penetraret. Vide de illo Henricum Antonii, Prof. Franekeranum, *in Præfat. ad Syſtema Theol.* ubi primordia Eccleſiæ noſtræ per Belgium, brevi compendio exponit. Ex Hollandia in Angliam trajecit, ibique permultos ex vulgo operarios, mulierculas, incautam plebem in Sectam ſuam, quam ſpecioſum charitatis nomen oppidò commendabat, allicuit. Nonnulla ſcripſit, ſive epiſtolas, ſive tractatus, titulis ſemper magnificis: *Euangelium Regni; Terra Pacis: Exhortatio, Correctio*, quæ ex Belgico etiam in Gallicum tranſlata exſtant; & quoque Anglicè: præterquam plures ad diverſos *Epiſtolas*. In illorum fine ſemper occurrit illud ſuum: *Charitas extorſit per H. N.* Scripturæ loca, qui iſtorum hominum mos eſt atque hypocriſis, multâ copiâ, nullo cum judicio, profert, atque illâ ratione ſimplicibus, qui Scripturas amant, facilius imponit. Epiſtolæ ejus, quam in Angliâ ſcripſit ad duas filias VVarwicenſes, refutationem oppoſuit *Henricus Ainſworth*. Scripſit adverſus illum quoque, inter Anglos, *Iohannes Knewſtub*, qui confutavit librum ejus, *Euangelium Regni*, cujus ex primo capite hoc exordium ponit, unde de cæteris quamvis non viſis auditiſque, facile judicium: *H. N. gratiâ & miſericordiâ Dei, & per Spiritum ſanctum Ieſu Chriſti, excitatus à ſummo Deo, à morte, ſecundum Dei providentiam & promiſſiones: unctus ſpiritu ſancto, in tempore antiquo ſacræ cognitionis Ieſu Chriſti: deificatus cum Deo, in ſpiritu amoris ejus: factus cum Chriſto hæres in cæleſtibus divitiarum Dei: illuminatus ſpiritu veritatis cæleſti, verâ perfectæ eſſentiæ luce: electus in Miniſtrum gratioſi verbi (quod jam ultimis temporibus à Deo excitatum, juxta promiſſiones ejus) in ſanctiſſimo Chriſti miniſterio ſub obedientia charitatis ejus: ad manifeſtandum his ultimis temporibus ex eâdem gratiâ & miſericordiâ Dei, & per eundem ſanctum ſpiritum amoris Ieſu*

Chri-

Chriſti, *bonum nuntium*, & quæ ſequuntur. Qui tali cothurno incipit, quam orcheſtram cogitet, ſatis oſtendit. Divinare opus eſt, quid illis pompaticis verbis ſibi velit, & faſtuoſo, inepto, obſcuro loquendi ſermone, niſi ut tamquam ex abdito quodam loco proripiens credatur novus μάντις, & deificatus enthuſiaſta, qui ſecum alios in deliria agat, & furorem. Adverſus Henricum Nicolai primus è Belgis ſcripſit Theodorus Coornhert, amicus ejus, qui quomodo familiariter eocum plures annos vixerit, & nonnullos ad ſe, ex ejus familiâ, aliquando habuerit palam & impudenter aſſerentes, ſe Deum eſſe, ediſſerit libro, qui eſt Operum ejus Tom. III. vel Dialogo, inſcripto **Klein monſter**. Deinde ſcripſerunt adverſus illum præſertim Miniſtri Eccleſiæ Londinenſis Belgicæ, ut quos propius hoc malum è Belgio advectum videbatur ſpectare, *Martinus Micronius*, & *Nicolaus Charineus*. Apud nos ex profeſſo adverſus ejus Familiam, vel ſectam librum edidit, Belgico idiomate, *Caſparus Grevinchovius*. Nuper eorundem errores, quia cum Antinomis in Angliâ repullularunt, agente hoc maximopere Miniſtro *Randallo* aliquo, detexit denuo *Iohannes Etherington*: & una perſtrinxit, in ſcripto Anglico adverſus Antinomos præcipue adornato, celebris vir, *Samuel Rutherfurd*. Anno cIↃ IↃ lxxv. hujus familiæ homines *Confeſſionem* edidere, atque anno cIↃ IↃ c IV. una cum eâ, libellum ſupplicem obtulere Iacobo Regi: in quo uti ſe ſingulariter ſeparant à Browniſtis, aliiſque, ita Browniſtæ quoque in ſuâ ad Regem Iacobum Apologiâ anno cIↃ IↃ xcvI. adverſus Doctores Oxonienſes, ſe diligenter purgant ab omni cum Familiſtis communione, quæ impacta ipſis per Oxonienſes fuerat. Regina Elizabetha adverſus illud hominum genus edictum condidit anno cIↃ IↃ lxxx. Præcipuum quod hi, ne de enthuſiaſmis, & deificatione ipſorum dicam, tenent, eſt quod externam religionis profeſſionem ajunt

junt non eſſe neceſſariam, neque pro eâ aut loquendum aut certandum, nedum grave aliquod patiendum, aut in altero, quamcunque religionem teneat, aliquid eo nomine reprehendendum eſſe, ſed ſimulandam pro re natâ religionem, ut viſum, nec neceſſe eſſe ut vitam ad regulam, vel verbum Dei, aut aliquam diſciplinam componamus; pædagogicum id atque ſervile nimis: denique omnia ex charitate, quantumcunque prava ſint, interpretanda eſſe bona. Quæ ſententia ad placitum carnis & vitæ diſſolutæ, ac licentioſæ facta, haud mirum quod fautores reperiat. Quippe nihil homini, prout naturæ jam eſt ſumme depravatæ, gratius accidere poteſt, quam ut doceatur ſimulare, & quemadmodum religionis profeſſionem, ita ejus causâ perpeſſiones omnes evitare, omnibuſque & omni tempori ſeipſum, ſive in malis, ſive bonis. accommodare. Præcipuè Martyribus infenſiſſimi ſunt homines illi, juxta quorum opinionem ſtultiſſimi fuerunt qui ſive olim, ſive hodie Chriſtiani, ob confeſſionem veritatis pati dura, aut etiam mortem voluerunt.

Ex horum numero fuerunt, ſub primam Reformationem, Adrianus Voſſenhoel, I. C. & Balthaſarus, Dominicanorum Antverpiæ præfectus. Vſi ſunt hoc hominum genus (referente Henrico Antonii, in præfatione modo allegatâ) libris *Sebaſtiani Franci*, de quo Lutherus judicavit, quod per omnium hominum oletum perreptaſſet, & in ſuo proprio fuiſſet ſuffocatus. Ejuſdem hactenus ſententiæ etiam fuit Coornhertus, in lib. *Excuſatio Romana idololatriæ*: quo nec Chriſtianos pro vitandis cæremoniis debere vitæ periculum ſubire, neque exercitium Papalium cæremoniarum, abſque animo, idololatriam eſſe, comprobare nititur. Cui Calvinus, libro illo ex Belgico in Latinum tranſlato à Theologis Belgis, ut eum refutaret, oppoſuit, quod inter ejus opera eſt, *Confutationem cujuſdam Hollandi*, ad fratres Belgas: ubi hominem ſuis coloribus egre-

egregiè, & ſtoliditatem ejus depinxit. Iam tempore Origenis cognoſcimus ejuſdem opinionis nonnullos fuiſſe, ex ejus Commentario in Matthæum. Homiliâ XXIX. explicaturus abominationem deſolationis in loco ſancto, ſic loquitur: *Adhuc autem & ſi quis manifeſte quidem videat abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, & ſi ſequatur eam accipiens ſibi excuſationem de divinis ſcripturis, quaſi indifferenter liceat Chriſtianitatem negare, dicens denegationem non eſſe denegationem, & eſcas immolatorum, quaſi nihil nocentes manducanti fuerit arbitratus, proferens de ſcripturis exempla, & quod indifferenter licet in uno eodemque tempore mulieribus commiſceri diverſis, quaſi & patribus iſta facientibus olim &c.* Reſurrectionem inſuper docent illi nullam futuram, aliaque ipſis attribuuntur, quæ vide in libello Belgico, **Engelſche Beroerten**, *pag.* 105. Henri-Nicolaitarum hæc ſunt, quæ quæruntur:

I. Num charitatis ſit, nullam certam habere religionis profeſſionem, ſed ſe omni, quantumcunque etjam falſam religionem docenti, Sectæ adjungere, & ſimulare, adeoque cum nemine ſuper religionis negotio velle contendere, neque diverſa ab aliis errantibus ſacra ſequi? *Neg.*

II. Num familia illa charitatis ſit hominum plane perfectorum & deificatorum, qui neque peccent amplius, neque à peccato quidquam ultra patiantur, atque ita libere & innocenter inter ſe vivant, ut ſcilicet neque ſe denudare coram ſociis pudeat? *Neg.*

III. Num nulla futura ſit corporum poſt mortem reſurrectio; ſed omnis reſurrectio in hâc vitâ contingat, ſitque non alia quam ex peccatis? *Neg.*

Valentinus VVeigelius, Theologus Auguſtanæ Confeſſionis in Miſniâ, circa annum CIↃ IↃ CXII. doctrinâ ſuâ novâ multos ita dementavit, ut ejus libri, quos plures ſcripſit, linguâ Germanicâ omnes, avidius arrepti, & diverſorum manibus verſati, nonnullos in

Se-

Sectam, quam VVeigelianam appellant, abduxerint, cum Magiſtro pariter inſanientes. Siquidem hic leviter modo doctus, & Scriptis Paracelſicis innutritus, ab hoc præſertim, & Paulo Lautenſack, Pictore & Organiſta Norimbergenſi, aliam, quam *ſuam* paſſim vocat, Theologiam cudit, miram, inſulſam, quin improbam. Nonnulli adverſus illam ſcripſerunt magnis & operoſis tractatibus, nos brevem, *de Paradoxis & Heterodoxis VVeigelianis* anno cIↄ Iↄ c xlvi. dedimus, ad Reverendum virum, & amicum noſtrum, Eccleſiaſtem Amſtelodamenſem, Iohannem Rulicium: ubi ex ſcriptis ſuis hominem, miraque ejus dogmata expreſſimus, quem in ſecundâ hâc Editione exhibere, haud inconſultum judicamus hic inſerere.

Inter varios hujus noſtri ſæculi, & Eccleſiæ Turbones, cenſendus venit, idque ſuo magno merito *M. Valentinus VVeigelius*, paſtor Auguſtanæ Confeſſ. Zſcopaunenſis in Miſniâ, qui *ex Triſmegiſto potius, atque Paracelſo, quam ex ſcripturâ, de rebus divinis judicium tulit, & circa annum* cIↄ Iↄ c xii. *fanaticis libris innotuit*, quomodo de eo Ioh. Micrælius, in *Syntagmate hiſtor.* Fuit homo ſtolidus, & audax, qui ſacris ſtudiis, & philoſophiæ guſtu immaturo abuſus, ad paradoxa & putida impotentis cerebri ſomnia divulganda atque extollenda videtur datus. Nihilque adeo miratus ſæpe fui, quàm hominem ineptum iſtiuſmodi nænias auſum fuiſſe agitare ſcriptis, vel etiam animo; maximè verò, tot facilè fautores imprudenter reperiſſe, atque etiamnum alicujus ab ullis fieri. *Habet furor hic calamitoſiſſimo hoc ſæculo, fautores & laudatores haud paucos, qui magnatum quoque aulas tentant, ſi quâ ratione capita inficere, & per ea reliqua membra conficere fortean poſſint*, de eodem VVendelinus, in *dedic. Theol. ſua Chriſtiana*, ubi aliqua ejus attingit: & Bohemus in epit. hiſtor. Eccleſ. pag. 1011. *multos in*

Ger-

Germaniâ, quaſi contagione quâdam miſerè infecit; etiam in noſtris provinciis & urbibus vicinis, multos ex ſimplicioribus & incautioribus non tantum, ſed & eruditis dementavit. Contra VVeigelium ex profeſſo ſcripſerunt, Nicolaus Hunnius, Theodorus Thummius, lib. cui tit. *Impietas VVeigeliana*: Iohannes VVeberus, Paulus Vlrici, Andreas Merckius, Frid. Balduinus *diſp. de communione noſtri, Anno* cIↄ Iↄ c XVIII. Chriſtianus Becmannus *exercitatione Theol.* XXI. etiam aliqua in *epiſagmate* II. Ioſua Stegmannus *ad refut. Photinianiſmi.* & ſpiſſum tractatum Iohannes Crocius, cui titulum fecit *Anti-VVeigelius.* Cæterum ut ſtudioſis quoque hujuſce Erronis dogmata (non ita fortè cognita, quamvis nomine ſatis celebri in Germaniâ, libris ejus niſi Germanico idiomate ſcriptis,) aliquatenus conſtent, haud abs re fore putavi, ea, quæ aliquando ſtudiosè ex libris ejus congeſſi, occaſione datâ exponere, atque ſi neceſſe videbitur, refutare: quamvis in iſtiuſmodi περιττολογήμασι ſemper judicem, non adeò de reſponſione, quam opinionis ipſius indagine, ac genuinâ duntaxat explicatione laborandum eſſe.

Ac primum eſt quod admiremur faſtuoſam hominis de ſe, ac ſuâ Theologiâ jactantiam: *ſuam* dico, & ita ipſe in præfat. libri, cui titulum fecit *Aſtrologia Theologizata*, non ſemel: *hac mea Theologia aſtrologizata.* In Confeſſ. cap. IX: *hic omnia ad cæleſtem, ac terrenam eruditionem neceſſaria quærenda ſunt, dico propterea, quia talis vera magica Theologia, ac permanebit Theologia VVeigelii, omniumque fidelium,* & cap. XVIII. *accipe Theologiam VVeigelii, atque ad γνῶθι σεαυτὸν pervenies.* Talem & librum ſcripſit ſuperbo titulo, *ſtudii Univerſalis*, quem in libri frontiſpicio ita nimirum exponit: *ſtudium univerſale, hoc eſt, quidquid omnino à mundi exordio uſque ad ejus finem vixit, quidquid ſcriptum, aut doctum, vel etiamnum ſcribi, aut diſci poſſit, quid rectè diſcere.*

ſcere, ac docere ſit, quid omnes hoc tempore debeant ſtudere; quam planè facilis, planè difficilis Theologia, omniaque ad diſcendum ſint, quod unicè ac ſolùm per preces omnia citra tædium, ac moleſtiam conſequamur ac diſcamus, etiam de ſcholis, ac ſtudiis hominum. Quas verborum ampullas, & portentoſum, atque ridiculum ſtylum, non aliter, ac epiſtolam Manichæi fundamentalem, vel Davidis Georgii, aut Antonii Pocquii, vel Paramira Paracelſica ſuſpicimus. Scripſit etiam librum, tit. *Captura aurea, hoc eſt, ad res omnes abſque ullo errore agnoſcendas, multis Doctiſſimis incognita, attamen omnibus ſcitu neceſſaria.* Quid ad hæc Scaliger diceret, ſi videret? qui lib. III. epiſt. cclxxII. ad Ioannem Caſelium: *quot Teutonicorum ſcriptorum portenta nundinæ Francofurtenſes producunt? quis in reliquâ Europâ aut plura vidit, aut petulantiora impotentium animorum argumenta, quam ſunt illa lemmata librorum, partim Germanico ſermone, partim Latino, ſed à Germanis furiis concepta? Quis tam perditus, ut legendis illis bonas horas perdere poſtulet? &c.* Hominis noſtri jactantiam accuratiùs luſtremus. In *Gnothi ſeauton* (& hic ejus libellus, cujus farinæ plures) *part.* III. *pag.* 36. *nullus finis contentionum, &c. uſque quo Theologiam Pauli Lautenſack & Paracelſi intelligemus.* Scilicet ab illis, quos Authores paſſim deprædicat, orbi dementando natis, pacem ſuam Eccleſiæ tandem emendicare neceſſum habebunt. Hoſque ſequitur ut plurimum Authores, quaſi laudatiſſimos & Claſſicos. Inter Veteres quidem effert Triſmegiſtum, Platonem, Dion. Areopagitam: ex recentioribus, Muncerum, Swenckfeldum, Hoſiandrum, Taulerum, Paulum Lautenſack, qui Pictor & Organiſta Norimbergenſis fuit; maximè autem Paracelſum, hominem ſordidum, ebrium, atque impium, ſi non etiam magum, de quo Oporinus in epiſt. ad Solenandr. *Orare nunquam audivi, neque vidi, neque curabat etiam Eccleſiaſtica ſacra.* Ibid. *Erat totis diebus & noctibus, dum*

ego

ego ipſi familiariter per biennium ferè convixi, ebrietati & crapulæ deditus, ut vix unam atque alteram horam ſobrium eum reperire licuerit. Idem de eo teſtimonium perhibet Georgius Vetterus, ejus item per biennium individuus comes: *nihil magis metui, quoties ebrius erat, erat autem frequenter, quam ut agmina Diabolorum acceſſeret.* Bullingerus idem Tiguri in eo obſervavit. Ita Paracelſus ſtudioſos Tigurinos in epiſt. *combibones optimos* ſalutat. & Zuingerus Baſileæ, vide Becmann. exercit. Theolog. XXI. Sennertum, *de conſenſ. & diſſenſ. Chymicorum, cap.* IV. XIII. *& in dedicat.* Andr. Libavium, *in conſid. fama R. C. cap.* IX. Melchiorem Adamum *in vita Medicorum*, de Theophraſto Paracelſo. Vicunque de ejus re medicâ varie judicetur, de Theologiâ ſe continent, vel maximi ejus admiratores. Quercetanus: *Ad Paracelſum verò quod attinet, equidem mihi nequaquam propoſui ipſius Theologiæ patrocinium ſuſcipere: neque ipſi in omnibus adſtipulari unquam cogitavi, tanquam in ejus verba juraſſem.* Et dum ingenium ejus ac ſcientiam deprædicant, Deo an Diabolo id quodcunque in eo erat, adſcribant, ambigunt. Gellius Zemeus, *credo, aut quod mira influentia in eo ſit naturalis, aut major S. S. gratia in eo, aut immenſa dæmonum exiſtentia.* Cauſam, quare hunc Præceptorem adeò obſervare ſoleant VVeigeliani, Roſencreutziani, qui in *Fama fratern. p.* 15. illum cum ſuo fundatore C. R. conjungunt, ut ejuſdem inſtituti hominem, ac ſimiles, reor eſſe, tum quod amet obſcuris, inſolitis atque miris loquutionibus ſua involvere, nimirum ut ſaltem hinc à vulgo ſuſpiciantur: tum, quia eodem ſpiritu ſua jactare ſoleat, & reliquos omnes contemnere. Inde dicere ſolebat, ſtultiſſimum occipitii ſui pilum (recalvaſter autem erat) plus ſcire, quam omnes Galeni ſectatores & ſcripta: immò & barbam ſuam plus experimentorum callere, quam omnes in univerſum Academias; quod ipſe tandem Papam & Lutherum in ordinem eſſet redacturus, & ſimilia.

Ad VVeigelium. non ſatis ei ſua jactaſſe, niſi & ſub pœnâ ſalutis (quaſi alter Papa, quem tamen adeò inſectatur, ſimul & æmulatur,) eadem urgeat. In præf. ſtud. Univerſ. *atque hoc meum ſtudium univerſale tenentur addiſcere, ſi modo æternum vivere, ac ſalvari cupiant.* In Confeſſ. Cap. IX. *Hic omnia ad cœleſtem ac terrenam eruditionem neceſſaria, quærenda ſunt.* In dialogo de Chriſtianiſmo cap. IX. introducit Concionatorem ideò damnatum, quod à VVeigelio ſc. diſſenſiſſet.

Porrò, quò pateat non fruſtra eum ſua venditare, *panſophiam, panepiſtemon* (nihil ſcilicet Trithemio, aliiſque cedens) ſimul omnia promittit. Titulum *ſtudii univerſalis* jam audivimus, denuò illum repeti, nemo, niſi qui moleſtiam, velit. In præf. inquit: *ſtudium hoc univerſale, ſive encyclopadia omnium ſcientiarum, omnes totius mundi homines tangit, atque hoc meum ſtudium univerſale tenentur addiſcere.* Ibid. *hoc ſtudium univerſale, non particulare aliquod eſt, ſed omnia continet, quidquid homines in terris addiſcere debent, ac poſſunt. Nemo ſcientiâ ſuâ, eruditione, ſapientiâ ulterius progredi poteſt; primum eſt in mundo, etiam ultimum erit, veriſſimum ſtudium, quod veritatem omnem abſque errore proponit &c. quâ univerſum mundum, omneſque creaturas cognoſcamus &c. eam cognitionem non dabit tibi ars brevis Raymundi Lullii, neque encyclopadia diſciplinarum Scalichii, neque Trithemius Spanheimenſis qui ſpatio bihorii idiotam latinè docebat. Ideoque accedite huc, quotquot eruditionem matis &c.* Non alio ſtudio fratres Roſeæ crucis *in Confeſſ. cap.* IV. extollunt meditationes Patris ſui Chriſtiani Roſenkreutzii, (cui originem & fundationem ſuam affingunt) utopicas, quas ſuper omnibus, quæ unquam à mundi exordio àb hominibus ſive per divinam revelationem, ſive miniſterio Angelorum, acumine ingenii, diuturnâ obſervatione, exercitio aut experientiâ inventa, excogitata, producta, emendata, aut propagata, ha-

habuit, egregias adeò ac præſtantes, *ut ſi vel omnes perirent libri, & Deo ita diſponente, omnium ſcriptorum, ac totius rei litterariæ accideret interitus, tamen poſteritas ex hiſce ſolis novum fundamentum ponere, ac novam veritatis confirmationem erigere denuò poſſet.* &c.

Inſcriptionem libri VVeigeliani *Captura aurea* audivimus; libellus ipſe ita incipit: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti hunc libellum conſcripſi, quo etiam Idiotæ eo cognitionis pervenient, ut plures Doctiſſimos, Doctores, & eruditos ſuperare poſſint, atque facilè oſtendere; eruditorum plurimos in ſingulis tribus facultatibus cæcutire.* In Gnothi ſeauton, part. III. pag. 8. adducit litteras Petri Loriotti, Itali (ejuſdem, qui commentarium de Contractibus ad axiomata ſcripſit) ad Sereniſſ. Saxoniæ Elect. Auguſtum, quibus iſte, non ſublimium modo & difficillimorum dictorum, verùm & univerſæ naturæ intellectum promittit per Cabalam numerorum, præcipuè ex Apoc. XIII. numeri 666. unde omnia ſua expromunt, p. 5. *unicus liber Apocalypſeos principium, medium, ac finis eſt univerſæ S. Scripturæ, & Theologiæ.* pag. 8. *Vniverſa Biblia, & omnes fideles Doctores te ducunt ad numerum beſtiæ* 666. *illud noveris, noveris & te ipſum, & omnia: illud agunt Lautenſack, & Paracelſus omnibus ſuis ſcriptis*, pag. 43. &c.

Vt homo vanus reliquos præ ſe contemnat, Patres, Doctores omnes, cujuſcunque religionis quoſvis, ſcientias omnes, artes, ſcholas, Academias, Eccleſias, quin & condemnet, videamus porrò; quò primùm hominis genium cognoſcamus, & mores, ex quibus tum paria dogmata. Scripſit & peculiarem tractatum, hoc tit: *brevis ac dilucida demonſtratio, quod hiſce temporibus in universâ Europâ vix ulla in omnibus Eccleſiis, ac ſcholis cathedra ſit, in quâ non pſeudo-propheta, pſeudo-Chriſtus, ſeductor populi, falſus Scripturæ interpres, quique non ſub numero cæterum Doctorum comprehendatur, &c.* Dicti libri pag. 121. *Propono mi-*

bi Pontificios, Lutheranos, Calvinianos, quamque ſectam ſeorſim, & confero characteres Antichriſti: & ex eorum ſignaturis facile cognoſco quantopere cum pſeudo-Prophetis conveniant, atque ulterius dico, univerſum ſtatum Eccleſiaſticum cum omnibus ſuis ſcholis in N. Teſtamento in ſaculo filii, de maledictâ arbore eſſe, in quâ dehinc bonus fructus neç creſcit, neque unquam creſcere poteſt. & pag. 123. 125. *peccatores in Spiritum Sanctum*, illos appellat. De Monaſterienſibus Anabaptiſtis haud abſimilia teſtatur Hortenſius, in hiſtor. Anabapt. pag. 39. *illud autem palam affirmârunt, à Chriſti & Apoſtolorum temporibus verbum Dei purè non fuiſſe traditum, nec juſtitiam viguiſſe.* Nicolaus Blesdikius in hiſtoriâ ſoceri ſui Davidis Georgii pag. 174. *Conſcripſit etiam tunc temporis libellum, cui titulum dedit: oratio ad mundi ſapientes & Potentes &c. In hoc ſcripto omnes ſuæ ſcientiæ & eloquentiæ vires explicavit, ut oſtenderet, ſuiſque perſuaderet, omnes omnium in toto orbe eccleſiarum & ſectarum Doctores deſtitutos eſſe verâ veritatis luce & efficaciâ: eam autem jàm ſoli ſibi cælitus eſſe revelatam.* Quare doctrinam ſuam, *verbum perfectionis* appellabat Bleſdik. pag. 19.

Alios omnes VVeigelius, in Confeſſ. cap. XIV. *exortes ſpiritus ſancti* appellat. Prioris lib. pag. 128. *ideoque ſtatuo, ſentio, atque ita apud me concludo, neminem iſtorum omnium habere donum intelligendi, & interpretandi myſteria ſacrarum litterarum.* Confeſſ. cap. VI. admodum ſtomachatur in Lutherum, Philippum, ac Pomeranum, quod Theophraſti commentaria in Matthæum, & Pauli Lautenſack Apocalypſim, non receperint. *Regno Dei ideo expellentur, at ſua culpa, quoniam Chriſtum neque audire, neque habere voluerunt.* Ejuſdem ſtyli exordium ſupra vidimus libri *Capt. aur.* Confeſſ. p. 34. *Vera Theologia facilis eſt, neque artes dicendi, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, linguas requirit, utpote nullius uſus, & Apoſtoli ac Prophetæ abſque*

illis

illis nihilominus Theologi fuerunt. Et pag. 31. & 41. Dominica *reminiſcere: nemo ſibi patitur facile perſuaderi, Academias omnes exortes eſſe Chriſti, & veritatis, quemadmodum ille liber de arbore ſcientiæ boni & mali oſtendit.* Aſtrol. Theologiz. cap. XXIX. *Contemtores hujus Aſtrologiæ Theologizatæ non ſolùm S. Scripturam rejiciunt; verùm & Deum odio habent, qui illos rationales fecerat.* Similiter in Patres, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, ex æquo in omnes, & quotquot illorum ſcripta legunt, vel ſcientias, linguas, artes addiſcunt, impotenter debacchatur. *De vita Chriſti, cap.* XLIII. *In ſtudio Univerſ.* paſſim. *Aſtrol. Theolog. cap.* XIV. *De ſuî renunciat. cap.* XLIII. Quum tamen ipſe homo ineptiſſimus, ubi modo poteſt, & ridiculè ſæpe, Græcorum quantulumcumque ſapit, etiam citra interpretationem nonnunquam, & Aſtrologica intermiſcet in ſcriptis, etiam in concionibus ad populum, atque notulis Aſtronomicis &c. ſæpius utitur. Cujus quoque commatis eſt, quod in Poſtillâ XXI. *Domin. poſt. Trinitat.* recitat epiſtolas Abagari Toparchæ Eſſeni ad Chriſtum, & Chriſti ad illum, apocryphas.

Hactenus hominem vidimus, ejuſque indolem; ubi tria obſervanda, quæ totidem principia & cauſæ ſemper omnium hæreſium, ſciſmatum, & turbarum in Eccleſiâ. *Ambitionem* puta, *audaciam*, (uti ſemper, qui ambitioſi, etiam audaces,) & ſtudium *novitatis*. De Montano hæretico Euſebius, *hiſtor. Eccleſ. lib.* V. *cap.* XVI. *Vicus quidam in Myſiâ Phrygiæ eſſe fertur, nomine Ardaban, in quo primum Montanum quendam, qui nuper ad fidem venerat, ſub Grato Proconſule Aſiæ, immoditâ primatus cupidine captum, aditum ad ſe adverſario præbuiſſe, lymphatumque factum, ac ſubito in mentis obſeſſione, & abalienatione conſtitutum inſaniviſſe, atque inſolita contra traditionem & conſuetudinem antiqua ſucceſſionis ſub ſpecie Prophetiæ loqui cæpiſſe, ferunt.* De Novato idem, *lib.* VI, *cap.* XLIII. *Novatus Romanæ Eccle-*

cleſiæ presbyter, ſuperbia contra lapſos inflatus. Sabbatius iterum, Novatianorum presbyter, *in ordine presbyterii ſui manere nolens, ſed inde ad epiſcopatum anhelans,* inquit Socrates, *iiſdem temporibus ab Eccleſiâ Novatianorum diſceſſit, lib.* VI. *cap.* V. XII. De Tatiano, & Severianis, Platina in vit. Pii I. *illis quoque temporibus laudabatur & Tatianus Vir doctiſſimus, quam diu ab opinione Iuſtini Martyris præceptoris ſui non diſceſſit. Nam poſtea inflatus opinione ſui novam hæreſim condidit, quam poſtea Severus auxit, unde Severiani appellati.* Et de Paulo Samoſateno, in vitâ Dionyſii I. *Is enim inflatus opinione ſui ipſius, ac tribunal altius quærens, negabat Dei Filium è cælo deſcendiſſe, ſed à Mariâ cepiſſe originem, & initium è terrâ habuiſſe.* Nempe ut Ioannes Climacus, author haud contemnendus, *de diſcretione grad.* XXVI. *in bibliothecâ Patrum,* loquitur: *hos autem* ſpiritus immundi *in illorum ut plurimum cordibus agere ſolent, qui inani gloriæ ſtudent, & illorum imprimis, qui externæ ſapientiæ litteris eruditi ſunt, ut illos ſenſim fallentes in hæreſes, & blaſphemias deducant.* Vere dixit Salomon Prov. XXVIII. 25. *Amplus animo ſuo miſcet contentionem.* Vide Deut. XVIII. 20. & Apoſtolus 1 Tim. VI. 3. εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ &c. verſ. 4. addit, τετύφωται nihil ſciens, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις. Philipp. II. 3. κατὰ ἐρίθειαν ἢ κενοδοξίαν: duo illa conjungit. De Davide Georgii, Bleſdick, pag. 112. quod & apud Vbbonem Emmium eſt, *lib. de Spiritu Dav. Georgii pag.* 47. *Erat David homo exigua quidem peritia, ſed philautia maxima, atque hinc tantum tribuebat ſuis libris &c.* Vnde ut in libris ejus perpetuò illud, *Nota bene* ab Authore ipſo ſuis appoſitum; & titulum libri admirabilis vah quàm faſtuoſum fecit: *Liber Mirabilium, quo quod à mundo concluſum revelatur.*

Quod ambitio in ejuſmodi hominibus concipit, audacia promovet, & pruriens novarum rerum ingenium incunctanter exſtimulat. De Apollinari, Ruffinus lib.

lib. 11. cap. xx. *Vir ſanè in cæteris inſtructus, ſed dum contentionis vitio nimis agitur, & adverſus omne, quod quiſque dixerat, ire obvius geſtit, jactatione ingenii male fortis, hæreſim ex contentione generavit, aſſerens ſolum corpus, non etiam animam à Domino in diſpenſatione ſuſceptam.* Quo ſpiritu & Socinus ſuum illud, *diſputet contra quivis*, de Auctorit. S.Script. cap. 1. pag. 36. & Lection. Sacr. pag. 150, *quidquid plerique contra ſentiant*, proferre ſolet.

Haud diſſimile Valentini VVeigelii ingenium, quod portentoſa adeo eructavit dogmata: quæ propoſiturus, lubet iiſdem verbis præfari, quibus Irenæus, ad hæreſes Valentini, & ſuorum: *Similia quidem nobis loquentes, diſſimilia verò ſentientes, neceſſarium duxi, cum legerim commentarios ipſorum, quemadmodum ipſi dicunt, Valentini diſcipulorum, quibuſdam autem ipſorum & congreſſus, & apprehendens ſententiam ipſorum, manifeſtare tibi dilectiſſime, portentuoſiſſima, & altiſſima myſteria eorum, quæ non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent, ut & tu cognoſcens ea, omnibus iis, qui ſunt tecum, manifeſta facias, & præcipias eis ſervare ſe à profundo inſenſationis, & ejus, quæ eſt in Deum blaſphemationis.*

Dogmata VVeigelii in duas claſſes diſpono: *Communia* enim habet cum aliis hæreticis; & *propria*, ac ſingularia ſibi. Ut in neutris refutandis diu inſiſtemus, ita minimè prioribus, quæ ubivis profligata ſatis & confeſſa, facileque confutari poſſunt. Qualia de Scripturâ, Deo, Chriſto, ac noſtrâ ſalute.

De Scripturâ, ejuſque litterali & ſpirituali intellectu, nugas Swencfeldianas, & Enthuſiaſticas ſequitur. Capt. autem cap. xx. In præfat. dialogi cap. 11. &c. Micrælius jam dicto loco: *Litteralem verbi ſenſum vocat inutilem, quærit & commendat allegoricum, eumque ex inſpiratione Spiritus Sancti diſcendum credit.*

De Deo, Confeſſ. pag. 44. *quod ſi Deus affectus non ha-*

haberet, nec velle, operari, pœnitere, nullum plane Deum haberemus, Chriſtum nullum, vel modo Semi-Deum, nulli nobis uſui, quemadmodum pſeudo-Theologi Trinitatem non rectè agnoſcunt, teſte Auguſtanâ confeſſ. & aliis ſcriptis. Mitto, quæ horrenda de Deo, & Chriſto dicit, ex combinatione Contradictoriorum, de quo mox.

De vitâ Chriſti cap. I. *&.* XLIII. docet, Chriſti carnem cœlitùs deſcendiſſe, *neque ex Mariâ aſſumtam:* nempe id ut commune haberet cum priſco illo Valentino hæretico, adverſus quem Irenæus, *lib.* I. *cap.* I. *ſunt, qui dicunt emiſiſſe eum Chriſtum filium ſuum, ſed animalem, & de hoc per Prophetas locutum eſſe. Eſſe autem hunc, qui per Mariam tranſierit, quemadmodum aqua per tubum tranſit.* Notate antiquum ſimile, quo in hoc argumento vel olim hæretici uſi fuerunt. Et *lib.* III. *cap.* XI. *Ieſum per Mariam dicunt pertranſiſſe; quaſi aquam per tubum,* & *cap.* XXXII. inſcribitur, *contra eos, qui dicunt eum nihil de Mariâ accepiſſe.* Ita etiam Appelles, Marcion, Eutyches: quâ de re vide Tertullianum *adverſus Marcionem*; & alio libro *de carne Chriſti.* Adverſus Appellem, *unde materia, ſi non ex eâ qualitate, in quâ videbatur? de ſideribus inquiunt, & de ſubſtantiis ſuperioris mundi mutuatus eſt carnem. Oro vos, ſi Dei filius non de vulvâ carnem participaturus deſcendit in vulvam, cur deſcendit in vulvam? Per virginem dicitis natum, non ex virgine &c.* Vigilius Martyr, adverſus Eutychem: *quæ fuit cauſa Dei verbo per uterum Virginis tranſitum facere, ſi nihil inde quærebat aſſumere?* & *lib.* III. in principio: *Quorum Eutychiana hereſis in id impietatis prolapſa eſt errore, ut non ſolum verbi & carnis unam credat eſſe naturam, verum etiam hanc eandem carnem non de ſacro Mariæ Virginis corpore adſumtam, ſed de cœlo dicat (juxta infandum Valentini, & Marcionis errorem) fuiſſe deductam, ita pertinaciter verbum carnem adſerens factum, ac per virginem ac ſi aqua per fiſtulam tranſiſſe videatur, non tamen ut de virgine aliquid, quod noſtri ſit generis adſumſiſſe*

cre-

credatur, optimum duxi etiam hanc impietatis partem veritatis aſſertione deſtruere, & omnem tetri dogmatis nebuloſam caliginem penitus diſſipare, maximè quod multum ad utriuſque naturæ confeſſionis veritatem proficiat, divinis approbare teſtimoniis, filium Dei humanum corpus de virginis carne aſſumſiſſe. Sed de eo ex profeſſo non agimus, oſtendimus modò antiquam Valentinorum hæreſim, ab Orthodoxis ſemper condemnatam. Synodo Carthaginenſi IV. confirmatâ ſexto concilio in Trullo: *carnem ex matris viſceribus habens.* Addeſis I. *diſt.* XXIII c. *qui epiſcopus.* Concilium Chalcedonenſe, ſive œcumenicum [uti loquuntur] quartum, contra Eutychem. Videatur & Balſamo *in Synod. Chalced. pag.* 324. Iſidorus, *Origin. lib.* VIII. Ius Canon. *cap.* XXIV. *qu.* III. *cap. quidam autem.* Decret. *de ſumma Trin. c.* I. Conc. Conſtantinop. VI. *cap.* lxxix. &c.

Porrò etiam Mariam à peccato immunem facit VVeigelius, *gnothi ſeaut. part.* III. *pag.* 15. & lib. *de ſitu mundi cap.* XVI. docet, Chriſti adſcenſum non fuiſſe localem. *cap.* XVIII. inquit, *Lucifer è cœlo, & Adam è Paradyſo extruſi ſunt, citra loci mutationem, manentes eodem loci, quo antea fuerant, unde ſequitur peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens.* Confeſſ. pag. 49. *quid eo die reſpondebunt Academiæ, quod Hoſiandrum cum eſſentiali juſtificatione rejecerunt? abibunt è ſcena, & in æternas tenebras ejicientur, cum ſua juſtitiâ imputativâ.* Notate hominis candorem, & charitatem. Itidem in *ſtud. Univerſ. cap.* VII. *es filius Dei, non adoptivè, uti Damnati loquuntur, ſed ſecundum ſanguinem, ex Deo ipſo, hæres Dei.* Et in *Confeſſ. pag.* 52. de Orthodoxis loquitur: *Diabolus, Deus & magiſter eſt illius Theologiæ.* Ita iſti homines ſolent, ſua crepare, reliqua & quoſcunque ſecum non ſentientes de facili condemnare. In *Aſtrol. Theol. cap.* XX. matrimonium, unum è ſeptem Sacramentis facit. Omitto quæ VVendelinus, vel Micrælius loc. cit. addunt, vel Chriſtianus Becmannus, pag. 358. &c.

de ſimulatione, & hypocriſi; haud abſimilia ſpiritus David-Georgiani, de quo Bleſdick. pag. 185. Vbbo Emmius pag. 57. 66. 400. Calvinus *contra Libert. cap.* VIII. Videlicet, re ita ferente, tutò licet ſimulare, negare, & contra animi ſententiam aliud profiteri, alteri Eccleſiæ ſe conjungere, atque externâ profeſſione aliam mentiri, ſuam occultare & negare. Ad dogmata VVeigelii, ſive paradoxa ſingularia accedo, quæ non omnia me ponere, immo fortè neque noſſe, ingenue fateor: aliqua exhibebo, & præcipua, eaque, ut in diſputationibus, in certa contracta capita, quæ quis alio fortean ordine poterit & in varias quæſtiones diſtendere, ac collocare.

Paradoxum primum, de principio & origine omnis cognitionis, & ſcientiæ in homine, ita ſtatuit VVeigelius: Rerum omnium ſemina in homine eſſe, & partem boni, ac mali; idque eſſe arborem boni, & mali in *Paradyſo.* Nullum ſcibile extrinſecus in nos inferri, in nobis latere omnia, indeque excitari. Atque illud eſt, quod ſemper inculcat, *gnothi ſeauton.* Hominem compoſitum dicit ex tali limo, in quo univerſum, & cœli terræque quidquid eſt, reperitur: ideirco in homine omnia, eſſe qui conſtet corpore, animâ, & ſpiritu. Corpus ex limo terræ, ſcilicet aquâ & terrâ; animam ex igne & aëre; at ſpiritum ſidereum & firmamenti eſſe; unde univerſum firmamentum, omnia etiam aſtra in homine, & aſtronomica quæque ex ſe diſcit. Duplicem hominem facit terrenum & cœleſtem, atque ex illo omnia mundana & terrena innoteſcere; ſcilicet ex illo ſpiraculo vitæ [limum cœli vocat] quod Deus Adæ inſufflavit. *Gnothi ſeaut., part.* III. *pag.* 12. 23. Ita omnia elementa, firmamentum univerſum homo in ſe habet, ac inſuper cum mente *omnia æterna, atque ac temporalia; inde S. Scriptura ſtudet, Apocalypſi, libro primario, Ieſu Chriſto Deo ac homini, Vet. ac N. Teſta-*

men-

mento, ex eo enim homo etiam factus, ideoque & univer-ſa ſcriptura in eo, omnis lex, & prophetæ. Gnothi ſeaut. tract. III pag. 23. hic ager ipſi colendus eſt, nempe ipſemet ſibi, ex quo omnia eruat, neque quid aliud ſtudendum homini, quam *id, quod ipſe eſt, & unde compoſitus.* pag. 20. & pag. 39. *viam hic tibi monſtrabo, omnia cognoſcendi, tam in cæleſti, quam terreno lumine, idque ſine errore, ſc. per γνῶθι σεαυτόν. Te noris, omnia noris; ex quibus creatus es, id eſt, quæcunque, omnia enim es, & in te portas omnia, non minus quam Deus, imo filius Dei es, teipſum ejus regni noſti, habes igitur tantundem, ac Deus. Hæc verò cognitio hominem perfectum facit, ut cohæres Chriſti; Chriſtus autem verus Deus, te noris, noſti & Chriſtum Deum ac hominem, nam ſicut is, ita & nos ſumus in hoc mundo.* Stud. Univerſ. cap. VII. *Studium univerſale, ſi (quantum poſſibile) à ſcholis cognoſceretur, & amplecteretur, univerſus mundus illuminaretur, & ad fidem Chriſtianam accederet. Omnes chartacei libri facilè comburerentur, unum modò hunc librum emerent. Hic liber omnium librorum liber continet, includit omnia, extus intus conſcriptus; hujuſmodi liber non in me ſolum, ſed in omnibus omninò hominibus eſt.* Huc iſtud Triſmegiſti citat, p. 40. Video me in omnibus,
„& omnia in me, ego ſum in mari, & mare in me, ego
„ſum in cœlo, & cœlum in me. Ego ſum in inferno,
„& infernus in me. Ego ſum in terrâ, & terra in me.
„Ego ſum in arboribus, & arbores in me. Lib. de bono & malo in homine, cap. VII. *probat utrumque, cœlum & infernum, lucem & tenebras in nobis eſſe, & non extra nos, in hoc tunc in futuro ſeculo.* Supr. dict. cap. VI. diſtinguit, quomodo in homine exiſtat cognitio rerum, ſc. primò naturalium, eo quod mens tua ſe habeat activè in contemplando, exquirendo, de quo gnothi part. III. pag. 21. *quando ars aliqua primùm ab homine invenitur, dicunt, novum quid eſt, at antea jam in homine fuit, modò ſpiritum ad hæc excitaret, igitur diligenter ex-*

cole-

coleret. At rerum ſupernaturalium cognitio fit, quando mens quietè & paſſivè ſe habet erga Deum, exſpectans ab objecto infinito, ipſo Deo corripi & illuminari, frequentando ſuum Sabbathum, & ſilentium in aliquo cordis quaſi angulo: attamen neque hæc cognitio extrinſecus infertur, *capt. aur. cap.* XII. Licet quidem à Deo animæ hianti detur; at Deus, Spiritus, verbum in nobis ſunt. Anima Sabbatizans exſpectat paſſivè operationem Dei, lib. de vitâ Chriſti c. XXXVII. & gnothi ſe: part. III. pag. 8. *quicunque Doctor, vel liber te non ducet in te ipſum, te abducit in omnes errores.* Atque hæc de iſto paradoxo, ex mente VVeigelii ſufficiant; qualia etiam apud Oſwaldum Crollium, *in præfat. Baſil. Chymicæ*, leges. Sententiam ita explicat Euſeb. Bohemus, in epitome hiſtor. Eccleſ. *primò homo antea cognita vel facris omnia oblivioni tradat. Secundò, informatori non contradicat; ſed credat. Tertiò, ſeipſum ex toto deſerat.*

Paradoxum ſecundum, de Hominis aſtrologiâ, ejuſque renunciatione, ex mente VVeigelii, ita ſe habet.

Cujuſlibet hominis nativitatem Planetę ſuo ſubeſſe, ait, à quo porro dependeat, qualis ipſe ſit, juxta placita Aſtrologorum de planetis, eorumque filiis, *in Aſtrol. Theol.* Videlicet Saturnus omnes, qui ſub eo naſcuntur, colonos, operarios, agaſones, textores, fures, lictores, iniquos Iudices, carbonarios, magos, Tympaniſtas &c. facit. Iupiter officia Eccleſiaſticorum, eruditorum, Politicorum diſtribuit. Mars arma, ac milites regit, & ſic porrò. Ita planetas in hominem poſſit agere, quorum influxus ille ſequatur: & ſecundum illorum ductum quomodocunque vivat ſex hebdomadæ diebus; at ſeptimo, Sabbatho nimirum, aliam ſibi nativitatem debet conſtituere, ac ſequi, & priorem planè abnegare, ab ejuſmodi operibus & cogitationibus abſtinere, quia ſo. nemo talis vel talis, qualis ex planetis eſt, in regnum cœlorum admittitur. *Aſtrol. Theol. cap.* XI. ſollicitè

licitè id probare ſatagit, nullum Saturnium, Iovialem, Martialem, Venereum &c. cœlos introiturum ſc. pag. 35. *es agricola, nauta, faber? Sub ſphæra Saturni ſiſteris. Iam verò certum, nullum agricolam, fabrum cælos ingreſſurum; primò, quia in cælo nec aratrum, nec ager, neque ſecuris, neque ſerra, neque lignum, ideoque omne illud ſub Zodiaco manet, & cum eo interit. Secundo, nullus agricola neque faber cælos introibit, quia aſtrorum filius adhuc, vetus creatura eſt, quum modò Chriſtianus, nova creatura cælum ingreditur.* Atque ita de omnibus, per totum illum librum progreditur; argumenta capitum nos ſequimur modò, quæ ad nauſeam uſque ſufficiunt. cap. XII. *nullus minerarius ac avarus cælum introibit, ſolùs Chriſtianus, uterque enim Saturni filius, qui non ad bona ſolùm, ſed & mala influit, non quod planeta neceſſitent, ſed ſaltem ducant, & præludant.* Cap. XIV. *Nullus Doctor, Magiſter, Iuriſconſultus cælum introibit, magis quam adulter.* Cap. XVI. *Principes, ac Duces, qui arces, & urbes muniunt, cum omni ſuâ armaturâ cælum non introibunt.* Cap. XVII. *Neque Dux, neque Rex cælum introibit, ſolùm puer & Chriſtianus.* Cap. XVIII. *nullus Aulicus, Conſiliarius, Cancellarius.* Cap. XIX. *nullus Paſtor Aulicus.* Quarè? non eſt ibi aula ſc. quæ hiſce egeat: hæc ejus ratio. Bene factum, quod tempeſtivè hoc monet, ne ſcilicet aliter quis ſibi amens perſuadeat. Cap. XX. *Conjugatus, vel mulier æque minus cælum intrabunt, ac ſcortator, vel adulter.* Cap. XXI. *nec parens meus, mater, frater, ſoror, uxor, liberi, in cælum intrabunt, neque eâ cognatione beati ſunt,* addo neque ipſe VVeigelius, *ſolùm qui puer & Chriſtianus.* Quæ febricitantis animi hæc deliria! Cap. XXII. *nullus Muſicus, vel fidicen poterit cælum ingredi,* filius Iovis eſt, in quinto domicilio lætitiæ ac voluptatis Cap. XXIII. *Nullus Aſtronomus, Medicus, Phyſicus, Philoſophus, neque Magiſter artium, aut linguarum, cælum ingredietur.* Nempe Mercurii ſunt. Cap. XXIV.

Papa,

Papa, Cardinales, Epiſcopi, Concionatores, Ludimagiſtri, Profeſſores cælum non intrabunt. Ratio I. quia cœlum iis non eget. II. Mercurii ſunt, in domicilio religionis, & x. dominatus in Eccleſias, Scholas. Egregiè ſane. Cap. XXV. *Nullus monachus, ordinis religioſi, vel magus cælum intrabunt.* Mercuriales ſunt, ex IX. & III. domicilio. Cap. XXVI. *Nullus Alchymiſta:* Martis & Mercurii eſt. Cap. XXVII. *Nullus nauta, Tabellarius, Venator.* Quare? *Non enim in cælo aqua eſt naviganda, neque urbs, aut terra, quo Tabellarius mittendus, vel cuniculus aut fera captanda.* Ohem, quam ſubtiliter!

Tertium Paradoxum, de cognitionis ratione, & formâ docet VVeigelius, quod cognoſcens cum cognitio idem fiat realiter, atque eſſentialiter. Confeſſ. cap. XIII, pag. 35. *cognoſcens fit unum cum cognito, ſciens cum ſcito, intelligens cum intelligibili. Verùm pſeudo-Theologi nolunt ipſi eſſentialiter à Deo uniri, Chriſtus ac vita ejus iis non ineſt eſſentialiter; de eo loqui ac concionari quidem poſſunt, licet extra ipſum ſint, hoc illorum negotium, opera, tenebræ, & condemnatio.* Pag. 39. *Informatorium noſtrum hanc fert doctrinam, cognoſcens & cognoſcibile fiunt unum eſſentialiter. Mens cognoſcendo, intelligendo, tangendo penetrat uſque ad unionem eſſentialem.* Et cap. XVIII. In Stud. Univerſ. cap. VII. *diſcens cum diſcendo eſſentialiter unitur, immò illud ipſum fit, quod diſcit, vel in libro legit.* Rationem adducit, ex illâ humanæ naturæ cornucopiâ, quâ omnia in ſe concludit, & eſt. Ibidem inquit, *Ariſtoteles, aliique philoſophi Dialecticam invenerunt, ſed lumine naturæ ex ſeipſis, & ego æque in me eam habui, ac Inventores, & Scriptores.* Aſtrol. Theolog. cap. I. pag. 2. *Studium, ac doctrina noſtra dat unionem eſſentialem, ut diſcens cum diſcendo unum fiat, de quo ſcholæ nihil ſciunt, aut ſcire cupiunt.* Ratio in promtu, quia nimirum cum VVeigelio non inſaniunt. Gnothi ſeaut. part. III. pag. 24. *realis unio debet eſſe cognoſcentis, & cogniti.* Eadem deliria tenuit

nuit Eſaias Stifelius, unde Stifeliani, contra quem VVeberus ſcripſit.

Quartum Paradoxum, de regulâ cognitionis, nimirum Combinatione Contradictoriorum. Hoc quidem proprium VVeigeliani ſpiritus commentum eſt, & ἴδιον, quod Authori vehementer arridet! toties ac toties idem inculcat, & tantùm non deperit. iſtud vult, In naturâ & Scriptura contradictoria eſſe, & contraria, v. g. in Scripturâ, Deum pœnitere, Deum non pœnitere. In naturâ, album, non album; ſic, cœlum, infernus; Deus, Diabolus &c. Illa à mente noſtrâ combinari debere, non per explicationes aliquas, & reſpectus, ut dicas hoc ſenſu illud, eâ ratione iſtud; ſed contraria abſolutè combinanda eſſe ſimpliciter, ac promiſcuè. Chriſtus eſt α & ω, ideoque inquit, in eo principium & principiatum, & contraria omnia abſolute combinanda. Hinc ad abſurditates & blaſphemias devenit, ut dixerit, & dicere coactus fuerit, cœlum & infernus, Deus & Diabolus, Chriſtus & beſtia Apocalyptica &c. idem ſunt. Hæc combinatio neque ex ſenſu, neque ex ratione à nobis fit; ſed mente (aliquando dicit fide) quâ rationi ſilentium imponitur, & ſenſui; ratio enim contradictoria abſolutè combinari non patitur, ſed explicat, diſtinguit, conciliat &c., & per diſtinctiones ac reſpectus abſolvit, verùm non, per mentem abſoluta & promiſcua debet, juxta eum, inſtitui contrariorum combinatio, ſive potius bruta confuſio: ſed non in ſcholâ ſive lumine ſenſuali, neque in ſcholâ ſive lumine rationali, at in ſcholâ & lumine mentali, ſive fidei, uti loquitur, illud fit. Confeſſ. cap. 1. *Duo contraria uniuntur ideo, quia α & ω, principium & finis, æternitas, & tempus, cœlum & terra, Deus & creatura, ſpiritus & littera, internum & externum conjungenda ſunt, alioqui perfecta rerum omnium cognitio non poſſet obtineri, v. g. Deum pœnitet, quia illum nihil pœnitet, Deum nihil pœnitet, quia*

eum

eum pœnitet. *Ideoque homo combinare debet a & ω, æternitatem cum tempore, quia alterum ſine altero conſiſtere nequit, v. g. Dei pœnitere in tempore nullius uſus eſſet citra non pœnitere in æternitate; & ejus pœnitere in tempore non poſſet eſſe, citra ejus non pœnitere.* Ideoque *unum citra aliud conſiſtere nequit, quia perfectio mundi conſiſtit in contrariis, v. g. die, nocte; calore, frigore, &c. Hæc ideo contraria nobis atteſtatur experientia, ut in hâc vitâ diſcamus adſcendere è tempore ad æternitatem, à creaturis ad authorem, ut omnia combinemus per ſupernaturalem cognitionem, quæ omnia unit: per mentem in cœleſtibus rerum fit unio Omnia unum ſunt. In terrenis diſcrimen rerum eſt, omnia juxta entia, loca, tempora diviſa ſunt. Idemque per tres ſcholas diſcendum: eſt ſchola ſenſualis, ubi vel pecus à pecore diſcit, & ex aliorum relatione, vel libris quis credit. v. g. Deum audire. Cap.* II. *Lumen naturæ, ubi contradictoria juxta ſe ponuntur, ubi unum abſolutè verum eſt, aliud per reſpectum. Deus omne audit, non pœnitet, contrarium eſt falſum.* III. *Lumen gratiæ, ubi mens contradictoria unit. v. g. Deus audit omnia, quia nihil audit, & nihil audit, quia omnia audit.* Cap. II. *Ideo homo creatus, liberatus, ac ſpiritu Dei obſignatus eſt, ut duo contradictoria uniat.* Cap. III. *Vera Theologia non eſt ſenſualis, neque rationalis, ubi ratio verum à falſo diſcernit, & nunquam duo contraria poteſt combinare; ſed vera Theologia eſt, ubi principium & finis comprehenduntur, ubi duo contradictoria uniuntur, & vera agnoſcuntur.* Pag. 10. *Qui principium cum fine ſumunt, duo contradictoria realiter unire poſſunt, in Ieſu Chriſtum conceduut, rationi valedicunt, quæ inimicitia eſt adverſus Deum, & quidem contraria invenire poteſt, & conferre, at nunquam realiter unire, ut utrumque verum ſit ſimul, & ſemel.* Cap. IV. *Qui nec dum norit duo contradictoria unire, & pro vero agnoſcere, per ſe in uno principio, neſcit principium cum fine, æternitatem cum tempore, Deum cum creaturâ conjungenda eſſe ad veram & perfectam cognitionem. Immò qui*

æterni-

æternitatem cum tempore principatum cum fine non unà realiter, nullum Deum habet, extra Chriſtum eſt, &c. Omnia idipſum ſunt, ſicut tempus eſt æternitas, æternitas eſt tempus; creatura Deus eſt, Deus eſt creatura. Omnia in omnibus occultata ſunt. Hæc regula referri debet ad combinationem contradictoriorum, ſeu unionem eſſentialem illorum. Dei non videre in æternitate, haud poteſt eſſe citra ejus videre in tempore, nam ſi non videt Deus, imò nihilominus videt, & ſi non videt, videt tamen. Vnde perſpicere licet, quamvis ſcriptura & naturalis ratio mundum cum initio ponant, eſt tamen ratione mentalis divinæ cognitionis æternus ſine principio, ſicut Deus æternus ſine principio eſt, idque ideo, quod neutrum ſine altero eſſe poßit in cognitione divinâ. Verum ergo manet, Deus eſt æternus, & non eſt æternus, tantundem eſſe ac Deus principium non habet, quia principium habet: mundus æternus eſt ſine initio, quia Deus æternus eſt ſine initio, mundus initium, & Deus initium habet. C. VIII. *Et quia tempus cum æternitate conjungi debet, agnoſcimus & credimus tres terrenas temporales perſonas diſtinctas ſecundum officia & proprietates, quemadmodum pater eſt genitor filii, filius verbum eſt è Patre procedens caro factum, non pater, aut ſpiritus ſ. ſpiritus ſ. tertia perſona, ab utroque in corda credentium mittitur. Hæc ſecundum terrenum modum, quomodo ſe Deus & homo manifeſtavit; verum ſecundum cæleſtem modum, eſt Deus Pater, Filius, & Spiritus S. modò unus Deus, unitus menti, quamvis diviſus rationibus in tempore, & tres unus Deus ſunt, omnipotens, æternus, Pater ipſe filius eſt, & Spiritus S., Spiritus S. Pater, & Filius, Filius ipſe Pater & Spiritus S. hic nihil prius nec poſterius; at in temporali cognitione eſt majoritas & minoritas perſonarum, ſic & prioritas & poſteritas. Et quamvis una perſona alterâ prior ſit, & major, nihilominus oppoſita pars etiam vera eſt. Etiam licet dicere, ſpiritus ſ. creatura, ſpiritus ſ. non eſt creatura. Filius creatus eſt, filius non eſt creatus, utrumque verum. Iam adi ſcholas, & concilia nonnulla, ut adverſarium ſuum condemnent,*

nuunt, & anathematizent ipſi archihæretici, quum unum modo partem veram agnoſcunt, alteram non. In ſcholâ tertiâ mentali utraque conjunguntur, neque errant: dicunt, Deus non contriſtatur, Deus contriſtatur, utrumque veriſſimum. Nihil hic diſputandum, neque contendendum, nemo hic condemnat, aurea concordia in Ieſu Chriſto, atque ita cum omnibus articulis univerſæ religionis ſeſe haberet, modo duo contradictoria unirentur, & agnoſcerentur. Cap. XVIII. *Numerus beſtiæ 666. continet ac comprehendit, immò omnium eſſentia ac vita eſt. Numerus 666. unum indicat, qui compendium eſt totius univerſi; ſc. S. S. Trinitatem, & omnia creata. Neque Trinitas uſpiam rectè intuetur niſi in numero 666. i. e. Chriſti humanitate. Multi Theologi putant Verbum caro factum, ſpiritum ſ. excludunt, vidiſſent utique tempus non poſſe eſſe ſine æternitate, nec viciſſim. Tres, unus Deus, caro facti. Deus, id eſt, Deus Pater, filius, ſpiritus ſ. non ſolum filius, ſed & Pater, & Spiritus ſ. homo, & filius Mariæ factus eſt. Filius, Chriſtus eſt beſtia illa, numerus ejus 666. Malefacio, ſic eſt, quod tantum myſterium hic pono, quod nemo philoſophorum invenit, verum cui manifeſtum, manifeſtum, cui occultum, occultum. Recipe Theologiam VVeigelii, ac pervenies ad γνῶθι σεαυτόν.* Apage cum iſthoc tuo malo myſterio, adeo in everſionem & confuſionem omnium veritatum, & Dei, S. Trinitatis, Chriſti &c. blaſphemiam nato! Cap. XIX. *Duo contradictoria unum ſunt, quod conjugium ſine omni divortio obſervandum. Chriſtus is eſt, in quo omnia combinantur, a & ω omnia continet. Eſt cœlum beatorum, infernus damnatorum, extra me nihil eſt.* Hactenus audiiſtis ſummarium omnis Confeſſionis, quam totam impendit hoc uno articulo, de combinatione contrariorum, reliquis ſparſim intermixtis; ideoque in recitandis ejus verbis prolixior fui, & ſtudioſior, quò mens authoris ex ipſis ejus verbis dextrè ab unoquoque perciperetur, atque in aliis etiam ejus ſententia facilius conſtaret; tum propter abſur-

ſurdiſſima & blaſphema, quæ ex ejus mente paſſim citantur, intelligenda, eorumque fundamentum. Tanti habuit hoc ſuum inventum, ut nullum operoſius inculcet, maximo cum tædio. Pauciora ſunt, quæ hic illic addit, præter ea, quæ excerpſimus, in hoc Confeſſ. volumine, adeò in repetitâ crambe ſe oblectat delira mens. Neque adeò hoc libello id egiſſe contentus fuit, niſi idem quoque omnibus ſuis libris ageret, ne forte quis ſchedulam aliquam introſpiciens hoc quoque non ſtatim apprehenderet. Gnothi ſeaut. part. III. pag. 6. *non favendum partibus, neque ex aliorum relatu credendum, nullus alium condemnet; quis ſcit utrum verum an falſum ſit? nemo: prius numerum beſtiæ addiſcamus, id eſt, veri Theologi efficiamur.* pag. 40. Aſtrol. Theol. cap. x. pag. 30. *Mens omnia unit, Deus in creaturâ totus, creatura in Deo tota.* Capt. aur. pag. 6. *omnia æterna ſunt, & ſimul temporalia.* Stud. Univerſ. c. v. Aſtrol. Theol. cap. VIII. *ſi addiſcas numerum beſtiæ in Apoc. comperies Chriſtum illam beſtiam eſſe, & manere, in, cum, & per homines, eſtque omninò civitas illa, illa mulier, meretrix Babylonia, draco, pſeudo-propheta à initium cum fine ſimul ſunt.* Pag. 23. Quemadmodum firmamentum malum *eſt, in, cum, & per hominem, ita beſtia Apoc.* 13. *eſt draco, Ieſabel, meretrix, Babylon, pſeudo-propheta. Ita & bonus Deus malus eſt in cum & per creaturam, citra ejus culpam; abſque eo enim creatura ſe neque movere, neque quidquam cogitare valet, extra eum, qui α & ω, qui omnia eſt in omnibus.* Lib. de bono & malo cap. v. apertiùs ſe explicat, *Deus lux eſt, neque in eo tenebræ; cœlum eſt, nec infernus; ſolùm bonus, nec malus eſt, idoque in eo nequeunt eſſe tenebræ, ſolùm in creaturâ, quæ ex malitiâ harum ſibi author. Dictum tamen eſt ſuperius, Deum lucem cum tenebris, cœlum cum inferno comprehendere, Angelum & Diabolum, bonum & malum. Ergo in Deo ſint tenebræ, condemnatio neceſſe erit. Videntur hæc contraria, neque tamen ſunt. Deus enim*

nim continens, & concludens & centrum omnium creaturarum, bonarum malarumque, neque extra eum quid eſt, neque diabolus aut improbus ſe abſque eo vel movere poteſt; quando ergò Deus tenebras & lumen comprehendit, non hæc in ejus eſſentiâ inſunt, verum in creaturis, quæ in tenebras, infernum &c. prolabuntur: quamvis extra Deum eum eſſe nequeant, in Deo manere neceſſum iis ſit: Etiam coram Deo tenebræ non ſunt tenebræ, nox ut dies eſt &c. & *ſic pag.* 23.

Paradoxum quintum, de ſæculo Spiritus Sancti. In inſcriptione librorum ſuorum aliquando addit: *Vltimo ſæculo Spiritus ſancti in teſtimonium, commiſſum prælo.* Lib. altero *de vit. Chriſti*, quo probat, nullas per Europam ſcholas aut eccleſias carere pſeudo-prophetis &c. pag. 127. ita loquitur: *ſi mihi N. N. credas, magnum tibi aperiam myſterium, nempe hoc, reſpice Chriſtianæ fidei articulos, ut ſeſe invicem ſequantur, quæ præteriti, qui adhuc reſtent, liquebit quid ſecundum arcana Prophetarum jam tranſierit, & quid adhuc futurum; etiam ſub quo articulorum etiamnum vivamus. Illorum articulorum duodecim ſunt, ſunt itidem duodecim horæ mundi, quæ in terrâ omnes adimplendæ, antequam in nihilum intereat; hoc præſenti tempore vivimus & ſumus ſub articulo, ſedens ad dextram Dei: ubi hic terminum ſuum fuerit ſortitus, eum excipiet alter, unde venturus eſt judicatum vivos & mortuos; quod non intelligendum de noviſſimo die, neque de interitu mundi; verum de judicio Filii; Pater enim inimicos ſuos primo ſæculo perdidit diluvio aqueo; Filius altero ſæculo Antichriſtos ſuos delebit diluvio ſanguineo; Eo adimpleto, ſupereſt tertium ſæculum, nempe Sp. Sancti: qui etiam in terris vigebit, tertius enim articulus de Spiritu S. S. Eccleſia, Communione Sanctorum reſtat adhuc, ac in terris adimplenda, neque prius interibit mundus, quin omnia impleta ſint: hoc tertio ſæculo, horrenda ac infernalis generatio in ſanctos, qui in terrâ adhuc, inſurget, cui ſimilis non fuerit, verùm delebitur ac peribit per diluvium*

igneũ

gneum, & hoc erit ſaculum Δ [ignem putat, quibus notulis crebro utitur, etiam in Poſtillis, nimirùm ut guſtum aſtrologicum ſignificaret] *Baptiſmus ignis ſc. ignis infernalis. Neque te lateat, aliud eſſe diem noviſsimum & judicium extremum ſeu diem extremum, licet eruditi ita putent:* ſed hoc arcanum nondum ibi revelat, indicat tantummodo. Oſwaldus Crollius *in praf. Baſilic. Chymic.* eadem arcana prodit, & ſæculo illo tertio Eliam Medicum, reparatorem omnium expectat *pag.* 5. Atque hæc potiſſima V Veigeliani ſpiritus (omnia non dico) paradoxa, de quibus ita porrò judicamus.

I. Longè majoris operæ ac ſtudii eſſe, ſententiam ejus ac mentem ritè indagari, exquirere, & intelligere, quam refutare. II. Ex furnis & fumis Hermetico-Paracelſicis, & ſpiritu Chymico adinventa, iiſdem tincta, & inflata eſſe. Ex Philoſophiâ, & artibus ſi quæ unquam didicerunt hujuſmodi homines, ea rebus ſuis Theologicis tam impotenter, faſtuosè, ac imperitè aſpergunt & commiſcent, ut ignotæ plebi mira ſomniare videantur & venditare ſtolidi empyrici. Sennertus, *de Chymicorum conſenſ. & diſſen.* in dedicat, *Ex Paracelſo nimirum, tanquam fonte, dogmata ſua hauſerunt VVeigelius, Crollius: imò illi ipſi Enthuſiaſta, qui ante paucos annos in Thuringiâ religionem Chriſtianam turbare conati ſunt, & plures alii ex iis, qui fraternitatis R. C. ſeu ſocii ſeu clientes videri volunt.* III. Vulgaria, & confeſſa, miris, Chymico-Philoſophicis, cothurnatis verbis ac loquendi modo ebuccinare ſolent; ut ſaltem ſermo quid portendat. Calvinus, adverſ. Libert, cap. VII. *peregrina, & inſolenti utuntur lingua, quâ ſic cornicantur, ut nihilo plus perſpicuitatis inſit, quam in avium cantu:* uti Tertullianus contra Hermogenem inquit: *hareticis morem eſſe, ſimplicia torquere.* IV. Non ſermone ſolùm; ſed & ſenſu ac re portentoſa, abſurda, peſſima plurima tenent, atque tradunt. Quæ

1. Nullâ ratione, argumento, vel ſpecie probant;

fingunt modò, & quaſi pueris, vel amentibus dictaſſent, ſatis habent pro arbitrio illa comminiſci. Agite dum, ſi omnium iſtarum, quas tantâ cum patientiâ hactenus audiiſtis, nugarum ullum argumentum, vel probationem obſervaveritis? ergo quâ ratione iſtum ſibi potuiſſe talia perſuadere, vel aliis, arbitremini, quibus nulla quidem ſpecies rationis favet, aut obduci vel ab Authore potuit. I I. Ideoque tam facile explodantur & reſpuuntur omnia, quam proferuntur. I I I. Immò æſtimem, operoſâ & diligenti, vel doctâ refutatione nequaquam examinanda eſſe; quæ vel inde ſibi nonnullius pretii eſſe alioqui perſuadent. I V. Sufficere, ut monſtretur, quomodo in communia & certiſſima principia Theologiæ, ac Philoſophiæ impingant, quæ hactenus maximis argumentis eruditis ac ſanis conſtanter probata, non tam leviter nullâ in contrarium ratione, deſerenda, & abdicanda ſunt. V. In principio iis præcipuè occurrendum, quoquo pacto eccleſiaſticè, & politicè, præſertim ad blaſphemas & portentoſas theſes; neque permittendum, ut ad librorum ſcriptionem (ſcripturire enim impotenter ſolet iſtud hominum genus) pergant. V I. Præſtiteritque cum illis hominibus coràm & voce congredi, quam ſcripto.

I. Quia ita melius poſſunt abigi à monſtroſis locutionibus ad communes, & uſitatas. Primùm enim in omni diſputatione, ad controverſiæ ſtatum, de verborum ſenſu inquiritur, & ſic ad planam ſententiæ ſuæ explicationem dum coguntur, nullo negotio refutantur, juxta illud Tertulliani: *hæreticos noſſe, debellaſſe eſt*. I I. Atque ad probationem adigantur, & rationes: quod adeò abhorrent, ut VVeigelius in libel. diſput. pag. 3. caveat, & diſcipulum ſedulò moneat, ne contra dictata ſua argumentetur, vel ſe opponat; ſed recipiat ſtatim omnia abſque ullâ contradictione, nimirum in ſcholâ mentis vel fidei jam erudiendus: quemadmodum Enthuſiaſtæ ſolent, argumentis preſſi,

ſi, ſpiritum ſuum opponere; ac quia myſteria ſua à nemine niſi per illum ſpiritum percipi poſſe dictitant, illum primò indui volunt, ſine quo de ſacris ſuis haud ritè quis (ex ipſorum opinione) judicet. III. Scripta verò eorum ſolent eſſe prolixa, tædioſa & multa: neque facile ſcriptis vinci ſe patientur, quin potius centies idem idemque repetent, & promiſſis ſaltem, titulo, ac ſtylo ſuperbis, vanis, falſis, ac inuſitatis lectorem deludent, atque obtundent. Quod omnibus Enthuſiaſtis, Paracelſicis, VVeigelianis, Behmiſtis proprium. Eodemque inſtituto Iohannes VVeits, cujus ſcripta prodierunt Francofurti Anno 1634. titulos librorum ſuorum fecit, *Revelatio arboris cæleſtis. Electrum cæleſte. Conſilium, & medicamentum Catholicum &c.* Præter titulorum cothurnos & fumos, nihil. *tanquam altius ſupraque vulgi ingenium ſpiraturi, ſi videantur communem ſapientiam, ut prophanam vilemque negligere,* inquit de Angliæ Ioh. Barclajus. Neque aliter Manes (à quo Manichæi) quæ ſcribebat, ſummis titulis proponere ſolebat, *Fundamentum, Myſteria, Theſaurum,* ſuos, quos evomebat libros, appellitans, de quibus Epiphanius *hæreſ.* LXVI. Etiam Arius ſua Thaliam nuncupabat. Thalia Sotadica dicebatur, cujus exordium ponit Athanaſius, *Orat. contra Arian.* & Baronius, ad Annum CCCXXV. num. LXXXI. &c. IV. Fucum facere ſolent inſperſione ac uſurpatione thematum aliquorum, quæ ſummam videntur & rigidiorem ſpirare pietatem, quâ ſpecie incautos fallunt. *nulla aconita bibuntur fictilibus* Sic VVeigelius *de abnegatione ſui ipſius* &c. prolixe ſcripſit, & omnes illius ſpiritus homines perfectionem crepare ſolent: nempe, id quo longiſſimè abſunt, maximè & impudentiſſimè præ ſeferentes. Quid hominum unquam Davide Georgii impurius, ac blaſphemius, (ita ob ſimilitudinem ingenii paradoxe portentoſi juvat hoſce Auctores conferre), qui pudorem genitalium membrorum omnem excutiendum, atque re-

rerum nòn modò, ſed & mulierum promiſcuam commixtionem docebat, *Nicol. Bleſdikii hiſtor. pag.* 23. 27 28. 29. 30. 32. 72. 76. 111. 176. & ex eo *Vbbo Emminus pag.* 54. 244. 257. ſc. Chriſtum, Davidem ſecundum ſpiritum, & peccatum in ſe quod committeretur, peccatum in Spiritum S. faciebat, *Bleſdik. pag.* 37. 40. 43. 121. 45. 48. 50. 95. *Bullinger. adverſ. Anabapt. lib.* II. *cap.* XIV. *Thuanus lib.* XXII. *Gaſparus Grevinchovius.* Quare Synodus Enchuſana vel conjugium cum iſtius ſectæ homine confirmari vetat. Anno cIↄ Iↄ c XVIII. & à Baptiſmi teſtimonio illos arcet Synodus Edamenſis, Anno cIↄ Iↄ c XIX. Iſti tamen homines haud volunt videri deſinere contra peccata declamare; pietatem, & mortificationem hominis magno conatu urgere, & pompoſè oſtentare. *Bleſdik. pag.* 15. 16. 18. 54. 66. 67. 124. *Lambertus Hortenſ. de Anabapt. pag.* 44. quod quoque Calvinus in illis hominibus notat, *Inſtruct. contra Libertinos pag.* 288. *in oct.* Sed & diſtinctius ad ſingula VVeigelii capita aliquid annotemus.

Quæſt. I. *An in homine omnium artium, ſcientiarum, rerum ſemina ſint, & formæ?* Reſp. I. Homo quidem compendium univerſi dicitur, omniumque perfectionum eſt συλλογὴ; ſed non ita, ut omnia formaliter in eo ſint, & tollatur differentia ſpecierum; ſufficit convenientia in genere, ut quòd ſit quoque, & vivat, & ſentiat, atque potiſſimâ ſui parte ſit rationalis, & ſpiritualis, quo pacto creaturas omnes, tum quæ ſupra & quæ infra ipſum ſunt, refert, & ſimilitudine ſuâ attingit. Addeſis Becmann. *loc. cit. pag.* 409. Libavium, in *examine philoſ. nova pag.* 16. & 101. II. Quando homo μικρόκοσμος dicitur, Deus ſemper excipitur, qui ſupra eum & omnia, neque ad alicujus conſtitutionem venit, vel compoſitionem, ut pars: ſic ut dici nequeat, in nobis eſſe cœlum, elementa, Deum ipſum &c. III. Et jam corruit præcipuum ſententiæ

iſtius

iſtius caput,] in cujus gratiam illa faciunt, nempe ex homine duci omnium rerum cognitionem, quia omnia ſc. in homine ſunt, neque aliquid extrinſecus inferatur. Quod putidè impingit in Theologiam, & Philoſophiam. In Theologiam, tam ratione articulorum fidei ſupernaturalium, quorum ſane notitia non ex nobis, ſed duntaxat ex ſupernaturali, ac cœleſti revelatione extra nos haberi poteſt; quam ratione fidei illis habendæ, omniumque virtutum Theologicarum doctrinâ, & praxi ex homine vel ejus naturâ, nullatenus, ſed ab extra in hominem, neque alia ratione, quam ex superveniente Dei gratiâ derivandarum. Simile, quod inter articulos Davidis Georgii hæreticos, pro XXIX. ponitur apud Bleſdikium pag. 52. quod docuerit: *paradyſum, cælum, infernum, Chriſti poſtremum adventum, extremum judicium, æternam vitam &c. non alibi, quam intra hominem obſervanda & exſpectanda eſſe.* In philoſophiam peccat, per confictam hominis fabricam ex corpore, anima, & ſuo ſpiritu, (de quo vide præter alios, Becmanni exercit. XXV.) Jam quis ex tali rerum omnium, & naturæ confuſione, & cujuſlibet ex quolibet eductione hactenus de naturâ, adde & præternaturalibus edoceri potuit, neglectâ naturâ & gratiâ, ſolâ hominis & naturæ ſuæ contemplatione, ac examine inſtructus? Ne quidem VVeigelius dixerit, ſe ſua quæ novit, ex ſe hauſiſſe, & non conſueta viâ addidiciſſe. Mirum autem ipſum non in ſe, vel diſcipulo periculum ſuæ methodi & αὐτομαθείας aliquod feciſſe, quam adeo in contemptum reliquorum ſtudiorum ſuadet. Committat ſe quis rotæ VVeigelianæ (quin talia etiam inculcat) atque rejectis aliis ſtudiis hâc viâ inſiſtat, profectum & eventum placidè exſpectabimus, niſi illum adegerit tandem iſta circumgiratio in pœnitendam inſaniam. Quin, & ſenſus contrarium ſatis docet. Quid, quando ſpurcitiem aliquam video, vel fœtorem quis percipit, cunctane illa ex nobis,

& non ἔξωθεν adveniunt? Monuit VVeigelius, ut quilibet agrum ſuum modò excolat, hinc omnia nos percepturos, & æque dialecticam atque philoſophiam, ac Ariſtoteles vel philoſophus quicunque, percepturos, omnia in omnibus quum ſint. an autem videtur quis ſibi adeò fœcundus, ut nugas VVeigelianas cogitaſſet unquam, niſi ex ſcriptis ipſius Auctoris? ſane haud facile alicujus agrum ita fertilem credam, ut tales fungos ferat, niſi VVeigelianum. Et hanc habeat ſibi laudem propriam. Certum id, quod non ex nobis omnia & ſolum, ſed ab objectis, & aliquando ſtultiſſima quæque etiam inviti percipimus. IV. Quod ergò de ſabbato VVeigeliano ſubnectitur, quo iſtiuſmodi nugas ſomnient homines, & febricitantis animi anilia quæque phantaſmata, ex pretio ſuo jam æſtimare illa licet, & fructu. Quid ſi ſomnium vel ſabbathum aliquod ingreſſi, inde doceamur ludibrium ſuis debere (ne quid gravius dicam) VVeigelium cum omnibus ſuis ſomniis & nugis? De hoc vide Maraixium, contra Enthuſiaſtas. Niſi forte nonnulli aliquando rationem meditandi & contemplandi [quam vulgò & omnes ſcimus, ac probamus] vel ex ignorantiâ, aut rei præſtantiâ ducti, ſive ſtultâ grandiloquentiâ, ſabbathum appellent.

At quærit tamen *libell. diſp. pag.* 11. & *capt. aur. cap.* 11. & paſſim, unde ergò, quod non omnes æquè omnia percipiant, ſi non ex homine hauriantur, quum eadem objecta omnibus æque proponantur? ſiccine? in Talmude nonnemo quærit, quare ſol in plagâ iſtâ oriatur, in alterâ occidat, & non viceverſâ? cui reſpondet Doctor; ſi ita fieret, ut dicis; idem quæreres. Iuſtius ego ex VVeigelio, ſi ex homine omnia, quare non omnes æque apprehendunt, atque ſapiunt omnia? ſaltem ſequeretur, quod non eam difficultatem experiremur in addiſcendis rebus, ſiquidem omnia in nobis laterent, ut ille credit, quàm jam maximam ſæpe

pa-

patimur: quomodo etiam argumentantur, qui contra nonnullos male feriatos diſputant, linguam hebræam non eſſe homini naturalem, propter addiſcendi difficultatem. In rerum perceptione multum quidem ſitum in diverſa hominum indole & ingenio, ſed ex ratione objecti, & varia ejus proponendi ratione diverſa illa inter homines ſapiendi ratio, non totum ex agro noſtro interno, vel naturâ mentis omnium rerum formas & ſemina complectente. Verulamius, de augment. ſcient. lib. 1. *cæterum præclaros hoſce opinatores, & [ſi ita loqui licet] intellectualiſtas, qui tamen pro maximè ſublimibus & divinis philoſophis haberi ſolent, rectè Heraclitus perſtrinxit. Homines* inquit *quærunt veritatem in microcoſmis ſuis, non ex mundo majori &c. At illi contra jugi mentis agitatione urgent & tanquam invocant ſuos genios, ut vaticinentur eis, edantque oracula, quibus merito & ſuaviter decipiuntur.*

Quæſt. 11. *An homo ex nativitate ſuâ Planetam proprium habeat, qui ipſum regat, quemque adeo abdicare debeat, ut ſalvetur?* Reſp. 1. Mirum, qui tam acerbè ſcientias omnes inſectatur, cum paradoxa illa aſtrologica tam facilè adoptare, tot ac tantis rationibus à Philoſophis & Theologis ſemper condemnata; niſi forte in hoc ſtudio parum verſatior fuerit, quod nullo alio pacto melius oſtentari poſſe ſibi viſus, quam iſto: ſicuti antea diximus, iſtud hominum genus oſtentabundum eſſe & vaniſſimum. Illa igitur quum aſſirmat, quæ falſiſſima, quæque nullâ ratione probare allaborat, quanti ejus dogmata? 11. pariter æſtimari debet, quod huic ſuperſtruit ridiculum prorſus & nugatorium thema, de aſtri ſui renunciatione: quia ſc. nemo cum aratro vel armis cœlum ingreſſurus eſt. Qui ſtudio nugari velet, an aliter fecerit, quam hic? Quaſi quem hoc anxie torqueat, ne calceatus & ocreatus cœlum introeat. Quomodo referunt aliquam ſcrupulum moviſſe ſub obitum, quod vereretur, ne uti Antonius

filiis porcis, ipſa catulis præficeretur, quos tam enixe in vitâ adamarat. *VII.* Sex diebus quomodo liceat planetam ſuum ſequi, ſi ut filius planetæ damnationem quis incurrat? & quomodo ſabbatho omnia abneganda, quæ juxta VVeigelium ex aſtris proveniunt, quum etiam munia Eccleſiaſtica ex planetâ Iovis derivet, quæ ſabbatho vel maximè curanda? Neque adeo facile aliquis per totam hebdomadam planetæ ſuo addictus, cum & planetica omnia ſtatim ſabbatho, ut poma ex arbore, vel aſinus mora (ſic loquitur) excutiet? Et quare, ubi de omnibus pronunciavit, illos non poſſe ita ſalvari, neque Parentem, filium, uxorem &c. non etiam VVeigelium addidit? neque enim VVeigelius ſalvabitur, quia VVeigelius, ſed ſi puer & Chriſtianus, prout loquitur. Quam nulla & nugax illa ſubtilitas! quaſi quis unquam tam ſtolidus, qui opinatus fuerit ſe ſalvandum, quia vir aut mulier, faber aut auriga: & non, uti de Iodoco Gallo, Conr. Pellicani avunculo refertur, illum in extremis dixiſſe; *reſurrecturum ſe ad judicium, non ut Sacerdotem & doctorem, ſed ut humilem Chriſtianum*, (Melch. Adamus in vita Pellicani), ita credamus nos, ut Chriſtianos; ſalvatum iri, nec aliter.

Quæſt. III. *An cognoſcens idem fiat cum cognito realiter, & eſſentialiter?* Reſp. I. Niſi VVeigelius hoc ſuo dogmate quid peculiare ſe docere diceret contra communem, quam etiam damnat, ſententiam, judicarem, errorem omnem in terminis conſiſtere, neque in re adeò peccatum eſſe, quam loquendi modo; ſic fortè quis terminos illos *realiter & eſſentialiter* explicarit: at quia ita ſe res habet, ut homo craſſiſſimè hæc voluerit accipi, aliiſque ſecus ſentientibus vel ideo ſolitum ſuum anathema dixerit, age, & craſſe ſtoliditati ſuæ vapulet. 2. Ex philoſophiâ. An quod quis audit, legit in libro, vel cognoſcit, illud fit? & quando Diabolum cognoſcit, vel aſinum, is ſtatim evadit? immo

immo quando ſe, vel ſuum ſive aſini ſui fimum cogi- tat, aut ſi quid vilius; cum illis idem ſit realiter & eſſentialiter? ohem. Vel, qui VVeigelium cogitat, is VVeigelius realiter fiet? hoc mihi certe nolim; tu ti- bi forſan, ut totuplex ſcilicet evadas, & tot VVeige- liana conſtituas individua. Vel cogitet VVeigelius, ſive VVeigelianus adverſarium ſuum, qui omnia ejus themata vehementer rideat, qualis quæſo inde fiet VVeigelianus?

In Theologiam peſſimè impingit, & ſic videtur ejus cauſa illud maximè dixiſſe, nimirum ut hominem dei- ficaret, non ſe homine contentus, niſi כאלהים Geneſ. III. 5. Deus etiam fieret: quum hoc nec Deo, nec homini conveniat, hominem realiter & eſſentialiter Deum fieri. In Confeſſ. cap. XV. *qui intelligit Deum incomprehenſibilem, intangibilem, penetrat ipſum impene- trabilem, & penetratur ab illo. Qui penetrat Deum, uni- tur cum eo eſſentialiter, hoc fit per ignorantiam, & ſilenti- um cæleſte, quo jungimur ei, qui omnem ſcientiam & in- tellectum præterfugit. Atque ita ſeſe homo per intellectum & cognitionem corporaliter* leibhaftigh *cum Deo unire poteſt, & poteſt illud fieri, quod cognoſcit, nempe Deus aut Dei filius, ita homo illud ipſum fit, quod ſtudet, diſcit, ac cognoſcit, quia ſe ipſum reperit; ac ad ſe demum redit, eſt enim omnia, & in ſe continet omnia. Fide Chriſti carnem edimus, & ſanguinem bibimus Ioh. VI. Ita illud ipſum de- bemus fieri, quod edimus, id eſt, Chriſtiani ſimus per Chriſtum, & cum eo eſſentialiter unum, non imputative, ſed unione eſſentiali. Quid vero diu ſcholæ reſpondebunt, quod Hoſiandrum rejecerunt cum eſſentiali juſtificatione, quod in Chriſto eſſentialiter debemus uniri, ſicut palmes in vinea? Repudiabuntur & in æternas tenebras extus rejicientur cum ſuâ juſtitiâ imputativâ.* cap. IX. pag. 25. *b.* In tractat. *de V. ac N. Ieruſalem* paſſim pſeudo theologos appellat. Confeſſ. cap. VIII. p. 24. b. citat ex Dionyſio: *In ignorantiâ & inſcientiâ magis unimur Deo, quam animâ*

cum

cum corpore. Confeſſ. cap. IX. pag. 25. *pſeudo-theologi, qui per imputationem ab extra ſalvari volunt, nullum Christum habent, extra ipſum ſunt, crucem reſpuunt, baptiſmum repudiant, nolunt commori, conſepeliri, repudiant carnem, nolunt calicem Domini bibere, ſeſe ſeparant à capite, nihilominus Cœnam ſingulis quatuor temporibus adeunt, quod ipſis damnationi eſt, ô quæ execrabilis via!* Adde Stud. Univerſ. cap. III. Titulus dialogiſmi de Chriſtianiſmo promittit explicationem, *quomodo homo cum Chriſto corporaliter, internè ac externè uniatur.* Vide ejus cap. I. II. V. Hinc manducationem Chriſti carnalem etiam urget, in eo à Lutheranis, & Pontificiis, ſicuti ipſe fatetur, diverſus, quod non carnem Chriſti, quaſi ex Adamo tractam, tamen eam ipſam, ſicut ſe in cruce obtulit, corporaliter edi velit, *de vitâ Chriſti c.* XLVI. atque hinc c. XVI. ſingulis Chriſtianis duplicem adſcribit carnem. I. quam ab Adamo habent, cum extremo judicio deponendam; alteram ex Chriſti carne & ſanguine, permanentem in vitam æternam. Lib. de ſitu mundi cap. XXII. *quid nova & ſupernaturalis caro aliud, quam ſpirificata & deificata caro, quæ ex regeneratione, ex carne Chriſti, & non ex Adamo producta?* Homo noſter hic neque ſe, neque alios intellexit. Unimur Deo, Chriſto, revera, ac ſpiritualiter, non ut eſſentia noſtra Dei, vel Dei fiat noſtra, per aliquam portentoſam tranſmutationem, vel converſionem, quod neque Dei, neque noſtri ratio permittit, & vel ſenſibus refutatur. Juſtitia Chriſti, quam noſtri loco præſtitit, noſtra fit per imputationem, & quomodo aliter fieri poſſit? at & cum Chriſto etiam unimur per ſpiritum ejus ac fidem: quemadmodum peccatum Adami, quod in actione tranſeunte conſtitit, nobis imputatur, qui præterea etiam eâdem naturâ uniti ſumus cum Adamo. Uti in naturali rerum cognitione diſtinguimus mentem quæ cognoſcit, & rem, quæ

quæ cognoſcitur; deinde actum mentis, quo cognoſcimus, intellectionem, & rei ſpeciem per quam res recipitur, videtur, atque pernoſcitur; ita in ſpirituali noſtrâ cum Deo & Chriſto unione, animam ac Deum, & deinde fidem, quæ actio eſt animæ ſupernaturalis, & gratiam Spiritus S. per quam Deus in nos influit, quo per fidem à nobis accipiatur, diſtinguimus; aliud ut ſit Deus & homo, cognoſcens & cognitum. Addiſcens fabrilia, evadit quidem faber, id eſt cognitionem eorundem acquirit; at non ipſe fit illa fabrilia, ut c. malleus, ſecuris, aſcia, terebra &c. Sic & qui ludos organorum, fiſtularum, Cytharæ addiſcit &c. Haud neceſſe, hiſce diu immorari. Alia eſt unio eſſentialis, alia intentionalis, quæ fit per rerum ſpecies in mente: hujus generis iſta eſt quâ cognitum unitur cum facultate cognoſcendi, non illius: in eſſe cognoſcibili & intellectuali, non reali & ſubſtantiali.

Quæſt. IV. *An contraria in mente abſolutè & promiſcuè combinanda ſint?* Reſp. I. Fons erroris eſt ex pravâ interpretatione, & abuſu α. & ω ut Apocalypſi, quod de Chriſto dicitur: hoc enim non docet, contraria omnia combinanda eſſe: ſed modò, Chriſtum principium omnium ex quo, & finem, in quem eſſe, diverſo utrumque reſpectu, de quo item alibi dicitur, quod non ſit in eo etiam & non, ſed etiam in ipſo. II Cor. I. 19. contra ac VVeigelius audet dicere, utrumque in ipſo æque locum habere. Uti ſi dicam, mare eſt principium omnium fluminum, & finis, idcirco ibi contraria combinabo? Principium & finis, abſtracte & ſimpliciter quidem ſunt contraria; ſed nihil impedit, quo minus unum idemque aliâ & aliâ ratione dicatur rei principium, & finis. II. Quodcunque etiam mens de rebus concipiat, nihil rerum naturam mutare poteſt; verum quæ contraria, manent contraria; & diverſa, quæ diverſa, omniaque talia ac ſunt. Nullo

pa-

pacto ego mente combinare poſſum ignem & aquam, ut unum, quæ combinari contrariâ ſuâ naturâ nolunt, multo minus cœlum & infernum; Deum cum Diabolo; quidquid enim ego de rebus concipio, invariatæ manent; neque ſi vel ſtultè eas combinari cogam, ideo deſinent eſſe contrariæ. III. Contraria omnia unire, eſt veritatem omnem tollere, primum enim veritatis principium eſt, implicationem contradictionis eſſe fundamentum veritatis, quod eſt, haud ſimul quid poſſe eſſe, & non eſſe; atque contradictoriorum alterum tantum eſſe verum: contrà VVeigelius contradictoria tollendo, omne verum ex rerum naturâ tollit: ideoque perinde ei eſt, ſive dicas Deum eſſe, an non eſſe Deum, an Diabolum; quæ Scriptura dicit vera eſſe, an dicas falſa: nam illa utcunque combinabit in ſuâ mente. Quam hæc optima ratio dirimendi controverſias? Immò ille æquiſſimè ferat, quod dico VVeigelium mentiri & nugari, ſtultum an ſanum eſſe. Facilè enim in mente ſuâ illa combinarit ſcilicet. IV. Atque ita etiam falſum ſemper concipiemus: aliter enim rem concipere, quam ſe habet, falſum eſt. V. Quidquid ſit, ſummum ſcandalum & blaſphemia, crudè & intrepidè dicere, cœlum eſſe infernum, Deum Diabolum, Chriſtum beſtiam Apocalypticam, &c. quod piæ aures non ferunt, & quidem repudiatâ omni explicatione, vel diſtinctione.

Quæſt. V. *An propediem in terris futurum ſit ſeculum aliquod ſpiritus ſancti, juxta ſeriem articulorum ſymboli?*
Reſp. Illud de ſæculo Spiritus S. utcunque videatur ingenioſum, fruſtra eſt, neq; ullâ ratione ſolidâ ſe patitur perſuaderi. Quod Filio ſæculum datur, eſt ex ratione diſpenſatæ redemtionis & curatæ noſtræ ſalutis, quæ antea ſub promiſſione, jam ab exhibitione Chriſti, nihil ultra exſpectandum relinquit quam rerum omnium conſummationem, non ſæculum hic aliquod diſtinctum Spiritus Sancti. Diſpenſatio redemtionis noſtræ,

quâ ſolum ratione ſæcula diſtinguuntur, illud non patitur: quum poſt hanc vitam ſæculum vel regnum Trinitatis futurum; non ſingularis alicujus Perſonæ, ubi Deus erit omnia in omnibus. Neque in terris talia præſtolari nos voluit Deus. Fratres Roſeæ Crucis, aliique in Germaniâ plurimi tale ſæculum ſibi promittunt, quo omnis impietas exulabit, Iſraelitæ convertendi, quin etiam ſecundum nonnullos in terram Canaan reducendi, Turcæ exſcindendi, omnium rerum copia, concordia, ſcientia & ſanctitas obtinebit, quomodo primævo ante lapſum mundo, uti declarat Author epiſtolæ, ante epiſt. Rogerii Baconis *de ſecret. nat. & art.* vide & Becmanni *exercit. pag.* 361. verùm omnia illa fruſtra. Item tertium ſeculum clamabat Philippus Zieglerus, ſeque iſtius ſanctiſſimi regni ſcribebat præconem, in libello Germanico, ſuper iſto negotio, adverſus Philippum Arnoldum, & Paulum Nagelium. Fortè, Germanorum plures eo lubentius in talem futuri felicioris ſæculi ſententiam eunt, quia homines harum, quibus hactenus graviter preſſi, calamitatum pertæſi, facilius ſibi perſuaderi volunt meliora tempora: atque ut alicubi Ludovicus Vives, in Auguſtinum loquitur: *nulla res eſt, de quâ liberius homines mentiuntur, quam de futuris, quoniam nihil nos audimus libentius; etiamſi niſi falſum dici ſciamus: ita favor in eos noſter, qui futura jactant prædicere, licentia eorum irritat, & alit; uſque adeo in re mirabili vel voluiſſe mirandum ducimus.* Niſi quod jam olim etiam Muncerus cum ſuis, & David Georgius perpetuò aliam Remp. aliud ſæculum, regnum, & quod à ſanctitate ſe commendaret, creparint. Hortenſius, in hiſtoriâ Anabapt. pag. 11. inter illorum Paradoxa hoc quidem primum ponit: *Paradoxa autem hæc erant. Chriſti regnum ante ultimum diem rerum humanarum civile in terrâ futurum: hic ſoli ſancti & juſti, regibus ferro & vi ſublatis, dominarentur. Id autem regnum eſſe jam cœptum Anabaptiſtarum.* Bleſdikius *in hiſtor. David. Ge-*

arg. pag. 4. 8. ex Apocalypſi itidem docebant, propediem *per novos Apoſtolicos viros novam Hieroſolymam readificandam, his templum aperiendum Apoc.* 11. 19. *& viam ad nuptias Agni aperiendam, Apoc.* 19. 7. &c. pag. 37. Iam tertiâ vice, & ultimò Deum ſe orbi patefacere ajebant, in iſto Chriſto Davidis, qui antea etiam in Moſe & Chriſto, ſed in illo umbraticè, in hoc corporaliter, jam verò ſpiritualiter ſe exhiberet; & doctrinâ ſuâ poſtremo ſæculo reſervatâ, (in quo ſeptima Apoc. tuba reſonaret.) orbem ad primævum mundi, ante lapſum, ſtatum reformaret. Atque talem depingunt ſibi mundi futuram reformationem fratres Roſeæ Crucis, *univerſalem in terrenum Paradyſum, qualem Adamus ante lapſum poſſedit, & artium omnium ac ſapientiæ reſtitutionem, qualem Adamus, Enoch, Salomon habuerunt*, uti contra illos ſcribit And. Libavius, homo in noſtros, etiam illo ſuo ſcripto *Conſiderat. in famam & Confeſſ. fratern. Roſea Crucis*, adde etiam *Examen philoſ. nov. pag.* 115. 127. virulentior atque inhumanior, nominatim in Cl. D. Lucium, Profeſſorem Baſileenſem, quem improbè & indignè exagitat; atque etiam ipſi illi fratres contra noſtros haud obſcurè ſe declarant, *in Famâ pag.* 30. quam, uti & *Confeſſionem* ediderunt hujus ſæculi anno XVII. quum demùm nota illa fraternitas cœperit eſſe ad annum XV. Nempe *in Fama*, quam quinque linguis diſparſerunt, quaſi hiſtoriam ſuæ fundationis atque originis continente, ſcripſerunt, quod Fr. Chriſtianus Roſenkreutzius, nobili inter Germanos familiâ, Monachus, natus An. cIↃ CCC LXXXVIII. anno ſuæ ætatis decimo ſexto peregrinationem ad ſepulchrum Chriſti inſtituens, ad Magos in Arabiâ, Ægypto, ac Barbariâ divertit, ubi omnia ſecreta ſecretorum, Phyſica, Chymica, Magica hauſit, ac didicit, quæ in Europam referens, pro univerſali reformatione *humani, ac divini*, [ita loquuntur *Fam. pag.* 29.] inſtituit collegium, ſive fraternitatem; cujus primi ſocii memorantur *pag.* 17.
atque

atque leges *pag.* 19., nimirum, I. ut nullam aliam aſſumerent profeſſionem, præter ægrorum curationem. II. Nemo fraternitatis cauſa cogeretur ad certum veſtimenti genus; ſed morem regionis quilibet ſequeretur. III. Fratrum unuſquiſque quotannis die C. ad S. Spiritus conveniret, vel abſentiæ ſuæ cauſas transſcriberet. IV. Quiſque ſibi de idoneo ſucceſſore tempeſtivè proſpiceret. V. Signum, vel ſacramentum illorum eſſet R. C. VI. Fraternitas per ſæculum taceretur. Auctor ille Fr. Chriſtianus Roſenkreutzius mortuus tandem, cum ſepulchro ſuo fratres diutiſſimè latuiſſe dicitur, uſque dum repertus cum hoc Epitaphio ſcilicet: *Ch. Roſ. C. ex nobili atque ſplendidâ Germ. R. C. familiâ oriundus, Vir ſui ſaculi divinis revelationibus, ſubtiliſſimis imaginationibus, indefeſſis laboribus, ad cœleſtia, atque humana myſteria, arcanave admiſſus; poſtquam ſuam [quam Arabico & Affricano itineribus collegiſſet] pluſquam regiam aut imperatoriam gazam ſuo ſaculo nondum convenientem, poſteritati eruendam cuſtodiviſſet, & jam ſuarum artium, ut & nominis, fidos ac conjunctiſſimos hæredes inſtituiſſet, mundum minutum, omnibus motibus magno illi reſpondentem fabricaſſet, hocque tandem, prætoritarum, præſentium & futurarum rerum compendio extracto, centenario major, non morbo (quem ipſe nunquam corpore expertus erat, nunquam alios infeſtare ſinebat) ullo pellente, ſed Spiritu Dei evocante, illuminatam animam (inter fratrum amplexus & ultima oſcula) Creatori Deo reddidiſſet. Pater dilectiſſimus, Fr. ſuaviſſimus, præceptor fideliſſimus, amicus integerrimus, à ſuis ad* 120. *annos hic abſconditus eſt.* Infra ſcripta Sociorum nonnullorum nomina. Hæc *in famâ fratern. p.* 27. Atque ne longævitatem hujus Patris admodum miremur, A. CIↃ IↃ C XIX. ediderunt Fratres admonitionem ad diſcipulos ſuos, quâ illos jubent ſibi cavere de falſis fratribus, tit. *frater non frater*, germanicè, quam communi nomine claudunt & obſignant: *Datum* 16. *Martii ex inviſibili*

noſtro domicilio, in Agro Damaſceno Anno 1619. *Vi-dit, Hugo Alverda, ætatis ſuæ quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Eduardus VVoodſtrang, Anglus, ætatis ſuæ quadringenteſimo tertio. Zacharias BentZ, Francus, ætatis ſuæ ducenteſimo octavo. Iacobus Pacherius, Pomeranus, ætatis ſuæ ducenteſimo quinto. Ad mandatum glorioſæ fraternitatis proprium ſubſcripſit Irenæus Agnotus C. VV. ejuſdem fraternitatis per Germaniam indignus Notarius.* Ride, & cogita in Vtopia aliquâ te verſari: & tamen hi fratres magno cum ſtrepitu volunt *εἶναί τι*. *Quoniam mundus vult decipi, decipiatur.* Quæcunque autem fratricelli illi de ordinis ſui fundatore & origine promunt, ab illis confiĉta prorſius, & omni argumento ac ratione, vel hiſtoricâ veritate deſtituuntur; & quantumcunque ſcribant, tumultuentur, quidve jactitent, credulis duntaxat fumum, & nugas vendunt. Nempe illis verborum ampullis, atque ambagibus, nil niſi lapidem philoſophicum occultare voluerunt, & prodere, quomodo illi homines ſemper ſolent, dicere & non dicere, promittere & tacere. Indicavit hoc de illis Radtichs Brotoffer in *Elucidario majori ſuper Reformationem totius mundi F. R. C.* oſtenditque, illis illorum ſcriptis modò contineri ac declarari materiam & præparationem lapidis aurei. Quippe notum, quomodo illi cum ſuo lapide ſoleant omnia polliceri, divina humanaque, atque in ejus gratiam, vulgarem & uſitatam philoſophandi ac medicandi doctrinam contemnere, & omninò Reformationem velle, ſcil., reformationem, quæ ſicuti lapis ille, omnia invertat, renovet, atque deauret quaſi in aliud ſæculum Poëtarum. Hoc aureum, (ut ad propoſitum revertamur) Spiritus S. ſæculum, & neſcio quibus non elogiis appellitant, quod *multos hodiè dementavit, ac vanâ ſpe lactavit*, inquit Euſeb. Bohemus, *in epit. hiſtor. pag.* 1023. & Micrælius *pag.* 514. *paucis abhinc annis omnium animos ſuſpenſos tenuerunt, & neſcio quam perfectionem, & ſummam*

ſapi-

ſapientiàm jactitârunt. In confeſſ. Fr. R. Cr. cap. VIII. inquiunt, quemadmodum homo duo organa auditus, duo viſus, ac odoratus totidem habet, voci ſonandæ modo unum; ita ſc. fuerunt ſæcula, quæ audierunt, atque odorata ſunt, ſupereſſe ſæculum elocutionis, cum mundus à ſopore ſuo gravi evigilabit, & obviam ibit novo ſoli orienti, pedibus nudis, nudo capite, ſummo cum gaudio. Cap. VII. *Decrevit Deus mundo ante exitium ſuum eam veritatem, lucem, vitam & gloriam reddere, qualem primus homo, Adam nempe in Paradyſo, perdidit, unde poſtmodum poſteri ejus cum eo in miſeriam detruſi fuerunt. Illic omnis ſervitus, fraus, mendacium & tenebræ ceſſare ac cedere cogentur.* Contra illos operoſe ſcripſit Libavius, præter *Conſiderationes in famam & confeſſ. fratern.* & Germanicè, *in examine philoſ. nov. pag.* 262. *de philoſoph. harmonicâ fratrum R. C. & Analyſin Confeſſ. illorum,* &c. Ejuſmodi ſunt, quæ olim & hodie Chiliaſtæ variè opinati: de quibus jam non agemus. Atque talia quoque Paracelſum ſomniaſſe, & prædixiſſe referunt; cujus Prognoſtica qui ſcire avet, conſulat Lectiones Memorabiles VVolfii, *Centen.* XVI. *fol.* 484. *&c.* Quin & Auctor Euangelii æterni, uti id appellabant Dominicani, (quo S. Euangelium opprimere erat animus, & quod tumultus illos Pariſiis inter ſcholam ac Monachos A. CIↃ CC LV. vehementes concitavit,) illud Euangelium dico, tertium mundi ſtatum & Euangelium Spiritus S. promittebat; ſive ejus auctor Iohannes Parmenſis, & ex ſcriptis Ioachimi Abbatis congeſtum fuerit, quod incertum, an alius: nam ſedulo Papa librum illum clam comburi, & quæſtiones ſopiri curavit. Verùm iſta de ſæculo Spiritus S. omnia, & qualiacunque, iiſdem argumentis refutantur; eo potiſſimùm, quod affirmativam nullâ ratione demonſtrant, maximè ubi ad particularia aliqua exponenda & promittenda deſcendunt, quod illis ante omnia faciendum eſt, ſiquidem fidem illis adhiberi certam cupiant. Quin repugnant illa

ſtatui tum Eccleſiæ, tum orbis, quem circa poſtrema tempora Spiritus Sanctus variis in locis deſcribit futurum haud ita fœlicem, ac illi homines ſibi imaginantur. Matth. XXIV. Luc. XVIII. & XXI. II Tim. IV. II Pet. III. ut omittam, quod in ſtatum Chriſti impingunt ea, quæ de adventu etiam Chriſti in terram iſto ſæculo addunt. Vitæ alteri pleniſſima communicatio Spiritus Sancti ac totius Trinitatis cum omni fœlicitate, ac perfectione ſervatur.

A VVeigelio, ad Swencfeldum, eo facilior eſt tranſitus, iſque neceſſarius, quod Swencfeldum VVeigelius inter cœleſtes Prophetas annumerat, *dial. de vero Chriſtianiſmo cap.* IV; & quemadmodum VVeigelianiſmus plures occupavit, ita plerumque illos primùm dementavit Swencfeldus; ſæpiuſque nominari hominem audias, quam deſcribi, vel explicari. *Graſſatur lues iſta Swencfeldiana*, inquit Hoſius, *non modò per Germaniam, verùm etiam per Helvetiam, & eſt ingens eorum numerus, qui jactant hunc afflatum*, lib. *de hæreſibus noſtri temp. Tom.* I. Atque etiamnum plures iſtius deliriis tenentur, vixque eſt, qui paradoxa, & alia à notis ſectis ſapit, & non apud Swencfeldum ſomniarit. Hiſtoriam ejus breviter tangit Micrælius, Syntagm.hiſtor.lib. III, pag. 513. *Poſt Anabaptiſtas faſtuoſus Caſp. Swencfeld de Oſſing cum aſſeclis inter Paradotas meritò collocatur. Fuit is nobilis Sileſius, & tanquam unus ex Scepticis, neque Papæ, neque Luthero, neque Sacramentariis, neque Anabaptiſtis aſtipulatus, ſed quædam ex omnibus approbans, & novam religionis ideam venditans, verbo Dei ſepoſito, ſpretoque eccleſiaſtico miniſterio, ſomnia ſua jactitavit, & plurimos, interque eos Valentinum Krautwald & Iohannem Sigiſm. VVerner, illum Canonicum, hunc Paſtorem Lignicenſem, eloquentia affectata dementavit. Verbum externum ad ſalutem conferre, carnem Chriſti non eſſe noſtra ſimilem, legem Dei facile impleri poſſe docuit, & à Friderico Principe Lignicenſi ejectus Sileſia, cultiſſima Germania*

nia loca tanquam Pſeudoapoſtolus peragravit, & furtivos paſſim egit conventus, & ſi verum eſt, quod de ſe ipſe ſcribit, intra XXVIII. *annos plus quam L. libellos idiomate vernaculo typis vulgavit, quos Lutherus ex ipſo dixit Diabolum vomere & cacare.* Et Euſeb. Bohemus, in hiſtor. Eccleſ. epitome. pag. 973. *Sparſit autem circa Annum Ch.* cIↄ Iↄ XXVI. *juxta* Oſiandrum, *& inprimis circa tempus exhibitæ Auguſt. Confeſſionis paſſim in* Sileſia *putidos & fœtiſſimos errores, ob quos* D. Lutherus, Philippus *& alii Theologi eum à fœtore maleolente* Stencfeldium *appellaverunt. Ex* Sileſiâ *autem profligatus, atroque carbone publicè notatus, vagabundus hinc inde per Germaniam oberravit, ſuique capitis deliramenta paſſim diſſeminavit.* De quibus omnibus Catal. Hæretic. Schlüſſelburgii. libro decimo legas: & Oſiandri Hiſt. Eccleſ. Cen. 16. lib. 11. cap. 3.

Vir fuit nobilis proſapiæ, ętate provectior, quum litteris & ſtudiis ſe daret, neque Græca adhuc intelligens, quum de Euchariſtiâ docere, & opinionem propriam ſequi inciperet; verùm à Cratavaldo, qui in Collegio Canonicorum Lignitii Lectorem egerat, & in Græcis verſatior, linguam illam addidicit, poſtquam eum in ſententiam ſuam pertraxiſſet. *Swencfeld. Tom.* II. *epiſt.* III. *&* IV. qui Cratovaldus poſtmodum Swencfeldianiſmum valdè promovit. Ipſe verò Swencfeldus, poſtquam in aulâ verſatus fuiſſet, *epiſt.* I., ad Theologica animum applicuit; & dum evitaret nomen & officium Doctoris vel Concionatoris, cum Theologis & Theologicis peramanter verſari ſe, hoc tantùm profitebatur. *Tom.* II. *epiſt. ult.* confeſtim tamen ad libros ſcribendos ſe applicuit, quaſi hoc non cuivis ſolum, quin & in primis initiis neceſſarium eſſet. Contra ac prudentiores ſemper, & erudititiſſimi quique judicant, juxta illud Hieronymi: *ne ad ſcribendum citò proſilias, & levi ducaris inſania. Multo tempore diſce, quod doceas,* epiſt. ad Ruſtic. Monach. Et ad Nepotianum: *diſce, quod doceas.*

σεας. Socrates, apud Platonem Alcib. I. *nonne ſcis oportere eos, qui aliquid docturi ſunt, prius quam doceant, intelligere?* & egregie Bernardus, Serm. XVIII. in Cantic. *ſi ſapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem pæne ſimul & recipit, & refundit. Illa vero donec impleatur, exſpectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat. Verùm canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis ſunt, per quas nobis fluenta cæleſtia emanant, ut ante effundere, quam infundi velint, loqui, quam audire paratiores, & promti docere, quod non didicerunt.* Gregorius, in præfat. ſui paſtoral. *ſunt plerique mihi imperitia ſimiles; qui dum metiri ſe neſciunt, quæ non didicerunt, docere concupiſcunt.* Cæterùm multis non tam malus initiò viſus eſt Swencfeldus, ſed ex animi quâdam impotentiâ magis primos errores concepiſſe, quam improbitate: verum *initiò* dico, ita prudenter diſtinguenda errorum, turbarum, ſciſmatis vel hæreſium principia, ab eorum incrementis & *ἀκμῇ*. Apud Sculteteum, *hiſtor. Reform.* ad A. M. D. XXV, Bucholcerus inquit: *Swencfeldo non tam defuiſſe probum animum; quam ſanum caput.* Et Pomeranus, in privatâ cum eo habitá collatione: *credo equidem te non malo animo hac agere; etiam pium te æſtimo.* Quæ inter opera Swencfeldi Tom. II. edit. Anno D. MDLXX. epiſt. IV. pag. 33. Neque aliter de eo judicat Melchior Adamus, in vitâ Bullingeri. Peramplum ei teſtimonium dedit Zwinglius, pro *Confutatione Impanationis, ac Tranſſubſtantiationis*; atque Oecolampadius, pro ejus tractatu *de curſu verbi divini*. Tom. II. epiſt. XXIV. Cui tamen judicio nolim perfacilè aſſentiri tale eſt: Non hoc agit eruditus & pius „Swencfeldus, ut aliquid externo verbo, ejuſque do„ctrinę, cujus & nullius alterius inſtrumenti operâ ſpi„ritus ſanctus utitur, decedat, vel detrahatur; diaboli„cum eſſet, rem adeò ſalutarem vilipendere. Ipſe, vide„bis, hominem tale quid nihil cogitare. *Hoc tantum ani-*

nititur, quo Deo ſoli omnis honor, in ſolidum detur. Nolim (dico) hoc ſimpliciter de illo teſtari: conſtabit ex ſequentibus, tum ipſius Swencfeldi teſtimoniis, tum aliorum judiciis, ſecius ſe rem habere: quamvis de eo judicium mihi non arrogem, quo primùm animo illa ceperit cogitare & volvere. Lutherus eum acerbiſſimè inſectatur Tom. VIII. Ien. oper. anno M D XL. epiſt. ad Swencf. Contrà Caroloſtadius perhumaniter eum tractat, epiſt. ad Swencf. & Cratovald. inter opera Lutheri Tom. IV. At ipſe Swencfeldus poſtmodùm de Zwinglio nec benè ſentiebat, nec loquebatur, *me ſummo odio proſequitur*, ſcripſit libello quo A. M D LIV. Melanthon in præf. ep. ad Rom. *Stenckfeldius* [ita eum pro Swencfeldo appellabat] *centimanus eſt: habet milites paſſim, qui ipſius nomine non ſolum ſcribunt, ſed etiam ſeditiones movent; jactitant afflatus, & abducunt homines à publico miniſterio, & à lectione & cogitatione doctrinæ. Ac nunc quoque adverſus me, editis aliquot pagellis nomine Stenckfeldii, repetitur ille κοινὸς χῖος μῦθος gratiſſima cantilena fanaticis hominibus, non cogitatione ſcriptæ doctrinæ Deum communicare ſe hominum mentibus, ſed ſine medio.* Staniſlaus Hoſius, lib. de hæreſ. noſtri temp. Tom. I. Oper. pag. 438. *quamvis ante* Swencfeldum *fuerunt cæleſtes Prophetæ, contra quos juſta duo volumina conſcripſit Lutherus, quorum dux & Anteſignanus fuiſſe creditur Thomas Muncerus, non tamen ii tam apertè à publico verbi miniſterio, & à lectione ſcripturarum homines deterrebant, ſicut nunc facit cum ſuis Swenckfeldius, qui non dubitat etiam ad patrocinium inſaniæ ſuæ trahere Pauli locum* 1 *Cor.* 13. *&c.*

Vivebat eâ tempeſtate, quâ de Eccleſiâ reformandâ & inſtituendâ diſputationes agitabantur vehementiſſimæ, omniumque animi huc illuc trahebantur; quare non ille ſolum, ſed & plures circa Eccleſiam hærebant, errabantque. Hinc etiam natæ Socino quæſtiones, de neceſſitate inquirendæ Eccleſiæ, non neceſ-

ſarium hoc docens, quo de homines maximè laborabant. Sic ejus ſententiam explicans Theophilus Nicolaides, tractatu de Eccleſiâ, contra Borkoroski, inquit pag. 9. *ego oſtendo, Socinum affirmare, quæſtionem de Eccleſiâ, non omnem, ſed aliquam, nempe quænam & apud quos ſit, eſſe, non ſimpliciter, & abſolute, ſed vel propemodum, vel quodammodò inutilem.* Oſtorodus, *Inſtit, cap.* xlii.& Volkelius, *de religione lib.* vi. *cap.* xvi. Ideoque & nullius neceſſitatis eſſe paſſim arguunt, de notis Eccleſiæ ſollicitum eſſe, Catecheſis Racoviana, cap. de Eccleſ. Chriſti, pag. 336. quærit, quia pœnè omnes ſibi Eccleſiam arrogant, ex quibus notis Eccleſia dignoſci poſſit? reſpondet, nullius uſus eſſe, hoc inquirere. Similiter Smalcius, contra Frantzium, diſp. iix. *de Eccleſia.* Atque idem illud eſt, ſuper quo Andreas Dudithius cum Bezâ, & cum Socino, per epiſtolas egit. Quin etiam inter Socinianos erant, qui dicebant, Eccleſiam nullam erigendam vel inſtituendam iterùm eſſe, poſtquam tam diuturnâ laborarat apoſtaſiâ, prius Apoſtolicos viros exſpectandos & tempora, hoc quæ agerent: atque cum illis Socino multiplex contentio fuit & moleſtia; quâ ſuper re videri poſſunt ejus epiſtolæ ad Matthæum Radecium; & Oſtorod. Inſtit. cap. xlii. & Volckel. lib. vi. cap. ult. Videlicet, iſtiuſmodi quæſtiones Swencfeldo, aliiſque levioris & procacioris ingenii, quam conſtantioris, perpetuò dum obverſarentur, & Eccleſia certatim quæreretur, quam alii reformabant, formabant alii, quin & qui deformarent (ut tali tempeſtate fieri ſolet) non deerant, hinc ille inter omnia hæſit, atque multa quum ubivis carperet, nullis ſe addixit. Quin, quod omiſeram, etiam Batavus ille noſter, ſed indigniſſimus, David Georgius, decem dialogos conſcripſit, inter Theologum nempe, Biblicum, & Sophiſtam, qui hoc tractant: *ubi vera Eccleſia inquirenda ſit?* Svvencfeldus lib. *de triplici hominum vitâ cap.*

xliii. ſic loquitur: *Non autem talem Eccleſiæ reformationem, qualem Chiliaſtæ, expectamus: Neque qualem Monaſterienſes Baptiſtæ, plane perfectam; ſed modò ſperamus, Chriſtum majori cum efficaciâ ſpiritum in nos effuſurum, diſperſos Dei filios collecturum, ac copioſius veritatem ſuam probaturum, adeo ut majori gratiâ, ac donis quibuſcunque Eccleſiæ ſit benedicturus, atque homines magis probi, pii, ac ſancti evaſuri. Breviter, hæc eſt noſtra exſpectatio, I. Chriſtum ex hiſce Eccleſiarum diſſenſionibus, aliquando etiam ſyncretiſmum, ac concordiam inter Papatum & Lutheraniſmum, ut vocant, daturum: atque plurimos veros paſtores, qui ſolam ejus gloriam, ac hominum ſalutem ſint quæſituri, & ſanam Chriſti doctrinam, ac veritatem abſque humanis commentis, ſancte docturi, miſſurum. Etiam Eccleſiæ majori numero, ac ſanctitate fidelium, qui in ſpiritu, ac veritate ei ſint ſervituri, benedicturum.* Tom. II. ep. xlviii. 653. articulum hunc 36. à Synodo aliquâ perpendi, ac examinari vult: *Num, ac ubi, hodie omnia Chriſtiane ſe habeant? Num ſub regimine littera, an ſpiritus ſimus? Num in cæleſtem naturam tranſlati, ac in Dei majeſtatem etiam adoptati? Vel an in media adhuc ſimus Babylone? Num vera Chriſti cognitio, in quâ vita æterna conſiſtit, publico patefacta ſit? Num rectus ſenſus, uſus, ac dignitas ſacramentorum Chriſti, cum Clavibus reſtituta ſint? vel in quo defectus adhuc hæreat: Immò an verum Euangelium, quod non in verbo ſolum, verùm in efficacia, ſp. ſancto, & majori evidentia eſt, ita ut quidem debet, reſtitutum etiamnum ſit?* Tom. I. ep. VIII. ad Leonem Iudæ inquit; *Apud Pontificios D. ſanctum non quæram. Componat ſe cum iis, quicunque volet.* ibid. *Cum Papa, & Luthero in fide convenire nequeo, quoniam me condemnant, & meam fidem, id eſt, Chriſtum meum in me odio habent.* Subjungit iterum: *Pro Luthero Deum precari teneor, quoniam mihi, aliiſque ad cognitionem veritatis multum inſerviit.* ejuſdem Tom. ep. XIX. & XX. ad Grynæum, hiſce verbis: *Lutherus cum ſuis ad-*

ferti

fert Chriſtum ſine virtute, ſine gratiâ, & divinitate, adeoque ſine theſauris ſuis immenſis, & inexhauſtis, quem juxta piis ac impiis in ſacramento diſtribuit. Annon ab Eccleſiâ Chriſti longe abſit, qui talem Chriſtum poſſidet, tu judica. Germanico idiomate jam dixerat: *mallem, non ſemel, ſed decies mori, antequam, poſt agnitam veritatem, ejuſmodi* βδελύγματ❧, *erroris, ac idololatriæ participem me iterum facerem.* Tom. II. epiſt. XLVI. de doctrinâ Lutheri: *ex Lutheri doctrinâ ſolùm, nemo coram Deo regenerari, probus & juſtus fieri poteſt,* & poſtea: *Papatus ſanè apud Deum nullius eſt pretii (quamvis mundo adhuc præ Lutheraniſmo melior appareat) etiam Lutheraniſmus coram Deo necdum valet. Cum Rectores & Doctores Papiſmi ac Lutheraniſmi confero, fateri quidem cogor, Lutheranos in principio, præcipuè quos Zwinglianos appellant, aliquantum magis pios eſſe, & plus ingenii; ſapientiæ ac gravitatis attuliſſe, etiam Deum plus timentes atque miſericordes fuiſſe. Vbi vero commune vulgus utriuſque partis per Dei gratiam intueor, credum, plures adhuc ſub Papatu in mediis erroribus pios deliteſcere, quam ſub Lutheraniſmo. Judicem inſuper, iis faciliùs poſſe conſuli, quam Euangelicis noſtris, ſaltem ex parte, qui vitam ſuam improbam S. Scripturâ, fictâ fide, ac ſatisfactione Chriſti palliant, neque vix aliquam pietatem ulterius curant.* Epiſt. XLVIII. ad Frideric. Ducem Vratiſlav. *Me quod attinet, liberè dico; hodiè etiam agnitâ veritate, ſiquidem liceret, ad Pontificios, modo conſcientia mihi libera concederetur, quam ad Lutheranos, eorumque Miſſam, & primores tranſire mallem; Etiam, quod ſi res non meliores evaderent, ac quidem hodiè ſe habent, (quod ſperamus tamen) penè præſtitiſſet, ſub priori Papatu, ac idolo manere, ubi nobis Deus, ſicuti parentibus noſtris errores non ſeverè adeo imputaſſet, ac jam verendum, ni doctrinâ & vitâ aliter caveamus.* Adde ep. XLIX. epiſt. LI. epiſt. LIV. & LXXII. & LXXXIV. adeò ſevere quidem de Lutheranis, benignius autem de Zwinglianis judicat. Valde conquerebatur, neque in-

injuſtè,de mutuis gravibuſque Proteſtantium,& Euangelicorum odiis, contentionibus, ac anathematiſmis, *Tom.* I.*epiſt*.VIII.*&* *Tom.* II.*epiſt*.XLV.XLVII.XLVIII. & vel maximè de eo, quod quum non modo vita Euangelicorum ſæpe non ſatis ſit Euangelica, vel reformationis profeſſioni reſpondens, eſſent quoque, qui defenderent, ac docerent, bona opera ad ſalutem non neceſſaria, potius noxia eſſe, *Tom.* II. *epiſt*. LXXX. LXXXIII. & LXXXIV. nempe hoc controverſum jam erat inter Amſdorfium, & Georgium Majorem, quorum iſte paradoxum illud propugnabat. Vt nihil jam dicam de contentionibus cum Adiaphoriſtis, Synergiſtis &c.

Verum enimverò,utut non diffiteamur,cum Reformatione etiam ſcandala nonnunquam data, avidius arrepta fuiſſe, & neque aliter tum actum, quam ad veritatis percrebeſcentis periodos fere ſolet contingere, tamen haud bene factum à Swencfeldo, quod peccata hominum, à veritate doctrinæ, & profeſſionem à profitentibus non quiverit, vel noluerit diſtinguere. Eccleſia ex Papatu, quo hactenus miſerè ſubmerſa variis in locis jacuerat,eluctata, juvanda erat omni undique auxilio, non deſerenda; excipienda, non retundenda. Verùm ita fit,homines ſe magis quærunt, ſuumque nomen, quam ſuis poſthabitis ſolum & unum Eccleſiæ communis bonum.

Sed jam ad errores Swencfeldi ſpeciatim deſignandos, deſcendamus, quos habuit *communes*, & *proprios*. Communes cum Pontificiis, aliiſve, *de limbo* Patrum Vet. Teſtamenti, *Tom.* I.*epiſt*. IV.*&* XXX.*&* LXIX. *de perfectione* hominis in hâc vitâ: error nulli non extra Eccleſiam communis: *Apoſtaſiâ* ſanctorum. *Tom.* I. *epiſt*. XCIV. & lib. *de Euangelio*. *Pædobaptiſmum* oppugnat *Tom.* I. *epiſt*. LXXIV. *Tom.* II. *epiſt*. XX.XXI. XLVI. & in *Confeſſ. art. de baptiſmo.*

At ſingulares & propriæ ei fuerunt opiniones præſertim de Enthuſiaſmis, & revelationibus, de verbo Dei,

Dei, de Chriſto, & Euchariſtiâ. Primùm de Enthuſiaſmis ejus, à quibus Bellarminus ſuos Controverſiarum libros exorſus eſt, *Tom.* II. epiſt. IV. refertur ejus diſputatio habita cum Theologis VVittembergenſibus, ubi ſententiam ſuam explicat Swencfeldus, & defendit exemplo Zachariæ, Luc. I. & Cornelii, Act. X. quibus factas ὁράσεις dicitur. Atque hinc illud ſabbathum Enthuſiaſticum, quo homines abdicatis & excuſſis omnibus animo ſuo cogitationibus, ſtudioſo, & pertinaci otio quieſcunt, quo ſupernos & cœleſtes afflatus excipiant: quod ipſis tum eſt, animo ſpiritualiter σαββατίζειν, ut mens intus retracta & vacua, ex ſopore iſto omnem, atque etiam divinam veritatem eructet. Adiſis Swencfeldi *Tom.* I. *epiſt.* LVIII. *pag.* 561. *Tom.* II. *epiſt.* IV. *pag.* 40. Et Apologiam ejus per Theophilum Agricolam, adverſus Muhæum. Inter declamationes Melanthonis Tom. II. eſt oratio Balthaſaris Neandri, de doctrinâ Swencfeldianorum, ubi ita deſcribuntur: *In noſtrâ viciniâ Stenckfeldiani Enthuſiaſta vociferantur, electis exſpectandos eſſe divinos afflatus, nihil ipſos agere, ſed tunc cum ſe rapi ſentiunt invitos, incipiunt invocare Deum: ex hac Manichæâ imaginatione incidunt multi in perpetuas dubitationes, multi fiunt prophani, indulgent ſibi ſecuri, & dicunt ſe raptus illos exſpectare.* Sententia, neſcio, an quis requirat, ut refutetur, & ejus probetur contrarium: neque enim nobis, ſed illis probandi partes incumbunt. Hoc autem probent I. ſe debere vacare ejuſmodi Enthuſiaſmis, & divinis revelationibus. II. Ex exemplo Zachariæ, Cornelii, aliorumque, quibus cœleſtes apparitiones contigerunt, argumentationem procedere, & concludere ad ipſos. III. Revelationes proferant, atque explicent, ſibi immediatè factas; non quas per verbum Dei, ſed præter illud, ex inſtinctu divino immediatè habeant. IV. Illas probent aliquo indicio, vel argumento divinas revelationes eſſe. Sic illis onus probandi incum-

cumbit; nobis audiendi: etenim quilibet talia facilè de ſe dixerit, ac ſomniarit, ſi abſque probatione recipiantur. De ſabbatho Enthuſiaſtico, ſive phantaſtico etiam diximus ad VVeigelium. Inter Veteres, primò illud nomen Enthuſiaſtarum hæreticis Maſſalianis datum, de quibus Theodoretus, hiſtor. Eccleſ. lib. IV. cap. XI. & Hiſt. Tripart. lib. VII. *Eiſdem temporibus pullulavit & Maſſalianorum ſecta, Precatores vocant, qui Græcè nomen illud interpretantur. Habent & aliam appellationem impoſitam ex ipſâ re, Enthuſiaſtarum. Correpti enim numine dicuntur de perceptâ cujuſdam dæmonis vi, quam Sancti Spiritus præſentiam eſſe putant: hoc morbo correpti viſa ſomniorum Prophetias nominant.* Eadem Baronius, Annalium Eccleſiaſticorum Tom. III. ad Annum ccc lx. num. XXXVI. Atque de Cerintho Euſebius, hiſtor. lib. III. cap. XXVIII. *Sed & Cerinthus per revelationes, velut à magno Apoſtolo ſcriptas, portentoſa quædam nobis, quaſi per Angelos ſibi oſtenſa mentitus, attulit.*

Altera Swencfeldi opinio, & error, qui ex priori facile fluit, eſt circa verbum Dei, ad haud levem verbi, & miniſterii divini contemtum, quod proinde litteram vocat, & litteram inefficacem, in præfat. lib. *de Evangelio.* Ideoque Deum non uti miniſterio verbi, ut medio ad hominis converſionem, Tom. I. epiſt. XCIII. Tom. II. epiſt. XXXIX. & XLVI. & LVI. & LXXVI, *vetus & ſophiſtica eſt doctrina de cauſis inſtrumentalibus gratiæ, ſine quibus non.* Epiſt. XXXIII. *Prædicatio Evangelii non eſt medium, per quod Deus gratiam ſuam animis conferat, Deus enim ſalutem noſtram non efficit per externa media.* & epiſt. XXXVI. & XL. Eſtque inter ejus opera tractatus Simonis Martini, probans, Chriſtum cœleſtia ac ſpiritualia dona citra auxilium creaturarum, id explicans, citra externa gratiæ media, animis infundere. *Tom.* II. *epiſt.* XLIV. In præfatione libri de curſu verbi Dei, Anno M.D.XXVII. edita pro Svvencfeldo,

dicitur: *Primum, quod nonnulli hodie libris in Swencfeldum editis, affirment, Verbi Dei curſum, efficaciam, fidem juſtificantem, cæleſtem gratiam, & reliqua Spiritus ſancti dona, non immediate à Deo, ſed per verbum, ut dicitur, vocale, ceu medium, in animam & domicilium cordis noſtri introduci, hoc eſt fidem juſtificantem ex doctrina externa & juſtificationem per creaturarum media, non à ſolo Deo, per unicum mediatorem Ieſum Chriſtum, citra creaturarum auxilia provenire, quaſi Deus omnipotens nulli fidem ſine verbo prædicato donare velit, nec abſque miniſterio ullum hominem juſtificet, ſalvumque faciat.* Et in ipſo libro: *prædicatio verbi &c. pro externo homine inſtituta ſunt.* Alibi, *pro carnis eruditione.* Turpiter erravit bonus Vir, ex ignorantiâ diſtinctionis, inter verbum vocale, ut ſic, quod nullius in ſe virtutis eſt, ſed quemadmodum dicitur Ioan. VI. 63. *ſpiritus eſt, qui vivificat, caro nihil prodeſt, verba quæ ego vobis loquor, ſpiritus ſunt & vita.* tum inter verbi actionem & ſuaſionem moralem, quæ neque fidem efficere vel converſionem poteſt. 1 Cor. III. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum præſtat, Deus.* Ieſ. LIII. 1. *quis credidit auditui noſtro, & brachium Iehovæ cui revelatur?* atque inter actionem Spiritus, cum verbo operantis, ita ut fides & converſio non ſit ex verbo, quaſi huic gratia alligata ſit; ſed ex propriâ operatione Spiritus, cum & in verbo efficacis. Rom. X. 17. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei.* & cap. I. 16. *Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Act. II. 37. & XVI. 14. Vnde patet, quam perverſe hæc conceperit Svvencfeldus: *Si ex auditu externo eſſet fides juſtificans, conſequeretur verbum Dei, elementis mundi eſſe alligatum: imo, quotquot verbum prædicatum audirent, crederent*, inquit lib. cit. quod nullatenus ſequitur: neque enim fides ex verbo audito; ſed ex ſpiritu una cum verbo fidem præcipiente, atque ad eam adhortante, fidem in animis operatur. Simile eſt, quod ibid. infert. *Ex his*

ſcri-

ſcripturæ teſtimoniis, tum ex diſcrimine ordinis rerum cœleſtium, ſeu ſpiritualium, & terreſtrium, abunde ſatis conſtare puto; curſum Verbi Dei vivi, originemque juſtificantis fidei immediate è ſupernis eſſe, & quanquam per viſibilia adumbretur, & externe doceatur, non tamen viſibilibus, aut externis adhærere, quin etiam neque miniſterio, neque miniſtro alligatum eſſe, ſed liberum ordinem obtinere, totumque in inviſibilibus quieſcere. De Chriſto plures errores tenuit, de humanâ naturâ, & paſſione ejus, & glorificatione.

Primùm de *humanâ* Chriſti naturâ, quaſi ea per ſummam injuriam diceretur *creatura*, quâ de causâ *Tom.* II. *epiſt.* LVII. & LVIII. ad Lutherum, adverſus Vadianum agit, & peculiari tractatu, adverſus Specherum, *epiſt.* LXVII. Vnde nec Chriſtum filium Adami dici ſuſtinuit, *epiſt.* LXXVII. Sed ſecundum utramque naturam, Dei filium verum ac naturalem fuiſſe, & ſic dicendum, *epiſt.* LXX; quin contrariæ ſententiæ defenſores Antichriſtos ideo appellare non erubuit, *epiſt.* LXXXI. adde & LXVI. Temerè omnia, & imperitè, niſi quoque improbè. Quid evidentius, quam Deum ab homine differre, alium eſſe Deum, aliud hominem? vel verus homo Chriſtus fuit, & vera ejus natura humana, vel falſus: ſi illud, id ergò fuit, & non aliud, id ſolum, cujuſque rei quum una tantum ſit forma, & per eam res ſit, quod eſt; nequaquam aliquid ſimul homo & Deus, ſecundum idem, ad idem: ergò nihil ineptius quam dicere, quod eadem humana natura, ſimul quoque ſit divina: aliud eſt, quod in unam perſonam conveniant naturæ, humana ac divina, quæ tum duæ, non una ſunt natura; hoc enim fides credit, Deus dicit, ſed hominem Chriſtum non eſſe verè Adami filium, vel ſecundum utramque naturam Dei Filium eſſe, & Scripturæ adverſatur, quæ ideo genealogiam Chriſti ad Adamum texit Luc. III. Matth. I. ut hoc certiſſimè probet, & paſſim Chriſtum filium hominis appellat,

 Matth.

Matth. VIII. 20. lx. 23. XII. 40. &c. atque ſeipſum everti t, utramque dicere, & unam naturam. Præterquam, quod eadem fuit Eutychis hæreſis, condemnata in Concilio Chalcedonenſi. *Duas enim divinitatis & humanitatis naturas poſt unionem συγκεχύσθαι confuſas fuiſſe, καὶ εἰς μίαν ἀποτελεσθῆναι φύσιν, impiè docebant,* inquit de Eutychianis, ad Synodum Chalcedonenſem, Balſamon pag. 324. Vbi & hoc quoque de iis addit, ut quod neceſſariò ad illam ſententiam conſequitur, ὡς καὶ τῇ θεότητι προσαρμόζειν τὰ πάθη, *Vt quoque affectiones divinitati tribuerent.* Similiter Swencfeldus noſter, neque in *paſſionibus* Chriſti naturas diſtingui voluit, quo certius pateat, eandem cum Eutyche hæreſim ipſum hic tenuiſſe; ſed ita totum Chriſtum paſſum voluit, ut ne quidem Deitatem eximeret. *Tom.* I. *epiſt.* lxIII. lxxvIII. & xlvI. *non tantum in Chriſto caro, non tantum humanitas, verùm totus Chriſtus, perſona, quæ & Deus & homo erat, pro nobis miſeris peccatoribus, in tormentis, anxietate, paſſione, ac morte fuit*: & poſtea ſæpe, *ipſe Deus paſſus eſt.* Acriterque in Theologos invehitur, qui diſtinguunt, Chriſtum ſecundum humanam, non autem divinam naturam paſſum eſſe. *Tom.* II. *epiſt.* III. Si hoc tantummodò voluiſſet nugator, paſſionem quoque divinæ naturæ, ſed per tropum, adſcribi poſſe, quomodo Act. xx. 28. *paſcere Eccleſiam Dei, quam proprio ſanguine acquiſivit*; & 1 Cor. 1. 18. *ſi enim agnoviſſent, neutiquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, nulla hic contentio foret, nec ratio quare diſſentientes à ſe tam ſevere condemnaret. Vel ſi hoc voluiſſet modò, apoteleſma paſſionis, totiuſque operis Mediatorii adſcribendum eſſe integræ perſonæ, verum dixiſſet utique, neque iterum diſputatio hic inter nos daretur; ſed quod ad mutuam naturarum relationem velit propriam ibi locutionem, ubi quod uni proprium eſt, alteri quoque in ſermone attribuitur, & propriè dicere Deum paſſum, qui eſt ἀπαθής, contra Scripturam, omnem

mnemque rationem eſt. Iac. 1. 13. *Deus non tentatur malis, neque tentat ipſe quemquam*, verſ. 17. *apud quem nulla tranſmutatio, vel mutationis obumbratio*. Mal. III. 6. *Ego Iehova non mutor*. Quin & ſupra omnia tam altus Deus, differtque, ut nihil in ipſum agere, paſſionemque inferre queat. Alioqui etiam Lutherani aliquando defendunt: Chriſtum *quoad utramque naturam* paſſum; ſed non *ſecundum utramque naturam*. Tubingenſes *in theſ. de Chriſto, Anno* 1608 *th.* 143. Joh. Affelmannus, Prof. Roſtochienſis, *in Coroll. ad diſp. de prædeſtinat.* & alibi, *in diſp. de Chriſto*. Quod ita explicat, *quoad*, actum notat, ejuſque veritatem; *ſecundum*, modificationem actus formalem. Verùm non modò non modificatio actus, ſed nec actus, qui paſſione deſignatur, divinæ Chriſti naturæ convenit. Neque Svvenckfeldus ad ejuſmodi ſubtilitates adſcendit, craſſiori & rudiori philoſophiæ adſuetus, vel nulli potius; qualiaque Lutheranis facilè relinquimus, iſti præſertim Affelmanno, haud digno qui à nobis nominetur; ita impiiſſimè peculiari diſp. *Trias Syllogiſmorum Anti-Calviniſticorum*, hunc primum Syllogiſmum facit, *Deus Calviniſtarum eſt* 1. *Auctor & cauſa peccatorum*. 2. *Verè peccans*. 3. *Et magis quidem quam homo*. 4. *Eſt hypocrita & deluſor peſſimus*. 5. *Eſt iniquiſſimus & injuſtiſſimus*. 6. *Eſt Diabolus, Immo* 7. *Diabolo deterior*. Contremiſco, ac totus horreo, & quis non? quod eo impietatis & blaſphemię animus Lutheranus, iſq; Theologi abduci potuit; atque illud quidem prolixè inſtituit probare: quod legere, vel videre diutius non ſuſtinui, nempe ut poſſet concludere: *Ergo non eſt idem utrorumque*, Lutheranorum ſc. & Calvinianorum, ut appellat, *Deus*. Et ejuſdem diſp. ſyllogiſmo tertio: *quorum Doctorum tanta eſt prophanitas, impietas, & abominatio, ut fidem Chriſtianam ſimpliciter tollant è medio, & quemlibet in ſuâ religione ſalvari poſſe credant, eos certum eſt cauſam religionis non agere ſeriò, ſed religione ludere, ut teſſeris. At Doctorum Calvinianorum tanta eſt prophanitas, impie-*

pietas, *& abominatio*. *Ergo*. Increpet Deus te Satan, increpet te Deus. Eodem planè ſpiritu ſcripſit inter eos aliquis Zachæus Faber, tractatum ſatis prolixum idiomate Germanico. *Calviniſtarum multorum religionem multò deteriorem eſſe Papiſtica*, ubi in genere de Calviniſtis non modò hoc ſatagit probare, ſed & pejores illos eſſe ipſis, qui Chriſtum crucifixerunt *pag*. 60. Ethnicis, *pag*. 89. 118. Turcis *pag*. 124. quin etiam Diabolo *pag*. 126. quod *pag*. 128. multis ſupra ducenta ac trecenta argumentis ſe probaturum mentitur, nempe Calviniſtarum doctrinam pejorem & damnabiliorem eſſe ipſo Diabolo: quare multis anathematiſmis execrandam *pag*. 80. neque in imperio tolerandam, *pag*. 115. Iudicet Deus, judicent pii: ſanè aliquando tandem cauſam ſuam aget Deus, & ab hiſce calumniis, ac Diabolicis inſultibus (cujuſmodi plures proferre, promtum nobis foret) vindicabit. Sed ad Swencfeldum; interim & ejus memores, quod ante diximus, quomodo ex ipſorum Reformatorum odiis ac diſſenſionibus, Swencfeldus maximè inceperit, aliter de religione cogitare.

Tertiò, eundem errorem circa Chriſti *glorificationem* tenuit, quem de naturis inter ſe, & in paſſione confuſis docuit, dixitque, humanam Chriſti naturam, per exaltationem, in Deum transformatam; Deificatam; nihilominus, ut vertiginem hominis videatis, manente humanâ naturâ, ut ſimul & verus homo, & in omnem ac æqualem cum Deo gloriam evectus; & deificatus fuerit. In Confeſſ. *art. de gloriâ Chriſti Tom*. II. *epiſt*. VI. *&* XLI. LIII. LVI. LVIII. LXVIII. *Tom*. I. *epiſt*. XVIII. & XLIII. In libello, cui tit. *Cœleſtis Medicina Chriſti cap*. XXI. *Chriſtus ad dextram Dei evectus eſt, ſecundum humanam naturam, videlicet ad ſupremam majeſtatem, quâ non datur ſuperior*. cap. XXIII. *Chriſtus etjamnum quidem homo eſt: at in eſſentiâ Dei, & divinâ majeſtate*. Peculiari, & ſpiſſo ſatis tractatu *de Chriſti totali-*

talitate in paſſione, ac gloriâ, hanc ſententiam operosè aſtruit: Ubi & hæc leguntur, Adverſarii tenent, *Chriſtum duas diverſas naturas diſtinctis proprietatibus ſuperius in cælo habere, ubi alteri quid proprium eſt, quod alteri non competat.* Et in margine: *Homo in Chriſto per manifeſtationem plane deificatus in unam ſimplicem Dei eſſentiam adæquatus, & adunatus eſt.* Poſt, *Adverſarii perſonam Chriſti dividunt, cum unam naturam in Deo, in eſſentiâ divinæ Trinitatis; alteram extra eam, ac infra Deum ſtatuunt; nolunt Chriſto ſecundum utramque, æterne unitam naturam, ſtatum ac honorem ſecundæ in Divinâ Trinitate perſonæ concedere.* In epiſt. myſteriorum de cognit. Chriſti: *Chriſtus ſecundum utraſque naturas unitas in eodem gradu, eadem potentia, gloria, honore, & majeſtate cum Deo Patre ſuo, ut ſecunda perſona in divinâ Triade, credendus, & laudandus.* Poſt: *nempe omnino divinam, cæleſtem, & æternam eſſentiam, non extincta tamen humana natura, pleniſſime induit.* Atque ita infinitis locis. Eadem chorda pluries oberrat, & ex eodem capite hauſta omnia, neglectâ ſc. inter naturas differentiâ & diſtinctione. Homo, & humana natura exaltatur à Deo & beatificatur, non quò Deus fiat, ſed à Deo, & ſub Deo eſſe ſe ſemper agnoſcat: gloriam ſuam Deus alteri non dat, Ieſa xlii. & hâc ratione dicitur *beatus, ſolus potens, ſolus habere immortalitatem &c.* 1 Tim. vi. 15. 16. Omnia illa tam naturæ divinæ, quam humanæ, Deo & homini adverſantur. Nec Deus hominem n eſſentiæ vel gloriæ ſuæ identitatem ac æqualitatem recipit, nec homo eò adſcendit, vel adſcendere poteſt. Chriſtus ſi ita ac eo uſque glorificatus eſſet, nec homo amplius, nec viſibilis eſſet, quum contra vidiſſe eum Stephanus dicatur, Act. vii. 55. & viſibili ſpecie deſcenſurus ſit, Act. 1. 11. *veniet ὃν τρόπον vidiſtis eum abeuntem in cælum.* Matth. xxiv. 30. *& videbunt filium hominis venientem ſupra nubes cæli, cum potentia, & gloriâ multâ.* Adde, & noſtra corpora dici ejus cor-

pori glorioſo conformanda, Phil. III. 21. neque tamen nos crediderim deificandos, vel in eſſentiam, ac gloriam Dei tranſmutandos.

Paria ſomniavit cum Enthuſiaſtis Matthias *VVejerus*, cujus ſcripta belgicè primùm An. 1579. & exinde Germanicè An. 1633. Francofurdi prodierunt, at non ipſè, verùm poſt ejus obitum, epiſtolas ejus, & ſermones familiares edidit ejus domeſticus Iohannes Spes. Coævus vixit Henrico Nicolai, & Davidi Georgio, quorum inſaniam faſtidiebat; & hic VVejerus, Serm. lib. III. cap. II. *creaturæ, quibus fruuntur animalia, in animalia nobilitantur, ipſa animalia in hominem. Homo nobilitatur in Deum, atque ita creaturæ hoc pacto per hominem in Deum redeunt.* Et lib. II. cap. I. *Novus homo non accreſcit, nam novus homo eſt ipſe Deus: quidem homo in novo homine accreſcit.* Lib. I. cap. XXIV. *In tantum homo deificatur, ut nihil præter Deum reperiat, neque ſeipſum amplius, neque creaturam.* Cap. XI. *in morte hac anima perit, homo in eſſentialem Dei vitam ac eſſentiam abit, ubi ſeſe Chriſtus manifeſtat*, atque ejus commatis plura.

Ultimò, erravit Swencfeldus, quamvis non tam graviter, vel hæſit potius, in negotio *Euchariſtiæ* rectè explicando: in quâ materiâ plurimi tum titubabant, hinc Pontificiis, illinc Lutheranis, inde Zvvinglio, cum ſuis, articulum illum aliter explicante, incerti quò ſe verterent. Svvencfeldus de hac materiâ, in ultimâ ſuâ confeſſione acturus, capiti hæc verba præſcripſit: *major viribus meis articulus*; ac verba Chriſti, de quibus tota lis, invertit potius, quam pervertit, & tranſpoſuit: *hoc eſt corpus meum*; explicans per, *corpus meum eſt hoc*, id eſt, panis eſt verè ſpiritualis, ut Joan. VI. 55. *caro mea vere cibus eſt, & ſanguis meus vere potus &c.* Vide ejus *epiſt.* I. II. IV. V. & præcipuè VI. XV. ac peculiarem ejus ſuper eâ re tractatum, *epiſt. Cratovaldi ad* Melanthonem *Tom.* II. *pag.* 251. Et Zvvinglius de iis judicium

ſuum

ſuum hoc perſcripſit, Tom. II. epiſt. XI. *Gratias Deo agimus ubicunque radiantis veritatis, præcipue ubi Vratiſlaviensium de Euchariſtiâ ſententiam hoc in libello vidimus, in quo Luthero contradicunt, Verba S. Cœnæ hunc in modum explicant, hoc eſt corpus meum, id eſt, corpus meum eſt hoc, videlicet, ita corpus meum animam paſcit, nec hoc inconcinnè, quum verba Hebraica Zoth, Ze, hu, biſ, ſæpe ita accipiantur. Ideoque noſtræ explicationi non ſunt adverſi, verùm eorum noſtra continetur.* Atque ſic in fundamento rei, ut defenditur contra Pontificios, ac Lutheranos, non erravit, ſed verborum Chriſti tantùm aliam ſecutus eſt interpretationem. Vbi nos explicamus: hoc eſt Sacramentum vel ſignum corporis mei, pro vobis fracti; ille alio ordine verba conſtruens, dixit, corpus meum eſt ſicuti panis, panis animæ ſpiritualis; errore quidem non tanto, tamen eum addere viſum, quia de homine, & variis ejus doctrinis commentari erat animus, & inſtitutum.

Atque hæc de iſtis hominibus dixiſſe, ſatis ſit, ſatis ad illorum hiſtoriam, etiam ſatis ad iſtam de illis cognitionem, quâ de iis judicare, quales fuerint, quæque tenuerint dogmata, requiritur: atque illud hác ſcriptione ſpectavimus, non librum facere, vel operoſam inſtituere refutationem, potius narrationem: exiſtimantes, illa nullum lectorem repertura, qui non facile ad ea, ex his quæ dicta, ſit reſponſurus, & ſemper quam breviſſimè poteſt, illa ob oculos ponenda eſſe ſolùm, neque anxiè examinanda: quia hoc vix merentur, & forte nec illud. Auguſt. Retract. lib. II. cap. VI. *Quamvis utcunque temperata ſit hæc ineptia, in eo quod additum eſt, forte.* Cyprianus præf. adv. Iudæos. *Sed & legentibus brevitas hujuſmodi plurimum prodeſt, dum non intellectum legentis & ſeipſum liber longior ſpargit, ſed ſubtiliore compendio (id quod legitur) tenax memoria cuſtodit.*

Neque omittendus nobis *Iacobus Böhme*, alias Teu-

tonicus Philoſophus, cujus ſcripta Germanice, & jam quoque Belgicè nonnulla leguntur, ſed revera ἄλλως ἄναλον; ita verbis ampullatis, contortis, fumoſis, ſermone non ſermone, ad faſtum non ad intellectum, ſcripſit, an deliravit? qui natus Anno cIↃ IↃ lxxv. prope Gorlitzum, parentibus ruſticis, & ipſe ruralibus negotiis, pecori, agroque colendo admotus, ætatis anno decimo litteras, ut legere, ac ſcribere aliquantulum poſſet, addidicit, atque inde artem calceariam. Anno cIↃ IↃ c ecſtaſi ſpirituali ſeptem diebus ſe abreptum fuiſſe ád divina ac cœleſtia contemplanda, fruendaque dixit, & poſt iterum, Anno cIↃ IↃ c x. quum jam in conjugio viveret, & binos filios aleret; in cujus rei memoriam libellum conſcripſit, cui titulum fecit, *Aurora*: Libellum, mere nugacem, quem à nemine rectè intelligi, ne ab Auctore quidem, certò mihi perſuadeo, non quod tam ſublimia doceat, ſed quum hoc non agat, tamen tam ſublimia loquatur. Aſtrologica, Philoſophica, Theologica, mixturam omnium facit maxime prodigioſam: Et, quæris, quæ à communi Theologiâ tradat aliena? diſtinctè hoc non magis tibi dixero, quam ipſe ſuarum opinionum, vel ſermonum aliquod argumentum, aut probationem. Hoc ſatis manifeſtum, illud ab ipſo omninò agi, ut Theologia, ejuſque tractandi ratio in univerſum corrumpatur; & amplius perſpicuè ac recte tradi ea vel intelligi non poſſit: Quare prudenter Magiſtratus Gorlicenſis, illum coram ſe accuſatum, citatumque juſſit à ſcribendo, idiota quum eſſet, abſtinere, libellumque cui Auroræ nomen, ſupprimere quidem ſtuduit, at haud potuit. Iterum dico, cum iſtis hominibus nihil prius agendum eſſe, quam ad diſtinctam ſententiæ ſuæ ac dogmatum adigere explicationem, & probationem. Quale illud eſt! quod apologiâ primâ adverſus Balthaſarum Tylchen ſcribit, à ſectione 205. *Non egeo contortâ ad probationem ſcriptura, ex omnibus rebus probare id poſſum; omnes tres mun-*

di cum omnibus creaturis mibi argumento ſunt, ſumque ne-hilominus non illuminatus: video, nec tamen ipſe videor. Domine Paſquil', unde ergo originem Diabolorum vis peti? non concedis, Diabolum magnam Deitatis partem eſſe, juxta naturam Patris, quum tamen Lucifer ab ipſo Chriſto princeps appelletur: jam verò, quum illud mihi non aſſentiare, aliam mihi commonſtra naturam, ex quâ Diabolus creatus ſit, præterquam divinam. 522 fateri quippe debes, Diabolos aliquando Angelos fuiſſe! jam verò, angeli filii Dei ſunt, ex Dei eſſentiâ creaturæ ſunt, at creatura ex naturâ; ſi ſint æterni ſpiritus, utique ex æternâ venerint natura, quæ eſt ipſiſſima Dei Patris, in initio principii. 524 Improba autem anima ex mundo hoc in tenebroſum vadit, in æternam naturam, in matrem ſuam, unde venit, & in quâ naturaliter ſubſiſtit: quomodo autem alias Deus animam in infernales ignes proiceret, malum, niſi ex eo foret? 522. Animæ impiorum unà cum Diabolis revertuntur in locum, ex quo in initio creationis ſuæ prodierunt; nempe in centrum naturæ, &c. Talia innumera ſunt, quę quis intelligat, vel ſine tædio devoret? & ſenſus, & ſermo offendit; plurimum. Nec ſatis habent illi homines errare in ſententiâ, niſi quoque ſcandalum verbis fecerint. Quomodo cum hiſce monſtris aliter agas, quam uti initio dixi, producas ſolummodo, ad nuda & perſpicua themata adigas, atque ad probationem? fugient, ſat ſcio, at vel ita ſe ſatis oſtendent, liquebitque quod dico, examen & conflictum præſentem illos non ſuſtinere. v.g. quinam illi tres mundi? unde & quomodo coram Athenienſibus ſolebat, ἀπνευστοιμιῶν κ̀ πνευθῶν, explica. Quid; quod ipſe videt, neque videtur? an aliis? fortè nec ſibi. Horrendum, Diabolum Deitatis partem facere, & quidem magnam, juxta naturam Patris: quid ille Pater? alibi ita loquitur: *Deus ab æterno, ſolus: eſſentia ejus dividitur in tres æternas differentias: una eſt, mundus igneus: ſecunda, mundus tenebroſus: tertia, mundus luminoſus: eſt tamen una ſolum eſſentia inter ſe; verùm*

 una

una non eſt altera: Tres illa differentia ſunt ſimiliter æterna, & infinita, neque loco neque tempore concluſa: qualibet differentia ſe includit in ſe, in unâ eſſentiâ; & affectio ejus (quael *belgicè*) *ejus eſt deſiderium, centrum natura.* Quæ monſtra, quæ horrenda! quid vult? quid probat? apage cum diabolico iſto & tortuoſo apparatu! aliter veritas, & ſimplicem ac evidentem expoſitionem amat, non ambages atque labyrinthos; quid illæ differentiæ, mundi, affectio, naturæ centrum &c? atque ut ad ſuperiora, quid, Angelos ex Dei eſſentiâ eſſe? creaturam ex naturâ, æternos Spiritus eſſe, ex æternâ naturâ, Dei Patris, in initio principii? quem locum putat animarum ſeparatarum, improbarum, quis ille tenebroſus, æterna natura, ac materia? quomodo ex eâ venit, in ea ſubſiſtit? Quid malum illud, vel affectio, unde anima? ex quo loco initio creationis animæ & Angeli prodierunt? quid centrum illud naturæ &c? Vides, quot hinc ex ſinuoſo & prodigioſo ſermone quæſtiones, quot hæreſes? quis illis dignè examinandis tempus fruſtra terat, vel ab aliquo hoc exigat? quis non illa ſi nude proponantur, judicare & condemnare noverit, quæ ſeipſa condemnant ſatis, vel eo, dum non probant. Iam ſpecimen Bohemiſticum quoque audivimus, ex quo ſpiritum licet dignoſcere, quo homines illi aguntur: neque puto quempiam plus iſtorum admodùm deſiderare; plura tamen, & multis prolixiſque libellis ſcripſit, reſcripſitque. *Gerra germana, atque edepol lira lira.*

Cum VVeigelianis verò iſtæ nobis ſunt controverſiæ:

I. Num in homine omnium artium & ſcientiarum ſemina ſint ac formæ, ita ut non ab externo objecto vel principio ſcientiam haurire oporteat; ſed tantummodo ex ſeipſo omnem illam excitare & excutere? *Neg.*

II. Num cognoſcens cum cognito, & ſic homo cum

Deo

Deo & Chriſto, quem cognoſcit, fiat realiter & eſſentialiter unum? *Neg.*

III. Num contradictoriorum abſoluta debeat fieri & promiſcua in mente noſtrâ vel fide combinatio? *Neg.*

IV. Num quilibet homo à nativitate ſuâ proprium habeat in cœlis planetam, qui ipſum regat, & à quo dependeat; at quem, & cujus ductum, ſi ſalvari cupit, ante omnia debeat abnegare? *Neg.*

V. Num ſæculum aliquod Spiritus S. in terris exſpectandum, quo mira rerum omnium converſio & felicitas tam corporalis, quam ſpiritualis ſperanda ſit? *Neg.*

Diximus obiter nonnulla *de Fratribus Roſeæ Crucis*, ita appellatis, notiſque ab anno hujus ſæculi decimo quinto. VVeigelium illi, una cum ſui Ordinis fundatore C. R. id eſt, Chriſtiano Roſenkreutzio conjungunt, in Scripto, cui titulum fecerunt: *Fama fraternitatis*, quam, una cum *Confeſſione* ediderunt a. hujus ſæculi XVII. & in altero, cui titulus: *Frater Crucis Roſatæ*, Germanicè quoque, ubi præter VVeigelium, commendant Taulerum, & Theologiam Germanicam, ceu ſcripta unica, poſt Scripturam legenda. Libros etiam aliquos ſcripſerunt, præſertim a. XVII. quo illorum nomen, & fama, ſcriptaque maxime flagrabant; alii rurſus adverſus illos ſteterunt præſertim And. Libavius. Mera fàbula eſt & ſomnium, quod de Ordine ſuo jactant, & de Chriſtiano Roſenkreutzio, de quo tamquam altero loquuntur Appollonio Thyanæo quod natus anno CIↃ CCCLXXXVIII. Orientem peragratus fuerit, & mira inde retulerit, mortuus denique non ex morbo ullo, quem nec ipſe expertus unquam, neque alios infeſtare ſiverit, & cujus latuerit ſepultura ultra ſæculum, tandem prodita cum ſingulari iſto, quod ſupra vidimus, Epitaphio: *Ch. Roſ. C. ex nobili atque ſplendida Germ. R. C. familia oriundus, Vir ſui ſæculi divinis revelationibus, ſubtiliſſimis imaginationibus, indefeſſis laboribus,*

bus, ad cæleſtia, atque humana myſteria arcanave admiſſus &c. Celebrant ex ſuis ſocios valde longævos, ut certius ſciamus figmenta eſſe omnia, quingentorum & quadringentorum annorum, alios ducentorum. Nihilque totum illud quod de Fraternitate, ſive ad S. Sanctum, ut ſe appellant etiam, ſive Roſeæ Crucis, aliud, quam maleſanorum capitum de lapide philoſophico pompaticæ & vertiginoſæ, pro ſuo more, jactationes. Notum enim, miris & portentoſis encomiis titulisque ſolere illos homines vim artis ſuæ deprædicare, & arcana ejus ineptiſſimis loquendi modis obducere, ut non ſe ipſi, minus alii intelligant. Omnia polliceri, & unâ ſuâ arte non opes ſolum, ſed vitæ humanæ productionem, & morum ſæculique tantam reformationem promittere, nil ut amplius deſiderari poſſe videatur. Et hæc illis myſteriis Fraternitatis occultantur. Quaſi homines ſint pietatis ſtudioſiſſimi, ita paſſim religionem crepant, & vitam Chriſtianam, & morum ſanctitatem, quæ ſuo ordini adſcribunt & invento, iterumque eâ verborum vanitate ſic obſcurant, & verborum ampullis, ut ludere in re ſeriâ non minus quam in arte ſuâ, appareat. In ſcripto Fraternitatis, quod ediderunt tit. *Silentium poſt clamores*, quo reſpondent ad nonnullorum adverſus ſe objectiones, capitis tertii titulus eſt: *inter arcana Fraternitatis R. C. in Germaniâ comprehendi quoque univerſalem medicinam, & poſt Dei cognitionem, Summum bonum.* ut dubitare nequeas, quin ex hiſce furnis illa Societas enata ſit, nihilque aliud quam hominum, quorum in Germaniâ ſemper magna copia, Alchymiæ & lapidi inveſtigando intentorum conſpiratio & ſecta, qui ut ſua magis reddant commendabilia, tanta ϖϱοφάσει uti ſolent. Societatem appellant, neque tamen illam aliquis aut novit aut format; authorem quod dicunt Chriſtianum Roſenkreutzium, fictum nomen eſt, & nugatorium drama. Et tamen leges jactant,

ctant, ſive ordinem à Fundatore fraternitatis ipſis conſtitutum. quæ ſcilicet in Vtopiâ, aut regno Lunæ obtinent. Velim ego mihi oſtendi iſtorum Fratrum aliquem, ſi forte aliter ſua ſacra poſſit explicare. Et certe ſi tanti illa ſecta, ut ab eâ mundi reformatio, & hominis tantum bonum, pro ſalute etiam animæ, breviter omnia exſpectari debeant, non oportet abſcondere illam, & ignorari, ſed in propatulo omnibus proſtare. Quid ſi etiam quam maxime vellet quis nomen iſti ſuum dare, qui poſſet? imo ſi ad annua Comitia die C. ad S. Spiritus convenire, quâ id obſecro liceret facultate aut modo? ita videlicet tandem egregie ludunt homines, & Anticyras ablegant. Pariſios Societatis hujus fratres aliqui venerunt anno cIↃ IↃ c xx IV. & ad angulos platearum affixerunt hujuſmodi programmata. Primum: Nos Deputati præſtantiſſimi „Collegii Fratrum Roſeæ crucis, gratiâ Altiſſimi, ad „quem cor juſtorum ſe inclinat, in hâc urbe degi„mus viſibiliter & inviſibiliter. Docemus abſque li„bris, & loquimur quâvis linguâ loci, quo habitamus, „ut homines nobis ſimiles ex erroribus mortis trahamus. Alterum erat: Quicunque ductus curioſitate, „nos cupit videre, numquam nobiſcum aget, ſed ſi quis „revera velit albo Fraternitatis noſtræ inſeri, ei nos, „qui cogitationes animi judicamus, promiſſorum no„ſtrorum veritatem dabimus videndam. Hinc locum „habitationis noſtræ non ſignificamus, quandoquidem „ubi cogitationes lectoris cum ejus animo abreptæ fu„erint, ſatis hoc erit ut noſmet ei, ſe nobis ſignificet. I, & talibus nugivendulis te aſſocia, ſiquidem delitare cupias; & neque ſic tamen illos dignoſces. Exhibet Nicolaus VVaſſenaer, in Hiſtoricis ſuis Relationibus, part. VIII. litteras alicujus ex iſto ordine ad ſe ſcriptas, quas videat qui volet, ſed cui ſatis firmum adverſus vertigines eſt ſinciput, adeo hic omnia χρυσοχυτρολὴ φιμα.

De aliis præterea in Germaniâ (malcſeriatorum, &

ſto-

ſtolidas hæreſes ſectantium valde feraci) turbonibus, & nomen malum inde adeptis, quia nec ipſi tanti, neque illos ſequaces habent, dicere ſuperſedeo. Qualis *Ieſaias Stifelius*, & qui ab eo Stifeliani dicti, in Thuringiâ, ab anno CIↃ IↃ C IV. Ille poſtquam aliquoties cum Theologis Auguſtanæ Confeſſionis, in oppido Thuringiæ Saltza contuliſſet, atque ab erroribus præconceptis diſcedere nollet, in carcerem conjectus, integrum annum detentus fuit, tandem & liberatus, poſt præſtitam errorum ſolemnem revocationem, eamque juramento confirmatam. Sed poſtea, præſertim anno CIↃ IↃ C XXIV. reproduxit errores, numquam bonâ fide depoſitos, eoſque quâ voce, quâ ſcriptis ſtudioſe diſſeminavit. Oppoſuit ſe ei potiſſimum VVeberus. Errores autem erant potiſſimam partem enthuſiaſtici, de Scripturâ litterâ mortua, &c. forte deluſus ſpeculationibus ſuis, duras & inſulſas voces ſectatus eſt magis, quam hæreſes, de triplici in Deo eſſentia, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; eſſentiam divinam homini ingenitam dicebat; peccatum eſſe malam eſſentiam, aliaque plura inepta, & peſſima. Putant illi homines omnia, quæ vere, debere dici eſſentialia, unde mali eſſentia apud illos, fideles eſſentialia Chriſti membra, eſſentialiter regenerati &c. quod valde abſonum, & magnam conceptuum verborumq; ἀκυρολογίαν notat, preſſo examine, & accuratâ expoſitione notionum potius curandam, quam acri vel longâ diſputatione.

In Thuringiâ, ad idem ferè tempus, anno CIↃ IↃ C XIV. fuit ſimilis ſpiritus, id eſt, Enthuſiaſtici, ſed minoris roboris & ſequelæ, *Ezechiel Metz* vel. *Meden*, qui Stifelium illum, ceu ſponſam Chriſti prædicabat, cui Ieſaiæ prophetiæ cap. LXVI. applicandæ eſſent: mox, ob ſcandaloſa ac turbulenta dogmata, eorumque tuendorum contumaciam, in carcerem abductus, & Dreſdæ clam ſervatus fuit. Rejecit verbum litterale, uti illi amant loqui, ſeu Scripturam; cum Chriſti ſubſtantia

tia ſomnitum, baptiſmum nihil eſſe, uti nec Cœnam, & ſe Michaëlem Principem, dicitur aſſeruiſſe. Ducis Saxoniæ edictum adverſus Ezechiëlem illum, & ſuos complices, præterea duodecim doctrinæ ejus articulos, exhibet in hiſtoriâ ſuâ Baudartius, *lib.* V I. *ad* annum cIↄ Iↄ C X I V. quibus continetur totum Michaëlis iſtius negotium, non dignum quod hic latius perſequamur. Vide & de eodem *Epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Euſebii Bohæmi, *pag.* 1024. Et Ioh. Micrælii *Syntagma Hiſtoriarum*, *lib.* I I I. *pag.* 506.

Fuit haud ita pridem anno cIↄ Iↄ C XLV. vir non indoctus, præſertim in Hebraicis olim, & vitæ hactenus haud malæ, mihi probè notus, Dominus, amicuſque A. B. qui ſeparatum moliebatur ab omnibus in Chriſtianiſmo Eccleſiis cœtum, ideo quod putabat, Eccleſiam omnem Chriſtianam ab ævo Apoſtolico, quamdiu defuerunt Doctores infallibiles, apoſtaticam eſſe, quia in eâ docetur & exponitur verbum Dei à miniſtris non infallibilibus, & tamen nomine Dei: pro quâ ſuâ ſententiâ libellum ſcripſit, *Ad legem & ad teſtimonium*, &c. quem examinavi, eique oppoſui anno cIↄ Iↄ C XLV I I. ad Reverendum virum, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Amſtelodamenſis miniſtrum Henricum Blancheteſte, *Apologiam pro Eccleſiâ Chriſtianâ, non apoſtaticâ.* Reſponſi nihil hucuſque retuli: interim ſecta evanuit: ut uſurpandum mihi hic ſit, quod Cicero de Pyrrhoniis dixit, lib. I I. de finib. bon. *rectè jam pridem contra eos deſitum eſt diſputari.* Et quantum Noſter ex Pyrrhonia habeat, ſuo loco oſtendi. Tantummodò Cl. D. Mareſio, qui prior adverſus ipſum inſurrexerat, inſulſum oppoſuit *Monitum*, unâ brevique ſchedâ ſcriptum, quo acerbe & indigne tum Theologum, tum ejus ordinem traduxit, nequidquam pro illâ modeſtiâ, quam præ ſe fert, vel pacis eccleſiaſticę cum omnibus ineundæ deſiderio ac ſcopo. Verùm ita videmus vulgo nullos magis homines impotentius ferre diſſentientes à ſe, & ſuis re-

pre-

prehenſoribus inclementius dicere, quam qui pacem clamitant cum omnibus ſectis inter Chriſtianos ineundam, nullaſque diſſenſiones ultra ſpectandas eſſe. Atque ita evenit, quod Baſilius dixit, epiſt. lxxi i. impoſſibile eſſe, *ut litteris noſtris accuſantium ora cohibeamus, imo credibilius eſſe, ut noſtris illos apologiis irritemus, quò majora ac pejora contra nos machinentur.* Certè ſi pacis illi filii, oportebat magis pacem ſuo exemplo præmonſtrare, ſuâque propriâ in causâ vel ſententiâ, quam monitis erga alios acerbis uti, à ſe maximis de cauſis diſſentientes. Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes? Mihi deinde, meæque Apologiæ alterum Diploma quaſi, æquè ineptum & maledicum, ac prius illud, repoſuit. videlicet, *Pacis Eccleſiaſticæ Propemticum*: in quo conquiſitis dicteriis & contumeliis, quia aliter non poterat, rem ſuam perſequitur, hocque ab omnibus probis & doctis retulit, ut indignum cenſuerint librum, & inſtitutum, & Auctorem, qui ùltra à quopiam audiretur. Futilitatem, & quæ non? ſcripto noſtro exprobrat, eo quod ſua non articulatim, ſervato libelli ſui ordine, de theſi in theſim examinavimus. Quaſi verò tuum ſit præſcribere Adverſario, quâ viâ modoque te aggredi & ferire debeat, dum ad certamen evocatus te opprimit, & hoc ita quidem, ut nihil in tuo illo libro ſit, quod non confutatum, & in cujus examen non te provocârit ad Colloquium & diſputationem, coram quovis ineundam. Oſtendenda fuerant, ſi quæ omiſſa, vel præterita erant; vel accipienda Colloquii conditio. Accuſare Adverſarium, & ἰαμβίζειν, vel juventutem ei ſuam exprobrare, crede mihi non eſt modeſtorum, non ſenum, non eorum qui ad diſputationem invitant, vel pacem loquuntur. Verùm hæc facilis, & exanimo condono (tam extra retaliationem, quam tuum exemplum), ut mihi alias à Deo atque hominibus (te quod offenderim, præterquam in eo, quod rogatus, tuis conatibus, & convitio de Eccleſiâ Chri-

ſtiana

ſtiana ab ævo Apoſtolico hucuſque apoſtaticâ occurre-rim, neſcio) condonari expeto. A quæſtione dicis nos aberraſſe: ſed annon ergo oportuerat quæſtionem propoſuiſſe in tuo Monito, & Propemtico, ita ut eam intellexiſſemus, & vel ſententiam tuam accipere, vel refellere licuiſſet? Ais, nos controverſiam non ferire, & eam non formas tute ipſe: quod quid aliud eſt, quam nolle ut diſputemus? ſiquidem ignorata nobis, & involuta negatâque à te quæſtionis explicatione, quo quæſo pacto diſputare poſſumus? Remittis nos ad tua Erotemata, ſed illa adeo intricata & faſtidioſa, ut paucis legere lubeat, & nos ſi inſequuti illa pedepreſſim fuiſſemus (quod à nobis poſtulas, quia noſti hoc facile pacto tædium oboriturum) ſcio quod minus avidos lectores habuiſſemus, & difficillimè de rei ſummâ inſtruendos. Sed quod ego tuam ſententiam in propoſitâ à me queſtione juſtè & rectè expreſſi, preterquam quod nunc ex Propemtico conſtat, etiam tum memineram, ex noſtrâ de hiſce a. cIↃ IↃ c xl iv. d. xv i. Aprilis, ſequentibuſque, in Selandia, ſermocinatione crebra, ex qua ſententiam quia ſatis nova & paradoxa videbatur, aliquot theſibus, in mei meæque memorię gratiam comprehenderam, cum quibus, ſtatim ac libellum anno ſequente editum legi, videbam ut conveniret, & auctorem mihi ſuum ſignificaret protinus. Preterea Cl. Rivetus p. m. cui ſcriptum meum miſeram, cenſens, me rem acu tetigiſſe, eum in finem donavit faſciculo litterarum, ad ſe ante plures annos tuâ manu ſcriptarum, hac ipsâ de re; ſimul & Euſebij Meiſneri Baſileenſis, in Typographeo Elzeviriano Leidę Correctoris ad ſe litteras a. cIↃ IↃ c xxxv i. d. v i. Auguſti: ex quo tua illa te habere vidi, & Meiſnerum ex imaginariis ſuis viſionibus, quibus litteras exorditur, & finit; quique ſuper eodem negotio ſe dicit a. cIↃ IↃ c xxx. ſcripſiſſe epiſtolam ad Iohan. Angelium VVerdenhagen, de ſubſtantiâ peccati, & de cultu apoſtolico primitivæ Eccleſiæ. Hunc tuarum opinionum habe-

bas authorem. Quæſtionem autem veſtram hoc modo „propoſuit Riveto Meiſnerus: Cujus juſſu, mandato, „& authoritate ſabbathum, ſeu cultum noſtrum præci- „puum, potiſſimum ſanctificamus noſtris concioni- bus? Cenſet is, non juſſu divino, vel Dei nomine, ac authoritate: quare ſolas legendas, abſque expoſitionibus, Scripturas: hoc eſt quod toties dicis, verbum Dei ὅλως inſite, indubie, mereque divinum. Pergit „Meiſnerus: Tempore primitivæ Eccleſiæ πάντῃ τρί- „πῳ Chriſtus annunciatur, at, eâ defunctâ, in hunc uſ- „que diem tantum προφάσει perpetuò, non ἀληθείᾳ, „ſi vel maxime litterâ τῆς ἀληθείας. Atque hinc eſt et- „jam verum, nullam fuiſſe, nec eſſe viſibilem eccleſi- „am veram, poſt primitivam illam Apoſtolicam in „hunc uſque diem: & tamen in omnibus putativis cœ- „tibus aliquos vel eſſe vel eſſe poſſe, qui in Chriſti mem- „bra vivificentur. Hoc Tu, Eccleſiam Chriſtianam ab ævo Apoſtolico & inde eſſe apoſtaticam, eo quod prædicat, vel exponit Dei verbum, ejus nomine, & non infallibiliter. Epiſtolâ tuâ ad Rivetum, ſic quæſtionem „propoſuiſti: An Reformatarum Eccleſiarum miniſtri, „qui hodierno tempore publicum N. T. cultum medi- „antibus concionibus, Dei & Chriſti loco, nomine, & „authoritate hominibus exhibent: eundem illum publi- „cum N. T. cultum adminiſtrent, qui olim in primiti- „va N. T. eccleſia, mediantibus concionibus ab ipſo „Chriſto, aut ab Apoſtolis, & lxx. Diſcipulis, ordina- „tiiſque per eos vocatis miniſtris, Dei & Chriſti loco „nomine & authoritate exhibitus fuit? mox explicationis cauſa addis, (quod tamen in ipſo Controverſiæ ſtatu poni debuerat, quia eo omnis nititur) te eundem publicum N. T. cultum intelligere, qui ubique habeat divinum N. T. cultus & eſſentiale κριτήριον, infallibilitatem. Hoc verò negamus eſſe eſſentiale κριτήριον cultus N. T. per omnia ejus tempora, non magis quam per omnes perſonas. Sufficit initio infallibiles fuiſſe

Do-

Doctores Apoſtolos; ſemper ut tales ſint, vel nunc, qui Dei nomine & authoritate loquantur, & cultum peragant, neceſſe non eſt. Iam verò videant omnes, an ego ex tortuoſis erotematis, in quibus nuſpiam ita clare & thetice agis, ac in epiſtolâ, quę certius mentem tuam explicat, quam illa, non bene controverſiam ſic collegerim & propoſuerim, quam indagari mihi longe pluris laboris fuit, quam de eâ diſputare: *Vtrum* Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ, ſive quæ in orbe ſunt omnes, fueruntque ab ævo Apoſtolorum hucuſque, à primis earum initiis, ſint apoſtaticæ, eo quod in illis verbum Dei infallibile Veteris ac Novi Teſtamenti exponatur à Miniſtris, & concionibus non item infallibilibus, & tamen nomine Dei? Oſtende, in quo à mente tuâ, deſignandâque controverſiâ aberraverim. Quod non tua illa verba, *ὅλως inſite, mereque divinum &c.* ſervaverim, feci ad majorem intellectum, ſubſtituens illis infallibile, quod & melius tuis illis verbum, & ſignificantius rem exprimit, quoque ipſe, non tuis illius libelli, ſed in epiſtolâ uteris, quam non vidi niſi poſt ſcriptam editamque noſtram Apologiam. Sic ergo diſcas, ſi placet, non ita perfunctoriè & magiſtraliter rejicere ſcriptum adverſarium, dicendo, controverſiam non attractam fuiſſe, quam tuam ex meo, quam tuo ſcripto melius intellectam, ſi non dicant utriuſque lectores, tum verò pudorem mihi incuſſum ingenuè profitebor. Gaudeo interim etiam me intellexiſſe, cujus araris vitulâ, quoque authore in hæc deliria perductus ſis, quorum alios tibi patronos aſſignavi in meo ſcripto, præcipue Matthæum Radecium, Franciſcum Puccium, ex epiſtolis Socini; Adolphum Venatorem, celebrem apud Remonſtrantes doctorem. Quibus addendus Sebaſtianus Franck, in epiſtolâ anno cIↄ Iↄ xl I. ſcriptâ Argentorato, ad Iohannem Campanum, quâ ſe credere aſſerit, Chriſti externam viſibilem eccleſiam, una cum donis & ſacramentis ſuis, per corru-

ptelas Antichriſti, ſtatim ab exitu Apoſtolorum, abiiſſe in cœlum, & in ſpiritu ac veritate occultari: & pro certo ſtatuit, à mille & quadringentis hucuſque annis nullam Eccleſiæ congregationem, cum Sacramentis ſuis, extitiſſe: neque concionatores & miniſtros ad id vocatos eſſe quod agunt, vel licere alicui diſperſam colligere Eccleſiam, vel ſacramenta erogare, niſi extraordinariò à Deo vocato miſſoque, & ſignis aut miraculis in id confirmato. Ejuſdemque cum noſtris hominibus opinionis olim fuit Theodorus Coornhert, Amſtelodamenſis origine, aliquo tempore Harlemenſis, ab anno cIↃ IↃ lxII. Secretarius, vir ingenii quidem alicujus, ſed uti ὀψιμαθὴς (quippe ad annum demùm ætatis xxx. linguam Latinam cœpit addiſcere) ita, quod ſolent qui immaturis ſtudiis alios docere cupiunt, non ipſi diſcere, religionis negotio, ſolâ fretus audaciâ, intemperanter ſe immiſcuit, & ex oppugnatâ in herbis Reformatione noſtrarum Eccleſiarum, præſertim Catecheſi, & probatâ ſibi nec noſtrâ Eccleſiâ, nec aliis, ſolùm intentus carpendis omnibus, & magnis impetendis nominibus, Calvinum dico, Bezam, Daneum, Saraviam, alios, gloriam inanem inter ſuos aucupatus fuit. Obiit anno cIↃ IↃ xc. & quod valde obſervandum, is qui tam impotenter de Prædeſtinatione multa, ſibi nequaquam intellecta, adverſus Theologos noſtros ſcripſit, ſub mortem, veritatem ejus in ſe ſentire & agnoſcere coactus fuit, ad Deum exclamans: ſe animam ſuam ab eo „poſſidere, quam Deo integrum ſit pro ſuo beneplacito „ſervare, an reprobare, ſibi nil eſſe quod conqueratur. Quod nihil aliud eſt, quam vim & ſummam prædeſtinationis divinæ in nobis aut ſalvandis, aut abjiciendis, pro Dei ſummo in omnes arbitrio, proprio ſenſu confiteri, & in morte ſincerius teſtari, quam multus infrunitis & impetuoſis adverſus eam ſcriptis, per vitam. Iſte Coornhert paſſim ſuis libris, (quos tribus in folio ſatis craſſis voluminibus anno cIↃ IↃ cxxx. editos neſcio quis

quis tanti pretii facere queat, ut emere vel legere velit cum magno temporis, ſtudiorum, nummorumque detrimento) aliquod ſchema Eccleſiæ communis erigendæ proponit, in quâ, vel ſolus Scripturæ textus legeretur, abſque gloſſis & expoſitionibus, vel etiam admonitiones ex Scripturâ ſub aliorum judicio, non autem ex authoritate, aliquando fierent, ad modum alterius & novi Interim, uſque dum novâ divinâque ad extruendam aliam Eccleſiam, miſſione accederent miniſtri, quales Apoſtoli fuerunt, Eccleſiam ex Chriſti præſcripto novam erecturi, quâ jam miſſione ad erigendam cum Reformatione Eccleſiam omnes, juxta eum, careant. Tomo primo, pag. ult. in delineatione ſuæ Ec-
„cleſiæ ſic loquitur: Raro, aut nunquam utuntur hic
„humanis gloſſis, non quod peccatum ſit, ſed quia in-
„certum, à ſole ad ſtellas, & à fontibus ad ciſternas re-
„currere. Atque ita etiam nemo hic ſibi (abſque certâ
„& ſpeciali miſſione) arrogat docendi officium, ut cum
„authoritate mandet vel prohibeat, benè quidem ut
„ſub meliori ſententiâ admoneat, idque ex Scripturâ.
Similiter Tomo ſecundo, lib. *Collyrium* (Belgicè omnia) ſub finem. Tomo III. in initio, lib. *Rudis delineatio Eccleſiæ non partialis.* Deinde alio; *de Eccleſiarum erectione à Baptiſtis.* Denique eodem Tomo, *de minuendis Sectis*: nam huc præſertim ſpectare illud ſuum conſilium, de tali Eccleſiâ Interimiſticâ, Conniventiæ opinor alter diceret, ad minuendas, & coëundas in unum Cœtum cultumque ſectas, arbitrantur. Hoc libello vel dialogo ita ſententiam ſuam exponit: exiſtimem,
„Magiſtratui ſignificandum, quod quæcunque ſcripta
„humana, gloſſæ, dogmataque aliquid impuri, erro-
„res & ambages continenr, à quibus omnibus immunis
„eſt Scriptura, certam pandens ſalutis viam. Quare
„reverenter rogandus eſſet, ut vellet, ad modum novi
„alicujus Interim, (& hoc ad tempus uſque quo con-
„corditer decretum eſſet quæ doctrina ſequenda foret)

„omnibus Concionatoribus interdicere, ne è ſuggeſtu
„populum aliud quid docerent, prælegerent, dicerent-
„ve, præter clarum Scripturæ textum, citra unius ſyl-
„labæ aut additionem aut demtionem, quomodo in
„Veteri Novoque Teſtamento ſolebat fieri. Hoc de-
„mum pacto ſectas evanituras. Præterea populo ſub
„mulctâ injungendum eſſe, ut omnes ſuos libros de
„Scripturâ tractantes, quæ ipſæ non eſſent mera Scri-
„ptura, ad manus Magiſtratus deferrent, ibique ſerva-
„rentur, ut vel redderentur poſtmodum ſuis dominis,
„vel prout viſum foret, de illis diſponeretur. Hæc
Coornhertus: quæ ut examuſſim conveniant cum no-
ſtri Auctoris conceptibus, niſi inde ſua habeat, quis eſt
qui non videt? Speciosum videtur; quod homines hi
videntur ſolliciti eſſe de uniendis in Chriſtianiſmo ſe-
ctis, iiſque omnibus reducendis ad Scripturam: & cer-
te vellem quam maxime, ut huc ſaltem perduci ſectæ
poſſent; ſed quod Eccleſiam inter Sectas illas ſimplici-
ter numerant, vel eam nullam uſpiam eſſe dictitant, u-
noque ordine omnes habent, & ſingulorum conditio-
nem æſtimant ex opinione adverſariorum, ordinariumque in Eccleſiâ miniſterium, quod inde à tempore A-
poſtolorum hucuſque viguit, jam libere & manifeſti-
ùs, nunc magis occulte, ejuſque auctoritatem & vim
conculcant & oppugnant, hæc ferri neutiquam aut poſ-
ſunt, aut debent, in illis præſertim, qui pacem tanto
boatu clamant, eamque neglectam aliis objiciunt, dum
ipſi interim acerbiſſime à ſuâ ſententiâ alienos exagi-
tant & proſcindunt, quâ Doctores ſingulos, quâ etiam
Eccleſias integras. Certe pacis tantæ auctores oporte-
bat præ omnibus benigniſſime & mitiſſime agere cum
quibuſcumque, & diſſentientibus, qui hoc tantopere
videri volunt damnare in omnibus aliis quod tam ægre
diſſentientes ferunt. Coornhertus palam ſcribere auſus
fuit, inter omnes ſectas ſe nullibi Chriſti Eccleſiam de-
prehendere: Romanam noſtrâ, quam ne quidem Eccle-

ſiæ

ſiæ nomine dignabatur, meliorem eſſe, *Tom.* I. *in Dialogis, fol.* 484. nec de S. Cœna ullibi idcirco participabat, quia veram Eccleſiam, & legitimos miniſtros ſcilicet deſiderabat: unde & communionis neceſſitatem, quæ vulgo docetur, negat quoque, *Tom.* I. *lib. Conſiſtorium*, in initio. *Tom.* III. *in Delineatione impartialis Eccleſiæ*, ſtatim à principio docet, poſſe quem eſſe verum Chriſtianum, utcunque non ſit membrum alicujus eccleſiæ viſibilis: rogatuſque, quid præſtaret, an extra viſibilem Eccleſiam vivere, quoad uſque ipſe Deus per certos miniſtros Eccleſiam reſtauraret; an Eccleſiam, infirmorum gratiâ, non valentium vivere abſque externâ aliquâ formâ, quin ad Sectarum partes prolaberentur, colligere? reſpondit: prius quidem eſſe magis certum; at ſecundum videri ſibi neceſſarium. Collapſam quidem eſſe Dei Eccleſiam, ſed non apparere manifeſtum mandatum eam reſtaurandi: attamen ovile aliquod pro infirmis, adverſus varios lupos defendendis, ſub tali nempe libertate, quâ nemo ſibi arroget, à Deo ſe ad docendum miſſum eſſe, & Sacramentorum baptiſmi ac Cœnæ uſus relinquatur liber, in infirmorum gratiam habendum; nullum verò iſtorum urgeri debere præceptum, aut neceſſitatem. Vnde in carmine aliquo ſubjecto libello ſuo adverſus Danæum, cui titulum fecit, *Smegma*, ad ſingulas verſuum periodos ſubjicit: *quorſum ei vinculum, qui abſque eo poteſt vivere?* **wat behoeft hy bant/ die ongebonden leben kan /** ipſum fundamentum & medulla Libertiniſmi, in quo gloriatus fuit, quod videlicet nulli ſe addixerit Eccleſiæ, vel communioni. Hæc de Coornherto paulo latius, hoc loco, propter magnam illius cum Noſtris hominibus, in ſuis de colligendâ, vel vitandâ Eccleſiâ dogmatibus, affinitatem, utque Noſtros docerem, non à ſe nunc demum iſta conſilia opinioneſque promanare, neque non illa pridem diſcuſſa rejectaque fuiſſe. Quod ſi hoc unum vellent, ipſum S. Scripturæ textum, ma-

jori reverentiâ locoque debere eſſe apud Chriſtianos, ac vulgò fit, pluſque tribuendum ejus lectioni auditionique, etiam nudæ citra expoſitiones, quam homines communiter ei deferunt, utique nos non haberent repugnantes. Sed cogitent, annon hoc vitium, (vitium quippe eſt) majus foret, ſi in omni concione populus nil audiret unquam præter ſolam Scripturam, & annon tum hoc, tum alia vitia merito reprehendenda eſſent ex Dei verbo: quod ubi fieret, quid tum diſtaret adeo à noſtrâ & communi verbi prædicatione, vel ejus ad particulares caſus, quod in concionibus fit, applicatione? atque hoc quidni tum nomine & juſſu Dei liceat, ubi tam clarum Dei pro officio ſedulò audiendi verbum ſuum mandatum? quin non cum Paulo dicere hic liceat: ὑπὲρ χριςοῦ ὖν πρεσβεύομεν? unde nomina πρεσβεῖς, πρεσβύτεροι, quaſi legatione fungentes: quod ſibi ita Origenes applicat, initio lib. VIII. contra Celſum: *perinde ac ſi Deo nos cohortante, ut ferventiore Pauli illo affectu per nos ipſos, & noſtram cauſam peroremus, & pro Chriſto legationem ad homines ineamus*. Chryſoſthomus, auditores ſuos ad crebriorem S. Cœnæ communionem exhortans, ad Heb. IX. homil. XVII. ita τολμῶ. *non enim ſunt noſtra, ſed divini ſpiritus quæ dicuntur*: οὐ γὰρ ἡμέτερα ἐςὶν, ἀλλὰ τοῦ θείου πνεύματος τὰ λεγόμενα. Vel hoc miſſo, tentent illi, cujusvis ſectæ homines ſaltem eò adducere, ut ipſum Dei verbum, ſit citra quamcumque ejus expoſitionem, una audire, & colere velint: nos id hactenus non reprehendemus: ſed ideo deſtruere Eccleſias, ordinemque in iis jam à temporibus Apoſtolorum obſervatum, in expoſitione Scripturæ; & hoc dicere apoſtaticum, antichriſtianum eſſe, res eſt ab omni prorſus ratione aliena. Dixerim noſtris hic Novatoribus, idem quod Tertullianus olim Marcionitis, lib. de Præſcript. *Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta*,

cta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Vel, uti adverſ. Marcionem, lib. 1. *O Chriſte patientiſſime domine, qui tot annis interverſionem prædicationis tuæ ſuſtinuiſti, donec ſcil. tibi Marcion ſubveniret!*

Iam ut hoc etiam in loco *Apologia* noſtra, pro *Eccleſiâ Chriſtianâ, non Apoſtaticâ,* oppoſita libello cui tit. *Ad legem & ad Teſtimonium &c.* legatur, non incommodum judicavi. Iuſtinus Martyr, epiſt. ad Zenam, & Serenum: *Non eſt igitur moleſte reſiſtendum provocantibus & laceſſentibus ſed conſtanter placideque reſpondendum; nunquam efficies, ut me dimoveas à propoſito.* οὐχ οὕτως ἔςαι σοῦ τὸ τῆς ἰσχύος δυνατὸν ἵνα με κινήσῃς τὴν προαίρεσιν.

Apologias qui ſcripſere pro Chriſtianis adverſus Paganos & Infideles, plurimi quovis ſeculo fuerunt, eóq; quo numeroſiſſimi ex Gentiliſmo ad fidem certatim accederent, celebriores quidem vidit Eccleſia, *Iuſtinum, Athenagoram, Tatianum, Theophilum, Tertullianum,* alioſque, ne *Clementem Alexandrinum, Origenem,* vel etiam *Arnobium, Lactantium, Athanaſium, Euſebium* nunc dicam *Cæſarienſem*; ſed, qui pro Eccleſiis Chriſtianis apologiam fecerit coram Chriſtianis, neſcio an auditum unquam omnibus retrò ſeculis fuerit: quo magis deploranda venit temporis hujuſce noſtri, in quod reſervati ſumus, calamitas, quâ qui Chriſtianiſmum aliàs profiteri ſe dicunt, in omnem tamen Chriſtianiſmi & quæ olim à primo Apoſtolorum ævo uſque fuit, Eccleſiam inſurgere haud quaquam erubeſcunt, & omnes illas pro Apoſtaticis habere. Scripſit nuperrimè nonnemo, quę eſt noſtri ſcripturientis ac laſcivientis ſeculi protervia, libellum, cui titulum fecit, *Ad legem & ad teſtimonium;* &c. quod ubi primùm apud Bibliopolam perluſtraſſem, contemnebã illicò, indignum reſponſo ratus, quod non niſi interrogare noverat, & reſponſione nequidquam exſpectatâ temerè concludere, quodque maximè quidem

deteſtabar, in caput omnium totius catholici Chriſtianiſmi eccleſiarum concludebat, omnes apoſtaſiæ impudentiſſimè condemnans. Poſtmodum ſignificatus Auctor, neque is mihi pridem ignotus: etiam reſponſum ei paratum à Cl. D. Mareſio vidi; cui ſatis habuit inſolens *Monitum* opponere, idemque omnibus notum facere ad inſtar publicæ tabulæ, *quaſi hoc ſit reſpondere poſſe, quod tacere non poſſe*, uti contra Maximinum Arianum loquutur Auguſtinus. Grave ſanè crimen, quod nuperus ſcriptor omnibus Chriſtianiſmi Eccleſiis impingit, & fortè vix ipſi intellectum quale id ſit, quod apoſtaſiam appellat: quomodo enim, ſi errorem aliquem erroreſve in Eccleſiis notes, quale ipſi videtur, quod unicè urget, nempe verbum prędicari Dei nomine, & tamen non infallibiliter verum; necdum tamen apoſtaſiam inde concluſeris, vel impegeris, vel non ideo, quod verbum Dei, utcunque non infallibiliter, tenetur tamen, doceturque; quum apoſtaſia dicat repudium *univerſale* fidei, ac religionis, in eoque ab hæreſi differat, quod hæc ſit, error contrarius *aliquibus* fidei articulis, illa ab omnibus recedat: quod diſcrimen adeo notum, ut & apud Theologos, & Iuriſconſultos ſupremo & peſſimo loco meritò veniat apoſtaſia. Ne noſtros dicam, in loco *de hæreſi*, Theologos; & Scholaſtici ſec. ſec. qu. x i. *de hæreſi* ſequente x i i. *de apoſtaſiâ* diſtinctè agunt. Atque in jure Canonico, primùm *de hæreticis*; tum agitur de Apoſtatis. In jure item Civili, alius & prior titulus in Cod. eſt, *de hæreticis & Manichæis*; ſequitur *de apoſtatis*: & hi quidem *deſertæ Chriſtianæ religionis* rei ſunt. Non certe ſtatim apoſtaſiæ crimen intentandum aliquibus, quamvis errantibus, aut etiam graviter peccantibus; non qui errorem admittunt vel diuturnum, ideo omnem fidem repellunt, & περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, 1 Tim. 1. 19. Tum & iſtud omnem ſuperat audaciam, quod Auctor hic nullus addubitet alium cœtum, atque eccleſiam erigere, ac facere ſchiſma: parum id quoque conſiderans, quam gravem incurratis

Dei

Dei indignationem, Eccleſiam qui temerè turbat ac ſcindit. Videat, quæ ſcribit Irenæus, antiquus & gravis Auctor, lib. III. cap. xl. *adverſus eos qui ex quâcunque causâ ſchiſma faciunt.* Vel etiam lib. IV. cap. xLIII. *qui autem ſcindunt & ſeparant unitatem Eccleſiæ, eandem quam Ieroboam pœnam percipiunt à Deo*, & quæ plura ibi graviter contra recedentes à veritate dixit. Aut Cyprianum audiat, *de unitate Eccleſiæ*, & eodem ſuper argumento Auguſtini ſive epiſtolam, ſive librum, contra Petilianum Donatiſtam: niſi dicere voluerit, & illos pro apoſtaſiâ ſcripſiſſe, adde & Martyres pro eâdem obiiſſe, quod ſanè perquam horrendum foret. Hujus Auctoris jam mihi examinare libellum iſtum, *Ad legem & teſtimonium*, animus eſt, in quod me non adeo ſponte mea ingeſſi, quam invitatus & ſollicitatus ad id à variis, quibus denegare hoc quidquid eſt laboris vix licuit, in ſupprimendâ tempeſtivè & in herbâ quaſi ſuffocandâ, *ei δύναιτο* iſtâ ſectâ. Neque valde timeo, ubi detecta erunt hæc ſacra & diſcuſſa, multos pellectum eò iri, niſi fortè ἀστηρίκτους, & quorum nimis quam fertilis eſt noſtra patria, Libertinos, quibus religio nulla eſt, dum fere omnem colunt. *Non aliter hæreſes de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes ſi in bene valentem fidem incurrant*, verba ſunt Tertulliani, in lib. *de præſcript. adverſus hæret.* Vel, ut diſcipulus ejus loquitur, Cyprianus, epiſt. III. *Graves viros & ſemel ſuper petram ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aurâ levi, ſed nec vento aut turbine commoveri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus frequenter agitetur, & à propoſito ſuo levitatis reprehenſione mutetur.*

Ita necdum ſatis hæreſium ſchiſmatumque in orbe Chriſtiano? non ſatis divexata à primis incunabilis Eccleſia tot diverſis infrunitiſque dogmatis ac ſectis? ut, ubi nihil ferè novi, quod non diu antea commentum, cudi contra veritatem ulterius videri poſſit, id agi nunc debere credatur, ut variis quaſi forte concurrentibus

ex

ex pridem notis erroribus, aliud ſemper ac aliud inde conficiat ſchiſma ſeductor ſpiritus? λαοπλάνον πνεῦμα ut dicitur Ignatio, in epiſtolâ ad Epheſios. Etenim vix proferri quid ultra poteſt, quod non oſtendatur maximâ ſui parte, ſi non omni, ex priſcis aliiſque deſumtum hæreſibus ſectiſque, niſi fortè illud, quod ſcriptor libelli *Ad legem, & ad Teſtimonium, &c.* docere haud erubuit, omnes ab ævo Apoſtolico Eccleſias Chriſtianas eſſe apoſtaticas; cæteroquin in plurimis, ut ſuo dicetur loco, errores cum aliis communes & hinc inde congeſtos tenens. Quæ cauſa fuit Apologiam pro Chriſtianiſmo meditandi, & breviter oſtendendi, quam inſignis illa Auctoris ſit audacia, omnem contemnere & condemnare Eccleſiam, præ ſuâ ſchiſmaticâ, quam *Conventicula* miro titulo & κακεμφάτως appellat. Neque ſanè neceſſum adeò videbatur libello reſpondere, *ne*, ut loquitur adverſus Helvidium Hieronymus, *reſpondendo dignus fieret, qui vinceretur*, niſi accepiſſem, etiam ſectæ Auctorem fieri, libri qui eſſet; quod illud eſt, ad quod perpetuò & impotenter contendunt paradoxa & turbida ingenia, familiam ut de ſuo etiam nomine inter alios ducant, *ne qua pars probro vacet:* quod, ſi quis alius, ego vehementer abhorreo, & doleo. Siquidem haud iſtud leve eſt, Eccleſiam, pretioſiſſimum cœli apud nos depoſitum, ſcindere, & quod ſequi ad hæc ſolet, alia & diverſa conventicula erigere ac ſequi. Cyprianus, lib. de unitate Eccleſiæ: *& cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Παρασυναγωγὰς dicunt Græci. Diſtinguit Baſilius epiſtolâ, quæ dicitur canonicâ, ad Amphilochium, αἱρέσεις, σχίσματα, & παρασυναγωγάς. *Hereſes quidem de iis dicuntur, qui omnino divulſi ſunt, & à fide abalienati. Schiſmata verò, qui ob eccleſiaſticas quaſdam cauſas* καὶ ζητήματα ἰάσιμα *& quæſtiones medicabiles inter ſe diſſident. Paraſynagoga autem,* τὰς συνάξεις, *congregationes, quæ à rebellibus fiunt presbyteris vel epiſcopis,*

pis, & ab indoctâ plebe παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων λαῶν. Ea∣demque ex Baſilio repetit, ſuper eodem conſultus περί τε τῆς αἱρέσεων καὶ βαπτισμάτων Theodorus Studita, epiſt. IV. ad Naucratium filium. Quò autem referendus ſit Auctoris noſtri cœtus, quem erigit conniventiæ; ipſe viderit: an verò ad Scepticam? ſic certè Diogenes Laërtius, in procœmio ubi de variis Philoſophorum ſectis diſſerit, αἵρεσιν δὲ λέγομεν (φασί) τὴν λόγῳ τινὶ κατὰ τὸ φαινόμενον ἀκολουθοῦσαν ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν καθ' ὃ εὐλόγως ἂν αἵρεσιν τὴν σκεπτικὴν καλοῖμεν. Vel an potiùs ad ſequentia, quæ de ἐκλεκτικῇ eorum ſectâ, qui ex ſingulis aliqua, ſibi quæ placerent, ſeligebant: ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τοῦ Ἀλεξανδρέως, ἐκλεξαμένου τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων. Neque miretur quis, ſi Græca ſine interpretatione ſubinde poſuero: quia nempe ſic Auctor noſter videtur velle, qui loca Scripturæ ex N. Teſt. integris paginis Græca deſcripſit, non ſola illa quæ aſteriſco indicavit præcipuè attendenda eſſe. Niſi Petrum Cotonum Ieſuitam imitari ei placuerit, qui cum Daniele Chamiero per litteras diſputaturus, Latinæ Chamieri primus Græcam integram remittebat, ſed duabus iterum Græcis à Chamiero egregiè repulſus, primus etiam in unâ illâ primâ Græcè loqui deſiit. Sed ad noſtrum: animus eſt cum eo agere, uti decet, candido atque amico, neque aliter volo, quèmpiam vel verbulum à me interpretari, quod non ex ſtylo magis, quàm animo dijudicari exopto; & ſi quid durius aliquando dictum videri poſſit, id cauſæ imputandum, cui non poſſum non ſæpe graviter indignari; ſaltem melius à me habebitur, quam quidem ab ipſo exceptus fuit Cl. D. Marelius: quod an ipſum decuerit, perſtringere modò Adverſarium, nec id parum acerbè, aliorum, imò & ipſius eſto ſerium judicium. Ego quidem iſtius reminiſcar, quod Chryſoſtomus monet diſputantes contra inſanam aliquorum opinionem, qui Deum comprehendi à nobis

poſſe

poſſe audacter ſtatuebant: *quapropter vos fratres chariſſimi omnes hortor & rogo, curare tentetis pro viribus eorum opinionem, perinde ac inſaniam & delirium furentium, cum modeſtiâ tamen & clementiâ.* homil. II. de incompreh. Dei nat. Cum Apoſtolo, ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. II Timoth. II. 25. Spondet quidem noſter, meliora ſe libentiſſimè admiſſurum, ac ſemet præbiturum docilem; an verò præſtiturus ſit, quod de nobis haud gravatè pollicemur, exitus oſtendet. Decet autem: *non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora; ſed inſtruimur, maximè in his, quæ ad Eccleſiæ unitatem pertinent & ſpei ac fidei noſtræ veritatem.* inquit Cyprianus benè, epiſt. ad Quintinum, *de hæreticis baptiz.* Quare, quod etiam vult noſter, quò preſſiùs cum eo agam, cominus alloquar, & præſentiſſimè ipſum aggredi placet.

Ac primò quidem, inquiramus in ſententiam tuam, ne in eâ conſtituendâ erremus, & tum etiam, quod hinc oriri ſolet, inter diſputandum; ne ut in *Monito* loqueris, cum larvis noſtris luctemur, atque nugemur: in quo tamen venia eo juſtiùs nobis debebitur, quod hujuſmodi erotematis ab Auctore quæſtio non ſatis aperte propoſita, nedum tractata fuit, vel illo ipſo articulo XVIII. quo tamen luculentiſſimè eam deſignatam in *Monito* jactat. Sed patebit illud ipſum manifeſtiùs, ubi nos controverſiam ad ſententiam ejus, accuratiùs, ut arbitramur, breviùs atque ſignantibùs, quam quidem ipſe fecerit, formaverimus. Primum, uti dixi, *ponamus ſententiam* tuam; ac deinde ſuper eâ ordine *diſputemus.*

Hoc autem ante omnia & ſententiæ tuę exponendę, & excutiendæ fecerit multùm, animum interrogare, quo hæc qualiacunque moliaris conſilio, quis ſcopus, quis finis ſit, quem intendas? Nimirum, ſi bene calculum pono, in tribus verſaris. I. ut *evertas* & deſtruas communem, uſitatam, & *Catholicam in Chriſtianiſmo*

niſmo Deum publicè colendi rationem in S. concionibus, & toto miniſterio, quæque huc præterea ſpectant. Non tibi mens impugnandi aliquas demum Eccleſias, vel aliquos Concionatores; vel alicujus ſeculi illa; ſed quæ jam ab ævo Apoſtolico hucuſque invaluit, publicarum concionum forma, atque omnibus & ſeculis & Eccleſiis communis atque probata fuit, eam oppugnare, atque condemnare. Audax ſanè facinus, non, ſi veritatem pro te habens, conſuetudinem rejiciás: quod perquam laudabile; ſed quod ex S. ſcriptura te putes condemnare poſſe omnes, quæ ab ævo Apoſtolico hucuſque fuerunt, & etiamnum ſunt in orbe, Eccleſias. pergo, & hoc ubi obtinebis, in tuis ſcilicet ideis & circulationibus; nam ut id aliquando revera eveniat חס ושלום, ecquid tum porro? meliuſne orbi futurum arbitraris remoto ſole, & abolitis, quæ hucuſque mundum duxerunt, concionibus? II. *Aliam* Dei cultum publicum, privatumque ſubſtituis, & Eccleſiæ formam, quam *conniventiæ* appellas; quâ ſcilicet Deus, jam ob Eccleſiarum omnium diuturnam & pertinacem apoſtaſiam graviter offenſus, veram & antiquam Eccleſiæ faciem nec dum reducere inſtituit, ſc. Doctorum infallibilium, quales Apoſtoli erant, & conciones infallibiles, ſpiritumque ejuſdem generis nondum emittit; ſed interim hoc rerum ſtatu & pro tempore quaſi, Eccleſia ſub indulgentiâ & conniventiâ divinâ inſtituitur, in præcipuis manca, & laborans defectu eſſentialium ad veram Eccleſię erigendę conſtituendæque formam neceſſariorum, in ſolam ſpem alterius ac melioris fortè ſecuturę ſuſpenſa. III. Sic enim promittis tibi, & ſiquis præterea amet ire in tuam ſententiam, tandem aliquando *veram* Eccleſiæ *formam*, quâ hactenus caremus omnes, caruit fermè ſemper univerſus orbis, reductum iri, & conciones *infallibiles*, quæ verè Dei nomine habeantur, quales erant *Apoſtolorum*. aurea tempora! vel ſeculum ſpiritus S. adeò apud Enthuſiaſtas omnes de-

decantatum! Hæc tria tuus ſpiritus, modo ne in vertiginem, perpetuò oberrat. Vin ſingula probem? quamvis id ſupervacaneum videri poſſit; breviter tamen agam, ut primùm de ſententiâ tuá rite conſtet.

Dixi ergo, te omnia in Eccleſiis mutata, quin peſſumdata velle, præſertim, quæ ad rationem concionandi ſpectant communem, & uſitatam. Quare ordinis melioris, ac neceſſariæ methodi cauſa hæc duo quæ ad ſubjectum Controverſiæ & ſententiæ tuæ ſpectant; *Eccleſias* puta, præmitto 1. præſupponi in hâc quæſtione, Eccleſias quoad doctrinam *veras*; alioqui de falſis & hæreticis, cum omnibus ſuis concionibus; & miniſterio abolendis & devovendis, quis addubitet? intellige ergo conciones in Eccleſiis veras, & doctrinam veram Chriſti Apoſtolorumque ſonantes: illas ſi neges alicubi in orbe, vel imo noſtras eſſe, jam tibi non diſputatio in nos ſuper formâ concionandi, & miniſterii, ac cultus divini, illum quod *non infallibiles & tamen Dei nomine* peragamus, inſtituenda erit, ut tamen hactenus videris ſolùm id tuo ſcripto agere, nihil de doctrinæ noſtræ vel confeſſionis veritate adhucdum in dubium trahens; ſed capita doctrinæ arripienda erunt, ſuperque iis, cum aliis noſtris Adverſariis lis à te nobis intentanda, ubi tunc quoque te cum reliquis uno ordine habebimus Achivis. Neque etiam tibi illud juxta hypotheſes tuas licebit, qui id moliris, ut non actitatis inſuper, necdum excitatis de Religione controverſiis, omnes tacitè ſopiantur, componantur, combinentur, puta ut VVeigelius ſolet docere ſuam Combinationem contradictoriorum, ſub uno ac ſolo S. Scripturæ verbo, & contextu mero, citra aliquam in diverſas partes explicationem: nempe in Eccleſiâ tuâ *conniventia*, vel ut VVeigelius dicit, in *mente*. Quam ineptè, modò videbimus ubi ad ipſam cauſæ diſceptationem ventum erit, ſententiam enim hactenus ſimpliciter eruimus. Tum, quidquid ſit de verâ Eccleſiâ in ſpecie, noſtrâ, an qua alia,

ve-

veram ſaltem hic in abſtracto concipere, & præſuppo- nere debemus, ubi *de publico Novi Teſtamenti cultu* tuam facis erotematicam propoſitionem, eamque *Christianorum Eccleſiis, & cœtibus illis, qui ſolam Veteris & Novi Teſtamenti ſcripturam pro unico fidei & morum Canone profitentur*. II. Præmitto, Nos, ut Eccleſiam Reformatam, ſolam, nullam genericam, pro verâ agnoſcimus, & veneramur; ita pro eâ, ejuſque formâ, & miniſterio hîc diſputare, & de eâ intelligi velle, quæ pro Eccleſiâ à nobis adſerentur. Itaque regredientes ad id quod propoſitum erat, ut oſtenderem, ſcopum atque animum tibi hunc unicè eſſe, publicum, qui obtinet in Eccleſiâ, Dei cultum abolere, & cum alio tuo commutare, vide *pag.* libelli tui 72. vel *erotema* clxxvI. & cxvI. quamvis hoc ſolum hic ſuffecerit, quod omnes Eccleſias Chriſtianas cenſes eſſe apoſtaticas. Verùm ut diſtinctius hæc tractemus, quod non minimi laboris eſt, in rebus adeò confuſis, & ſcripto tædioſa eorundem repetitione ſupra modum moleſto; video quadruplicem tibi fingi Eccleſiam, vel Eccleſiæ ſtatum. I. *Apoſtolicum*, verum, quo verbum Euangelii infallibile ab Apoſtolis prædicatum, & Dei nomine fuit. II. *Apoſtaticum*, ab eo tempore uſque, quo verbum non-infallibile, à miniſtris Eccleſiæ fallibilibus concionatum & prædicatum tamen nomine Dei fuit. III. *Conniventiæ*, hoc tuo tempore, & per te, ſi ſanis placet, erigendum, in hoc temporis interſtitio quaſi, & apoſtaſiæ periodo, ſub Dei offenſione, ad IV. *Apoſtolicum* iterùm, quò priſtinus & infallibiliter concionantium ordo Eccleſiæque ſtatus iterum reducetur, credo, quando Elias veniet, תיקו.

De ſingulis neceſſe habemus mentem tuam attentiùs examinare; ſed & præmittere explicationis causâ, nonnulla I. de verbo, *quod* prædicatur, *infallibili*. II. *de modo* quo id prædicatur, vel, quo pacto, *Dei nomine*: etenim non erro, ſi dixero ab hiſce duobus pendere omne molimen tui negotii, & erotematum, & ab

hiſce quaſi axibus novum tuum & totum orbem moveri.

Valdè hoc in Eccleſiis reprehendis, quod ibi prædicatur non verbum *ὅλως inſitè, indubiè meréque verum:* ſed præter S. ſcripturam, verbum non eo gradu verum, fallibile. Primò ſatis illa eſt impedita ac moleſta loquendi ratio, qua vel centies, ſi non ultra in hoc brevi ſcripto, ſingulis ferè erotematis intellectum lectoris iterum iterumque divexas, iſthoc tuo verbo *ὅλως inſitè, indubiè, merèque vero*; dic uno verbo, *infallibili*: annon id commodiùs & intelligibilius? etiam ad leges diſputandi accuratius? atque ſic omne dixi, & nervoſiùs quam tu tot ſemper incaſsùm repetitis epithetis: quid ὅλως, quod eſt *totaliter*, ὄντως inſitè, indubiè, meréque verum? an aliud, quam quod infallibile dicimus? & quod infallibile, annon hoc tale, ut ὅλως, inſitè, indubiè, meréque verum ſit? ſi enim βαττολογίας agere conſtitutum tibi, iiſque libellum farcire, plura etiam ſynonyma vel epitheta connectere hoc in ſermone potuiſſes. Imò, quod ſecundò noto, infallibile plus videtur dicere, quam tuum *ὅλως inſitè, indubiè, meréque verum*; hoc enim dicitur, quod in ſe tale eſt, ut neutiquam fallat; illud verò non modo hoc, ſed reſpectum inſuper hoc in negotio & rationem ad ipſum Auctorem infallibilem, ſive infallibiliter docentem, ut non materialiter ſolùm indubium ſit, ſed & formaliter. Vt, verbum Apoſtolorum ſimiliumque, qualium verbum in verâ concione & Eccleſiâ ſolum audiri vis, eſt non modò in ſe materialiter *inſitè, indubiè, meréque verum*; ſed à talibus prolatum, qui errare, ut ipſe agnoſcis, nec poterant, neque volebant, atque hoc eſt, infallibilibus. Verbi gratia, quidni poſſem ego proferre, vel etiam tu bone vir, verbum aliquod inſitè, indubiè, meréque verum? neque tamen nos, ſaltem ego nolim verbum meum, quatenus à me procedit, haberi infallibile. Niſi quando *indubiè* dicis, tántundem intelligas, ac infal-

fallibile : quamvis & hoc *indubiè*, videatur ſonare actualem duntaxat & materialem veritatem, infallibile etjam cum reſpectu, ut diximus, ad Auctorem, verbum quod non poteſt non eſſe veriſſimum. Quidquid ſit, vel *indubium* dicere verbum, ſuffeciſſet; vel (ut de vocibus ulteriorem nullam litem moveam) quando ego in hâc de concione verbi controverſiâ, ſimpliciter dico verbum infallibile, ſcias tum me exprimere brevius, quod tu tanto verborum apparatu. Videlicet, ipſe quoque *pag.* 5. ſive *erotem.* VI. non aliter tua explicas: *unicum ſolum at individuum illud verbum Chriſti promiſſum* ὅλως *inſitè indubiè meréque verum, cujus inſitus ſcilicet ac indubius character, eſt omnis vel minimi erroris qualiſcunque carentia, ac veritas*, id eſt, infallibile: & alibi, *erot.* CVII. indubiè meréque, verum explicas per *authenticum*. & *erot.* IX. per ἀψευδῶς. III. Præmitto eam, quæ ex dictis jam ferè liquet, & in ſequentibus multi uſus erit, diſtinctionem inter *verum*, & *infallibile*: aliud, verum; aliud, quod inſuper infallibile. Veri Doctores quidem ſumus; at non infallibiles. IV. Infallibiles Doctores habent ad docendum *immediatam* & *extraordinariam* vocationem: qui verò ſimpliciter Doctores veritatis ſint jam ita traditæ infallibiliter ab extraordinariè & immediatè vocatis, iis ſufficit *ordinaria* & *mediata* vocatio. Primis ergò veritatis Evangelicæ præconibus neceſſaria quidem fuit immediata atque extraordinaria vocatio, ad extraordinarium doctrinæ infallibilis negotium; ſed eo dato, jam veritas ſecundum eam ſolùm quæritur ordinariò: ideóque infallibiles, vel immediatè, aut extraordinariè miſſos Concionatores non eſt quod exigamus, vel præſtolemur. Alterum, de quo explicationis cauſâ nonnihil premittendum duxi, eſt de modo, formâ, vel nomine, quo conciones in Eccleſiis habentur, quid ſit *nomine Dei* concionari? *nomine Dei* variè aliquid dicitur fieri, vel quoque *in nomen Dei*, ἐν ὀνόματι, & εἰς ὄνομα, בשם 1. *ex* nomine, ut ſic loquar, Dei, i. e. Dei juſſu, mandato,

atque authoritate. Matth. xxi. 23. *quâ poteſtate hæc facis, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ? vel quis tibi dedit hanc poteſtatem?* adde verſ. 25. Iohan. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me: quod ſi alius veniat in proprio nomine, illum recipietis.* 1. Cor. v. 4. Deinde in nomine Dei, ſignificat, *per* Deum, vel *cum* Deo, ejus ope, auxilio, ſub ejus ductu fieri. 1. Sam. xvii. 45. *Tu venis ad me cum gladio, & cum haſtâ, & cum humerali; ego verò venio ad te in nomine Iehova exercituum.* Pſalm. xx. 6. *& in nomine Dei noſtri vexillis utamur.* adde verſ. 8. Marc. xvi. 17. *Signa verò fideles hæc ſequuntur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Luc. ix. 49. Tertiò, in nomine Dei, eſt *propter* Deum, ejus cauſa, &, ut ſolemus dicere, gratia. Luc. ix. 48. *quicunque receperit huncce puerulum in nomine meo, me recipit.* adde verſ. 49. & Matth. x. 41. 42. & xviii. 5. Ioan. xiv. 13. *Et quodcunque in nomine meo petieritis, hoc faciam.* & verſ. 14. 26. Vltimò, in nomine vel in nomen Dei, & Chriſti, eſt in ipſum Deum, ac Chriſtum. *Et in nomine ipſius ſperabunt gentes.* Matth. xii. 21. Matth. xxviii. 19. *baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* 1. Cor. i. 12. 13. Vt nomen Dei eſt ipſe Deus שמו הוא והוא שמו. Noſter, *nomine Dei* ſolet exponere, *Dei loco & authoritate, ſeu tanquam pro Deo legatione fungi, & Dei perſonam ſuſtinere*, crot. ix. & per totum. In quo hoc quidem non negamus, illum qui ſic Dei loco, authoritate, pro Deo legatione fungens, & ejuſque perſonam ſuſtinens aliquid agit, quin verè dicatur nomine Dei agere, quamvis & eo ſenſu illud ῥῆμα *Dei nomine* in N. Teſt. non occurrat, quod tamen attendere hoc in caſu debuiſſet, quem adeo fundamentalem ad cultum N. Teſt. facit; ſed negamus ei, non poſſe dici quid nomine Dei agi vel fieri, niſi quod ſic peculiariter *Dei loco*, &c. geratur: tum etiam, quod qui Dei nomine quid dicitur agere, exponi debeat infallibiliter tamquam ab ipſo Deo, (quod vult *crot.* ix.) fieri; vel

quo-

quoque, qui Dei loco, & authoritate quid agit, quod id merè divinum ac indubium & infallibile ideo ſit. V. g. Magiſtratus & principes, nunquid Dii dicuntur אלהים? Pſal. LXXXII. 1. 6. annon Dei perſonam ſuſtinent? Rom. XIII. Dei nomine, loco, & authoritate juſtitiam adminiſtrant? errare tamen poſſunt: unde vides, non ſequi, ut quis dici poſſit Dei nomine ſive loco & authoritate agere, neceſſe eſſe, ut non aliter quam ὅλως inſitè indubiè merèque verè, αἰψδῶς & infallibiliter agat. Sic quoque miniſtri N. Teſt. nomine Dei dicuntur habere ſuas ex verbo Dei conciones: nec tamen ſequitur debere eas eſſe merè infallibiles, alioqui nec nomine Dei habendas, vel accipiendas.

Hiſce præmiſſis, ad Auctorem noſtrum me verto, & explicari ab ipſo peto quadruplicem illam, quam ex ejus ſententiâ propoſui, Eccleſiam. Primam autem & Apoſtolicam explicat, ut video, à libelli *pag.* 5. ad 25. ſive ab *erot.* VII. uſque ad XVIII. Et primam illam, ac genuinam *Euangelii prædicationem per Iohannem Baptiſtam, per ipſum Dominum ac Apoſtolos ejus peractam* dicit. Benè, non quæram, an doctrinam Iohannis, cum eâ, quæ Chriſti Apoſtolorumque, ſubſtantialiter eandem faciat? quia id ſatis videtur affirmare. Cæterum quia non ignorat, ſaltem ignorare non debet, à Papiſtis, Socinianis, atque Anabaptiſtis, illud negari, obſervari obiter volo, quam fruſtra noſtri homines moliantur omnium ſectarum ſyncretiſmum, ſub nudis S. ſcripturæ verbis; quum adeò nihil dici poſſit, quam manifeſtiſſimæ etiam in S. ſcripturâ ſit veritatis, quod non alium pungat ſtatim, & adverſarium ſuum reperiat, neque poſſibile eſt Scripturam legere & audire, ut non aliquam ejus apud te, etiam apud alium facias intelligentiam atque expoſitionem, facilè controverſam. Sed ad Apoſtolos, eorumque prædicationem, quam infallibilem, & Dei nomine habitam fuiſſe, extra dubium eſt, De *particularium Eccleſiarum ævo Apo-*

ſtolico miniſtrio, incipit *erot.* XI. & bene eſt quod illos conſentiat fallibiles fuiſſe, & datos etiam à Chriſto, in quo eos ab Apoſtolis, qui à verbi veritate deflectere nec poterant nec volebant, diſtinguit, quia deflectere imò poterant, & aliqui eorum etiam deflectebant, *erot.* XII. utcunque illis particularium Eccleſiarum miniſtris fallibilibus hoc eodem erotemate & ſeq. XIV. XVI. XVII. concedat cum Apoſtolis, quod idem & infallibile Chriſti verbum, Dei etiam nomine Eccleſiis, *ad quod à Deo utrique & dati & donis inſtructi fuerunt*, prædicarent; ſed dicit, perſonas tantum eâ in re ab invicem diſcrepaſſe, quòd Apoſtoli infallibiles, hi verò fallibiles eſſent, & à verbi veritate deficere poterant: unde argumentum contra ejus ſententiam, verbum Dei infallibile etiam à fallibilibus exponi & prædicari, Dei nomine, poſſe; neque hoc quando fit, apoſtaticum dici debere, vel Eccleſiarum Chriſtianarum apoſtaſiam inde derivari, quod verbum prædicatorium, ut loquitur, ſive verbi divini conciones habeantur à non-infallibilibus, & Dei tamen nomine, quomodo verbum illorum orale, quà illorum, cùm Apoſtolico infallibili æquiparari nequit. Sed hoc latiùs exponemus poſteà, ubi contra ſententiam ejus argumenta adferemus noſtra. Interim *erot.* XIII. ait, fideli populo ex illâ nonnullorum miniſtrorum defectione *nil periculi* fuiſſe, quia *populus iſtius ævi τὸ χρίσμα καὶ ψυχὴν haberet, & veritatem noſſet* (1 *Iohan.* 2. *verſ.* 20. 21.), & quæ ibi porrò accumulat: ſed, an non illa omnis ævi populus Chriſtianus quoque habet? nonne illa ſemper in fidelibus vera, illiſque competunt, quæ ibi longo ordine recenſet privilegia, & dona piorum? annon etiam populus, æquè ac miniſtri iſtius ævi, deflectere à veritate poterat, & non *animadvertere, utrum & quinam particulares miniſtri à verbi illius puritate deflecterent*? quo ergo fine dicit, populo iſti tamen nil periculi eſſe potuiſſe, à defectione ac apoſtaſiâ ſuorum miniſtrorum?

Pro-

Progrediamur ab Eccleſiâ Apoſtolicâ, ad *Apoſtaticam*, quæ breviſſimo ab Apoſtolis intervallo ex tuo judicio inceperit, & hucuſque talis, juxta opinionem tuam duravit; in eo tandem felix, quod per te demum cognoſcat, quam neutiquam ſit id quod hactenus viſa fuit eſſe, & quomodo hinc etiam ad non minus mutilam & imperfectam *conniventiæ* conditionem, te ſi ſequi conſtituerit, pervenire poſſit. Hanc non unius, alteriuſve Eccleſiæ, vel quod majus, ſæculi unius apoſtaſiam criminaris, ſed omnium & quarumcunque per orbem univerſum quæ ſunt, & ulteriùs, quæ à temporibus Apoſtolorum uſque, & à primis Eccleſiæ initiis fuerunt, Eccleſiarum ſtatum defectivum, & iniquitatis plenum arguis: nempe ut eo audacius appareat facinus, quo non in unum hoſtem, vel unam Eccleſiam incurrere ſatis, vel fortè operæ pretium videtur, niſi univerſum Chriſtianiſmum, & omnes ejus Eccleſias ſimul eodemque furore evertas. *Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu, quaſi ventus folia, aut panniculam ſectariam.* Ita quippe *erot.* XXIV. dicis à primis Novi Teſtamenti initiis hoc incepiſſe in Eccleſiâ, in quo ejus apoſtaſiam, & myſterium iniquitatis collocas: *qui præcipuum Novi Teſtamenti cultum, à primis ejus initiis, & deinceps, Dei ut dictum eſt nomine adminiſtrant; non prout Deus eum nomine ſuo adminiſtrari vult, &c.* Itane, jam ſtatim à primis Nov. Teſt. initiis corrupta & apoſtatica Eccleſia, & deinceps, hucuſque per tot ſecula? ſic vera non fuit, niſi valdè exiguo tempore Eccleſia; non ſane diutius, quam Apoſtoli eam docuerunt, imo & ante Apoſtolorum exceſſum, quando ſc. particularium Eccleſiarum miniſtri inceperunt deſciſcere à puritate verbi divini, quod etiam juxta *erot.* XII. vel præſentibus Apoſtolis contigit, ergo jam tum cœpit apoſtatica eſſe Eccleſia. Eja, quam egregia ſic nobis Eccleſia Chriſtiana depingitur? quam ea nulla ferè unquam fuit, hæc ſi vera ſint? & quot animarum myriades deceptæ, tot

elapſis ſeculis , quæ ex Gentiliſmo , vel Iudaiſmo , aut variis hæreſibus ad Eccleſiam Chriſtianam impœnitendo ſtudio ac zelo converſæ , & catervatim ad eam ſemper concurrerunt , ut ad veram Eccleſiam , & ſalutis ſuæ ſacratiſſimam anchoram ! quam falſi fideles omnes , qui hactenus credere juſſi , unam , veram , ſanctam Eccleſiam Catholicam ? ſed inſuper tuum hoc de omni catholicâ Eccleſiâ à primis ejus initiis apoſtaticâ lævum judicium audiamus : *erot.* cxx. vel *pag.* 54. Eccleſiam dicis , *à primis prædicationis ſuæ initiis , & deinceps , verbo orali* deſtitutam fuiſſe, *quo Euangelium primitus nomine Dei inchoatum & inſtitutum fuit* , *&c.* atque hoc tibi myſterium iniquitatis & apoſtaſiæ : egregiè ſanè. Hinc tuâ illâ & paſſim uſitatâ phraſi Eccleſias apoſtaticas fuiſſe dicis *ab avo , hodièque* , id eſt , à primis ejus initiis , ſicuti jam explicuiſti *erot.* lxiii. *utrum , ab avo , hodièque* , &c. ſic & *erot.* xcviii. cx. cxlviii. cl. Titulus , quibus hunc perpetuum Eccleſiæ ſtatum inſignis & deſcribis , ſunt ; cultum ejus *voluntarium*, & ἐθελοθρησκείας fuiſſe , *erot.* xxiv. xxvi. xxviii Deinde , *imperfectum ac præſumtuoſum* , erot. cliv. *pro imperfectis quidem , quia inter alia miniſtri eorum deſtituuntur verbo orali ὅλως inſitè indubiè merèque vero , quod Dei nomine in publico ſuo cultu proferant : pro præſumtuoſis autem, quia nihilominus verbum ſuum concionatorium non ὅλως inſitè indubiè merèque verum, loco verbi ὅλως inſitè indubiè merèque veri , quod Dei ut dictum eſt nomine , publico in cultu unicè proferri debet , ſubſtituunt.* hoc falſum , nos verbum noſtrum concionatorium , quà noſtrum , loco verbi divini ſubſtituere. mendaciſſimum , quod vehementer miror alicui excidere potuiſſe in Eccleſiâ noſtrâ enutrito , & ſtudiis noſtris ſaltem hactenus imbuto, illud ut ignorare haud debuerit. De cœtibus noſtris , ex ejus ſententiâ *imperfectis , & præſumtuoſis* itidem *erot.* clviii. Tum Eccleſias , à primis prædicati Euangelii initiis , apoſtaticas appellat , *erot.* cxx. *Vitium in quantalis*

talis eccleſia cum ratione negare poſſit ſe receſſiſſe aut defeciſſe à primævâ illâ Chriſti quoad verbum promiſſum inſtitutione, Eccleſiarumque per id juxta illam nomine Dei ſeu pro Deo legatione fungendo, erectione, collectione & regimine, atque eatenus (de promiſſo autem ſpiritu id ſuo etiam loco probabitur) apoſtaticam eſſe. Obiter, quid ſibi illud vult, *quoad verbum promiſſum inſtitutione*? explica diſtinctè, quod verbum intelligas, quamque ejus inſtitutionem. Et *erot.* cxlvi. eccleſiam *apoſtaticam* dicit. Erot. xciii. *myſterium iniquitatis*: nempe hoc vult, *ab ævo, hodieque,* ſive *à primis* prædicati Euangelii *initiis*, Eccleſias omnes Chriſtianas apoſtaticas ſub myſterio iniquitatis fuiſſe, juxta deſcriptionem apoſtaſię Antichriſtianæ, II Theſſ. 2. De Eccleſiâ apoſtaticâ mentem ſuam promit Auctor, *pag.* 26. ad 32. repetit *p.* 38. & 55. atque in illis ferè duobus, ut formalibus rationibus apoſtaſiæ fundamentum, ac crimen ponit. I. Quòd non unicè in concionibus & cultu Dei publico in Eccleſiis audiatur verbum ὅλως divinum, ac infallibile; ſed verbum Dei Vet. ac Novi Teſt. ὅλως divinum, ac infallibile exponatur, tractetur, prædicetur verbo hominum non-infallibilium, haud æquè divino & infallibili, ac eſt verbum S. Scripturæ. II. Quòd tamen verbum illud concionum in Eccleſiis dicatur haberi nomine, & authoritate Dei. Ideóque, quod inde ſequitur, & ceu tertium ſi advertas, ex *erot.* cliv. non ab omnibus & quibuſvis promiſcuè, ſed à certis in Eccleſiâ ad id vocatis, ac inſtructis miniſtris tractari. In illis hæret cardo omnis controverſiæ, quam nobis movet, omneque ſententiæ ejus momentum: illa exagitat in Eccleſiis noſtris, neque noſtris ſolùm, ſed omnibus, quotquot nomen Chriſtianum ferunt, ſive quæ ab ævo hodièque, i. e. à temporibus Apoſtolorum in orbe fuerunt: illa criminatur, condemnat: hic ei myſterium iniquitatis, apoſtaſia, cultus falſus, & antichriſtiana quæque apparent. Nimiùm quam tumultuatur, exclamat, monet, minatur, & da pedem figere,

vel terram ſuper his,ſe moturum indicat. *Erot.* XXII. *Quærendum eſt; utrum igitur illi, qui non exſtante Dei in S. S. literis hâc de re mandato, inſtitutione, aut beneplacitâ permiſſione, nihilominus tamen genuinam illam debitamquè Euangelii prædicationem, duntaxat verbo illo ὅλως inſitè indubiè merèque vero Dei ut dictum eſt nomine primitus inchoatam & inſtitutam continuant nomine Dei, id eſt, Dei loco & auctoritate, ſeu tanquam pro Deo legatione fungendo, ſive conſciè, ſive inſciè, verbo ut dictum eſt non ὅλως inſitè indubiè merèque vero: item qui ſimiliter Euangelii prædicationem ullam, Dei nomine ſeu tanquam pro Deo legatione fungentes, ſive conſciè, ſive inſciè primitus inchoant, continuant, inſtituunt, & peragunt, verbo ut dictum eſt non ὅλως inſitè indubiè merèque verò; ut cum inquam illi eo ipſo cultum prædicationis Euangelii adminiſtrent, prout Deus eum nomine ſuo adminiſtrari vult; an autem eo ipſo illum adminiſtrent, prout ipſis bonum videtur, ipſique volunt?* Quibus verborum ampullis, inani eorundem circuitione, periphraſi, repetitione rem nihili, vel facilè & verbulo abſolvendam agis, id eſt, magno conatu magnas nugas? Hoc vis quæri: Vtrum, qui Dei nomine prædicationem Euangelii continuant, tamen verbo & concione non omnino & ſic infallibili, ac ipſum eſt Euangelium, prædicationem illam adminiſtrent, prout docet, vel prout eam Deus exerceri vult? quorſum tot verba, otioſa epitheta, repetitio per *item*? & tam tortuosè propoſita controverſia? ubi ſemel explicuiſti, quale verbum *infallibile* in concionibus publicis poſtules, quod appellas ὅλως *inſitè indubiè merèque verum*, quorſum idem ad nauſeam uſque & mentis turbandam attentionem quolibet iterum paragrapho repetitum? ſi ſemel expoſitum, quid *nomine Dei*, quod proponi debeat, intelligendum exiſtimes; eccur toties illud idemque inaniter redit, *Dei nomine, id eſt, Dei loco, & authoritate ſeu tamquam pro Deo*, &c. Et ſuper hiſce duobus, ut ex hoc aliiſque erotematis liquet, tota vertitur

con

controverſia, verbo Dei *infallibili*; atque *nomine Dei* habendo. *erot.* lx111. cl1v. & prius illud quia in Eccleſiis ab hominibus non continuatur, eccleſias appellat *imperfectas*; & quia tamen alterum adhibentaid eſt, Dei nomine nihilominus conciones habent, ideò eas appellat *præſumtuoſas*: quæ item duo ea ſunt, ex quibus videtur naſci Eccleſiarum omnium Chriſtianarum, nam omnium hic ſimilis caſus, apoſtaſia. Erotemate, vel articulo xv111, *pag.* 25. dicit in *Monito*, verum controverſiæ ſtatum luculentiſſimè ſignatum: Videamus ergo: ſic ibidem loquitur: *Inprimis quærendum eſt utrum Deus alicubi in S. ſcriptura illis Eccleſiæ ſuæ miniſtris aliiſve mandarit, aut beneplacitè permiſerit, ut genuina illa debitaque Euangelii prædicatio, quæ Dei nomine, id eſt, loco & authoritate Dei, ſeu pro Deo legatione fungendo, primitus inchoata (ut dictum eſt) & inſtituta à Deo fuit, duntaxat verbo illo Christi promiſſo ὅλως inſitè indubiè merèque vero, omnino ſcili*[illegible]*ſitè* *ἀδιαφθόρῳ, ὑγιεῖ, ἀκαταγνώστῳ, in æternum ma*[illegible]*, & de quo toto quantum quantum erat indubiè verèque dici poterat, verbum tuum eſt veritas, videlicet, quod & ὅλως inſitè indubiè merèque verum erat, & de quo tum illi, qui id prædicabant, tum qui illud jam ut dictum eſt receperant, perinde ac de ipſiſſimo Dei verbo ὅλως inſitè indubiè merèque vero, ἀψευδῶς perſuaſi eſſe poterant, & erant; ut illa, inquam genuina debitaque Euangelii prædicatio, deinceps Dei, ut dictum eſt nomine ab illis, ſive conſciè ſive inſciè, continuaretur verbo non ὅλως inſitè indubiè merèque vero, id eſt non omninò inſite ἀδιαφθόρῳ, ὑγιεῖ, ἀκαταγνώστῳ, non in æternum manente, & de quo toto quantum eſt, indubiè verèque dici non poteſt, verbum tuum eſt veritas; videlicet quod nec ὅλως inſitè indubiè merèque verum eſt; nec de quo tum ipſimet illi continuatores, tum ii qui continuatorum iſtorum illos qui Eccleſiarum miniſtri ſunt pro Dei ut dictum eſt nomine Euangelizantibus miniſtris, eorum autem alios illos qui Eccleſiarum miniſtri non ſunt, pro genuinis cæteroquin Dei ut di-*

ctum

ctum eſt nomine continuatoribus jam receperunt; de quo inquam uterque tametſi quam maxime velint & conentur, perinde ac de ipſiſſimo Dei verbo ὅλως inſitè indubiè merèq; vero ἀψεύδως nec perſuaſi ſunt nec eſſe poſſunt. Item, utrum Deus nomine ut dictum eſt ſupra, ullam Evangelii prædicationem à miniſtris ſpeciatim ac debitè ad eam miſſis datis & vocatis primitus inchoari & continuari voluerit, inſtituerit, mandarit, aut beneplacite permiſerit, quæ Dei nomine, ſeu Dei ut dictum eſt loco & authoritate, ſive conſciò, ſive inſciè ab iis aliiſve perageretur verbo itidem ut dictum eſt non ὅλως inſitè indubiè merèque vero?

Non annotabo, quæ ſemel iterumque ad inanem illam verbi *infallibilis* deſcriptionem, aut quid *nomine Dei* deſignetur, explicationem dixi, ne ejus in hac re ferè ſimilis evadam. Putaſne ad accuratam diſputandi methodum ac leges, Controverſiæ ſtatum luculenter ſatis hic propoſitum? & breviter, nervosè, ac diſtinctè? næ ſi ita exiſtimas, graviter, meo quidem judicio, erras. Nam primò, quid ſibi vult quod toties & tam emphaticè diſtingui vis, *beneplacita Dei permiſſio*? ut, quando quæris, utrum Deus *voluerit, inſtituerit, mandarit, aut beneplacitè permiſerit*? Quam intelligis Dei *permiſſionem*? & quomodo illam appellas *beneplacitam*, quam contradiſtinguis, & contrapponis ejus *voluntati*? expedi quid illa, *verbo illo Chriſti promiſſo*: quod promiſſum verbum putas? an Chriſtum promiſiſſe omnibus ſuis miniſtris etiam poſt Apoſtolos verbum ὅλως divinum infallibile, quod, neque aliud continuò prædicarent? proba: & per illas futiles epexegeſes verbi *inſitè, indubiè*, &c. & quæ longâ ſerie ibidem ſequuntur, aliudne vis, quam quod nos dicimus, verbum *infallibile*? ſaltem illud peto, ut ſi hæc noſtra notio tibi minus placeat, aliam commodiorem, & ſignificantiorem meâ iſtâ, & tuâ quoque tam prolixâ, periphraſi ſubſtituas, quæ breviùs ſc. & expeditiùs inter diſputandum teneatur: nemo enim eſt, quem non illa tam cre-

bra & faſtidioſa eorundem verborum repetitio offendat. Quale etiam illud eſt, in quo non minus per totum ſcriptum *βαττολογῇς, ſive conſciè, ſive inſciè*, an ab aliquibus Dei nomine continuari Euangelii prædicatio poſſit verbo non ὅλως, &c. divino, *inſciè*? illud tamen hic dicis iſto tuo *ſive conſciè, ſive inſciè*: atque ſic ſæpius parùm conſideratè. Quidquid ſit, ingenuè judica, annon commodiùs & diſtinctiùs controverſia hoc articulo indicata ſic proponatur: *An Deus mandarit, vel permiſerit, aut conceſſerit verbum ſuum in Eccleſiis prædicari, nomine etiam ſuo, à Præconibus non-infallibilibus?* vel annota, quæ in conſtituendo Controverſiæ ſtatu à me ſic fortè neglecta ſint. Et hæc eſt *Apoſtatica* tua Eccleſia, vel potiùs apoſtaticus Chriſtianiſmus: quia non de aliquâ inter Chriſtianos Eccleſiâ ſic ſentis, ſed de univerſo & Catholico Chriſtianiſmo.

Poſt *Apoſtolicam*, & *Apoſtaticam*, ſequitur Eccleſiam obſervemus *Conniventiæ* quam appellas. Vbi tria attendo. I. quomodo omnes Chriſtianiſmi Eccleſias, propter apoſtaſiam illam ſcilicet, quâ de jam diximus, etiam noſtras Reformatas faſtuoſè condemnas, quum ipſe interim, quod perquam ridiculum & intolerandum, reprehendas, quod inter Chriſtianos Eccleſiæ aliæ alias condemnant: & tu verò, quo jure omnes? II. deſeris Eccleſiam, & ab illâ ſecedis tu, atque aliis idem imperas, ſi quidem ſaluti & pietati conſultum velint. Sicque ſchiſma, ut à cœtibus malignantium ſcilicet, moliris. III. quomodo tuam aliam Conniventiæ erigas, atque in illam tranſeundum exiſtimes, ultimò videbimus. In quibus, ut hoc obiter addam, turpiter tuis aliis hypotheſibus es contrarius: putas enim inter omnes, quotquot ſub nomine Chriſtiano diverſæ ſunt ac ſciſſæ, Eccleſias vel ſectas, ſyncretiſmum coli debere, ac conveniendum omnibus eſſe inter ſe, colendamque unionem, quia non adeo à ſe diſſentiunt & pugnant in fundamentalibus ſalutis; interim omnes

mnes Chriſtianiſmi Eccleſias jam non uniendas, ſed deſerendas, ac de novo ſcindi, quaſi non ſchiſmatum ſatis foret, aliamque ſectam contra omnium Eccleſiarum coitionem, doces.

Quomodo verò, quod primò nobis perpendendum omnes totius Chriſtianiſmi Eccleſias, earumque miniſterium, conciones, confeſſiones, catecheſes, preces, cantiones, diſciplinam, Synodos, & quod ridiculum, acta claſſicalia, conſiſtorialia, ſcholas, promotionem & gradus ſcholaſticos, &c. condemnes, videre licet ab *erot.* LXV. & deinceps, ſive à *pag.* 39. ubi quæris, *quonam igitur modo verbum illud ab avo hodiéque miniſtrorum concionatorium, &c. tolli poſſit?* atque iterum *pag.* 46. vel *erot.* XCI. nam eò uſque ſtrenuè nugaris de S. Scripturæ inſufficientiâ, obſcuritate, & latitudine: breviter enim reſpondere licet, neque verbum Dei aut S. Scripturam inſufficientem eſſe. nec conciones ideo noſtras tollendas; quia ut verbum concionatorium, quod appellas, non ſubſtituitur à nobis loco S. Scripturæ, nedum ut præferatur; ita illa duo invicem non pugnant, ut habeatur Scriptura S. ſufficientiſſima, & interim ex eâ conciones, quo illa reddatur nobis, cui uſui revera data eſt, ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον &c. II Tim. III. 16. Hic enim eſt perpetuus tuus paralogiſmus, quod opponas ut contraria, verbum Dei, & S. conciones; quum opponenda non ſint, ſed conjungenda & ſubordinanda, puta conciones verbo divino; adeóque peccas, quod Logici dicunt, fallaciâ oppoſitionis. Porrò, non alium vis Catechiſmum, & Confeſſionem, quam nudum Dei verbum, ideóque catechiſmos & confeſſiones ſuperciliosè reſpuis, *erot.* XCIV. &c. quod ex eodem errore profluit, quaſi catechiſmus, & confeſſio, præſuppoſito quod vera ſint (nam ſecus nemo pro illis diſputaverit, & tu te hic fruſtra oppoſueris.) cum illo Dei verbo nequeant conſiſtere, eique neceſſariò adverſentur: & hinc, mirum

quàm

quàm imprudenter, addo & impudenter,*erotem*.xcvii.
Eccleſiæ affingis,quod Catechiſmum,& Confeſſionem,
ut aliud Dei verbum, præ vel juxta S. Scripturam, adhibeat; quod notoriè falſum eſt. Quid vero *cantus*,quid *preces*;quid adminiſtrationis *ſacramentorum*,baptiſmi,cœnæque *formulæ*; quid *miniſtrorum*,*ſeniorum*, *Diaconorum ordinationes*,*& functiones*; quid acta *conſiſtorialia*,*claſſicalia*, *ſynodalia*; quid *formula matrimonii* confirmandi, & *diſciplina* in Eccleſiâ exercendæ: quid *conſolatoria* ægrotorum, vel publica *jejunia*; quid denique S. ſcripturæ *verſiones*, *commentarii*, *conciones*, *loci communes*,*theſes*,(riſum quæſo teneatis) *ſcholæ* itidem & *Academiæ*, vocationes *Doctoratus*, *Profeſſoratus*, librorum *cenſura*, Publici ſcripturæ *anagnoſtæ*, *præcentores*, aliaque quæ vel ad regimen Eccleſiæ, aut ſcholarum ſpectant, quod iſta omnia unâ liturâ leviſſimè deles, atque condemnas? *erot.* cxlviii. cxii. *& ſeq.* quid, inquam, illa commiſerunt, quidve in illis tam grave piaculum, quod non aliter quam univerſali eorundem ablatione & diluvio corrigendum exiſtimes? vel, meliuſne tum fore arbitraris in Eccleſiâ, ſume etiam tuâ illâ aliâ, hæc ubi non habueris? ſi reſpondeas, te non ſimpliciter illa averſari; ſed ut apud nos ea exerceri videntur, *Dei nomine*: regero, probes primùm illa omnia æquè apud nos ut Dei nomine adminiſtrari, vel haberi. Tum diſtinctiùs explica, quid *Dei nomine* intelligas, & an putes omnia, eorumque uſum, prout in Eccleſiis noſtris habentur, prorſus deſtitui Dei juſſu, vel authoritate, explicitè vel implicitè,univerſalius vel ſingularius illa mandante aut approbante? vel ad tuam diſtinctionem *erot.* cxxxiv. loquendo,hæc ex S.S.literis *non aliquatenus colligi poſſe*. neque enim puto quempiam tam miſeri ſincipitis, qui tuâ vanâ jactantiâ, temerè omnia etiam minutiſſima quæque in Eccleſiis ſive ſcholis noſtris reſpuente & conculcante moveatur, ob ſimplicem, ne dicam, ſtultam ſententiam, aut erotematicam propoſitionem:
Ne-

Neque etiam à tuo illo, quem frequentas, & ducis, cœtu, omnia quæ te audivimus in Eccleſiis noſtris indignè contemnere, abſunt: ut quæ de verbi publicâ lectione, explicatione, concione, conſolatione, & precibus dixiſti, illa non omninò à vobis negliguntur: quare particulatim magis explicandum *fuerat, quâ ratione illa apud nos non caſtigata, ſed omnino abolita ac remota velis. Cæterum te ipſum interroga, tuamque conſcientiam, fructus ſtudiorum tuorum tibi memorantem: jam credere nequeo te ſerio arbitrari ſcholas omnes ſtudiaque ſcholaſtica vel in genere, vel noſtra ſimpliciter & abſolutè proſcribi poſſe. Et puto, vel hoc unum ſufficere ſanis poſſe contra ſententiam tuam; eſtque abſurdiſſimum, quòd ex eâ ſtatuis, abſtinere nos debere à concionibus, *à Catechiſmis & confeſſionibus non ὅλως inſitè indubiè merèque veris, Dei ut dictum eſt nomine condendis, & ut faciunt adhibendis; à ſacramentis Dei ut dictum eſt nomine adminiſtrandis; à ſupercilio, & aliarum Eccleſiarum præ ſe contemtu & excommunicatione, à vocandis ordinandis & mittendis Dei nomine miniſtris, item à fidei inquiſitione, à regimine Eccleſiæ, diſciplinâque Eccleſiaſticâ eo quo faciunt modo, Dei ut dictum eſt nomine exercenda; à liturgiis actiſque conſiſtorialibus, claſſicalibus, ac ſynodalibus, ſtatutiſque cæteroquin Eccleſiaſticis, ut faciunt Dei nomine, ſeu tanquam pro Deo legatione fungendo, condendis, promulgandis, & injungendis; à petendo ut vocant, brachio ſæculari ad hæreticos quos vocant, & ſchiſmaticos puniendos; à publicis populi, nomine Dei, benedictionibus; à publicis precibus pro univerſo populo, tanquam à miniſtris, qui legatione pro Chriſto funguntur, ad Deum habitis; ab hymnis itidem condendis, qui publicè tanquam genuini divini cultus pars à populo in Eccleſiâ cantentur; à formulis adminiſtrationis baptiſmi & cœnæ Dominicæ; ordinationis miniſtrorum, ſeniorum Eccleſiæ, & Diaconorum; à formulis matrimoniorum, excommunicationis, receptionis, & admiſſionis in Eccleſiam; depoſitionis miniſtrorum, conſola-*

ſolatoriis ægrotantium; privatarum precum; à formulis indictionis jejuniorum publicorum, & dierum publicis precibus deſtinandorum; à formulis ordinandorum in Eccleſiâ feſtorum, rituum, & ceremoniarum; quæ ſcilicet omnes formulæ, tanquam à miniſtris nomine Dei legatione fungentibus fabricatæ fuerint: adhæc à S. ſcripturæ verſionibus; ſcriptis commentariis; ſcriptis concionibus, locis communibus, theſibus, aliiſque ſimilibus, tanquam à miniſtris, qui Dei nomine legationem obeant, factis & populo exhibitis: à ſcholis itidem & Academiis, quas vocant aperiendis, erigendis, & regendis; à Doctoratûs, Baccalaureatûs, Profeſſoratûs Theologiæ, ut loquuntur, vocationibus, electionibus, confirmationibus & ordinationibus: à librorum cenſurâ; à permiſſione & prohibitione impreſſionis Typographicæ; publicorum ſacræ Scripturæ anagnoſtarum, præcentorum, & conſolatorum ordinatione; à converſationis cum aliorum cœtuum Chriſtianis prohibitione: à prohibitione publicæ mutuæ Chriſtianorum ædificationis; à publicâ fidei profesſione à Chriſtianis depoſcenda, à ratione convertendi errantes & ignorantes præſcribenda: item à cæteris omnibus, quæ in muniis Eccleſiaſticis, vel ſine prævià debitâ vocatione & miſſione, ad ea prædictorumque γνῶσα Dei nomine ſeu pro Deo legatione fungendo peragenda, vel an in Dei ut dictum eſt tolerantia & conniventia, ſine accurata illa S. ſcripturæ indagine ac directione, fieri, Eccleſiaſtica authoritate, nomine membrorum Eccleſiæ reſpectivorum, & jure communis vocationis, non debent? ſic enim paratrægadiaris, *erot.* cxlviii. Quid, etiam *à ratione convertendi errantes & ignorantes*, jubes nos cavere? quod ego quidem & omnes mecum pii, quibus ἅλας non omnino ἄναλον, Marc. IX. 50. vel ut Plautus loquitur in *Pænulo*, qui non ἅλα ἀγρῶ ςῶμα, impiiſſimum pronunciabunt, & propudioſæ ſententiæ certiſſimum argumentum. Et, *à publicâ fidei profeſſione à Chriſtianis depoſcendâ* nos quoque arces: aut nihil ego video; aut hæc compendioſiſſima eſt ad infidelitatem atque ad Atheiſmum via. De conſe-

quentiâ meâ, vel potiùs tuo illo antecedenti volo omnes judicent: necdum enim ex profeſſo argumentis contra te ago; & diſpiciant, annon ejuſmodi in negotio religionis & Chriſtianiſſimo ſtatuere, ſatis ſit ad explodendam ſententiam, eamque cum Auctore ſuo rejiciendam?

Hactenus Eccleſiam noſtram, omniaque noſtra ſatis confidenter condemnaſti, & hinc eodem pergis pede ac audaciâ, eam ut peſſumdes, *ſchiſma* ab eâ, & defectionem palàm ſuadendo; quod ſecundò nobis advertendum propoſuimus. Concedis tamen licuiſſe communicare cum eâ, quantoperè defectivâ, quamdiu ſc. ex ignorantiâ peccavit, *erot.* clviii. At verò, quando jam meliora à te edocta, de erigendâ puta Eccleſiâ tuâ conniventiæ, & hoc inſuper habens non curat, atque intrepidè ſuo antiquo more pergit, jam tibi ne quidem Eccleſia ulterius appellanda videtur: *ſi ejuſmodi ἀνθρωπάρεσκοι cœtus nihilominus neque cultum ſuum priorem deſerant: neque conniventia (ut dictum eſt) cultum inſtituant; Tum inquam quærendum eſt, utrum homini Chriſtiano à talibus cœtibus, cuilibet à ſuo, ſe tunc ſeparare omnino neceſſe ſit, habendo cœtus illos non amplius nomine Eccleſia Dei; ſed cœtuum malignantium, in quos hominis Deum timentis, ejuſque ὅλως inſitè indubiè mereque verum ſcriptum verbum unicè ſequentis, anima intrare non debeat?* bona verba quæſo. ad quam quæſtionem ſic tutè reſpondes, ut non tam de affirmativa ponenda, nedum probanda ſollicitus videaris; ſed ea tacitè omiſſa, attamen conceſſa, ſtatim in modum inquiras, quo illa ſeceſſio ab Eccleſiâ inſtituenda ſit, publicéne an privatim, &c. *erot.* clxvi. *tum quærendum eſt, quomodo homo Chriſtianus ſe quoad religioſi cultus exercitium gerere debeat, poſtquam cœtum illum vanum debitè reliquit.* Et primò quidem privatum à ſeceſſione cultum ſequi jubes, *qui veri publici* ſcilicet *cultùs vices* tuo judicio *ſuppleat*, erot. clxx. Tum etiam publicum cœtum ac cultum vis erigi, *erot.* clxxiv.

puta

puta iſtum *Conniventiæ*; de quo nos tertiò, poſtquam intellexerimus ut Eccleſias omnes *condemnes*, etiam *deſeras*, loquendum duximus, qualem tuum cœtum mediteris, quidve in eo agi velis.

Appellas cœtum *Conniventiæ*, dignâ hypotheſi nomenclaturâ, quia nimirum ob diuturnam omnium totius Chriſtianiſmi Eccleſiarum apoſtaſiam offenſo Deo, ſub ejus irâ, vel indulgentiâ, *in Dei diſplicitì tolerantiâ, hoc defectivo Eccleſiæ ſtatu*, ut loqui amas, colligitur. Agit de hâc ſuâ Eccleſiâ Auctor à *pag.* 57. vel *erot.* CXXVIII. & deinceps. *Quærendum eſt; Utrum Deus in SS. literis inſtituerit, mandarit, vel beneplacitè permiſerit, ut talis defectiva Eccleſia, Eccleſias in Dei diſplicitì tolerantia, & ad populi ſui jam dictos defectus alióſque conniventia erigeret, colligeret & regeret: non quidem Dei nomine, ſeu pro Deo legatione fungendo; ſed Dei quidem prævia ad id ut dictum eſt conniventia, & quam proximè fieri poteſt ὅλως inſitè indubiè merèque verè cum ὅλως inſitè indubiè merèque veris: attamen autheritate duntaxat talis Chriſtianiſmi Eccleſiaſtica, nomine membrorum talis Eccleſiæ reſpectivorum, ſeu tanquam membra talis Eccleſiæ reſpectiva, & jure vocationis talium Chriſtianorum communis: ita ut error ibi tolerari poſſit ac debeat*; & *erot.* CXXXIV. limitatius idem quærit, non an probari poſſit ex Dei inſtituto vel beneplacitâ permiſſione; ſed an alio quovis pacto, ex S. literis illud poſſit colligi: *Tum quærendum eſt; Utrum in S.S. literis loca habeantur (in quibus non quidem inſtituatur, mandetur aut beneplacite permittatur, ſed) unde aliquatenus colligi poſſit à Deo tolerari, quod jam dicto Eccleſiæ ſtatu defectivo Eccleſiæ in Dei diſplicitì tolerantia*; erigantur: ubi quæſo nota diſtinctionem, quam facit, inter Dei beneplacitam permiſſionem, & tolerantiam; quorum membrorum oppoſitionem volo primùm nobis demonſtret, maximè quum primum iſtorum quod aliàs etiam adhibere ſolet omittat, nim. an Deus *voluerit*

&c. & quomodo hæc membra diſtincta ſint, explicet. Interim contra ejus erotema aliud pono: Vtrum talis diſtinctio inter Dei voluntatem, mandatum, beneplacitam permiſſionem, atque tolerantiam ex S. S. literis probari poſſit? ſed ad erotemata ipſa. Si ubi in hoc defectivo, ex tuâ mente, Eccleſiarum ſtatu eccleſiæ eriguntur, *in Dei diſpliciti tolerantiâ, & ad populi ſui jam dictos defectus alioſque conniventiâ*; ergo, etiamnum connivet Deus nobis, noſtriſque defectibus: quare tu ergò ob illos nos condemnas, & deſerendos noſtros cœtus, ut malignantium, in quos hominis Deum timentis anima intrare non debeat, exiſtimas? *erot.* clxi i. i i. Ergò adhuc Deo ſumus ejus populus, dum nobis connivet, ut ad *populi ſui* defectus: quare itaque tibi ne nomine quidem Eccleſiæ digni videmur? *erot.* clxi i. i i i. Ergò nec tua jam Eccleſia, quam meditaris, vera vel optima eſt, ſed & *defectiva* etiam, neque cum Dei approbatione, vel ejus mandato; ſed ſub ejus conniventiâ, indignatione, atque tolerantiâ colligitur, erroreſque tolerare adhucdum *debet*. In quo hoc unum nobis gratulor, quod ita te conſcientia hoc in negotio pupugerit, ut non aliter tuam Eccleſiam commendare potueris, quam vitioſam: (quæ quorſum adametur, vel etiam quomodo adiri à ſanis, cum noſtrâ commutata poſſit, ego non video. iv. Dicis, Eccleſiam tuam erigi non Dei nomine, &c. jure ergò meritóque ei regerimus: ſi non ſit ex cœlo, ſed ex hominibus, neque neceſſe eſt ei aſſentiri. Luc. xx. 4, 5. v. Proba, illam Conniventiæ eccleſiam erigi, & ſiſtendam ſub Dei conniventiâ, & non ſub ejus irâ & indignatione, juxta cum aliis Eccleſiis; vel Deum tuis *connivere* potiùs, quam iraſci. Sim primùm de eo certus. vi. Explica, quod de Eccleſiâ tuâ jactas, eam colligi *quam proximè fieri poteſt ὅλως inſitè indubiè merèque verè, cum ὅλως inſitè indubiè merèque veris*, niſi hoc ſit ὅλως inſitè indubiè meréque verè nugatum. Putas fortè tuam eccle-

cleſiam proximè accedere ad infallibilem Apoſtolicam, ὅλως merèque divinam: ſed, præterquam quod id non probes, neque n. tibi ſomnianti fidem noſtram locavimus; etiam ipſe evertis, dum errores ibi tolerari poſſe ac *debere* aſſeris? VII. Quomodo dicis tuam eccleſiam colligi *authoritate Chriſtianiſmi Eccleſiaſticâ*, quum in Chriſtianiſmo nullas veras Eccleſias, vel Eccleſiaſticum regimen, vel authoritatem agnoſcas? Deinde ſtatim poſt dicis, Eccleſiam tuam erigi jure vocationis Chriſtianorum & membrorum Eccleſiæ communis. An tibi jam idem ſunt, aliquid agere vocatione & authoritate vel nomine Eccleſiæ, & nomine privato, ex communi omnium vocatione, ac officio? Sed, hæc obiter tantum, & explorandæ, diſcutiendæ, examinandæque ſententiæ gratia magis, quàm impugnandæ adhuc dicta; diſputatio enim mox ſequetur: ſed in anteceſſum hæc ad controverſiam conſtituendam agitanda fuerunt, & ſecuturæ argumentationi præſtruenda; ut interim quoque perſpiceretur argumentorum poſt adferendorum genuina ratio, ac ſcopus.

Futiliſſimum eſt, quod ſequitur, erotema CXXIX. *ſi dicatur, quod Deus in S. S. literis inſtituerit, mandarit, vel beneplacitè permiſerit, oportet inſtitutionem illam, mandata, vel beneplacitas permiſſiones proferre: ut de iis cogitetur.* ecquid inanius? tuum erat proferre inſtitutionem, mandata, vel beneplacitas permiſſiones, uti loqueris; non ab aliis illa exigere? ſiquidem de tuâ ſententiâ hic agitur. Egone adigar, atque à te, tuam ſententiam ut confirmem, & quidem locis Scripturæ, quum illam quia ipſe nullis probare potes, ideo & meritiſſimè rideam? Tuum eſt ſollicitum eſſe, & ſudare in perquirendis argumentis, ἀφροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Simile eſt erot. CXXXII. *ſin autem reſponſum fuerit, quod defectivo ut dictum eſt Eccleſiæ ſtatu, Eccleſiæ erigi, colligi & regi poſſint: Tum quærendum eſt; quonam igitur modo id convenienter fieri poſſit?* Hem quam callide! Sermo eſt

de probatione tuæ ſententiæ vel Eccleſiæ: illam perridiculè poſcis ab aliis, quam ipſe deberes præſtare; neque allatâ eâ, ſtatim proſilis ad modum, quo Eccleſiæ tales erigendæ ſint. Profectò nimis ridicule. Erotemate cxxxv. dicis, *Si dicatur, quod de Eccleſiaſticâ illâ Eccleſias in Dei ut dictum eſt tolerantia; & conniventia erigendi colligendi, & regendi ratione nil in S. ſcriptura habeatur. Tum petendum eſt, ut qui id dicunt, S. S. literas prius accuratè ea de re conſulant.* tu Scripturas prius accuratè conſulas, & tua ſi queas, illic oſtende: annon affirmantis eſt probare? nos negamus, & vel tuâ ipſius ſententiâ, neſcivit hactenus univerſus mundus talia, quæ tu jam de Eccleſiâ proponis, in Scripturis contineri; atque petis, ut nos illa in ſacris reperiamus, monſtremuſque? nempe quia ipſe id non potes. Erot. cxxxvi. *Sin autem reſponſum fuerit, exſtare loca in S. S. literis ad Eccleſias, &c. ſic erigendas: Tum quærendum eſt; utrum loca illa S. ſcripturæ ſint in unâ aliquâ ejus parte, an autem hinc inde per univerſum S. contextum ſparſa?* At jam reſponſum, loca in S. S. literis nullibi pro tuis illis Eccleſiis reperiri: quorſum ergo inoffenſo & ſecuro pede pergis, & quaſi S. locorum copiâ laborares, ita illam formas quæſtionem? Hic cogita, quod in *Monito* intempeſtivè dixiſti, illud revera eſſe præpoſtero cauſæ præjudicio abreptum cum larvis ſuis, pro ordinis iſtius genio, luctari ac nugari, talia miſellulis diſcipulis nimiùm credulis velle perſuadere. agnoſcis opinor tua. Erot. cxxxvii. *Si dicatur, loca illa eſſe in unâ aliquâ S. ſcripturæ parte; oportet loca illa proferre.* Age, tu illa loca proferas; ſiquidem tuæ hæ partes ſunt. Tædet me ματαιολογιῶν, quæ ſequentibus porro erotematis nectuntur. Proponis tibi *erot*. cxxxviii. & confingis loca S. ſcripturæ per univerſum S. contextum pro tuâ ſententiâ ſparſa: inde iterum belliſſimam inſtituis quæſtionem, an ergo de hac re ſecundum omnia illa & ſingula S. ſcripturæ loca, an iſtorum modo

ali-

aliqua judicandum ſit? Nugæ venales. Si ſecundum aliqua, ſic pergis, *oportet rationes proferre; ut de iis cogitetur: quâ autem ratione qui id dicunt, ſic certi eſſe poterunt in ſuo illo ipſorum judicio? quum fieri poſſit, ut in aliis locis prætermiſſis pro oppoſitâ parte plura dicantur, quam in locis, quæ adhibuerunt, dicuntur pro parte illâ, quam ſequuti ſunt.* Et quo pacto tu in tuo judicio, vel aliquâ in re potes eſſe certus, quum fieri poſſit, ut plura pro oppoſitâ parte adferenda ſemper negligantur? hic ut tuo tibi *ἀντιμετρηθῇ μέτρῳ, oportet rationes proferre, ut de iis cogitetur.* Sed miſſis tandem hiſce κατ' ἄνθρωπον diſcutiendis, quod in *Monito* non credo te aliâ ratione poſtulaſſe, quam quod probè noſſes neminem tam firmi ſtomachi futurum, illud qui ferre poſſet: videamus quænam in tuâ Eccleſiâ Conniventiæ *agi* velis, quemque ordinem cultus publici obſervari.

Ac primò quidem S. Scripturam unicè ſolo contextu, citra expoſitionem ullam, vel tractationem vult legi, Dei nomine. Vide erot. XLVI. *verbum illud Dei ſcriptum prout eſt & jacet, abſque ullis ejus explicationibus.* erot. L. *nudus ille verbi illius ſcripti auditus, nomine Dei, &c.* eſt unicum medium, & ſufficit fidei ingenerandæ. Erot. LIX. *nudus auditus ſcripti illius verbi, prout verbum illud eſt, & jacet, abſque ullis commentis, explicationibus aut gloſſis.* erot. CVII. CXX. CX. *Cum Dei inſtitutione, mandato vel beneplacitâ permiſſione convenire, ut loco catecheſium & confeſſionum illarum non ὅλως inſitè indubiè merèque verarum & non authenticarum ſubſtituatur in Eccleſiâ, nomine ut dictum eſt Dei, ipſiſſimum ſcriptum Dei verbum, tanquam authentica, ac ὅλως inſitè indubiè meròque vera Chriſtianorum prædictum in finem catecheſis & confeſſio.* Deinde etiam S. Scripturæ expoſitionem adhiberi permittit, ſed non illam ſcilicet Dei nomine; at nomine Eccleſiæ, ejuſque membrorum, ex vocatione non ullâ ad id ſingulari; ſed communi omnium Chriſtianorum, ut per exercitium Propheticum, quale 1 Cor. XIV. at-

que non aliâ authoritate, vel nomine putat ęrigi hoc defectivo ſtatu Eccleſiam ullam poſſe. erot. cxxv i. *ut talis defectiva Eccleſiâ Eccleſias erigeret, colligeret, & regeret, non quidem Dei nomine, ſeu pro Deo legatione fungendo; ſed authoritate duntaxat Eccleſiaſticâ, nomine membrorum Eccleſiæ reſpectivarum, & jure vocationis communis.* Erot. cxxxv i. *exſtare loca in S. ſcript. literis ad Eccleſias (ut dictum eſt) authoritate duntaxat talis Chriſtianiſmi Eccleſiaſticâ, jure communis talium Chriſtianorum vocationis, &c. in Dei ut dictum eſt tolerantia & conniventia erigendas, colligendas & regendas.* De collegio & exercitio Prophetico agit, *erot.* cl iv. in quo hæc duo ponit, quæ in concionibus noſtris deſiderat. 1. ibi non aliquibus ſolùm ad id ordinatis (uti in concionibus) ſed univerſo populo licere agere, & προφητεύειν. Quaſi verò hoc quis neget, in exercitio Prophetico vel Catechetico licere aliis quoque loqui quam Paſtoribus, & προφητεύειν: vel iſtud conciones tollat, in quibus ſolus Concionator agit: ſic enim in Veteri Judaicâ, ac primitivâ Chriſtianâ ſimul & Concionum & Prophetię uſus valuit, utrumque juxta, neque unum altero tollebatur, veli nimiça Concionibus Prophetia erat, Unde utrumque in Eccleſiis noſtris tenemus quantum fieri poteſt, urgemúſque, vel ipſo, quocum hic agimus, agnoſcente Auctore, *erot.* clv i i i. Secundò carpit in concionibus noſtris, quod emendare ſe in Prophetico ſuo profitetur, quod de quibuſlibet promiſcuè textibus audiantur apud nos conciones, ac quilibet Theologiæ articuli & puncta ibi tractentur; quum velit de aliquibus ſelectioribus modò locis ad populum atque ejus captum & ædificationem agi. In quo nobis quidem injuriam facit, quaſi non populi & ædificationis Eccleſiæ potiſſimam rationem haberemus, etiam in textibus ſeligendis, tractandiſque pro captu & inſtitutione ac ſalute auditorum; ſed maxima fit injuria S. ſcripturæ, quaſi non etiam omnia quæ in eâ, ad populi ædificationem exponi & tra-

ctari

ctari queant, imò debeant. Neque denique hæc obſervant in ſuis cœtibus, qui ibi explicarunt nuperrimè librum & Prophetiam Danielis, tum Acta Apoſtolorum; potuiſſent etenim faciliora ad captum auditorum & notiora, fortè etiam magis ædificantia alia ex S. libris tractare: vel hæc ſi illi, & talem vel librum, vel caput integrum de quibuſlibet eo contentis articulis promiſcuè exponere queant, quid eſt, quod in noſtris concionibus ultra reprehendunt, trabe in oculo ipſi laborantes κυμινοπρίσται? Sic habet erotemate CLIV. *Et ſolis ſibi in Eccleſiâ (reliquo omni populo excluſo) loquendi jus faciunt, contra utriuſque Eccleſiæ tam veteris Iudaicæ, quam inde ex parte mutuatum primitivæ Chriſtianæ morem (qua de re inter alia videre eſt* 1 *Cor.* 14. *per totum; de quo ſuo loco); qui mos Eccleſiæ primitivæ Chriſtianæ ſubordinatus erat ὅλως inſitè indubiè merèque veræ Apoſtolorum directioni; neque (ut ab ævo hodieque in Eccleſiis, mediantibus concionibus perperam fit) quorumlibet contextuum explicatione promiſcua effectiva tali directione deſtituta, conſtabat.* Atque *erot.* CLVIII. ſic de nobis loquitur: *quibus hodiernis cœtibus ſeſe Dei nomine (attamen ex ignorantiâ) venditantibus, etiamſi ut dictum eſt imperfectis; quia inter alia deſtituuntur verbo orali prædicato ὅλως inſitè indubiè merèque vero, & præſumtuoſis, quæ verbum ſuum concionatorium non ὅλως inſitè indubiè merèque verum pro divino cultu, nomine Dei, ſeu Dei loco, & auctoritate peracto, venditant; & ſoli miniſtri ibi loqui, & quidem de quibuſlibet punctis volunt, Eccleſiarumque ſuarum omnem erectionem, collectionem, regimen ac diſciplinam nomine Dei peragunt,* &c. Atque ita in ſuis quoque cœtibus ſermonem & concionem ex Scripturâ S. admittit, & inſtituit, ſermonem ædificationis publicæ, uti appellat, quo, quæ ex S. literis quis collegit ad publicam Eccleſiarum erectionem, cultum, regimen, & ædificationem facientia, omnibus, publicè communicat: quæ proximè ad cultum & ſtatum Eccleſiæ infallibilem ac-

cedere gloriatur. Vide de hiſce erot. clxxiv. *Sin autem nihil hac de re proferatur: Tum quærendum eſt, utrum, quum ipſiſſimæ S. S. literæ, prout ſunt & jacent, publicè offeruntur pro unica Dei ut dictum nomine Catechesi & confeſſione; pro unico item medio univerſi publici cultus, defectivo hoc Eccleſiæ ſtatu, per illas, nomine Dei, id eſt, qua medium pro Deo legatione fungendo, Eccleſiaſtica duntaxat ut dictum eſt authoritate jure vocationis communis, & nomine membrorum Eccleſiæ reſpectivorum in Dei ut dictum eſt tolerantia & conniventia, adminiſtrandi; item pro unico ὅλως inſitè indubiè merèque vero medio Eccleſiaſtici in communibus fundamentalibus regiminis, & mutuæ itidem mediante ſermone ædificationis publicæ, quæ ipſi S. Scripturæ ſubordinata, ac quoad exercitium, proximè ὅλως inſitè indubiè meréque vera ſint; pro debito item medio mutuæ tolerantiæ: Quum inquam ipſiſſimæ S S literæ ab aliquibus Chriſtianis Deum timentibus, qui defectivo hoc Eccleſiæ ſtatu, univerſas S S. literas, quoad illam Eccleſiæ in Dei tolerantia & conniventia erectionem, collectionem & regimen, pro & contra, ut dictum eſt, ruminati ſunt, & collecta illa omnibus ſincerè communicarunt, prædicto modo publicè offeruntur; & omnis Eccleſiarum erectio, collectio, cultus, ædificatio, regimen, ac tolerantia, juxta S S. literarum in collectis illis manifeſtiſſimam determinationem, Eccleſiaſtica ut dictum eſt duntaxat authoritate, jure vocationis communis, & nomine membrorum Eccleſiæ reſpectivorum, admiſſis ſemper gratoque animo manifeſtiſſimè melioribus, unice componitur; utrum tunc inquam homini Chriſtiano præfata prout optimè poterit probanti, & ſincerè liberèque approbanti, tempeſtivum, ac utile futurum ſit, cœtui illi ſeſe adjungere, ad Deum uno cum pluribus animo publicè colendum, laudandum, ac profitendum; proximumque invicem, mediante ſermone, publicè cum fundamentalibus illis communibus ædificandum: quo alii ſimiliter agant; ut ita, pro ratione præſentium ſingulis talis Eccleſiæ attentibus donorum, voluntas Dei in terra ab omnibus talibus Chriſtianis*

anis

unis unanimiter fiat, quemadmodum unanimiter fit in cœlo? Breviter reſpondeo I. inane eſſe totum hoc ædificium ἄνευ μηδὲν ἐπὶ τὴν ὕλην; nam quæſiviſti quidem, at nunquam probaſti, imò ne quidem probare aggreſſus es, S. literarum ſufficientiam non ferre aliquas ex eâ deſumtas & compoſitas Catecheſes ac confeſſiones, vel conciones; nec Eccleſiæ Chriſtianæ illum ſtatum defectivum & apoſtaticum, quem fingis; Eccleſiam conniventiæ, &c. nobis demonſtraſti. II. Contradicis, dum ex unâ parte aſſeris S. literas *nomine Dei* publicè legi, ac offerri; & deinde, *eccleſiaſticâ duntaxat authoritate, jure vocationis, & nomine membrorum eccleſiæ:* ſiquidem ipſe hæc hactenus ſic oppoſuiſti, ut verbi divini ſolum ac nudum contextum legi volueris nomine Dei; at ejus expoſitionem vel concionem, hoc Eccleſiarum ſtatu, nec à nobis, neque à vobis, nomine Dei habendam; ſed ſolùm authoritate quadam Eccleſiaſticâ: ergo quod *duntaxat* authoritate Eccleſiaſticâ, & ex communi vocatione offertur, (vel agitur; illud non quoque nomine Dei, juxta omnem tuam in totâ hac diſputatione & perpetuam diſtinctionem inter *nomine Dei* quid agere, & *nomine Eccleſiæ.* Aliàs nos ſic ſentimus, utrumque bene convenire, ut Paſtores nomine Dei, & nomine Eccleſiæ ſimul agant, verùm non tum dicimus illos concionari duntaxat authoritate Eccleſiaſtica, & jure vocationis communis contradiſtinctè & oppoſitè ad authoritatem Dei: interim tu ob illam ſententiam nos cenſes apoſtaticos, iniquos, cœtus malignantium, & tantum non Antichriſtianos. III. Et in eo miſerè impingis, quod pro eodem ponas, *authoritate Eccleſiaſticâ* aliquid agere, & *jure vocationis communis, & nomine membrorum Eccleſiæ:* hæccine eadem? vocatio communis annon differt à vocatione eccleſiaſtica? numquid non vides? in mulieribus intuere, illi omnia habent, quæ ex vocatione communi Chriſtianorum, & membrorum Eccleſiæ alicui debentur,

tur, & tamen illis interdictum, ne in eccleſiâ loquantur; credo & ſic in veſtris cœtibus. Vide mihi, vocatio communis, quare dicitur *communis*? unde hoc habet? inde ſimul manifeſtum fiet unde dicatur, & quid plus ac ſingulare habeat vocatio, & authoritas *Eccleſiaſtica*. Tum etiam aliud eſt, agere ut membrum eccleſiæ, pro jure membri; aliud, nomine membrorum eccleſiæ reſpectivorum; quæ imperitè confundis. IV. Explica, quodnam eccleſiaſticum regimen intelligas & intendas, qui antea impotenter es debacchatus in Eccleſiarum Chriſtianarum omne regimen; eóque, jure à te poſco, aliud ac melius nobis ut commonſtres. V. Quæ tibi communia fundamentalia, quorum hic non ſemel facis mentionem? VI. Quid, regimen in fundamentalibus? VII. Quare S. literæ dicuntur divinum unicumque medium *Eccleſiaſtici in communibus fundamentalibus regiminis*? eccur non regiminis totius Eccleſiaſtici, & in univerſum? quâ de causâ ſic præcisè, *in communibus fundamentalibus*? VIII. Quando in tuâ Eccleſiâ, juxta verbum, pro ſtylo tuo ὅλως inſitè, indubiè merèque verum, *ampullas, & ſeſquipedalia*; addis, *itidem mediante ſermone ædificationis publicæ*, ſive, quod idem eſt, verbum concionis; annon eadem omnia quæ adverſum Conciones noſtras, (miſſo, quod nomine Dei habentur) ſimiliter locum habebunt contra tuam Eccleſiam vel ſermonem ædificationis additum verbo divino? quomodo hic ferres, ſi diceremus à vobis *ſupplementi* loco addi, vel *ſubſtitui* divino, veſtrum ſermonem ſeu verbum orale, aut concionatorium, uti mavis loqui? qualia nobis & falsò & fruſtra exprobras. Vel miſſis hujuſmodi ex ſententiâ deductionibus, quid ultra habes, quod in noſtris concionibus carpas, ſi eas ipſe in tuis cœtibus admittis? ſi, quod apud nos verbum infallibile, per fallibiles, qua nos reſpicit, exponatur itidem apud vos? Dices, id apud nos fieri ſingulariter nomine Dei; quomodo hoc intelligendum ſit, poſtea docebimus; interim

rim obſervetur, præcipuum eſſe, ſi non totum, modus agendi, quem in nobis cenſes, quod *nomine Dei* aliqua dicantur apud nos fieri, quæ vos malitis fieri & dici nomine Eccleſiæ. Vnde iterum quæro, ſiquidem in eo errent Eccleſiæ, tantine id, ut ideo & ob hoc ſolum omnes Eccleſias ab ævo Apoſtolorum huc uſque cenſeas apoſtaticas, & noſtras hodie ne quidem nomine Eccleſiæ dignas, adeóque cunctas palàm deſerendas, anathematizandas? dixiſti enim hominis Deum timentis animam noſtras intrare non debere, quod ſatis grave in nos eſt anathema, חרם ונדוי. Ix. Dum dicis, S. literas medium eſſe unicum publici cultus, &c. *mediante itidem ſermone ædificationis publicæ*; quæro, an hinc non eædem ſtrui interrogationes & objectiones poſſint ad Scripturæ arguendam inſufficientiam, imperfectionem, obſcuritatem, &c. quas inaniter antea ab *erot.* lxv I I. & deinceps formaſti hoc ex loco contra noſtras conciones, & non retentum merum ac ſolum S. ſcripturæ in cœtibus, qui legeretur, contextum? Sic mihi jam liceat tibi reponere tua belliſſima erotemata. lxx. *Si reſponſum fuerit, quod prædicta illi inſint; negari enim id utique jam nullâ ratione poteſt: Tum quærendum eſt; utrum puerulì in Chriſto, ex ſolo S S. literarum auditu, ſive publico ſive privato, qui Dei (ut dictum eſt) nomine adhibitus fuerit, lac illud ſuum; juvenes itidem panem ſuum, & patres vinum ſuum conſequi poſſint abſque ullo præterea externo medio, Dei nomine, ſeu Dei loco & authoritate adhibito; nec ne?* lxx I. *Si dicatur, quod illi prædicta inde (ut dictum eſt) conſequi non poſſint. Tum quærendùm eſt; utrum id accidat, aut propter S. ſcripturæ quoad puerulos juvenes & patres in Chriſto obſcuritatem; aut propter diffuſam S. ſcripturæ latitudinem & amplitudinem; aut propter aliquod vetitum divinum; quo prohibeantur prædicti illi, ne rebus Chriſtianiſmi ſic ſtantibus, ex ſolo S. literarum ut dictum eſt auditu, lac, panem & vinum ſuum petant?* Atque ita te tandem interrogo, quid eſt, quum tanto niſu

ſu contra nos urgeas ſolum ac merum auditum verbi divini infallibilis in Eccleſiis citra omnem expoſitionem, illum non ſic quoque adhibeas in veſtris cœtibus, & meram ſcripturam ſacram, nullas ejus expoſitiones? x. Quâ ratione tuum ſermonem concionatorium appellas proximè ὅλως inſitè indubiè merèque verum? an remotior eſt à fallibilitate, & proximior infallibilitati noſtrâ? Oſtende gradus inter fallibile & infallibile; vel indubiè verum, ac dubiè verum. Rectè attende, non quæro gradus veritatis, ſed gradus infallibilitatis, contrappoſitè ad fallibilitatem. Et quare tua concio vel ille ſermo propior eſt divino infallibili, quam noſter? præſertim ſi materialiter eundem conſideremus. Sanè hæc non ponenda, & in gratiam tuam effingenda à te ſic leviter fuerant, ſed aliquo ſaltem indicio comprobanda. xi. Quam intelligis *mutuam tolerantiam*, & cujus tuus ædificationis publicæ ſermo ſit *debitum medium*? xii. Non eſt in dictis illis completus ſenſus: *quum inquam ipſiſſima S S. literæ ab aliquibus Chriſtianis Deum timentibus*, nam inde incipit parentheſis prolixiſſima, *qui defectivo hoc*, &c. uſqúe ad aliud *inquam*, quod ſequitur, *utrum tum inquam, homini Chriſtiano*, &c. & quò priora illa ſpectent, non video: quod nullus miror tibi contigiſſe in ſcripto tam longis ac otioſis periphraſibus ac parentheſibus conſtipato. xiii. Teipſum dein mirè deprædicas, tuumque ſtudium in conferendâ S. Scripturâ, illamque quoad Eccleſiæ tuæ erectionem pro & contra ruminandâ; & quod maximè mirum, hic jam *commentarios* ſcripturæ, omniaque alia adminicula adhiberi, quæ alibi indignè explodis, *erotem.* cxlviii. *pag.* 64. Contra *erot.* cxl. vult loca Scripturæ examinari, *tam illa quæ ſunt* κατὰ τὸ ῥητὸν, *quàm illa quæ ſunt* κατὰ τὴν διάνοιαν, *ex ipſiſſimis S S. literis univerſis, juxta linguas earum originales, paraphraſes Chaldaicas, verſiones Græcam, Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Armenicam*, &c. (*quandoquidem hæc res omnes*

Chri

Chriſtianos dictam defectionem paſſos, concernit;) item adhibitis tam veteribus, quam recentioribus, Ebræis, Græcis, Latinis, aliarumque linguarum in S S. literas commentariis cæteriſque adminiculis, tum literariis, tum præcipuè ſpiritualibus. effare nunc, quo pacto illa putes ſciri ac haberi poſſe, niſi ſcholæ, &c. maneant, quas etiam illo *enat.* cxlvIII. eliminas. Sed quod addis, eadem collectanea omnibus ſincerè communicanda eſſe, *ut omnis Eccleſiarum erectio, collectio, cultus, ædificatio, regimen, ac tolerantia, juxta SS. literarum in collectis illis manifeſtiſſimam determinationem, unicè componatur;* hoc egregiam ſapit arrogantiam. Nam I. tu ille es, qui adeò excarnificas confeſſiones Eccleſiarum, & catecheſes, formulas liturgiarum, & acta regiminis Eccleſiaſtici presbyterialia, claſſicalia, ſynodalia, &c. & jam tute cudis ſyſtema collectaneorum (quod, quæſo, in quo ſpecificè differt à confeſſione aliquâ, vel catecheſi, aut liturgiâ?) juxta quod omnem Eccleſiæ erectionem, cultum, regimen, &c. vis componi. II. Quis judicabit, & aſſentiet tibi illam tuorum collectaneorum veritatem eſſe *manifeſtiſſimam*? hoc ubi negaverit aliquis, ut nihil ferme eſt quantumcunque manifeſtæ veritatis, quod in dubium non trahatur, quid tuis illis fiet? vel defini, quam *manifeſtiſſimam* veritatem appelles; an forte cum Remonſtrantibus illam, quæ apud omnes in confeſſo, quibus modò ſanum ſinciput, quæque in Chriſtianiſmo, quam latè patet, nec controverſa, neque controverti poſſunt. III. Et quando tuis longè & manifeſtiſſimè meliora, fortè adferemus; neque tu tamen, tuique (non enim puto jactabis vel ſpondebis omnes tuos tam probæ indolis ſemper eſſe, ut nunquam veritati ſint refragaturi.) noſtra grato animo admiſerint; quid tum ſperabimus, quidve inde orietur, niſi antiquum diſputare, contendere, ſecedere? quod ergo nec tuo remedio correxeris, quin ſic valdè etiam adauxeris. Sed ſatis diu opi-

nor in hoc uno erotemate enodando hæſimus; unde judica, quantum operis in te expoſcas, ſi, quod in *Monito* jubes, tua ſingula erotemata *pedepreſſim* examinare, atque dignè refutare inſtitueremus. Eadem quæ in hoc erotemate, pro more repetuntur *erot.* clxxvi, ubi cætus ſui cultum ſic deſcribit: *ad cultum naturâ ſuâ pacificum, Eccleſiaſticâ quidem duntaxat ut dictum authoritate, jure vocationis communis, & nomine membrorum Eccleſiæ reſpectivorum, in Dei (ut dictum eſt) tolerantiâ & conniventiâ erectum; attamen per ipſiſſimum* ὅλως *inſitè indubiè merèque verum verbum Dei ſcriptum, per media item regiminis, mutuæ mediante ſermone ædificationis publica, ac tolerantia, in verbo illo,* ὅλως *inſitè indubiè merèque vera, & quoad exercitium proximè* ὅλως *inſitè indubiè merèque vera, peractum; tam miniſtri inquam, quam populus perducti ſunt*. quæ ſi iterùm ad partes revocarem, non minùs intricata & vitioſa apparerent, quam præcedentia, quale eſt, quod media regiminis in Eccleſiâ ſuâ vocat in verbo Dei merè vera, niſi fortè vitium typographicum ſit pro, *vero*. & quoad exercitium proximè indubiè vera; quæ quid ſibi velint, vix aliquis aſſequatur. I. quomodo illa tua regiminis media queant dici infallibilia, vel indubiè vera? II. tum, proximè indubiè merèque vera? κραμνεχυλγολήραια.

Hactenus in delubro verſati, luſtravimus cœtum Conniventiæ: ſupereſt, ut nos eadem operâ edocuiſſes de ſtatu eccleſiæ Chriſtianæ, poſt *apoſtaticam*, *conniventia* illo, quo vera eccleſia erigenda per verbum iterùm ὅλως infallibile exſpectetur, & *Apoſtolica* demum reditura Eccleſia, idemque qui in Apoſtolis ſpiritus, verbum ὅλως inſitè indubiè merèque verum, & par Eccleſiæ regimen, &c. quæ necdum ſcripto explicuiſti, indicas tamen, credo quia hâc vice nos ad nauſeam ſatiatos prævidebas de Eccleſiarum præſenti ſtatu tum apoſtaſiæ, tum conniventiæ μωρμῶς ζητήσεις. *Venimus igitur ad propoſitum: huc enim dirigebamus, & hic*

præſtruebamus, ad locutionis præfationem, ut jam hinc de eo congrediamur, de quo adverſarii provocant, ut cum Tertulliano loquar lib. de præſcript. adv. hæret. Tempus ergò, ut ad diſputandum me accingam, & argumenta quæ contra ſententiam Adverſarii faciunt, adferam; quamvis jam plura obſervari potuerint inter ſententiæ indagationem ſparſa, quæ pro re natâ ſe certatim ac ſponte obtulerunt: neque, ut in Commentario noſtro *de VVeigelianis* etiam monui, alia ferè ratione confutari merentur hujuſmodi hominum otioſorum, & ſchiſmaturientium phantaſmata, quam eorundem planâ & genuinâ expoſitione. Cyprianus, *de unit. eccleſ.* in initio: *intellectus tamen eſt, & retuſus, & ideo proſtratus, quia agnitus, & detectus.* Vel ſi quid præterea velis, & argumentari poſcas, ſufficit ad abſurdum deducere, & ἀμάξας abſurditatum ex ſententiâ illorum continuo fluxu derivare. Parum abeſt, (niſi fortè ex Auctore noſtro, ejuſque aëre, in quo verſor & luctor, aliquantulum infectus, & jactabundus videar,) parum dico, abeſt, quin arbitrer erotematis hiſce, vel ſententiæ, quam deteximus, factum ſatis eorundem diſcuſſione, & ſuper Controverſia intelligenda habita jam συζητήσει, quamvis nihil ultra adderem; hæc autem eſt, meo judicio, & ſic proponendam cenſeo, quæſtio:

Vtrum Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ, ſive quæ in orbe ſunt omnes, fueruntque ab ævo Apoſtolorum hucuſque, à primis earum initiis ſint apoſtaticæ, eo quod in illis Verbum Dei infallibile Veteris ac Novi Teſtamenti exponatur à miniſtris & concionibus non item infallibilibus, & tamen nomine Dei? Affirmat Auctor libelli *ad legem & ad Teſtimonium*, quocum impræſentiarum agimus: negant omnes Eccleſiæ. Argumentari hic, quod quidem facilè poſſum, ſive ex naturâ Eccleſiæ, aut concionum, vel ex ratione miniſtrorum eccleſiæ, aut S. Scripturæ, aut ſalutis

æternæ, aliiſque locis, non eſt mihi animus; rationem jam dixi: ſolùm oſtendam infinita, quæ ex hâc ſententiâ ebulliunt, incommoda & ἄτοπα; breviter etiam, nam vel indicaſſe loca ſuffecerit, quæ cognita urgeri facilè à quovis poſſunt. Decurremus autem noſtra argumentatione juxta quatuor ab Auctore confictos Eccleſiarum ſtatus, *Apoſtolicum*, *Apoſtaticum*, *Conniventiæ*, & denique iterùm *Apoſtolicum*.

1. *Argum.* Probandum Auctori primò fuerat, vel ſemper prædicationem verbi divini in Eccleſiâ continuari debuiſſe à miniſtris, æquè ac Apoſtoli infallibiliter ſeu ὅλως inſitè indubiè meréque verè docentibus; vel peccari tum, quando verbum Dei à Miniſtris & Præconibus non infallibilibus, quales Apoſtoli, tractatur & exponitur: ſive, juſſiſſe Deum, ut non aliter, ejus nomine à quoquam verbum ſuum pro concione explicaretur ac doceretur, quam qui ſermonem æquè infallibilem, ac illud Dei verbum, haberet. Niſi enim hoc certò & manifeſtè probetur à Deo mandatum, vel peccari ſecus agendo, fruſtra eſt omne quod molitur & crepat Auctor de Eccleſiis hâc in re non peccantibus ſolùm, ſed imò apoſtaticis. Proba ante omnia, peccatum in eo committi. Iam verò verbum Dei exponi etiam poſſe à miniſtris non infallibilibus, ipſe fatetur, dum in ſuis Conniventiæ cœtibus, ſermonem publicæ ædificationis (uti vidimus) admittit, ac frequentat, eumque judicio Auditorum ſic ſubmittit, ut corrigi ac emendari poſſe, quin etiam debere aliquando, concedat: Atque etiam à Doctoribus fallibilibus verbum divinum prædicari nomine Dei, agnoſcit in miniſtris particularium Eccleſiarum ævo Apoſtolico qui erant, *erot.* XI. XII. quod *pro Chriſto legatione fungebantur*, & genuinum illud unici Euangelii verbum prædicabant, ubi S. Scripturę loca indifferenter pro illorum & Apoſtolorum functionibus adfert, quibus Apoſtoli de ſe ac ſuâ miniſtrorumque Euangelii legatione communiter loquun-

quuntur: adeò nulla proferri poſſunt ex ſacris documenta, quæ in iſthoc formali, *nomine Dei* loquendo, differentiam iſtam conſtituant inter Apoſtolos, doctores infallibiles, & inter Eccleſiarum miniſtros reliquos, qui dono infallibilitatis carentes, tamen docent idem Dei verbum. *Sed perſona*, inquit erot. XII. *quæ unicum illud Evangelii verbum pro Deo legatione fungendo prædicare debebant & poterant, eâ in re ab invicem diſcrepabant, quod quædam illarum pro Deo legatione fungendo, in verbi illius merâ puritate ſemper ſtarent, & ab eâ deflectere ſive conſciè ſive inſciè nec vellent, nec poſſent; quales erant Apoſtoli, eorumque ſimiles: quædam autem illarum perſonarum pro Deo legatione fungendo, aut in verbi illius merâ puritate ſtare, &, vel conſciè vel inſciè deflectere poſſent; quales erant præfati illi particularium Eccleſiarum miniſtri.* Ergò diſcrimen miniſtrorum particularium, & Apoſtolorum, utriſque verbum Dei docentibus, non in eo conſiſtit, an nomine Dei alii, alii aliter & duntaxat nomine Eccleſię doceant, uti noſter vult, ſed quod infallibiles hi, illi verò fallibiles ſunt. Materialiter idem verbum docetur ab utriſque, infallibile; ſed non formaliter eodem modo infallibilitatis. Quibus ſic ſe habentibus, ego non video, quid adeò in Eccleſiis noſtris carpere Adverſarius poſſit, quod verbum Dei, ejus nomine, quamvis non infallibiliter prædicatur. Et hoc tamen fundamentum habet totius ſui moliminis; ac πρῶτον ψεῦδος.

II. *Argum.* Dato, Eccleſias Chriſtianas in eo peccare, quod nomine Dei concionentur eo modo, id eſt, non infallibiliter; probandum ſecundo loco fuerat (tuarum enim partium ſunt hæc oſtendere, & præſtruere evidentiſſimè, antequam conſilium de mutandis & deſerendis Eccleſiis, deque aliâ erigendâ capias ullum) probandum, dico, tibi erat, peccatum illud, quodcumque hâc in re committant Eccleſiæ, tam grave ac nefandum eſſe, ut ideo *Apoſtaſia*, eamque ſolum vel

potiſſimùm ob cauſam, Eccleſiis omnibus impingenda ſit, eaque apoſtaſia, quæ 11 Theſſ. 2. deſcribitur, quæque myſterium iniquitatis καθ' ἐξοχὴν appellatur. Explicandus fuerat totus hic de apoſtaſiâ locus, & applicandus noſtris concionibus, ut pateret, quo jure, quâve injuriá omnes Chriſtianiſmi Eccleſiæ apoſtaſiæ notá ab Auctore inurantur atque condemnentur. Si hæc tibi apoſtaſia, quis ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, &c. quid, τὸ κατέχον? quid, quod iſtius hominis παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ &c. dicitur? Notum, quod hic locus à Theologis accipitur de Antichriſto, & Papæ Romano à Reformatis applicatur; ſi tu aliam velis ejus ἐξήγησιν, aliumque Antichriſtum, explica; ſed ſimul proba: neque enim nobis aut Elias, aut Pythagoras es. Non ob aliquod in genere alicui intentandum; niſi tale ſit, quod totius peccatum, etiam aliquanto gravius, apoſtaſiæ crimen Chriſtianæ fidei repudium ſecum ferat, qualis apoſtaſia ad Mahumediſmum, aut Iudaiſmum, &c. vel quodcunque ei proximum, & Chriſtianiſmi fundamenta prorſus convellit. An verò tibi tanti hoc videatur delictum, quod in Eccleſiis Chriſtianis carpis, ſi modò delictum dicendum, ut apoſtaſiam æquet, tute in conſcientiâ coram Deo judica, & ſiquidem pertinaciter in illâ tuâ opinione perſeveres, nobis diſtinctè ac evidenter demonſtra.

III. *Argum.* Illa ſi vera, quæ de Eccleſiæ Chriſtianæ apoſtaſiâ ſentit Adverſarius, ſequetur, Eccleſias ſtatim à tempore Apoſtolorum, *formaliter* fuiſſe *apoſtaticas*; nam cum exceſſu Apoſtolorum deſierunt Doctores Eccleſiæ infallibiles; imò jam illis adhuc ſuperſtitibus multi verbum Dei tradiderunt, etiam nomine Dei, non tamen infallibiliter: qui ideóque non minùs imperfecti & præſumtuoſi æſtimari debent, quam reliqui, quibus eam ob cauſam dicam apoſtaſiæ & iniquitatis ſcribit Noſter; *pro imperfectis quidem, quia inter alia mi-*

niſtri

niſtri eorum deſtituuntur verbo orali ὅλως inſitè indubiè mereque vero, quod Dei nomine in publico ſuo cultu proferant; pro præſumtuoſis autem, quia nihilominus verbum ſuum concionatorium non ὅλως inſitè indubiè merèque verum, loco verbi ὅλως inſitè indubiè merèque veri, quod Dei ut dictum eſt nomine, publico in cultu unicè proferri debet, ſubſtituunt. Quum tamen, quamvis myſterium iniquitatis ac apoſtaſiæ etiam ævo Apoſtolorum operari cœpiſſe fateamur, nemo tamen dixerit, formalem jam tum fuiſſe Eccleſiarum apoſtaſiam.

IV. *Argum.* Sequetur inſuper apoſtaſiam & quidquid mali illa continet, *ab Apoſtolis* ipſis, ne dicam à Chriſto, originem ſuam trahere, iiſque ejus cauſam aſſignandam, quod ordinarint in Eccleſiâ Paſtores non infallibiles ſemper, ſed qui verbum Dei exponerent verbo orali non ὅλως inſitè, indubiéque vero, atque ſic apoſtaſiam ipſi fundarint. Quum enim de Chriſto dicitur, quod dederit Eccleſiæ *hos quidem Apoſtolos, illos vero Prophetas, illos verò Euangeliſtas, illos verò Paſtores & Doctores*, Epheſ. IV. 11. non additur Paſtores, ac Doctores fore perpetuùm infallibiles, & Apoſtolis in eo ſimiles: namque iſto pacto diſcrimen Apoſtolorum & reliquorum Doctorum, quod ipſe quoque agnoſcis, & in infallibilitate conſtituis, *erot.* XII. tolleretur.

V *Argum.* Tales Doctores, & præcones verbi divini, qui S. Scripturam expoſuerunt in Eccleſiâ, Dei nomine, non infallibiliter, ſemper fuerunt in Eccleſiâ & olim, neque tamen unquam vel in V. Teſtamento, vel à Chriſto ſub Novo, aut Apoſtolis eo ſolùm nomine, poſito quod vera docuerint, pro apoſtatis habiti, reprehenſi vel damnati fuerunt unquam, vel Eccleſiæ idcirco judicatæ apoſtaticæ. Ergò.

VI *Argum.* Sequetur, omnes in orbe Eccleſias Chriſtianas à temporibus Apoſtolorum uſque, eſſe ac fuiſſe formaliter apoſtaticas, ut in quibus non aliter

concionatum Dei verbum fuit; quod quamvis leviter & nullâ operâ digerere valeat noſter, mihi tamen, ac procul dubio omnibus Chriſtianis tam horrendum auditu eſt, ut nihil ſupra, argumentique loco in contrarium, quod tale aliud potius ſit, quam iſtud. Verum quidem, apoſtaſiam Antichriſtianam multam Orbis partem ac diu occupaſſe; ſed nihilominus & plures hic illic fuerunt ſemper in Oriente atque in Occidente Eccleſiæ, cœtus & fideles, qui contrà ſenſerint omnibus ſæculis, & veritatem ſacroſanctam cuſtodierint. Ita dicere, & tam facile, omnes omnino Eccleſias ab omni retro antiquitate apoſtaticas!

Quid in Cappadociâ, ubi tu quingentos ſimul,
Ni bebes machæra foret, uno ictu occideres.

VII *Argum.* Ergò, quotquot hactenus vixerunt uſpiam fideles, pii, Chriſtiani, extra Eccleſiam degerunt, ſub horribili apoſtaſiâ ſemper, atque irâ & indignatione Dei graviſſimâ. Quam miſerè decepti, qui in Eccleſiâ ſe natos opinati fuerunt, & vivere; atque etiam, in quo non minimam felicitatis ſuæ collocabant partem, denique mori: ſed omnium miſerrimè, & inexplicabili ſtoliditate aut inſaniâ deluſi, qui non in Eccleſiâ, ſed & pro ea mortem avidiſſimè ac certatim oppetierunt. Tantillo tibi omnes martyres, fideles omnes, ut quum illi piiſſimè ſe putarint egiſſe ac obdormiviſſe in ſinu matris Eccleſiæ, tu eam ne vidiſſe quidem illos aſſerere audeas, & ſub apoſtaſiâ, ac pro eâ mortuos, non verò, quod illi putarunt, pro Eccleſiâ ἢ πνεῦμα πέλεκυς.

VIII *Argum.* Sequitur ex tuâ ſententiâ, ſimul eccleſiam poſſe eſſe *veram*, & *apoſtaticam*; quæ eſt abſurdiſſima implicatio: vera erit, quoniam veritatem ex verbo Dei docet; apoſtatica, quod eam docet non infallibiliter, & tamen nomine Dei.

IX *Argum.* Denique non uno modo impingunt illa paradoxa de Eccleſiâ apoſtaticâ, in veritatem, ac natu-

naturam Eccleſiæ. I. contra ejus *neceſſitatem*; dum docetur, tam diu atque adhucdum nullam veram, omnes eſſe apoſtaticas. II. contra eccleſiæ *perpetuitatem*, quę futura promittitur, ac manſura ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, Matt. XXVIII. 20. Quæ ſi quis in dubium trahat, in caſtra concedit Socinianorum, cui tum opponimus communia noſtra adverſus iſtos argumenta. III. contra *uſum* eccleſiæ, ſive quod ſpectat *convertendos* ad Eccleſiam atheos, gentiles, Iudæos, hæreticos, & quoſcunque peccatores à Deo ac ſalute aberrantes; ſive *converſos*, eorumque inter ſe in & ex Eccleſiâ quos jugiter petunt, ſalutares fructus. Hęc omnia unicâ tuæ ſententię, ſed abominandâ & nimium quam abominandâ ſpongiâ, deles.

X. *Argum.* Vltimò, expungis iſtâ doctrinâ duos ex fidei Symbolo, quod Apoſtolicum materialiter dicitur, articulos, illum de *communione Sanctorum*, & alium de *credendâ unâ ſanctâ Eccleſiâ catholicâ*. Hoc poſtremum manifeſtiſſimum eſt abs te deleri; atque ex eo etiam alterum de communione inter ſanctos colenda; nullam quippe eccleſiam veram, pastores, tegimen, Sacramenta, diſciplinam, &c. agnoſcis; nullam ergo etiam, qualis deberet eſſe in uſu iſtorum, veram communionem. Viden; quo illa tuorum dogmatum atque erotematum portenta citato curſu ruant? quam omnia ſuſtuleris; quæ etiam certiſſimæ probatiſſimæque fidei, uno impetu? Jam tibi nihil eccleſia, nihil ſancti, nihil martyres, nihil denique totus Chriſtianiſmus. Quare tempeſtivè videas, atque attentius conſideres, quid à te agatur, quorſum illa, fortè etiam præter animum ac exſpectationem, tendant. Sed, argumentemur: atque pro veritate Eccleſiæ noſtræ, non eſſe eam apoſtaticam, ſic arguimus.

XI. *Argum.* I. Quod in illâ miniſterium, quod adeo exagitas, & abominaris, tantæ deprehenditur neceſſitatis, fructus & efficaciæ, adeo ut nemo, credo, nec ipſe, diffiteri auſit, quin ſit potentia Dei ad ſalutem.

tem; atque valeat ad concutiendas, confringendas, convertendaſque hominum ad cultum ac obſequium Dei animas, ad errantium, ſeductorum, vel ignorantium, inſtructionem clariſſimam; commonendos, reprehendendos & convincendos peccatores; etiam ad conſolandum, erigendum afflictos, tentatos, &c. id eſt, πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: adeò ut præſens qui adeſt, attenditque, cujus τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας φανερὰ γίνεται, καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ Θεῷ, ἀπαγγέλλων ὅτι ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι. 1 Cor. XIV. 25. quomodo Apoſtolus ex effectu & fructu miniſterii ſui, quod non vanum fuiſſet apud eccleſias, inde argumentari ſolet ac colligere tum virtutem ſui miniſterii, tum veritatem eccleſiæ apud illos. 1 Theſſ. 1. 5. *Nam evangelium noſtrum non fuit apud vos in ſermone ſolum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in* πληροφορίᾳ πολλῇ. cap. II. 13. *nam accipientes ſermonem auditum à nobis Dei, recepiſtis non ſermonem hominum, ſed (quomodo revera eſt.) ſermonem Dei,* ὃς καὶ ἐνεργεῖται *in vobis credentibus.*

XII. *Argum.* II. Quæ Eccleſia non aliam tenet ac docet veritatem, quam quæ in S. literis eſt, & ex eâ probatur, illa nequit dici apoſtatica: ſed eam veritatem docet noſtra Eccleſia. Ergo. Nega majorem, vel minorem. & tum, ut tu ſoles loqui, *de re totâ accuratè cogitabimus.* Sed progredimur ad Eccleſiam *conniventiæ*, quam appellas, atque illam etiam particulatim placet hiſce argumentis adoriri.

XIII. *Argum.* I. Proba, ob illa quæ in noſtris Eccleſiis putas deprehendiſſe vitia, ſchiſma ab eâ faciendum atque ſectandum eſſe: ſit enim, malè ibi nonnulla regantur, I. an illa *tanta*, ut tolerari ſalva Eccleſiæ unitate non poſſe videantur, qui ab altera parte tanto clamore ſectas Chriſtianorum inter ſe perpetuo taxare ſoles & perſtringere, atque omnes in ſyncretiſmum agere? II. An nos expertus es *pertinaces*, tuis

con-

conſiliis & monitionibus obſtinatè & pervicaciter repugnantes, qui nudius-tertius demum tua vidimus, & vixdùm audivimus? Ita properè ad erectionem novæ Eccleſiæ, ac cœtus, non exſpectato reſponſo vel examine ad illa, nedum eccleſiarum aliquo communi & maturo judicio, ſe accingere? 111. An nos *tyrannidem* tibi oppoſuimus, vel imò ſeverioris diſciplinæ aliquid à nobis in te tentatum, quam ob cauſam coactum te dicere poſſis ad ſchiſma moliendum? perpende quæſo, annon hæc præmiſſa & ſuppoſita atque probata ſæpius certiuſque oporteat, antequam de ſeceſſione aut ſchiſmate vel cogitetur: & tu, vixdum cognito tuo libello, ac ſententiâ, nedum habitis de eo Theologorum judiciis, multo minus iniquâ vel intolerabili oppoſitione aut condemnatione ullâ Eccleſiaſticâ, aliam eccleſiam, alios cœtus à noſtris erigis, neque vel piis ad nos accedere ultra permittis. Cogita quæſo, hæc (obſecro te per Deum, ac quidquid Eccleſiæ apud te poſſit nomen) etiam atque etiam attentius, & apud animum tuum diligentiſſimè pondera, quid ſit, quantique conſtet homini ſcandalum aut ſchiſma in Eccleſiâ tentare. Sit, peccetur in concionibus eâ ratione, quâ tu vis, quod ſcilicet dicantur haberi Dei nomine; quamvis necdum probaveris in eo culpandos nos, nedum damnandos eſſe: ſed demus hoc tibi: ideone ſchiſma, ſchiſma dico moliri? eccur non potiùs aſſumis ſanctiſſimum tanti Apoſtoli effatum: *quid autem? imo quocunque modo, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Chriſtus prædicatur; & in eo gaudeo, atque etiam gaudebo.* Phil. 1. 18. de illis egerat, qui Chriſtum οὐχ ἁγνῶς non caſtè, verum ex contentione & malo animo annunciarent. Cyprianus, de unit. Eccleſ. *Quiſquis ab Eccleſiâ ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perveniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si po*-

 tuit

nuit evadere quiſquam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus & dicit, qui non eſt mecum, adverſus me eſt; & qui non mecum colligit, ſpargit. Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Si in eo peccetur à noſtris, quod ſe dicunt nomine Dei conciones habere, in formâ concionum peccant, non in materiâ: tu tibi omnia ſarta tecta etiam habes, atque accipis: pro illo ipſi reſpondeant. Auguſtinus, de unitate Eccleſ. *Ad quaſdam quippe illa pertinere poſſunt, non ad univerſum orbem Chriſtianum: quem ſi contagione periiſſe arbitrantur, omitto dicere, quam multa ſancti bono pacis etiam cognita mala in hominum congregatione toleraverint.* Certè, ut apud nos iſtud articulum fidei non facit fundamentalem hactenus ſive nomine Dei dicas concionari debere, ſive nomine Eccleſiæ; ita hanc ob rem ſolùm vel potiſſimùm ſectam ab eccleſiâ diverſam inchoare, argumentum eſt animi levioris, & valdè ſchiſmaturientis, atque in Eccleſiæ bonum & pacem ſupra modum iniqui, ne dicam improbi. Habeantur catechetica, vel Prophetica exercitia, nomine (uti loqueris) membrorum eccleſiæ inter ſe, ſalvâ ſemper doctrinæ & eccleſiæ illibata veritate ac pace; hoc nequicquam obeſt concionibus nomine Dei habendis, vel ſaltem ad ſchiſma neutiquam jubet devenire. Confer tuum *erotema* clviii.

xiv. *Argum.* ii. Proba, ſi omnino inſtituendum à noſtris Eccleſiis ſchiſma, *aliam* tum eccleſiam, & talem *conniventia*, ac deſcribis, erigendam eſſe. Quo jure hoc agas, quâve authoritate? an Dei? cedò tabulas atque inſtructionem, uti dicimus: ſed ipſe nolis Dei nomine hic quicquam agi, quod valde præjudicat tuo conatui, ac ſententiæ. Eccleſiæ nomine? at cujus? quæ illa eccleſia, quum nullam in generali totius Chriſtianiſmi apoſtaſia agnoſcas? & tuam illam conniventiæ hoc tibi in mandatis dediſſe, ſe ut colligeres, in-

inſanum foret dicere. Deinde, quo jure *talem* meditaris Eccleſiam conniventiæ? cedò regulam ejuſce à Deo approbatam & commendatam: *Vide enim, omnia agas juxta typum tibi oſtenſum*, Hebr. VIII. 5. ſecus, quidquid non ſit ex fide, illud noveris peccatum eſſe. Rom. XIV. 23.

XV. *Argum.* III. Et pone tuam Eccleſiam: neque illa adhuc te ipſo judice & fatente vera, ſed defectuoſo ſtatu, quæ errores tolerare cogitur, & non ſub Dei εὐδοκίᾳ, ſed offenſione quoque & conniventiâ colligitur. Quid igitur effeceris, bone vir, quid boni? & tua ſecundum te corrupta eccleſia, inque eo ipſo, in quo apoſtaſiam nobis affingis, ſcilicet, quod deſit nobis verbum orale concionatorium infallibile, ſive ὅλως inſitè indubiè merèque verum. quid ergò, & quàm bellè jam nobis proviſum per te? ſcilicet, hoc eſt quod dici ſolet, Ἄνθρακες ὁ θησαυρός. vel quod Hebræi, ר' שמעון שוחן הרבה ומוציא קימעא, *Rabbi Simeon molit multum, & producit parùm.* Ex malâ noſtrâ, ſed tuo ſolum judicio malâ, dabis nobis tuam longè pejorem eccleſiam: id eſt, tranſmuta in omni noſtrâ eccleſiâ illam unicam formalitatem, ut ſic loquar, ne quid ampliùs dicatur fieri nomine Dei; quod totum eſt, ſi non unicum (nam ſi ad doctrinam pergas illam item calumniando, oppugnandoque, aliter tecum agemus, & tu etjam nobiſcum: illa enim, quæcunque hic moveri poſſunt, in partes jam diu diſpoſita & in claſſes adverſarias ſunt,) quod in Eccleſiis noſtris exagitas; mutetur illud, dico, vel aboleatur, an tum nobis ſpondere auſis, in tuâ Conniventiæ Eccleſiâ non plures errores vitiaq; fore, quâcunque fortaſſis etiam ex parte, ſive doctrinam, ſive diſciplinam ſpectemus? Quam bene igitur collocata erit opera, ac ſtudium, in Eccleſiâ novâ, tuoque ipſo arbitratu nævos ſuos habente, inſtruendâ? quidquid ſit, inique aget, qui Eccleſiam, de quâ nondum, nec per te quidem, convictus eſſe poſſit, quod in

eâ

eâ ſcandala ferantur cum ſummo ſalutis periculo conjuncta, commentare velit cum tuâ, juxta propriam Auctoris ſententiam, vitiosâ. In ſuperioribus autem vidimus, quo pacto errores admittere in hâc eccleſiâ, neque Sacramentorum, & diſciplinæ, &c. ſacra adhibere, quæ alioquin ad eccleſiam ſpectant, conſultum ratus fueris.

XVI. *Argum.* IV. Explica, & proba, regimen quale in Eccleſiam tuam velis introductum: regimen enim addere ſoles, *per media item regiminis, mutua mediante ſermone ædificationis publicæ*, inquis: ſed quum in noſtris Eccleſiis non ſolum regimen traduxeris; ſed reliqua inde ſacra exterminaris, in concione *preces, cantiones*, item *catechiſmos, confeſſiones*, officia *Paſtorum, Doctorum, Presbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum muniorum Eccleſiaſticorum, Anagnoſtas, Conſolatores*, conventus, & *Acta conſiſtorialia, claſſicalia, ſynodalia, formulas* adminiſtrandorum *ſacramentorum, matrimonii*, &c. *Scholas* item, & *ſtudia*, ac promotiones & gradus ſcholares atque Academicos, & quæ iſtius commatis plura, *erot.* CXLVIII. & paſſim: Quæro, iſta omnia an etiam velis procul abeſſe à tuâ Eccleſiâ, & ab ejus ſtatu Conniventiæ? quod ſi ita, mirum quàm indigeſta illa moles, vel chaos futurum ſit, & tale ut non multum vereamur plures à ſcholis atque eccleſiis noſtris hinc abductum iri. Neque tamen, quamvis mentionem feceris regiminis fortè alicujus tuo in cœtu ac paraſynagoga retinendi, quod tamen æquè cum reliquis in noſtris eccleſiis reſpueras, ullibi cæterorum admittendorum rationem indicas, vel exponis.

XVII. *Argum.* V. Si nulla hodie vera Eccleſia, nec noſtra, nec imò tua, atque diutiſſimè eſt, quod nunquam aliqua fuerit; ergo, nullus converti vel hæreticus, vel Gentilis, Mahumedanus aut Iudæus poteſt. Quia quò illum convertes? ſcio quidem ab hæreſi, Muhammediſmo, &c. ſtudebis eum abſtrahere; ſed

ſed ad quid? terminum ad quem mihi dicito, ubi illum ſolveris à priſtinâ infidelitate vel errore, quò per te vocandus ſit. Inſtemus paullò preſſius in exemplo Iudæi convertendi: ſcio unde avellendus ſit talis homo, videlicet à ſuo Iudaiſmo; ſcio etiam per quod, quo uſus medio hoc acturus ſis, nempe perſuasâ ei veritate SS. Euangelii; ſed quæret miſer, quò illum demùm abire jubeas, & ad quam accedere eccleſiam? præſertim, quum illi tanto ſemper Eccleſiæ præjudicio, ac neceſſitate laborent homines eccleſiis addictiſſimi. Age, quod ſtudium ſolebat Adverſarius jam noſter unicè antea præ ſe ferre, & ego in ipſo non ſemel deprædicavi, converſionis ſcilicet Iudæorum, illud jam oſtendat ſemel atque experiatur; quin ſentiet properè, quàm vanus labor & futilis apparíturus ſit, haſce ſi ſequatur de nullâ certâ ac verâ Eccleſiâ Chriſtianâ hypotheſes. Atque hoc etiam ſolum ſatis meo quidem judicio fuerit ad explodendam illam ſententiam, quod per eam præſcinditur omne ſtudium & ratio convertendi Iudæos, ſi vel nihil amplius daretur: tantoque illud deteſtandum magis, quod *erot.* cxlviii, egregiis ſcilicet ſuis theſibus adactus, nos jubet ſuperſedere tum *à publicâ fidei profeſſione à Chriſtianis depoſcendâ*; tum, *à ratione convertendi errantes & ignorantes præſcribendâ*. Quæ mihi jam non abſurda videntur; ſed ubominando. Quid non cogit homines dicere ſemel arrepta imprudenter hypotheſis, cui omnino conſtitutum quovis tandem modo ἀξλάζειν!

xviii. *Argum.* vi. Si in tuâ eccleſiâ ſufficere exiſtimas ſolum & merum S. Scripturæ textum legi, eamque ſic prout jacet abſque ullis explicationibus pro confeſſione & Catechiſmo haberi, quo ita omnes hodie in Chriſtianiſmo ſectæ queant redire ſub unum, quaſi tugurium, & in ſyncretiſmum, ſequetur inde merus *ſcepticiſmus*, nihil certi habens ex tot incertis Scripturæ explicationibus, ſed de omnibus tam facilè addu-

addubitans, quam alicui aſſentiens, nuſpiam πληροφορηθείς: quod ferè ſola oſtendit horum erotematum facies, in quibus ſemper *ſi, ſi,* & *tum de re totâ cogitabimus*, &c. Vel quod erot. cxxxix. *Quâ autem ratione qui id dicunt, certi eſſe poterunt in ſuo illo ipſorum judicio? quum fieri poſſit, ut in aliis locis præteritis, pro oppoſita parte plura dicantur*, &c. merum ſapit Pyrrhoniſmum, qui ſcis, non contrarium potius verum eſſe? &c. Vel ut ipſa Pyrrhonis verba erant, quæ Gellius refert, lib. xi. cap. v. οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε, ἢ ἐκείνως ἢ οὐδετέρως. Dicet forte noſter, ſe non omnia in dubium trahere, quare inter Scepticos etiam vel Academicos referendus non ſit: quare hoc velim ante omnia oſtendat, quæ certa autumet vel eſſe, vel eſſe poſſe; & annon eo medio, quo cæterorum certitudinem elevat, ſimul omnium ἐποχὴ introducatur? neq; etiam inter illos ἀπορητικοὺς olim tantus per omnia conſenſus fuit, quin alii aliis ulterius perrexerunt, & *Arceſilas negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet*, inquit Cicero *Academic.* I. quod hoc demum erat, quum nihil poſſe ſcire Socrates diceret, hoc ipſum tamen ſe certò ſcire aſſeverabat, quod nihil ſciret; vel ut illud diſcriminis ponit Gellius inter Academicos, & Pyrrhonios, *Academici quidem ipſum illud nihil poſſe comprehendi, quaſi comprehendunt; & nihil poſſe decerni, quaſi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil eſſe verum videtur*. De quibus omnibus rectè pronunciat Auguſtinus, lib. xix. de civit. Dei cap. xviii. *Quod autem attinet ad illam differentiam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta ſunt omnia: omnino civitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam deteſtatur*. Cujus etiam libri tres, in quibus diſputat contra Academicos, exſtant *Tom.* I. Et Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. vii. *atque cum ſint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, ſcientia: qui in ignoratione verſantur, ſunt gentes: qui autem*

tem in ſcientiâ, vera eccleſia: qui vero in opinione, ii ſectantur hæreſes. atque in principio libri octavi, *ſed neque antiquiſſimi philoſophi ad contendendum ferebantur & ad dubitandum, nedum nos qui amplectimur eam quæ vere eſt philoſophiam.* Hæreticos verò opinatores Theologi veteres δοκηζὶς appellabant: quod apud Euſebium videre eſt, lib. VI. cap. X.

Deinde per ſententiam tuam introducitur *Samaritaniſmus*, omnium errorum, hæreſium, & contradictionum fœda commixtio; idem enim ſic Sociniano, ſic Papiſtico, ſic Remonſtrantico, Anabaptiſtico, vel ab aliis fortè orthodoxo modo intelligetur. Unde tum non poteſt non ſequi mira confuſio, Babel, diſcordia, contentiones ac ſchiſmata: tantum abeſt, ut hoc medio ſectas & diſputationes magis aſſopitum iri ſperandum ſit. Pone enim, quod ad lectionem alicujus ex S. ſcripturâ δυσνοήτοις γραφῆς, puta de Dei naturâ, vel S. Trinitate, aut peccato originali, Chriſti perſonâ θεανθρώπου, ſatisfactione, vel noſtrâ per Chriſti meritum & ſatisfactionem, juſtificatione, de efficaciâ gratiæ, ſanctorum perſeverantiâ, Eccleſiâ, Sacramentis, officio Magiſtratus, &c. agentis, eam diverſimodè alii ab aliis Auditores intelligant, & ut ſit, quilibet ſuum ſenſum verum eſſe, contrarium verò falſum opinetur, contendat; quid hinc aliud exſpectari poterit, quàm quod communiter & ſemper ex hominum diſputationibus, maximè verò de religione, oboriri videmus? animorum, ſtudiorum collegiorum ac cœtuum συρράξεις, ſchiſmata; niſi adeo dementatus tuæ Eccleſiæ formâ, non credas eam ex hominibus conſtituram, vel meliores eos fore iis, qui ſub oculis Apoſtolorum tamen ſchiſmata ſectabantur, dicebantque alii ſe Pauli, alii Petri, alii Apollo eſſe 1. Cor. 1. 11, 12. etenim δεῖ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι 1 Cor. XI. 19. Denique hinc orietur *Libertiniſmus*, quo ſuſque deque habebunt homines, quid ſentiant, doceant, profiteantur, ſive Arianum ſit, ſive Pelagianum, Papiſti-

cum

cum an Anabaptiſticum, &c. perinde, modò corticem verborum Scripturæ in ſuperficie teneant.

Nunc ad Eccleſiam tuam quartam aſſurgamus, quæ erit ſicut priſtina olim & prima quæ fuit, *Apoſtolica* iterum, ubi redibunt tempora, quibus ſpiritus infallibilis, conciones indubiè veræ divinæque, &c. ac tandem nomine Dei licebit Eccleſiam colligere, & inſtituere, ſacraque adminiſtrare, & quæ non? hanc tamen nondum nobis ſatis explicuiſti ex ſententiâ & voto tuo, premis autem & indicas. Ergò adverſus eam ſic habe.

XIX. *Argum.* I. Quod initio argumentorum contra Eccleſiam *Apoſtaticam*, & *Conniventiæ* (nam ſtatum *Apoſtolicum* primum mitto) hic iterum contra ultimam tuam eccleſiam primo loco pono ac peto, ut *probes*, talem Eccleſiæ ſtatum in terris exſpectandum: hoc ante omnia nobis proba. Sic enim, atque neceſſariò contra figmenta Chiliaſtarum, Fratrum Roſeæ crucis, VVeigelianorum, ac Seculum ſpiritus Sancti, quod alii propediem præſtolantur, argumentamur: alioqui facillimum foret quælibet comminiſci, niſi ejus quod dicimus, præſertim quod pollicemur, peteretur certa probatio, ac ſpei fideique argumentum. Quod ſi tibi non jurato vel non argumentanti vis credi, æquè mihi fidem habeto tua ſimpliciter rejicienti: ſed jam debes fidem, ſi tibi ex Sacris oſtendero, non modo talem ſtatum nuſpiam prædictum nobis promiſſumque; ſed eum circa ultima mundi tempora dici miſerum, deperditum, improbum ac calamitoſiſſimum, ex Matth. XXIV. Luc. XXI. &c. nequaquam ita felicem, ac in primordio & ſub Apoſtolis fuit.

XX. *Argum.* II. Prætereà *explica*, qualis illa Eccleſia Apoſtolica futura ſit, vel quid cum eâ exſpectandum nobis? vel ſine, ſi ita vis, abs te hæc quæramus. I. An exiſtimas, illam Eccleſiam à Deo approbatum

iri, vel inſtituendam; an verò beneplacitè permittendam ſolùm? ut ſoles diſtinguere. II. An putas, in eâ omnes & ſingulos Doctores fore infallibiles; an aliquos ſolùm, inſtar Apoſtolorum? III. An omnes locuturos, omniaque ſacra tum ſaltem nomine Dei agenda? IV. An illos docturos hoc idem Dei verbum, quod nos in ſcriptis habemus; an aliud, & hoc quoque infallibile, & ὅλως inſitè indubiè merèque verum? V. Et tale ſi illorum verbum; an hoc quoque conſcribendum: ita ut S. ſcriptura hinc auctior reditura ſit? VI. An quoque populus iſtius ævi ſit futurus indefectibilis & infallibilis, verbum iſtud ὅλως inſitè indubiè verèque accepturus? VII. An ſemper ad finem mundi uſque talis manſura eccleſia, & ejus ſtatus? VIII. Annon felicior hic ſtatus ſit futurus primævo Apoſtolico? IX. An tum etiam hæreſes, ſectæ vel ſchiſmata? ità in alium orbem mihi pænè videor delatus, vel in ſphæram lunæ, aut Utopiam aliquam, quâ ignarus omnium, de ſingulis cogor interrogare: & plura ſanè adderem, niſi me jam diu horum, & hujuſmodi erotematum cepiſſet tędium tædioſiſſimum. Γέλως τὸ λεχθὲν γίγνεται καὶ παιδίοις, ut ſuos jambos contra Philoponum exordiebatur Georgius Piſides apud Nicephorum, *hiſtor. Eccleſ. lib*. XVIII. *cap*. XLVIII. Baronium, *Annal. Tom*. VII. *ad A*. D XXXV.

XXI. *Argum.* Hæc de futuro Eccleſiæ ſtatu Apoſtolico, &c. ac de reliquis ſententia, non ita tua eſt, vel nova, quin multis variiſque ex partibus, in pluribus heterodoxis atque fanaticis jam pridem exploſa fuerit. Circa futurum Eccleſiæ ſtatum feliciorem quæ tradis, habes communia multam partem cum deliriis Chiliaſtarum, Fratrum Roſeæ crucis, &c. Paracelſiſtarum, & VVeigelianorum, de quibus nos in *Commentario de VVeigelianis*: ne Anabaptiſtas Monaſterienſes dicam, & Davidem Georgium, cujus hiſtoria ab ejus genero, Bleſdikio accuratè perſcripta. Adde iſtis de Fratribus

Roſeæ Crucis, quæ pandit in hiſtoricâ ſuâ narratione Nicolaus VVaſſenaer Amſtelodamenſis Medicus, *hiſtor. part.* VII. *à pag.* 124. Et *part.* VIII. *à pag.* 68. ubi literas profert alicujus ex iſto ordine ad ſe Anno 1624. ſcriptas, occaſione ex illis arreptâ, quæ de iis *part.* VI. *&* VII. *hiſtor. narrat.* ſignificârat; explicatque Auctor, quamvis illi inviſibiles fratricelli, & humanarum (ut ſe jactant) cogitationum arbitri, non ſatis inter ſe conveniant circa religionem, in eo tamen omnes ὁμοφρονεῖν, & conſpirare, quod certò exſpectent ac polliceantur ſibi generalem mundi, tam quoad politias, quàm Eccleſiam, *reformationem*; *alia tempora*, *revelationem occulta Cabala*, *perfectam cognitionem*, *politiam inſtitutam ad exemplar Reipublica Damcarenſis in Arabiâ* (Vtopiâ ſc.) *ubi ſoli ſapientes regnant*, *regnum Spiritus Sancti*, *pacis generalis*, *tertium Teſtamentum*, ſic loquuntur. Stultiora neſcio an unquam legerim illis, quæ iſti homines nugantur ac crepant, eaque tanto cum apparatu & φαντασίᾳ de ſuo ordine, fratribus, & ſtudio, ac exſpectatione novi in terris ſæculi, quo ſpiritus S. gratiam & dona quæque cumulatiſſima ſibi promittunt, certe non ἄνευ παρρησίας. Ex eâdem ſcholâ eſt, quod Anno 1622. editum Hagæ Comitis ab Andreâ Hobernfeld, *Hieroſolyma reſtituta, ſive ſeculum ſpiritus Sancti igneum; ſub præſentis magna illius tribulationis quaternarii finem magno lumine ſuum accepturum initium: quo etiam mina interitus Beſtia Romana & Mahumetiſmi ad Annum futurum* 1624. *ex ſcripturâ ſacrâ recenſentur & deducuntur.* Vbi in præf. ad D D. Ordd. ſtatim probat ſpiritum ſuum VVeigelianum Auctor diſtinctione luminis *mentalis*, *rationalis & ſenſualis.* Κοσκινόμαντις. Etiam de Euangelio æterno, uti appellabatur, Iohannis Parmenſis, tertium mundi ſtatum & tempora ſpiritus S. ſomniante, diximus in noſtro jam citato commentario: cujus errores vel ſententias ſingulas ordine recenſitas legere poteris, apud

Bzovium, *Annal.* *Tom.* XIII. *ad annum* 1258. *pag.* 667. art. XI. *Adveniente Euangelio ſpiritus Sancti, ſive clareſcente opere Ioachim (quod ab eo dicebatur Euangelium æternum, ſive Spiritus Sancti,* &c. Similiter aliud ſeculum, & ſtatum Eccleſię in hoc mundo feliciſſimum docebat ſeculo ſequenti, ex ordine Franciſcanorum Iohannes Strinchius Begoardorum ſectarius, cujus inter dogmata hoc ſecundo loco ponitur: *Sicut in primo Chriſti adventu formata eſt nova Eccleſia veteri Synagoga rejecta; ſic & in initio ſexti ſtatus, vetuſtas prioris temporis eſt univerſaliter repellenda, ut videatur novum ſeculum, ſeu nova Eccleſia tunc formari, veteribus jam rejectis. Et ſicut in ſextâ ætate, rejecto carnali Iudaiſmo, & vetuſtate prioris ſeculi, renovabitur Chriſti lex & vita, & crux,* &c. Apud Bzovium, *Annal. Tom.* XIV. *ad A.* 1325. & Nicolaum Eymerici, in *Director. Inquiſit. part.* II. Ne de Iudæis dicam, Eliam enixè præſtolantibus, יבא אליאהו.

Quatenus cenſes omnes in Chriſtianiſmo Eccleſias ſub apoſtaſiâ atque defectione eſſe, & nullam veram, ſeu quæ Dei mandatum pro ſuâ erectione atque approbationem habet, illaque tempora Apoſtolica exſpectanda & noviſſima, quibus ductu ſpirituque infallibili vera Eccleſia demum colligatur, convenit ſententia tua cum nonnullis inter Samoſatenianos hæreticos in Poloniâ, quos ſignantiori appellatione Socinianos dicimus, ſed cum quibus ipſi Socino hâc in parte non parva fuit contentio, qui ſtatuebant, iſto rerum atque Eccleſiæ ſtatu defectivo, ut & tu jam loqueris, non poſſe eccleſiam veram Apoſtolicam erigi, niſi exſpectato ſpeciali Dei mandato ac gratiâ, & ſpiritu Apoſtolico: quorum partes ducebat maximè inter iſtud hominum genus *Matthæus Radecius*, ad quem variæ exſtant Fauſti Socini literæ. Et ſanè non parum tuam ſententiam cum ejus conſpirare apparebit ex illis, quæ ex Socini literis hanc in rem mox allegabimus. Adeò ut ſi probabile mihi fo-

ret, hujuſmodi à te lectos libros unquam fuiſſe, plurimùm te hinc adjutum dicerem, & ex hâc ſcholâ edoctum; ſed tamen ipſe Socinus contra ſemper diſputat, & primâ quidem ad Radecium epiſtolâ: *Cavendum eſt enim*, inquit, *omnino ab eorum ſententiâ, qui nolunt, hodiè ullam vel eſſe, vel eſſe poſſe aſpectabilem Chriſti Eccleſiam, quia videlicet non conſpiciantur hoc tempore dona illa cœleſtia, & Spiritus ſancti operationes; quæ non ſolùm Apoſtolorum ætate, ſed etiam poſt aliquanto fuerunt, ut Iuſtinus, Irenæus, & alii ſcriptores fidem faciunt (unde tamen interim perſpicuum eſt, quod dixi, ſtatim poſt Apoſtolos non talem fuiſſe defectionem, quæ omnes aſpectabiles Eccleſias ſuſtulerit) neque animadvertunt, conſpicua illa chariſmata ad Chriſti doctrinam confirmandam ad tempus exhibita eſſe, nec ſimpliciter & abſolutè Eccleſiæ Chriſti ſigna, ſed pro eo tempore tantum fuiſſe.* Et cum Socinus primâ hâc epiſtolâ ita illorum mentem accepiſſet, ac ſi nollent ſacros aliquos conventus peragi, & in Chriſti nomine congregari vel frequentari, meliùs edoctus hoc eos velle, *non eſſe hoc tempore eccleſiam illam Apoſtolicam & primævam inſtaurandam ſine ſpeciali aliquo mandato, propterea quia defectio poſt ipſos Apoſtolos plena fuerit, adeo ut ipſum quoque fundamentum fuerit ſublatum.* ſic porrò inſtat: *non video, cur talem eccleſiam inſtaurare, etiam ſine ſpeciali mandato, tentare pii homines non poſſint; immò cur talis eccleſia & poſt apoſtolorum tempora diu fuiſſe, & hodie eſſe, dici meritò nequeat. Nam quod affirmatis, poſt ipſos Apoſtolos plenam defectionem fuiſſe, ſublatumque ex eo tempore ipſum fundamentum eſſe, hoc mihi nullâ ratione probari poteſt.* Præterea ejuſdem epiſt. pag. 87. libri epiſtolarum: *Sed urges, ut apparet, planè nullam dari hodie eccleſiam, quæ primævæ illi Apoſtolicæ ſimilis ſit; vel ob hoc, quod nota iſta & teſſera apoſtolicæ eccleſiæ abſit, faciendi miracula, aut certè hâc notâ & teſſerâ abſente, temerarium eſſe aſſerere, hodiè talem eccleſiam inveniri.* Prolixius hâc de re diſputat, epiſt.

ter.

tertia, refutatis quæ pro alia ſententia adducta erant, argumentis; atque ſimul indicat, eandem quoque fuiſſe *Franciſci-Puccii* ſententiam, cujus vitam & facta aliqua iſthâc eâdem epiſtolâ deſcribit. Idem ille Puccius, cum quo diſputavit Socinus, ſuper ſtatu & immortalitate primi hominis. Epiſt. pag. 112. *nullam neque eſſe, nec eſſe poſſe hodiè externam eccleſiàm una cum Puccio te ſentire oſtendis; quæ res tandem illi cauſa fuit ad Papatum revertendi. Vtebatur ipſe iiſdem fermè rationibus, quibus tu nunc uteris; & potiſſimum hoc unum urgebat, poſt collapſum externæ Eccleſiæ ſtatum neceſſe eſſe ad eundem erigendum, ut aliquis vel aliqui divinitùs excitentur; ita ut ex ſignis,* &c. Duo præcipuè contra Eccleſiæ miniſterium, ut auctor eſt Socinus pag. 117. adferebant; primum; *eâdem aut certè ſimili ratione inſtaurandam eſſe Eccleſiam, quâ ædificata fuit; alterum verò, inter tot Chriſtiani orbis diſſenſiones non poſſe veritatem dignoſci, niſi luce aliquâ divinitus, ut Apoſtolorum tempore, illatâ.* Quæ ibidem etjam refutat. Ecce, ut ſententia noſtri hominis de ſtatu eccleſiæ defectivo, & erectione alterius eccleſiæ, nimis quam ſimilis ſit huic Puccii, Radecii, aliorumque inter Photinianos, ſed ab ipſis Socinianis non agnitæ, neque ab Auctoribus ſuis ultra defenſæ. Hinc apud Socinianos, ubi de Eccleſiâ tractant, illam quæſtionem ſemper, ut inter ipſos natam, diſcuſſam videre eſt, à Ioanne Volkelio, *lib. & cap. ultimo de Religione* Socinianâ; Oſtorodo, in *Inſtitutionib. pag.* 405. de quibus nos pleniùs in *Socinianiſmo Confutato* agere propoſuimus.

Ne de Donatiſtis dicam, quorum hâc in parte errores ſic deſcribit Auguſtinus, de hereſibus. cap. lxix. *tamquam Eccleſia Chriſti propter crimina Caciliani, ſeu vera, ſiu quod magis judicibus apparuit, falſa, de toto terrarum orbe perierit, ubi promiſſa eſt, atque in Africâ & Donati parte remanſerit: in aliis terrarum partibus quaſi contagione communionis extincta.* Præterea eâdem ferè ſen-

ſentia hâc in re Auctori noſtro, quæ Turbonibus (*Miniones* diceret Tertullianus) in Angliâ, (quò tam diligenter idcirco undiquaque eodem genio qui ducuntur Socii, contendunt, ut certatim illas Eccleſias quantum in ipſis ultra vexent ac confundant) qui dicuntur *Sceptici, ſive Quæſtioniſtæ, Quærentes, Exſpectantes.* vide Honorium Reggium *de ſtatu eccleſiæ Britannicæ hodierno* pag. 2. 57. *Alii ſe Exſpectantes vocant, ullam in orbe terrarum eccleſiam exſtare, negantes. Alii Inquiſitores ſunt, Eccleſiam in deſerto latentem quærentes.* & inter quatuor eccleſiæ iſtius jam miſerè divexatæ ſectas, *Antinomios, Anabaptiſtas, Congregationales*; hos primo loco collocat, *Quærentes*, ſive *Exſpectantes.* pag. 59. Anglicè *Seekers* & *VVaiters*, Eccleſiam negant alicubi exſiſtere; ſed *in futurum exſpectant miraculoſam cœtus Chriſtiani per Apoſtolos reſtitutionem*, & pag. 103, ex concione iſtorum hominum refert: *paullo poſt, Deum Apoſtolicos viros excitaturum, qui extraordinarium concionandi donum habituri ſint.* adde quæ & pag. 105. 110. 114. ejuſdem farinæ. Auctor belgici libelli nuper editi, *hiſtor. motuum Angliæ* pag. 116. de Quærentibus agens ex Honorio Reggio, & Thomæ Eduardi Gangrænâ, primum illorum articulum hunc ponit, quod *credant nullam eſſe Eccleſiam, miniſterium, Sacramenta, vel diſciplinam eccleſiaſticam: atque id ideo, quia jam nullus Apoſtolus.* Inde eos omnia officia reprehendere, ac criminari Eccleſiaſtica æquè ac politica. Hon. Reggius in Catalogo errorum & hæreſium & blaſphemiarum in Angliâ exortarum ab Anno 1640. pag. 95. num. cxxx. recenſet inter alia: *planè illicitum eſſe concionari tamquam in Eccleſiâ; ſed eatenus licet, ſi concioneris ut exſpectans diſcipulus: id eſt, Chriſtianis non licet concionari poſitivè, ponendo & aſſerendo certi quid; ſed tantum conferendo, arguendo, diſputando:* puta ut in cœtu Conniventiæ. Et pagina ſeq. num. cxxxix. *Cantiones ſacras & Pſalmos Davidis non eſſe cantandos.* Tales

omnino

omnino inter Philoſophos erant Pyrrhonii, vel Sceptici, quos & ἐφεκτικοὺς, & ἀπορητικοὺς appellabant. Aulus Gellius lib. XI. Noct. Attic. cap. V. *Quos Pyrrhonios philoſophos vocamus*, inquit, *ii Græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id fermè ſignificat quaſi quæſitores & conſideratores. Nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper conſiderandoque ſunt*, &c.

Prodiit Anno 1644. Germanicè liber *de abuſu miniſterii in hodierno Chriſtianiſmo*, ſub nomine alicujus, qui ſe vocat *Elium Prætorium*, Concionatorem Euangelicum, in quo Auctor quidem offenſus juſtè videtur nimiis in Chriſtianiſmo, Eccleſiis, ipſoque adeò S. Miniſterio, vel potiùs miniſtris, ſcandalis; ab alterâ tamen parte inconſideratius ac ferventius invehitur in quorumcunque Miniſtrorum univerſum officium, peccans perpetuo (ut dicunt) paralogiſmo accidentis. Præfatur quidem, ſibi id neutiquam in animo eſſe ipſum S. miniſterium impugnare vel vilipendere, *pag.* 2. atque iterùm *pag.* 98. quæſtionem tamen in genere ſic proponit, pag. 3. *An hodierni cujuſcumque religionis*, nominatim trium ſectarum, ut appellat, quaſque ſatis virulenter proſequitur, *pag.* 14. non abſque gravi calumniâ, quam tamen agendi rationem à ſe in initio penitùs ablegaſſe videri temere voluit (an fortè particulariter ab aliquo inter eas læſus?) an dico hodierni Eccleſiarum *Concionatores* in quâcunque religione *miniſterium N. Teſtamenti probè teneant, eoque fungantur?* non abſque altâ prius ad Deum proteſtatione, abſolutè ac ſimpliciter negat. Rationes, quas ad confirmationem ſententiæ ſuæ adfert, omnes facillimo negotio ſolvi poſſunt: vel ſimpliciter negando quod aſſumit, v. g. in primâ ratione, illorum omnium vocationem non eſſe divinam, ſanctam, & irreprehenſibilem: in ſecundâ, quod omnes cùm doctrinâ Chriſti commiſceant gloſſas philoſophicas: in tertiâ, quod omnes eſſentialia membra S. miniſterii tam verbi, quàm ſacra-

mentorum adulterent: vel, quod quarto loco adfert, ad illorum miniſterium non ſequi fructus ſpiritus S.; quintò, quod in genere dicit de improbitate omnium miniſtrorum; ſextò, non ſequi inde carnalis vitæ abnegationem & mortificationem: ſeptimò, quod miniſtri non ſunt ſpiritus miniſtri, at literæ; octavò, quod doctrinâ & vitâ ſuâ adverſentur doctrinæ & cruci Chriſti; nonò; quia illorum miniſterium carnale & proprii commodi ac lucri cauſa habeatur. Quæ omnia negamus locum habere in omnibus Novi Teſtamenti hodiè miniſtris: nam quod in aliquibus, vel etiam multis vitia notari poſſunt, non idem omnibus attribuendum, niſi & ſe quoque, qui pro miniſtro Euangelico ſe venditat, iſtorum juxta reum haberi velit. Tum, vitium & ſcandala *miniſtrorum* non ſunt conjicienda in *miniſterium*; eique exprobranda, præſertim ubi non docentur per miniſterium, quod ſaltem in Eccleſiis & religione Euangelicorum non fit. Ergò ritè diſtinguendus primùm *abuſus*, qui de *facto*, eóque non univerſali omnium, ſed aliquorum duntaxat, & alicubi, miniſtris per accidens adhæret, ab iiſque committitur, ſed non quà miniſtris; & *uſus* ipſius S. miniſterii, ut de *jure* & juxta religionem noſtram haberi ac exerceri debet, doceturque omnino ſanctiſſimè. Quippe in titulo ipſe dixit ſe acturum de *abuſu* miniſterii: & *pag.* 50. ſatis novit hæc diſtinguere, niſi putet ita deformata hodiè eſſe omnia in Eccleſiis, etiam noſtris, ut nil niſi abuſus reperiantur: quo tamen manifeſtiſſimè fallit; 1. quod non omnes miniſtri, etiam ex ejus judicio, æquè improbi, & S. miniſterio abutuntur, non qui v. g. ſimiles Iohannis Arnd, cujus libros valde, neque omninò fruſtra, laudat *de vero Chriſtianiſmo*: ac Lutheranos perſtringit, qui Auctori non exiguam ob ejus ſcripta attulerunt moleſtiam, quo de etiam in præfatione iſtorum librorum agitur. 11. totalis abuſus S. miniſterii in religione noſtrâ, niſi temerè ac ca-

lum-

lumnioſè, aſſeritur: quia quantumcunque vitioſi miniſtri alicubi, nullibi tamen ſecundùm religionem vitia docentur; atque ita doctrina adhuc intemerata manet, ex quâ omnis reformatio inſtituenda; quæ ſi in Eccleſiâ aſſervatur, auditurque, qualem ipſe probas, quid eſt quod omnem noſtram religionem temerariè proſcribas? Sed ita illi homines ſolent, facilè ex aliquo deprehenſo vel viſo ſibi errore aut vitio, omnem eccleſiam atque religionem confeſtim & procaciter inſectari. Adeò etiam in reprehendendis peccatis peccatum vix evitamus. Videtur quidem Auctor non omnino malus eſſe, neque ex improbitate adeò peccare, quam quidem temeritate; quidquid ſit de profeſſione Euangelicâ, Papatui ſaltem nuncium miſit; & ex zelo ſi hæc ſcripſerit, plus ſcientiæ vellem illi adfuiſſet, majoremque modeſtiam optaſſem Auctori. Loquor de Prætorio. Duo præcipuè videntur ei ſcandalum circa S. miniſterium moviſſe, I. vita miniſtrorum & Concionatorum non ſatis proba ac caſtigata, gravis, nec reſpondens profeſſioni, vel, quam illa exigit, ſanctitati. Etjam quod miniſterium non verentur malis ſæpe artibus ambire, & acquirere favore Procerum, ac magiſtratus, &c. *pag.* 13. Tum, quod in miniſterio plus doctrinæ (ſi modo hoc etiam) ſtudeant ſæpe, quàm vitæ; & diſputare aſſueſcant magis doceantque, quàm vivere, & quæ iſtorum hominum (homines quippe ſunt ὁμοιοπαθεῖς) alia ſolent eſſe vitia. II. Et hoc videtur ipſum offendiſſe, quod in populo ac eccleſiâ non reſpondeat miniſterio ſuus, qui exſpectari poſſit debeatque, fructus. Quare hinc evidentiſſimè apparet, perpetuum eſſe vitium horum hominum, & communem Ariſtarchorum paralogiſmum, quod velint & imaginentur ſibi eccleſiam abſque omni ſcandalo, & nec in ſe, nec in hâc etiam vitâ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων. Quum alia ſit futura conditio eccleſiæ triumphantis in patriâ, alia ejus & minor hic

ſit in viâ: alia quæ præſens & communiter; alia quæ debeat eſſe. Itaque quando & doctrinâ adhuc ſanâ pugnamus etiam ipſi contra vitia miniſtrorum, pro honore S. miniſterii, & quoque noſtro; atque vitâ & actionibus in id allaboramus, ut ἀξίως tantâ vocatione & officio vivatur, etiam juxta illa quæ iſti homines ſupercilioſi, & noſter Auctor perpetuâ per totum ſcriptum & prolixiſſimâ paræneſi ac admonitione docet, inculcat, minatur, *&c.* quid ſupereſt, quod in genere & tam rudi atque immodeſto modo invehantur contra ipſam religionem, eamque & Eccleſiam acerbiſſimè, & nullâ adhibitâ juſtâ diſtinctione, inſolenter proſcribant, inſectentur, condemnent? verbi gratiâ, quando nos juxta ea, quæ hic Auctor *lib. part.* IV. *pag.* 742, &c. nobis facere imperat, nonnullis mutatis, illa ſaltem quæ præcipua & vitæ ſinceram pietatem ac ſpiritus S. ductum ſpectant, conamur aſſequi, quid ultra eſt, quod ejuſmodi libros, & inſulſas orationes tam faſtuosâ ac dirâ devotione in nos immittant, ceu magnas machinas? Hinc jam perfacilè foret leviſſimâ caſtigatione totum librum percurrere & enervare, ſi operæ pretium videretur: nihil enim in toto illo faſtidioſo ſcripto occurrit, in quo non Auctor committat paralogiſmum in eo obſervatum, ſive παρὰ τὸ συμβεβηκὸς, ſive παρὰ τὸ ἑπόμενον. Sed in viam ex hoc diverticulo, in quo tamen non extra oleas, & materiam, quam præ manibus habemus, ex lib. *ad legem & teſtimonium*, inutiliter fuimus exſpatiati.

Cæterùm, & hoc denique ad ſententiam quam impugnamus, cujuſque cum aliorum jam pridem notatis erroribus atque heterodoxiis convenientiam oſtendimus, dicendum, eam, quâ ex parte jubet in Eccleſiâ ſolum S. Scripturæ contextum abſque expoſitionibus legi, haberique pro omni vel catecheſi vel confeſſione, eandem eſſe doctrinam,

quæ

quæ olim erat Arminianorum in ipſo ſchiſmatis initio. quam egregiâ *περιφάσει* venditabant primùm urgebantque, uſque dum perſpiciebant, nihili eſſe tale conſilium, & in idea facilius fingi poſſe, quam in praxim deduci, ac probari. Iſto enim pacto nec hæreſes vel ſectæ caventur aut imminuuntur, neque ſententiæ in Religione diverſæ coire aut conſopiri ullo pacto poſſunt, neque etiam Eccleſia erigi, confirmari ac conſtitui certa; quæ nec agnoſci poteſt, niſi ejus diſtincta ſuper articulis religionis omnibus, an hoc, an illo ſenſu ex S. ſcripturâ deductis, atque intelligendis, (non enim abſque tali intelligentia S. ſcriptura ullo in cœtu legi vel tractari poteſt, vel accipi ab aliis, vel communicari) habeatur cognitio, & confeſſio. Adolphus Venator, inter Remonſtrantes primipilus Anno 1617. librum edebat miro & ſuperbo titulo: *Theologia vera & mera lactantium & infantium in Chriſto. Liber fundamenti purus, dilucidus ac univerſalis, per meras Scripturas V. & N. Teſtamenti. Sine præjudicio cujuſcunque inter Chriſtianos ſectæ, & in uſum cunctarum Eccleſiarum. Quo Chriſtianiſmus quidem per quatuordecim ſecula caruit,* &c. Ohem! vino vendibili ſuſpenſa hedera. Neque tamen Auctor, utcumque hoc promittat & præ ſe ferat, ſine præjudicio cujuſcunque ſectæ potuit illa meris & nudis Scripturæ verbis, citra allatam in alium ſenſum Sacræ ſcripturæ expoſitionem, abſolvere, ac præſtare: ecce enim in primis iſtius libri quæſtionibus, quæſtione nimirum quarta interrogat, *an æternum gaudium futurum ſit piis, & infernalis dolor malis?* quod initio reclamabit Socinianus, nullam ſenſibilem pœnam vel dolorem improbis in inferno attribuens, non aliud illorum ſupplicium agnoſcens, quàm æternam annihilationem, quâ non ſint. Tum paullo pòſt iterum: *Suntne ergo infantes innoxii, eoque in ſtatu conſtituti, in quo Adamus ante lapſum fuit?* &c. reſponſionem autem affirmativam ponit verbis Dei apud Moſem, *Deut.* 1. 19. &

Ion.

Ion. IV. II. An hoc eſt meris Scripturæ verbis agere, paraphraſim & expoſitionem eorum falſam palàm inculcare, contra ſcilicet reatum peccati originalis? Adeo impoſſibile eſt illâ methodo quid docere, vel explicare, præcipuè ſine præjudicio cujuſcunque in Chriſtianiſmo religionis, vel ſectæ; quod iſti homines gloriari & promittere ſolent. Vel, quod idem Auctor, Venator ſc. pag. 4. 13. docet, externam pedum ablutionem perpetui uſus atque inſtituti inter Chriſtianos debere eſſe, ex Ioan. XIII. I. idque inter prima Chriſtianæ religionis elementa atque fundamentalia; quomodo ex meris (quæſo) Scripturis oſtendet, vel hoc ille legens ex ſcripturâ & quidem illo ſenſu intelligens, quomodo ſine præjudicio alicujus in Chriſtianiſmo ſectæ audiri poſſit, velim mihi perſuadeatur. Aut quod idem de ſeptem donis ſpiritûs ſancti, vel de novem beatitudinibus, ex diviſione apud Papiſtas uſitatâ habet, *pag.* 5. 31. Aut quod libros V.T. tantùm recenſet pro veris & Canonicis illos, qui tales revera ſunt, quomodo ſine præjudicio Papiſtarum dixerit? vel ſine præjudicio veritatis, hominem ex bonis operibus juſtificari? *pag.* 21. taliaque plura, quæ manifeſtò oſtendunt, quam inane omne illud ſit, quod tanto mangonio commendare hi ſolent ad tollenda & componenda ſchiſmata meris Scripturæ verbis, ac contextu, miſſis omnibus expoſitionibus, vel inde deductis & formatis confeſſionibus. Quare etiam Remonſtrantes, quamvis ejuſmodi conſilium illis non diſplicere initio præ ſe ferebant, ſed & prædicabant; poſtea tamen vanitatem & falſitatem ejus magis edocti ad Confeſſiones nomine ſuorum cœtuum edendas, & Apologias, & Catechiſmos ſe compoſuerunt. Indeque in *Apologia pag.* 5. Confeſſiones & confeſſionum formulas, quæ de articulis agunt inter Chriſtianos controverſis, diſtinctè concedunt *aliis quam meris ſcripturæ verbis* confici poſſe; oppoſitè ſc. ad ea, quæ præcisè ad ſalutem neceſ-
ſaria

ſaria credendaque, ideo non aliis, quàm meris Scripturæ verbis proponi volunt: *Concludendum certè eſt*, Remonſtrantes *de formulis iſtis loqui, quæ verſantur circa dogmata non præcisè creditu neceſſaria, quæque inter Chriſtianos controverſa, ac proinde aliis, quam ſcripturæ puris putis verbis, concepta ſunt.*

Atque hæc ſunt contra illam ſententiam, quam examinandam nobis propoſuimus atque diſcutiendam, argumenta: ſequitur, ut etiam videamus Objectiones.

Eæ autem, quas vel ipſe Auctor, vel alius fortè ex ejus libello moverit, huc potiſſimè redeunt, ut prima ſit de verbo, *quod* concionamur; altera, de modo *quo* concionamur, ſc. nomine Dei; tertia, *de exercitio Prophetico*, loco concionum inſtituendo.

1. *Prima objectio*, de noſtris concionibus, vel verbo quod à Præconibus pro concione habetur, eo quod illud non eſt *ὅλως inſitè indubiè merèque verum*, ſive infallibiliter divinum, ideo neque vera, qualem Deus inſtituit, & probat vel (ut loquitur) Deus *inchoari, continuarique voluit* concio noſtra, vel Eccleſia. Atque huc pleraque ejus tendunt. *Reſp.* In formam redigamus hæc priùs, & ſic facilior emerget ſolutio. Quæ concio non inſtituitur verbo concionatoris ὅλως inſitè, indubiè, merèque vero, illa non eſt, qualem Deus probat; ſed noſtra concio talis non eſt: Ergò. Ad Majorem, illa negatur: probandum tibi, Deum juſſiſſe ac inſtituiſſe, ut, poſt Apoſtolos fidei præcones infallibiles, ſemper continuaretur ſacra in eccleſiis prædicatio non niſi per concionatores æquè cum Apoſtolis infallibiles, quorumque verbum ſemper omni ratione, & materialiter & formaliter, uti illud Apoſtolorum, eſſet infallibile; quum ipſe Auctor agnoſcat particularium Eccleſiarum miniſtros ab ipſis Apoſtolis inſtitutos fallibiles fuiſſe, ac etiam revera aliquando erraſſe. Diſtingue ergò & hic inter Præcones primos, qui funda-

menta

menta & canonem conſtituerunt; & inter ſequentes, quorum non erat Teſtamentum vel tabulas dictare & ſcribere, ſed conſignatum & traditum ipſis, genuinè & ſecundùm mentem priorum exponere. Quemadmodum id obtinet in politicis, atque ubivis, qui primùm leges condunt, eorum habetur auctoritas certa legum ferendarum, quæ tamen poſtea committuntur explicandæ non authenticis expoſitoribus, ſed qui ad mentem & ſententiam legumlatoris adſtringuntur rectè exponendam, quamvis & errare poſſint, ac ſubinde errent. Vel ut in V. quoque Teſtamento, infallibili quidem authoritate leges condebat, vel potiùs tradebat, Deo edicente, Moſes; ſed illis ſemel conſtitutis, & in canonem relatis, non addidit Deus, ut ſolùm ab infallibilibus interpretarentur Doctoribus, ſed quibuſlibet hoc ex officio committebatur Sacerdotibus, qui fallere poterant & falli; ſic quoque jam in Euangelio, ejuſque concione ſub N. Teſtamento, qui illud primò docerent, conſcriberentque, ſpiritu infallibili agi neceſſum fuit, ſed ut continuaretur doctrina illa concionum publica. eodem tali ſpiritus infallibilis ductu in omnibus perpetuò concionatoribus, hoc neque Deum voluiſſe probari poteſt, neque neceſſarium fuit Eccleſiis. II. ad Minorem, quod in Eccleſiis noſtris verbi divini conciones non fiunt verbo ὅλως infallibili-diſtinguimus verbum *quod* exponitur, quod tractatur; & verbum *quo* exponitur. Verbum *quod*, eſt ὅλως infallibile, Scriptura V. & N. T. ut ipſe in libri ſui titulo agnoſcit in noſtris Eccleſiis *ſolam Veteris & Novi Teſtamenti Scripturam pro unico fidei & morum Canone* haberi; ſed verbum *quo* illud explicamus, ut jam duplicem habet reſpectum & relationem, vel ad ipſos concionatores, & *perſonam*, quæ loquitur, vel ad *verbum* Dei, ex quo loquitur: ita priori ratione eſt *fallibile*, poſteriori *verum*, neutrâ ὅλως infallibile, quale ipſum Dei verbum, *quod* explicatur: ſed illud nequaquam obeſt ſive

verbo

verbo explicando, ſive Eccleſiæ inde ædificandæ, quo minùs concio verbi divini talis æſtimetur ſacra, legitima, atque ad eccleſiæ inſtructionem neceſſaria. Quamquam neutiquam in hoc argumento verbum Dei, & noſtrum concionatorium, quà noſtrum, ſivè potiùs quà à nobis ex Dei verbo eductum confirmatumque, opponenda ſunt ſed conjungenda. Verbum ergò concionis undiquaque verum eſt, videlicet ex ſacro Dei verbo petitum, & fundamenti ſui ratione, ut medii in argumentatione, infallibile, eoque nullâ ratione carpendum vel contemnendum, multo minùs pro apoſtatico deferendum. Deus omnes juſſit *veritatem* tenere ac docere, non infallibiliter indubiè, vel *infallibilitatem*, hoc enim non cadit ſub officium; ſed merum ſolius Dei donum eſt. III. Quamvis verbi divini concio non foret omni ex parte vera, (quam tamen totam veram hic licet præſupponere, ipſo Auctore doctrinam Eccleſiarum noſtrarum non, quod ſciam, ſaltem necdum oppugnante,) quamvis dico, non foret omnimodè vera, ut hoc facilè poteſt evenire, errorem aliquem etiam & hìc admitti, ubi nihil humani à nobis alienum putamus, non tamen ideo omnis concio proſcribenda, vel apoſtaſiæ condemnanda, niſi (quod excipio) non ſimplex error, ſed talis ſit, qui hæreſim vel apoſtaſiam contine: alioquin ex quolibet vel aliquo errore S. concionibus admixto omnem concionum efficaciam atque uſum condemnare, error eſt graviſſimus. IV. Si noſtra verbi divini concio minùs æſtimanda, vel tam gravi crimine apoſtaſiæ videlicet condemnanda, ideo quod non ſit ὅλως infallibiliter, ſed per præcones fallibiles; ergo & S. Scripturà, quâ vulgo in verſionibus utimur, eâdem culpâ involvetur, quia & illa per fallibiles interpretes in noſtram aliamve linguam data non eſt ὅλως atque indubiè infallibilis vel *authentica*, *erot.* CVII; ſed errorem continere facilè poteſt, ſæpiuſque plures habet. Vide de hoc argumento Cl. D. Mareſium *de uſu & honore*

S, mi-

menta & canonem conſtituerunt; & inter ſequentes, quorum non erat Teſtamentum vel tabulas dictare & ſcribere, ſed conſignatum & traditum ipſis, genuinè & ſecundùm mentem priorum exponere. Quemadmodum id obtinet in politicis, atque ubivis, qui primùm leges condunt, eorum habetur auctoritas certa legum ferendarum, quæ tamen poſtea committuntur explicandæ non authenticis expoſitoribus, ſed qui ad mentem & ſententiam legumlatoris adſtringuntur rectè exponendam, quamvis & errare poſſint, ac ſubinde errent. Vel ut in V. quoque Teſtamento, infallibili quidem authoritate leges condebat, vel potiùs tradebat, Deo edicente, Moſes; ſed illis ſemel conſtitutis, & in canonem relatis, non addidit Deus, ut ſolùm ab infallibilibus interpretarentur Doctoribus, ſed quibuſlibet hoc ex officio committebatur Sacerdotibus, qui fallere poterant & falli; ſic quoque jam in Euangelio, ejuſque concione ſub N. Teſtamento, qui illud primò docerent, conſcriberentque, ſpiritu infallibili agi neceſſum fuit, ſed ut continuaretur doctrina illa concionum publica, eodem tali ſpiritus infallibilis ductu in omnibus perpetuò concionatoribus, hoc neque Deum voluiſſe probari poteſt, neque neceſſarium fuit Eccleſiis. II. ad Minorem, quod in Eccleſiis noſtris verbi divini conciones non fiunt verbo ὅλως infallibili-diſtinguimus verbum *quod* exponitur, quod tractatur; & verbum *quo* exponitur. Verbum *quod*, eſt ὅλως infallibile, Scriptura V. & N. T. ut ipſe in libri ſui titulo agnoſcit in noſtris Eccleſiis *ſolam Veteris & Novi Teſtamenti Scripturam pro unico fidei & morum Canone* habeti; ſed verbum *quo* illud explicamus, ut jam duplicem habet reſpectum & relationem, vel ad ipſos concionatores, & *perſonam*, quæ loquitur, vel ad *verbum* Dei, ex quo loquitur: ita priori ratione eſt *fallibile*, poſteriori *verum*, neutrâ ὅλως infallibile, quale ipſum Dei verbum, *quod* explicatur: ſed illud nequaquam obeſt ſive

verbo

verbo explicando, ſive Eccleſiæ inde ædificandæ, quo minùs concio verbi divini talis æſtimetur ſacra, legitima, atque ad eccleſiæ inſtructionem neceſſaria. Quamquam neutiquam in hoc argumento verbum Dei, & noſtrum concionatorium, quà noſtrum, ſivè potiùs quà à nobis ex Dei verbo eductum confirmatumque, opponenda ſunt ſed conjungenda. Verbum ergò concionis undiquaque verum eſt, videlicet ex ſacro Dei verbo petitum, & fundamenti ſui ratione, ut medii in argumentatione, infallibile, eoque nullâ ratione carpendum vel contemnendum, multo minùs pro apoſtatico deferendum. Deus omnes juſſit *veritatem* tenere ac docere, non infallibiliter indubiè, vel *infallibilitatem*, hoc enim non cadit ſub officium; ſed merum folius Dei donum eſt. III. Quamvis verbi divini concio non foret omni ex parte vera, (quam tamen totam veram hic licet præſupponere, ipſo Auctore doctrinam Eccleſiarum noſtrarum non, quod ſciam, ſaltem necdum oppugnante,) quamvis dico, non foret omnimodè vera, ut hoc facilè poteſt evenire, errorem aliquem etiam & hîc admitti, ubi nihil humani à nobis alienum putamus, non tamen ideo omnis concio proſcribenda, vel apoſtaſiæ condemnanda, niſi (quod excipio) non ſimplex error, ſed talis ſit, qui hæreſim vel apoſtaſiam contine: alioquin ex quolibet vel aliquo errore S. concionibus admixto omnem concionum efficaciam atque uſum condemnare, error eſt graviſſimus. IV. Si noſtra verbi divini concio minùs æſtimanda, vel tam gravi crimine apoſtaſiæ videlicet condemnanda, ideo quod non ſit ὅλως infallibiliter, ſed per præcones fallibiles; ergo & S. Scripturà, quâ vulgo in verſionibus utimur, eâdem culpâ involvetur, quia & illa per fallibiles interpretes in noſtram aliamve linguam data non eſt ὅλως atque indubiè infallibilis vel *authentica*, *erot.* CVII; ſed errorem continere facilè poteſt, ſæpiuſque plures habet. Vide de hoc argumento Cl. D. Mareſium *de uſu & honore*

S, mi-

S. miniſterii, &c. *pag.* 14. 22. 23. 28. ubi ſenties, non eſſe adeo elumbem ac futilem viri iſtius diſſertationem contra Auctorem noſtrum, ac quidem in *Monito* ſuo ridiculè dixit, & duntaxat dicere ſatis habuit.

II. *Secunda objectio.* At inquies, non hoc adeò ab ipſo in Concionibus noſtris impugnari, eæ quod habentur à præconibus non infallibilibus; ac quidem, quod tamen *nomine Dei*, ejuſque authoritate habentur, ſive Dei loco & tamquam pro Deo legatione fungentes. II Cor. 5. 20. Reſp. I. *Dei nomine* agi ac dici aliquid poteſt, quamvis non iſthâc ſingulari ratione, Dei loco & perſona, atque eâ authoritate: puta, quod Dei mandato & juſſu, ejus peculiari ope ac auxilio, & in honorem ac cultum ejus agitur; hoc pacto ſi conciones habeantur, ut ſanè vix negari poteſt, ecquis tum dubitet dicere, nomine Dei illas haberi? & has eſſe iſtius locutionis *nomine Dei* explicationes ac ſenſus quoque ſupra à nobis ex S. ſcripturâ oſtenſum. Quare ergo, non ſimpliciter negabimus, nomine Dei conciones fieri, illo ſenſu, quamvis dici æque non poſſit eas agi loco & authoritate legata à Deo? II. Iuſſu & mandato Dei ſi habentur conciones, habentur etiam authoritate Dei, *authoritate* nimirum jubentis & *mandati*; licet illuſtrior ac major ſit authoritas *legati*, ubi perſona inſuper jubentis ac legantis ſuſtinetur: prior tamen agendi modus ex mero mandato, non deſtituitur ſuâ authoritate; ex Dei autem mandato conciones haberi, prolixè probatum à D. Mareſio, quæ diligenter primùm examinanda & confutanda, non inani quo Monito reſpuenda, ſi quid hic refragari Auctori noſtro allubeſcat. III. Qui Dei loco & authoritate agunt, nullos agere niſi infallibiles ideóque ſint, probandum fuerat: ideo enim negat nos Dei nomine concionari, quia in concionibus errare poſſumus: proba ergo illum qui Dei nomine, ſive loco & authoritate & ex ejus le-

gatione agit, hinc non poſſe falli. Non negamus, aliquos eorum qui Dei nomine agunt eſſe infallibiles; ſed hoc non inde habent, quod Dei nomine agunt, ſed quod Dei nomine ſic, & infallibiliter ex peculiari gratiâ & ordine agunt. Scilicet duplex miniſtrorum, à Deo miſſorum & legatorum ordo eſt, primus, ſupremus, extraordinarius, immediatus Doctorum infallibilium, quales Prophetæ ac Apoſtoli Epheſ. II. 20. Secundus inferior, communis & mediatus per Eccleſiæ vocationem à Deo ordo eſt miniſtrorum & Doctorum non-infallibilium. Epheſ. IV. 11, 12. Rom. XII. 6, 7, 8. ἔχοντες καὶ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα. 1 Cor. XII. 4, 5, 6, 7, 8. vide locum. & επατ. XI. illi errare nequeunt, non quod Dei nomine, loco & authoritate loquuntur, quod ſuo modo utriſque commune eſt; ſed quod iſtius ordinis ſunt, atque dono infallibilitatis peculiariter præditi: hi quidem errare poſſunt, utut ex officio, Dei nomine loquentes, & fallibiliter. Neque hoc quod quis ſimpliciter nomine alterius agit loquiturque, facit ne erret: ut legatus Principis, nomen & perſonam Domini refert, ſed quouſque ſe gerit ex mandato, à quo etiam poteſt deviare: ſic miniſtri in Eccleſiá, Dei nomen perſonamque repræſentant, dum ex officio docent, quamvis propius, ſignificantiùs & illuſtriùs illi, qui primi atque immediati ordinis ſunt, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, & Dei locum propiùs referunt, omnes tamen, etiam communes ordinariique miniſtri, Dei nomine cenſentur agere, & authoritate, nimirum quando & quouſque juxta commiſſam ſibi inſtructionem ex tabulis loquuntur, neque euangelizant præter Euangelium, & id quod ad prædicandum acceperunt, Gal. 1. 8, 9. Sic quicunque agit alterius nomine, cenſetur ex ejus nomine agere, quamdiu ſequitur datam fidem, à quâ poteſt & ἀποχεῖν. Duo in mundo ſtatus ſunt, atque hominum ordines, politicus, & Eccleſiaſticus; utrique, & qui Rempublicam regunt

Magiſtratus ὑπερέχοντες, & qui Eccleſiam miniſtri, Dei nomine agunt, intellige, ex officio; quamvis & in opere ab officio, & præſcriptâ ſibi à Deo formulâ abire poſſunt, & authoritate ſibi à Deo datâ abuti. Eſt utrobique *authoritas*, & authoritas *regiminis*; ſed ibi regiminis *dominantis* ἐξουσία ὑπερέχουσα. hîc *miniſtrantis*. Utraque etiam nomine Dei, ſed non nomine Dei *ex officio*, non ſemper in opere &, *exercitio*: de *jure* ſemper, non item *de facto*: niſi in aliquibus, ordinis primi & infallibiliter actis, qui & ex officio, & in exercitio; de jure & de facto ſemper Dei nomine egerunt. IV. Ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν. δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ. Καταλλάγητε τῷ θεῷ. II Cor. v. 20. locus eſt, ex quo noſter perpetuò ſuam de Dei nomine, loco, authoritate, & tamquam legatione pro eo fungendo, interpretationem mutuatur: ſed quid ibi eſt, quò minùs omnes πρεσβύτεροι, qui πρεσβεύουσι & παρακαλοῦσι, & hortantur homines ad ſalutem ac reconciliationem cum Deo, quales ſemper in Eccleſiâ eſſe ſi probatum velis, adi Mareſium, hoc enim ex profeſſo agit, neque mei hic eſt actûm agere, quid eſt dico, quare illi πρεσβύτεροι, κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, pro Chriſto ergo, ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, *&c.* Dei nomine non poſſint loqui, puta ubi eandem certiſſimam veritatem premunt, docentque, *reconciliemini Deo*, vel ut Actor. II. 40. *ſervemini ab hâc perverſâ generatione? &c.* Ipſe Auctor *erot.* XI. particularium Eccleſiarum miniſtris, qui etiam ex ejus ſententiâ errare poſſunt, & errant ſæpè, *erot.* XII. adſcribit huncce locum II Cor. V. 20. quo idcirco confirmamus noſtram reſponſionem, talem agendi modum vel authoritatem *Dei nomine, & pro Deo legatione fungenda*, non arguere infallibilem debere ſemper ejus eſſe qui ſic loquitur, doctrinam. V. Sit, peccetur in eo à nobis, quod nomine ſive authoritate Dei conciones noſtras habemus: an negari poteſt, ſi non hoc ſenſu, Dei nomine habentur, quo ille vult, alio

alio tamen admitti poſſe? eo nempe, quem ex ſacris antea dedimus, ut juſſu, auxilio, & in honorem ac cultum Dei habeantur? & an non hoc quoque authoritatem aliquam, talem nempe quam diximus, ſecum fert? quid ergò eſt, de quo tantopere exæſtuet, & fluctus moveat in ſimpulo, quod dicunt, eam ob cauſſam, quòd conciones noſtræ à nobis fiunt Dei nomine? vel pone etiam, nullâ ratione dici poſſe, conciones Dei nomine à nobis haberi, & in toto illo formali à nobis peccari; hocne omnem concionum materiam & uſum ideo tollit, eccleſias dicit apoſtaticas, & quid non? tu audias illas, & accipias quo nomine placuerit, vel etiam alius eas habeat non tanto authoritatis gradu: & ſic omnia emendata ex ſenſu tuo habueris, & citra ſchiſma: ſanè nuſpiam videbis hujuſce rei factum articulum fidei vel fundamentalem; neque etiam tu ex ullo S. ſcripturæ teſtimonio oſtendes (quod debebas tamen) hanc Dei nomine concionandi rationem eſſe illegitimam, noſque haud decere. VI. Tantum abeſt, ut ideo fugiendæ videantur conciones, quod Dei nomine habentur, ut non aliter haberi debeant, vi univerſalis regulæ, Col, III. 17. *Et omne, quodcunque feceritis, ſive verbo, ſive opere, omnia in nomine Domini Ieſu, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* omnia vult fieri in nomine Chriſti. בשם המשיח. II Theſſ. III. 6. *Annunciamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecedere vos à quovis fratre inordinatè ambulante, & non ſecundùm traditionem, quam accepit à nobis.* Quotieſcunque idem monendum venit aliis ſimili in caſu, quidni liceat ad hoc nomine Chriſti uti? VII. etiam cœtus omnes eccleſiaſtici & συνάξεις in nomine Dei ac Chriſti habentur, ac frequentantur, Matth. XVIII. 20. *ubi enim duo vel tres ſunt congregati εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, in meum nomen, ibi ſum in medio illorum.* VIII. Quo, cujus nomine veſtra colligitur eccleſia, habenturque mutuæ in cœtibus veſtris paræneſes? non Dei nomine? quo

ergo? neceſſe eſt, ſi non Dei nomine, ergo tuo proprio, ita hæc demùm ſunt oppoſita. Ioan. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: ſi alius venerit in nomine proprio, illum recipietis.* Vides, illud quod non Dei nomine fit, proprio cenſeri agi? Quod idem eſt cum illá interrogatione ſuper baptiſmo Iohannis, *an ex cælo, an ex hominibus*? Matth. xxi. 25. quod non ex cœlo & Dei nomine habetur; ex hominibus eſſe putatur, & nomine fieri proprio. ix. Non ſunt oppoſita, ſed ſubordinata, nomine Dei quid fieri, & nomine Eccleſiæ; adeò non divellenda illa ſunt vel opponenda, ſed conjungenda, & conciones Dei nomine, & vocatione à Deo per Eccleſiam acceptâ fiunt, alioque reſpectu ad Eccleſiam: imò quod nomine Eccleſię vere & ritè fit, non niſi Dei quoque nomine fieri æſtimandum eſt.

Neque eſt quod ad noſtra leviter reſpondeat, ut ſæpe iſti ſolent, diſtinctionibus nos in vanum uti, ſe nullas agnoſcere, planè agendum, *&c. Reſp.* Tum demùm planè agi, diſputarique, quando accuratè diſtinguitur, alioqui non philoſophia ſolum, ſed Theologia etiam, quin & S. ſcriptura reprehendenda ſimiliter foret, quæ crebras adhibet diſtinctiones: atque ipſe noſter Auctor non ſemel, ubi verbum tam operoſè diſtinguit, ὅλως inſitè indubiè, merèque verum, quid niſi diſtinctiones tum facit? & *erot.* cx. ac cxiv. quando addit, *qua tales*, annon ſollicitè ſatis diſtinguit?

iii *Objectio*, ex uſu exercitii Prophetici peti poteſt, quod hactenus urget Adverſarius, ut loco concionum noſtrarum ſubſtitui velit, quo non, ut in noſtris Eccleſiis ſolet, ſolis Paſtoribus loqui conceſſum, ſed omni etiam populo, ex 1 Cor. xiv. vide de hoc *erot.* cliv. *&* clviii. *Reſp.* paulo altiùs hæc res repetenda venit, & ob difficultates nonnullas, quæ in hunc de prophetiæ uſu locum 1 Cor. xiv. præterquam à Commentatoribus, moventur etiam à Browniſtis, Anabaptiſtis, & Socinianis, diligentiùs expendenda. Quęratur ergò primùm, quid vox *prophetia*,

tiæ, & *prophetare* apud Apoſtolum ſignificet? II. de facto, *quomodo* & quinam ibi prophetarint, vel quo pacto id in iſtâ Eccleſiâ obſervatum fuerit? verſ. 3. ὁ δὲ προφητεύων, ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν. 31. δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν,

Ad primum. I. Aliqui, *prophetare* hic explicant, uſu & ſignificatione quâ ſtrictè illud ſumi ſolet, pro *prædicere futura*: quod facilè refellitur tum ex eo, quod inter Prophetarum horum, quæ ſæpius hoc capite repetuntur, munia, ſemper omittitur futurorum prædictio: non omittenda, ſiquidem ea intellecta Apoſtolo fuiſſet. Tum ex verſ. 24. *ſi omnes prophetent, intret verò infidelis aliquis aut idiota*, &c. adde verſ. 29, 31, 32, 34, 35, 36. II. Alii explicant per *interpretari linguas*, ut in hoc capite illa opponi perpetuò & conferri ſolent, *linguis loqui*, & prophetare; ſed arctior illa expoſitio eſt quam ut ſatis ſit iſtis, quæ de prophetiâ hic dicuntur. III. Alii, de *cogitationum* cordis occultarum manifeſtatione, ex verſ. 25. nimis etiam arctè. Exiſtimo, per prophetiam ſignificari *doctrinam*, tractationem, explanationem ſacrorum in cœtibus Eccleſiaſticis, ad mutuam ædificationem & conſolationem inſtitutam, ex S. ſcripturâ, ſive aliàs de articulo aliquo & myſterio religionis. probatur ex verſ. 3. 24. 31. 35. 37. adde 1 Cor. XI. 4. & XII. 8, 10. & XIII. 2, *ſi habuero prophetiam, & novero omnia myſteria, & omnem ſcientiam*. Rom. XII. 6. Epheſ. IV. 11. 1 Theſſ. V. 20. 1. Paral. XXV. 2. Ambroſius, vel quicunque Auctor ſub ejus nomine commentariorum in epiſt. Pauli. in hunc locum; *quia enim unus atque idem ſpiritus eſt, qui tam Prophetis futura dicentibus, quam his qui revelant ſcripturas, infundit ſe pro ratione & qualitate cauſarum*, &c. Sic ergò interpretationem Scripturarum ille hic intelligit: atque ita Hieronymus, qui *doctrinam* dicit, Primaſius, Calvinus, aliique.

Sed majoris difficultatis eſt, explicare quorum fue-

rit ſic prophetare, & quomodo peragi ſoleret. I. An hoc ex officio, Eccleſiæ iſtius Paſtores, ac miniſtri ordinati intelligantur egiſſe? ut multi ſentiunt. II. An aliqui ex ſingulari & extraordinario Spiritus S. chariſmate? III. An verò fuerit exercitium ſacrum commune, in quo ex Eccleſiâ quilibet, modò ad id idonei, ſe viciſſim *καθ' ἕνα* exercuerint ad mutuam inſtructionem & ædificationem? In quo nihil obeſt, ſicut in ordinarium quoque miniſterium, miniſtroſque extraordinaria quæ copia ſpiritus aliquando cecidit, prout illa tempora maximam Spiritus S. in perſonas quaſlibet & officia ubertatem effuſionemque ferebant, etiam ſingulare quod Spiritus S. chariſma quandoque intercurriſſe, ut tamen exercitium fuerit commune & ordinarium. Papiſtici interpretes hoc ferè ſolent explicare de illis, qui non niſi ex peculiari afflatu Spiritus & chariſmate prophetarunt, ac proinde omne extraordinarium fuiſſe: nimiſque inſolenter Franciſcus Haræus explicationem, de iis qui obſcura Prophetarum & S. ſcripturæ explanarent, communiter Neotericis quibuſdam attribuit, atque ſatis leviter contemnit. Non hoc de merè extraordinario & ſingulari quo Spiritus S. chariſmate intelligendum eſſe, videtur oſtendere I. quod Apoſtolus hoſce Prophetas non reprehendit modo *ἀτάξίας*, ſed eorum doctrinam etiam examini aliorum ſubjicit, verſ. 29. 32. quod non facturus videtur, ſiquidem illorum doctrina ex merâ, immediatâ, ſingulari, atque extraordinariâ Spiritus S. revelatione, ut id in Prophetis, fluxiſſet. Præterquam quod vix videtur, tot Prophetas in unâ Eccleſiâ fuiſſe, quod hic fuiſſe colligi poteſt. Neque etiam illiuſmodi Prophetis exprobraturus videtur Apoſtolus fuiſſe, quot verſ. 36. *vel an à vobis ſermo Dei profectus*? Nec denique ab hoc chariſmate tam ſollicitè excepiſſet mulieres, *verſ.* 34. quum aliàs Prophetiſſæ fuerint Mirjam, Anna, Luc. II. 36, &c. Quare non de illo prophetandi extraordinario ſpiritus

ritus afflatu hanc prophetiam intelligendam eſſe, hinc patere puto; ut & illud quoque, non videri iſta de officio Miniſtrorum & Paſtorum Eccleſiæ ordinario ſucienda, quia & improbabile, tot ſimul miniſtros fuiſſe ac hæſiſſe in unâ eccleſiâ, ubi inopiâ ſacrorum ἱερέων ubivis ferè laborabatur. Tum, non videtur Apoſtolus hic & alibi, (ſæpius enim de prophetiâ ſermonem intermiſcet) ſolorum Paſtorum officium & miniſterium tangere, ut hujus cap. verſ. 23, *Si omnes linguis loquantur, &c*, verſ. 24. *Si verò omnes prophetent, &c.* Ut linguis loqui non Paſtorum proprium, ita intellige, neque hoc prophetare. Sic verſ. 26. *quando convenitis, quilibet veſtrum Pſalmum habet, &c.* verſ. 29. *Prophetæ verò duo aut tres loquantur.* Tum, an ita putandus eſt Apoſtolus, conciones omnes voluiſſe dijudicari & doctrinam, ut de prophetiis *verſ.* 29. 32. indicat debere fieri? An omnibus adſcripſiſſet, *poteſtis enim viciſſim omnes* prophetare? *verſ.* 31. 24. Dumque ab iſto exercitio mulieres ſolas eximit *verſ.* 34. 35. eaſque à viris edoceri imperat, annon interpretandum videtur viris illud concedi, in genere, ut prophetent? ſic & 1 Cor. XI. 4. πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος ἢ προφητεύων, *omnis*, & ut cuicunque precationem, ita quoque prophetiam attribuit. Sed quod de muliere ibidem dicitur, verſ. 5. πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη ἢ προφητεύουσα *retecto capite, &c.* quomodo conciliabimus cum hujus capitis verſu 34. ubi mulieribus omnino interdicit prophetiâ? reſpondent aliqui, per mulierem prophetantem *cap.* XI. intelligi *cantantem*, Deoque pſalmis & hymnis benedicentem: ſic inter Papiſtas *Corn. à Lapide* in hunc locum, & inter noſtros nonnemo, Auctor eruditus lib. Anglici, *A diſpute againſt English Papiſh ceremonies, part.* III. *cap.* V. Verùm ſit potius, mulier prophetans, paſſivè, id eſt, prophetiam audiens, quæ cœtui, dum ibi prophetatur, intereſt. In jure Ebræorum etiam occurrit: אשה לאתקרא בצבור מפני כבוד הצבור *mulier ne legat* publicè

cè ſc. *in congregatione, ob honorem*, ſive reverentiam *congregationis*. Vel etiam explicari poteſt, quod Apoſtolus *cap.* XI. quidem loquatur de muliere prophetante, ſed quod ideò id non approbet; verùm hactenus ſatis habeat illum morem pravum in mulieribus caſtigare, quod ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ ſacris intereſſent, de eo enim ex profeſſo agit; ſed quod prophetarent inſuper, illud reſervaverit in ſuum locum, hunc nempe, ubi prophetiis regulam ac modum præſcribit, atque ita hic in mulieribus apertè reprehendat, quod antea tranſierat, nempe quod etiam tentarent loqui publicè, & προφητεύειν. De eadem prophetiâ debet intelligi 1 Theſſ. v, 20, 21, 22. *Spiritum ne extinguite. Prophetias ne vilipendite. Omnia probate, & bonum retinete.* 1 Cor. XII. 8. *Huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ*, &c. verſ. 10. *alteri verò prophetia*. Neque forte malè hinc explicueris illud 1 Tim. 1. 18. κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας, ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν. Etiam apud Hebræos in ipſorum ſacris uſitata fuit prophetia; hinc filii, & collegia Prophetarum, ex quibus Eccleſiarum miniſtri ſeligebantur. Quodque propiùs accedit, in hiſtoriâ Euangelicâ & Apoſtolicâ legimus, Chriſtum Apoſtoloſque Synagogam ſæpiùs ingreſſos, ſermonem habuiſſe, contuliſſe, diſputaſſe; an putemus Judæorum Doctores cathedram ſuam illis conceſſiſſe, nec potiùs tali in exercitio Prophetico hæc acta & habita fuiſſe? ut quod Chriſtum Parentes tandem repererunt in templo ſedentem inter Doctores, & *audientem ipſos, & interrogantem ipſos*, quando *omnes admirabantur ejus ſcientiam & reſponſiones*. Luc. 11. 46. Et c. IV. 16. *Atque venit in Nazareth, ubi erat educatus: atque intrabat pro more ſuo, die Sabbati Synagogam; atque ſurrexit, ut legeret. Et dabatur ei liber Ieſaiæ prophetæ: librumque aperiens, inveniebat locum, ubi ſcriptum, &c.* Act. XIII. 14, 15, 16. *& intrantes Synagogam die Sabbati, aſſederunt. Poſt autem lectionem legis & prophetarum, mitte-*

bant

bant archiſynagogæ ad illos, dicentes: Viri fratres, ſiquidem eſt ſermo admonitionis apud vos ad populum, loquimini. Aſſurgens verò Paulus, & movens manu, dixit, &c. De Apollo, Act. XVIII. 24, 25, 26. *potens in ſcripturis. Ille erat edoctus κατηχημένος viam Domini: & fervens ſpiritu, loquebatur & docebat accuratè ea quæ de Domino, noſcens tantùm baptiſmum Iohannis. Hic autem incipiebat παῤῥησιάζεσθαι in Synagogâ*, Atque ex veteri Judæorum in Synagogis more ſumta illa de prophetiâ eſſe, quæ Apoſtolus ad Corinthios docet, ſentiunt interpretes. Hinc commentarius Ambroſii, *hæc traditio Synagogæ eſt*, inquit, *quam nos vult ſectari, quia Chriſtianus quidem ſcribit, ſed ex gentibus factus, non ex Iudæis; ut ſedentes diſputent ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas. Quibus ſi revelatum fuerit, dandum locum dicendi præcipit, nec deſpiciendos, quia membra corporis ſunt.* Ne de Bezâ noſtro, ac Petro Martyre dicam, utriſque illum prophetandi morem ex Judæorum Synagogâ petentibus, & explicantibus. Et in Eccleſiâ Chriſtianâ illud viguit ſaltem in Catechizationibus. Quin ipſe Apoſtolus hoc capite catechiſmum appellat, verſ. 19. *ſed in eccleſiâ malo quinque verba mente meâ* διὰ τοῦ νοός μου *loqui*, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, *ut & alios catechizem, quam mille verba in linguâ:* nam toto hoc capite opponi ab Apoſtolo *linguam*, & *prophetiam*, nemo non videt. De Veterum catechizationibus diximus, ubi *de Catechizat.* & hinc aſſumti ſæpe, quibus conceſſum publicè concionari. Vide Niceph. Calliſth. *hiſt. Eccleſ. lib.* V. *cap.* XIV. Pro exercitio prophetico, quale in Veteri eccleſiâ fuit, ubi commodè haberi poteſt, non contemnendo, vide Ameſium *lib.* IV. *Caſ. conſc. cap.* XXVI. In Harmoniâ Confeſſionum Belgicarum, (ut ſententiam iſtam etiam authoritate Eccleſiaſticâ confirmem,) *cap.* V. *de prophetiâ*, ex Synodis VVeſalienſi, & Emdanâ, ſic conſtitutum le-

legitur. *In omnibus Eccleſiis ſive naſcentibus, ſive rectis, Prophetiæ ordo ex Pauli inſtituto obſervetur.* II. *Ad hoc collegium cooptentur, non modò Miniſtri, ſed etiam Doctores ac ex Senioribus & Diaconis, atque adeo ex ipſâ plebe, ſi qui ſint qui donum ſuum à Domino acceptum in communem Eccleſiæ utilitatem conferre velint: Ita tamen, ut prius Miniſtrorum atque aliorum probentur judicio.* III. *In hoc Collegio ad ædificationem omnium liber aliquis Scripturarum rato ordine explicetur. Ubi autem is, cujus erunt partes, vices ſuas expleverit, licebit iis qui ſubſelliis eum inſequuntur, ſiquidem viſum erit, adjicere quod ad ædificationem pertineat: Ac tum demum, conceptâ oratione, ab eo, cujus erunt partes, cœtus claudatur.* Adde in eandem rem, proque eodem S. exercitio, Synodi Leidenſis A. 1629. *art.* XXXIV. ad explicationem ſcilicet XXXI *artic.* Synodi Delphenſis. Atque ita in variis Eccleſiis tale exercitium ſæpè viguit: in Genevenſi, tempore Calvini, quando eò Bolſecus itabat, turbaſque dabat impudentes. In Londinenſi Belgicâ, Antverpienſi, Dordracenâ, & ſicubi aliàs. Catechetica quidem (quorum varii gradus & claſſes) ubivis ſedulò retinentur, quorum inſtar, ſed ordinis ſupremi illa ſunt prophetica. Browniſtas quod attinet, ii pro exercitio prophetico multi ſunt. In Confeſſione editâ A. 1596, atque A. 1598. Anglicè, Latinèque, Belgicè etiam A. 1612. *art.* XXXIV. ſic loquuntur: *Qui ad ſcripturas interpretandas donis à Deo inſtructi ſunt, ii in cœtu διερμηνευτικῷ ſeu exercitio Prophetico approbati, ſtudioque ſacrarum literarum & doctrinæ incumbentes, poſſunt & debent (eccleſiâ conſentiente & poſtulantes) pro proportione fidei prophetare, verbumque Dei ad ædificationem, exhortationem & conſolationem Eccleſiæ explicare: uſque dum populo præparato Deus viros con.efferit donis & facultate inſtructos ad munera ea capeſſenda, quæ Chriſtus publico Eccleſiæ miniſterio deſtinavit. Cæterum adminiſtratio Sacramentorum nulla fit abſque Paſtoribus, aut Doctoribus, ad munus ſuum electis & ordinatis.* Eadem habent

bent in ſecundâ petitione, Regi Iacobo oblatâ, quam inſeruerunt ſuæ contra Doctores Oxonienſes Apologiæ. Atque Johannes Robinſonus, vir eximius, (de quo alibi dicemus, nempe ubi *de Browniſtis,*) in apologiâ, nuperrimè iterum anno 1644. recusâ. *cap.* VIII. *de exercitio Prophetico.* Similiter ex eâdem diſciplinâ qui ſcripſit Anglice, & breviter, *A Guide unto Sion. pag.* 30. 31. Non omnibus, ſed perpaucis tantùm inter ſuos concedunt prophetare, uni aliquando alterique, pro ſtatu & conditione Eccleſiarum; ſed in eo peccant, quod hiſce attribuunt, quod Miniſtris ſolis licet, Euangelium univerſim prædicare; uti in Theſibus contra Oxonienſes *theſ.* IV.: *probi, fideles, atque idonei viri (quamvis ii necdum in officio miniſterii) poſſunt Euangelium prædicare, & univerſam veritatem Dei.* Quod in illis miror, quum aliàs vocationem ad miniſterium in Eccleſiâ obeundum neceſſariam etiam doceant, *Confeſſ. art.* XXI. & *theſi* contra Oxonienſes *ſextâ*; neque etiam ſacramenta adminiſtrare illis concedunt, ut ſupra audivimus. Sed quod ſingulis prædicare concedunt, & publica coram toto Eccleſiæ cœtu divina tractare, in iis maximè caſtigant ipſorum Antagoniſtæ, Samuel Rutherfurd in lib. Anglic. *pro regimine Eccleſ. Scotic.* contra arg. Robinſoni. Richard. Bernardus, *adverſ. Ainſwortum, pag.* 182. quibus addendus Guilj. Apollonius, in *Conſider. Controv. Anglic. cap.* V. *qu.* III.

Ergò ut ad noſtrum accedam, atque objectioni propoſitæ reſpondeam, nego, dato exercitio Prophetico, vel tolli neceſſitatem vocationis ad miniſterium in Eccleſiâ obeundum, quod Sociniani inde cupiunt; vel tolli uſum concionum, quod & Anabaptiſtæ initio urgebant, ut patet ex Apologiâ Anabaptiſtarum, editâ & refutatâ à Bullingero; tum ex ejus *lib.* III. *cap.* [illegible] *adverſus Anabapt.* In apologiâ quidem ipſi primam cauſam, quare ad conciones noſtras non accedant, dant,

quod

quod Reformati *non ſervant Chriſtianum ordinem, quem Evangelium ſeu verbum Dei docet* 1 Cor. 14. *nempe ut auditor ex officio Chriſtianæ charitatis* (*ſi quid illi ad ædificationem revelatum fuerit*) *poſſit loqui in Eccleſia, & interim alter taceat*. quod ipſiſſimum noſtri jam homines ſequuntur in cœtu ſuo conniventiæ. Quaſi verò hæc quando obſervantur, ut in Catecheticis ferè ſolet fieri, tollatur ratio concionandi, qualem obſervant noſtræ Eccleſiæ, ac ſemper etiam uſurparunt Chriſtianæ. Synodi VI in Trullo habitæ cap. LXIV. habet, *quod non oporteat laicum publicè diſputare vel docere, docendiq; auctoritatem ex eo ſibi vendicantem, ſed ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & divina ab eis doceri*, &c. Atque ad conciones quod attinet, earumque uſum, non obſtante exercitio Prophetico, Chryſoſtomus in hunc locum 1 *Cor*. XIV. homiliæ ſuæ ἠθικὸν, ſive applicationem facit ad Auditores eâ ipſa de re, ut ſedulò ſc. conciones ſacras frequentent atque attendant. &, qui propior Apoſtolorum ævo fuit, Iuſtinus Martyr, ordinem uſumque S. concionum, S. cœnæ, cantionumq; in Eccleſiâ haberi ſolitarum, deſcribit in Apologiâ ſecundâ ad Imp. Antoninum Pium, circa finem, τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ, &c. Nec Tertulliani locum, ex ejus Apologiâ, de ſui temporis concionibus; vel Plinii ad Trajanum, *lib. x. epiſt*. XCVII. adferam, de quibus in Diſp. noſtrâ, *de Concionibus Veterum*: vel ſi malis, quem poſtea nacti ſuper hoc argumento Auctorem ſumus, Franciſcum Bernardinum vide, *de ritu ſacrarum Eccleſ. Cathol. concionum*.

ἈΝΤΕΡΩΤΗ'ΣΕΙΣ.

QVod quidam è Philoſophis (referente Tullio, IV. *Academ.*) & ii quidem non mediocres, contra Academicos diſputaturi cenſebant,

non eſſe ullam rationem diſputare cum iis, qui nihil proba-rent: id mihi quoque impræſentiarum haud ſemel perpendendum ſeriò fuit, in certamen invitato cum Adverſario,qui non aliter ac ſi ex Veteri Academiâ prodiiſſet, in ipſius religionis ſacratiſſimo negotio non niſi interrogare didicit, ac dubitare: an videlicet, ſeriò cum eo diſputandum mihi eſſet. Erotemata poſuit, & quid obſecro, præter erotemata? ut magis ridendum ſit, quæ ſua illa *Thetica* putet, præter erotemata, ad quæ in *Monito* provocat, *ejuſque* (ſic loquitur) libelli videlicet ſui, *vel Thetica refutent, atque ad Erotematica reſpondeant.* Bone vir, primùm illa libelli Thetica ab Erotematicis diſtinctiùs oſtendenda ſecernendaque à te fuerant, quum totum ſcriptum nihil aliud videatur eſſe, quam ut ipſe in ejus frontiſpicio exponis, *erotematica propoſitio*, &c. & nulla ferè propoſitio aliter incipiat, quam à *ſi,ſi*. Verùm quid,quorſum illæ quæſtiones, vel potius oberrationes? ita plerumque idem atque idem in iis redit, atque eadem reciprocatur ſerra. Legeras fortè in Talmude, vel Miſchnâ, כל המרבה בבדיקה הרי זה משבח *quiſquis in inquiſitionibus multus eſt, laudem meretur*; ſed tamen de filio Zacchæi, (fortè Rabbi Iohannan is, Hillelis diſcipulus,) quod additur, qui in ficuum pediculos inquiſierit, credo nec ipſe es probaturus. Adeò & vitio verti quoque poteſt, nimium ſi quæras, vel certa & ἀκίνητα ſi labefactare ſtudeas quæſtiunculis & hæſitationibus, ac ſubruere. In Scholis diſputari ſolet, an ſolùm ille ſit hæreticus, qui errorem pertinaciter tenet contra articulum fidei neceſſarium; an verò non etiam ille,qui dubitat,ſive qui in dubium trahit certiſſima, & fundamentalia? vide Melch. Canum *loc. Theolog. lib.* XII. *cap.* VIII. Et Greg. Valent. *qu.* XI. *part.* I. *dub.* II. Atque qui poſitivam dubitationem habet, ac pertinaciter fovet contra illos articulos, judicans ambiguos aut incertos eſſe, de quibus ambigendum neutiquam ſit, eum ab hæreſi non immunem pronun-

nunciat communis ſententia. In jure Canonico eſt: *Dubius in fide, infidelis eſt.* Compendio Becanum adi, *Theol. ſcholaſt. Tom.* III. *cap.* XIV. Sed hæc de ἐποχῇ & dubitatione, eâque affectatâ, in negotio religionis, atque articulorum fidei etiam diſcuſſa à Theologis noſtris ſunt adverſus Remonſtrantes, in illorum præfationem, ad Confeſſ. & Apologiam. Verbo dixero, vel illa, de quibus ambigendum nos haud putamus, vera cenſes, vel non; ut, exempli cauſa, quæ de Deo, ejus immutabilitate, ſimplicitate, &c. S. Trinitate, Chriſto θεανθρώπῳ; vel etiam de Eccleſiâ, ejuſque perennitate, S. miniſterio, Sacramentis, &c. ſi vera; ergò dum dubitare de illis ut ambiguis doces, annon veritatem illorum clam ſive palam everſum is, ſaltem elevatum? nam quorſum hæc de cunctis dubitandi Pyrrhonica Methodus, eò periculoſior; quo ſacra tractamus, quæ non ἐν κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ſed cum omni certitudine, πληροφορίᾳ, & ἐν τῇ πίστει βεβαιώσει recipi volunt, ac doceri. Auguſtinus, ad Honoratum ſuum, à Manichæorum erroribus eum dehortaturus, lib. *de utilitate credendi, cap. ult.* ſic loquitur: *Nam iſtos verboſos & miſeros, quid enim aliud mitius dixerim, penitus deſere, qui dum nimis quærunt unde ſit malum, nihil reperiunt, niſi malum; in quâ quæſtione ſæpe Auditores erigunt ad quærendum. Sed ea docent excitatos, ut vel dormire ſemper ſatius ſit, quam illo modo evigilare; de lethargicis enim phreneticos faciunt.* Sed nos relictâ Auctoribus hâc quærendi, dubitandique ratione ἀπορητικῇ, quæ ζητήσεις παρέχει μᾶλλον ἢ οἰκοδομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει, neceſſe habuimus noſtro, quocum hactenus nobis res, ἀντιπεριστάσεις opponere, non de fidei quærentes, nedum ambigentes veritate ullâ, ſed in mentem ac ſententiam Adverſarii inquirentes, ut protrahatur, & quid animi ſibi ſit in hiſce erotematis, ſectâ, & quæ molitur porrò: ut hinc orbi certius conſtent, eoque magis caveantur.

Quo

Quo teneam vultus mutantem Protbea nodo. Neque is ægrè tulerit quæſtiones alias ſibi referri, eaſque de ſuâ ipſius ſententiâ, qui omnes Eccleſias ſuis erotematis nequicquam erubuit provocare. Quæro jam igitur ipſe. I. An ſola vera Eccleſia (ex ipſius ſenſu) fuerit, quæ cum Apoſtolis, ac Euangeliſtis, quouſque ii infallibiliter nomine Dei, ejus verbum docuerunt, fuit? II. An alii præter Apoſtolos, & Euangeliſtas, infallibiliter quoque Dei nomine docuerint? III. An ſatis ex honore Chriſti, Eccleſiæque Chriſtianæ ſit, ſi non diutior dicatur Eccleſia fuiſſe vera, quàm cum Apoſtolis, Doctoribus infallibilibus; vel quando ſtatuitur, eccleſiam Chriſtianam ab ævo Apoſtolorum uſque fuiſſe formaliter apoſtaticam? IV. An alicui in culpam adſcrib poſſit, quod non ſit ex ordine & numero Doctorum in Eccleſiâ infallibilium? vel, quod non habeat donum, ac gratiam infallibilitatis? V. Quid ſi ſciviſſet Eccleſia Chriſtiana à primo iſtius ementitæ apoſtaſiæ initio, id eſt, ab ævo Apoſtolico uſque, ſe apoſtaticam eſſe, (quod tamen hactenus toto illo tempore ignoravit,) quid, inquam, factura fuiſſet, vel etiam facere debuiſſet, aut imò potuiſſet, quum tanto illo tempore Deus non concederet Doctores Eccleſiæ, ſuo nomine infallibiliter docentes, neque Eccleſiæ veram faciem reſtitueret? VI. Annon vel id ſolùm ſatis præjudicet illi ſententiæ, quod ſtatuit, tanto temporum intervallo, ac tot ſeculis in Chriſtianiſmo ignoratam omnibus Chriſtianis fuiſſe illam totius Chriſtianiſmi apoſtaſiam? VII. Quomodo definienda ſit apoſtaſia? VIII. An & quomodo ſalvati Chriſtiani ſub iſtâ pertinaci ſcilicet apoſtaſiâ? IX. An in Eccleſiâ, vel Chriſtianiſmo hactenus apoſtatico, omnes & ſinguli fuerint apoſtatæ? X. Quid de Martyribus ſentiat, vel ex ejus ſententiâ quid dicendum ſit de iis, qui vel à Gentilibus, Arianis, Papiſtis, aliiſque, pro Eccleſiâ & veritate martyrium perpeſſi conſtantiſſimè fuerunt? XI. Quis, quæ tempora Antichriſti, vel apo-

apoſtaſiæ Antichriſtianæ? xii. An doctrina & Confeſſio Eccleſiarum Reformatarum videatur vera? xiii. An Socinianiſmum ipſe abominetur? xiv. An Papiſmum? xv. Anabaptiſmum? xvi. Remonſtrantiſmum? xvii. Quinam ei ſint & quot articuli religionis & fidei fundamentales? xviii. An quæ controverſa inter Chriſtianos ſunt, vel controverti poſſunt, ideo incerta ſint, nec fundamentalia? xix. An inter omnes in Chriſtianiſmo ſectas inſtituendus ſit ſyncretiſmus, & unio Eccleſiaſtica? xx, An communionem Eccleſiaſticam velit colere cum Socinianis, Papiſtis, Remonſtrantibus, Anabaptiſtis? xxi. An quælibet & contrariæ opiniones, quæ videntur probari velle ex S. ſcripturâ, ſine diſcrimine admitti poſſint, ac defendi? xxii. An recipiat Symbolum, quod Apoſtolicum dicitur? xxiii. Quid ſit hæreſis? xxiv. Quid ſchiſma? xxv. An Eccleſia ejus, quam ſe jactat erigere, *Conniventiæ*, vera ſit? xxvi. Annon, quod alium cœtum inſtituit, eo crimen ſchiſmatis incurrat? xxvii. Annon exſpectandum fuiſſet cum erectione alterius Eccleſiæ, ex ſententiâ libelli ſui, uſque dum reſponſum atque examen libelli ſeriò & quo decet modo ac ordine urſiſſet, atque accepiſſet priùs? xxviii. Quando illi jam monſtrabuntur errores ſui ac peccata in ſuo libro, atque cœtu novo inſtituendo commiſſa, quo pacto redempturus ſit damnum orbi, Eccleſiæ, reipublicæ, turbatis atque everſis, quæ ipſum ſecutæ, animis omnino illatum? xxix. Annon verendum, eum, quamvis monſtratis melioribus, pervicaciam oppoſiturum, & καὶ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν non ceſſurum? xxx. Quando in cœtu ſuo pro & contra de articulis fidei & ipſe quidem diſputat, & ἃ καταλύει, ταῦτα πάλιν οἰκοδομεῖ, annon egregium ſe conſtituat παραβάτην? auditoreſque ſic dimiſſi prorſus conturbentur? xxxi. An neceſſariam æſtimet ad miniſterium docendi in Eccleſia vocationem? & qualem? xxxii. Quam ipſe ad hæc agenda, colligendamque novam Eccleſiam, habeat, &

& à quo, vocationem? XXXIII. Quando in ſuo cœtu, ubi quibuſvis licet quâcunque de rè & articulo diſputare, opponere, vera falſaque, vel nequit ſatisfieri interroganti ac opponenti, vel inter opponentes non poteſt convenire, ac pertinaciter nolunt cedere, denique in apertas ac meras contentiones prorumpunt, quid tum conſilii in iſthoc cœtu, vel quis inde fructus? XXXIV. Annon putet ex ſuo cœtu ſchiſmata poſſe enaſci? XXXV. An nulla, vel quæ in cœtu retineat ſacramenta? XXXVI. An nullam diſciplinam Eccleſiaſticam?

Sed quæſtionum reciprocarum fortè ſatis; nec inficior: & ubi ad haſce reſponderit Auctor (reſpondere ſanè oportet), ut ejus phraſi iterum utar, tum de re tota accuratè cogitabimus. Denique *Monitum*, ſive *ἀντιπαραίνεσιν* ſubjicio, ut ne putet ſibi nobiſque factum ſatis, ſi ordinem noſtrum impudenter proſcindat, eoſque qui reſpondent ipſius erotematis, convicietur, atque refutatione indignâ dicat, dum tollere non poteſt: quod in *Monito* factum ab illo peſſimè. Cordato nulli perſuaſerit, hoc diſputatoris ingenui eſſe, quæſtiones primùm infrunitas proponere, omneſque ad reſpondendum provocare; tum, contemnere leviter, quæ contra, & doctè adferuntur, non ſine probris in Auctorem, & nullo quidem dato argumento, quo oſtendat, nihil prolatum contra ſe eſſe alicujus momenti: Vel ita habeat, ſiquidem ſic agere ei conſtitutum, aliud Monitum, ſed gravius nos talibus oppoſituros eſſe, ac æquè facile negligere poſſe ſua, quàm ipſum aliena: judicio interim lectoribus, omnibuſque qui ad certamen provocati, relicto. Vel age, inſolenti *Monito* oppono *Provocationem*, ad præſens ſententiæ examen ac diſputationem, coram Politicis, & Eccleſiaſticis, aliquibus viris doctis & idoneis, qua diſcutiatur, num rationes habeat aliquas & ſufficientes erigendi cœtus iſtiuſmodi, quo contra Eccleſiam & doctrinam noſtram agat multùm doceatque, & ſic dogmatum inſtituatur examen

men ſerium, amicum, pium, ad Eccleſiæ, noſtrorumque omnium bonum, & ſalutem, Deique ſummi majorem gloriam. Hoc ſaxo, cures. Ita nec in ſeriis luſiſſe (agnoſcis tua *Moniti* verba), nec conſcientiæ vim feciſſe putaberis. Sin verò monitionem hanc, provocationemque ſuſque deque habeas, tibi imputes oriturum inde deſerti deſperatæ cauſæ patrocinii, papaliſque uſurpatæ notam arrogantiæ, ac quicquid ex hoc neglectu impoſterum infectum voles. *Si ſapitis, benè & rectè: ſi autem non ſapitis, nos veſtri curam geſſiſſe non pœnitebit: quia etſi cor veſtrum ad pacem non convertitur, pax noſtra, tamen ad nos revertetur.* Sic concludit ſuam, contra literas Petiliani Donatiſtæ diſputationem, Aurelius Auguſtinus.

Liber Septimus
DE
SOCINIANISMO.

HEreſis Socinianæ malum. Origo. De Lælio, & Fauſto, Socinis. Repreſſus quomodo, & reprimendus Socinianiſmus. Quo pacto in noſtras regiones introductus, & innotuit. Ut ei reſiſtendum. Controverſiæ.

PErnicioſa cumprimis eſt hęreſis Sociniana, quâ, inter hodiernas, ſub nomine Christiano, nulla æque deteſtanda. Non enim hæc articulum aliquem religionis, ſed ejus animam & fundamenta concutit, atque fermè evertit. Secundum hanc Chriſtus nihil eſt, niſi Doctor aliquis, aut Martyr egregius; ejus officium, docere duntaxat, non verè redimere; Euangelium altera lex; juſtificatio, propter opera contingit; probitas ſolum-

ſummodo ethica aliqua infernus; & animæ plurimorum poſt hanc vitam, nihil; quodque primo loco dicendum fuerat, S. in Deo Trinitas, ludibrium & idolum. Quæ omnia, iiſque annexa capita & errores quantopere totam Theologiam & religionem infeſtent ac corrumpant, nemo eſt qui non ſentiat.

Cœpit hæreſis abhinc ſæculum, à Lælio Socino Senenſe, qui Serveti blaſphemias (ob quas iſte Genevæ luit anno cIↄ Iↄ l I I I.) arripuit, & plura alia contra orthodoxiam dogmata petulanti ingenio ſectatus, à Calvino graviter increpatus fuit, epiſtolâ ad illum ſcriptâ anno cIↄ Iↄ l I I. quam alibi exhibui: iterum aliâ anno cIↄ Iↄ lv. quæ inter epiſtolas Calvini legi poteſt. Hic Lælius Socinus ſcripſit explicationem in primum caput Iohannis, quam primus refutavit Hier. Zanchius, omiſſo Auctoris nomine, cujus rationem dat in Præfatione lib. *de Tribus Elohim*, ubi accuratius hominem ſibi benè notum & familiarem (qui ut erat pleniſſimus diverſarum hæreſium, ita eas nunquam Zanchio proponebat, niſi interrogans, & diſputandi prætextu magis, quam aſſerendi) deſcribit. Eandem primi capitis Iohannis interpretationem exhibent Auctores maledicentiſſimi ſcripti, Miniſtri conſentientes in Sarmatiâ & Tranſſylvaniâ, Albæ Juliæ anno 1563. *de unius Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti cognitione verâ & falſâ, lib.* I I. *cap.* X I. etiam Franciſcus Iunius, in *Defenſ. tertiâ Trinitatis.* De illâ ſic Socinus ipſe ſcribit, epiſt. I. ad Dudithium, *Neſcio an unquam oculis tuis oblata ſit brevis quædam explicatio initii primi capitis Iohannis, à Zanchio, & Beza, & ex parte à Polonis iſtis Lælio aſcripta: ea vero jam ante annos XVIII. ex officinâ noſtrâ prodiit.* Lælius etiam dicitur *Dialogi*, adverſus Calvinum ſcripti, de hæreticis jure gladii coërcendis, *inter Calvinum & Vaticanum*, qui paſſim, & in ipſâ libelli præfatione attribuitur Caſtellioni. Vti Zanchium, quamdiu cum eo vixit, mirifice fefellit Lælius, ſimili-

ter bono viro Philippo Melanthoni, quocum triennium exegit familiariter, adeo impoſuit, ut Philippus pro eo tamquam optimo viro. anno cIↄ Iↄ lvII. interceſſerit tum apud Imp. Maximilianum II. tum apud Poloniæ Regem Sigiſmundum, ut horum nomine Legati vicem Venetiis obire, eaque ratione paternam hæreditatem, ſibi, ob conſuetudinem cum Proteſtantibus in Germaniâ, interclusam, adire tutius liceret. Obiit anno cIↄ Iↄ lxII. Tiguri, ætatis a. xxxvII. quo tempore Fauſtus erat juvenis xxIII. annorum, natus quippe hic fuit Senis, in Italiâ a. cIↄ Iↄ xxxIx,

Intellectâ patrui ſui morte Fauſtus, ocyus Tigurum advolat, creſcendæ non tam hæreditatis, quam Bibliothecæ, & ſcriptorum recondendorum cauſa, ne in alterius manum venirent, & myſteria illa recluderent quæ Lælius preſſerat, & Fauſto reliquerat ſuo tempore propalanda. Sic quippe apud amicos nonnumquam de Fauſto ſuo gloriatus perhibetur Lælius, quod is poſt ſe omnia fælicius mundo eſſet explanaturus & perfecturus. Cum hâc prædâ vel theſauro in Italiam abiit Fauſtus, ubi primùm in aulâ Florentini Ducis, per duodecim annos hæſit, inde hac relictâ, Baſileam venit anno cIↄ Iↄ lxxIv. ætatis xxxv. manſitque triennium: poſt in Tranſſylvaniam à celebri medico Blandratâ evocatus ad cIↄ Iↄ lxxvII. tandem in Poloniam, ſeceſſit anno cIↄ Iↄ lxxIx. ætatis xl. ubique id unum agens, ut dictata & Theologiam patrui ſui pleniſſimè imbiberet & excoleret. Vixit in Poloniâ Cracoviæ, unde circa vitæ finem diſcedens Luclavicias, pagum novem circiter milliaribus Cracoviâ diſſitum, hic poſt aliquot annos obiit, anno hujus ſæculi quarto, ætatis ſuæ lxv.

Libros ſcribere cœpit ab anno cIↄ Iↄ lxx. quos varios ubique locorum, in Italiâ, Germaniâ, Tranſſylvaniâ, & Polonia edidit, quorum catalogum, & quæ plura ad hujus hæreſis hiſtoriam ſpectant, nuper expoſui, in Apparatu ad primum Tomum *Socinianiſmi Confuta-*

putati. Interim dum uterque Socinus novum religionis ſyſtema & ædificium moliuntur, alii poſt Servetum Genevâ expulſi, eaſdem hæreſes proſeminare ſategerunt, cum alibi, tum in partibus Tranſſylvaniæ, & Poloniæ, quò certatim confugiebant.

Quales Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Ioh. Paulus Alciatus, & cum iis alii, qui quando primum innotuere Eccleſiis, & conſtare cœpit eos de Deo & Chriſto tradere hæretica prorſus, ita diſſimularunt ea & palam negarunt, contra animi ſententiam, & contrarium ei quod eventus poſtea de illis docuit, ut majores an hæretici, an tergiverſatores initio fuerint, dubium videatur; utrimque nimirum mendaces, & in Deum ejuſque veritatem, & in ſe. Petrus Statorius Tonvillanus, qui iſtorum unus erat, in Synodum Pinczovienſem citatus, ut reſponderet de ſuſpicione hæreſis adverſus ſe data, *propheticam* dixit, *& Apoſtolicam doctrinam, quæ veram Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti cognitionem continet, amplector ac veneror, parique religione, Deum Patrem, Filium, ac S. Spiritum, diſtinctè ſecundum ſacrarum literarum veritatem colendum, implorandumque precibus, libere profiteor: denique omnem hæreticam de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto blaſphemiam, plane deteſtor, ſivè Ariana illa, ſive Servetiana, Eunomiana, Stancariana fuerit.* Factum hoc anno cIↄ Iↄ lix. confeſſionemque eam propria manu ſubſignavit. Georgius Blandrata ſimiliter, poſtquam de eo Eccleſias Polonicas, & Palatinum Vilnenſem, Calvinus ſollicite monuerat, in Synodo Pinczovienſi anno cIↄ Iↄ lxi. ſe adverſus injurias quaſi Calvini defenſurus, teſtatus fuit: *Fateor*, inquiens, *me credere in unum Deum Patrem, in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium ejus, & in unum Spiritum ſanctum, quorum eſt eſſentialiter Deus. Deorum pluralitatem deteſtor, cum unus nobis ſit tantum Deus eſſentiâ indiviſibilis. Fateor, tres eſſe diſtinctas hypoſtaſes, & æternam Chriſti divinitatem ac generationem:*

& Spiritum Sanctum, verum & æternum Deum; ab utroque procedentem. Et tamen certum eſt, illos primos acerrimoſque hæreſis Anti-Trinitariæ in Poloniâ extitiſſe patronos & propagatores, cum Franciſco Liſmanino, qui in Synodo alia ejuſdem anni, ſe non adeo rem & doctrinam fidei, quam verba Scholaſtica Trinitatis & ſimilia accuſare profitebatur. Attamen magis magiſque indies detecti, cum non amplius ſub Eccleſiæ nomine & gremio occultari poſſent, poſt habitum Colloquium, ſchiſmate palam facto in ſegreges cœtus cibiere, Petricoviæ anno cIↃ IↃ lxii. Poſtea anno cIↃ IↃ lxv. permiſſu Regis Sigiſm. II. publica inſtituta diſputatio fuit inter Noſtros, ac illos: atque ab eo tempore deinceps aperto & diuturno certamine iſtorum hominum exercita ibi locorum Eccleſia fuit, librique peſſimi ſcripti adverſus fidem, præſertim S. Trinitatem, ab anno cIↃ IↃ lxvii. Quibus poſtea Socinus acceſſit, uti diximus, a. cIↃ IↃ lxxvii. in Tranſſylvaniam primùm, inde in Poloniam. Vide de illis *Hiſtoriam Eccleſiar. Slavonicarum lib.* I.

Socinus autem non ſubſtitit in uno vel altero adverſus Eccleſiam dogmate, non in oppugnanda ſola S. Trinitate, & Chriſto, ſed ex ſuo ingenio totam aliam religionis novamque formam introduxit per ſingula Theologiæ capita, in quibus proponendis non ſemper ei æque à ſuis aſſenſum. Quare omnino ab eo Auctore nova hæc ſecta, & non per antiquas tantum vel Samoſatenianorum vel Arianorum nomenclaturas, ſupra quos innumera alia adverſus fidem ille docuit, appellanda. Eques Polonus, qui vitam Socini ſcripſit, uti hoc Socinum ſemper in animo habuiſſe ſignificat, ut nobilioris fidei doctrinam traderet, ita in eo quidem haud male judicaſſe mihi videtur, quod circa finem illius hiſtoriolæ, de factis & geſtis Socini diſſerens, eum comparat Ignatio, Loyolitarum patri; *Ignatius quoque, ut alios taceam, majorum noſtrorum memoriâ, patriam, a-*

gnatos, opes, honores, & alias illecebras contempſerat, multos quoque labores, multa diſcrimina ultrò ſubierat, Zelum gloriæ Dei & fidei militiam profeſſus. Non deſpicio animi magnitudinem, quæ in eo aut nonnullis ſimilibus apparuit. Neque enim prorſus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hic video illud magis arduum, quod quærimus nobilioris fidei ſpecimen. Non inepta comparatio, uterque novæ ſectæ auctor fuit, æque execrandæ, in cujus gratiam pari ſtudio viſi ſunt patriam, opes (ſi quas forte habuerunt), & ſæcularis vitæ nobilitatem deſeruiſſe, eundem gloriæ Dei zelum & fidei militiam profeſſi. Sed revera, ut Auctor hic ipſe prodit, animi magnitudo, & gloriæ cupido eos egit in novas erigendas religiones; in Socino quidem eo major, quo alterius etiam fidei typum, vel *nobilioris fidei ſpecimen*, quemadmodum Auctor loquitur, excogitavit. Videlicet utrique par debetur ab omnibus & gloria, & merces. Ignatius Socinis aliquantum anterior fuit, utpote natus a. cIↄ cccc xci. mortuus anno cIↄ Iↄ lvi. Papa Clemens VIII. hoc ne omittam, anno cIↄ Iↄ c III. Bullam edidit, vel præteritam P. Pauli IV. renovavit, adverſus negantes Trinitatem: legitur in Bullario Stephani Quarantæ, tit. *Hæretici*.

Quo verò magis Sociniani conantur noſtris ſe immiſcere & ingerere tum hominibus, tum Eccleſiis, etiam Rebuſpublicis, eo diligentius cavendi ſunt & coërcendi. A primo ſectæ tempore ſtuduerunt latere ſub nominis noſtri umbrâ; verùm agniti, ſimul conſtanter repudiati, condemnataque eorum doctrina fuit, & quantum potuit, omni ſtudio repreſſa. Ex Poloniâ, Belgio, Angliâ eliminati. Neque ſine cauſâ, dixit Archiepiſcopus Colonienſis Ernestus, intellectis Socinianis quæſtionibus & litibus, per Remonſtrantes, & Vorſtium ejuſque diſcipulos imprimis motis, ad annum hujus ſeculi decimum quartum: jure meritoque omnes „ tres Religiones, intelligens Papiſticam, Lutheranam,

& Reformatam, ſe conjungerent ad hanc ſectam com-
„ muni opera extirpandam.

Hoc, quo iſta ſcribo, anno, menſe Aprili, Catechiſmus Racovienſis, in Angliâ, decreto Parlamenti, igni adjudicatus fuit. In noſtris hodie regionibus per contentiones Remonſtranticas magnopere innotuit & divulgatus eſt Socinianiſmus, poſtquam a. cIↄIↄxcvIII, magno animo & zelo, publico Ordinum decreto, exulare hinc cum Turcicâ ſuâ doctrinâ coacti fuerunt auctores ejus Oſtorodus, & Vaidovius. Qua eâdem diligentiâ princeps Auriacus VVilhelmus Eraſmi Iohannis conatus Antverpiæ, ubi Scholæ Rector erat, in herbâ ſtitit, ne ſe latius diffunderet, poſtquam hæreſis ſuæ librum aliquem clam emiſiſſet. Vti hæc refert Henricus Antonii, Theologus Franekeranus, in *Præfat. Syſtematis Theol.* ubi initia Eccleſiæ in Belgio aliqua breviter enarrat. Qui Eraſmus Iohannis poſtea in Tranſſylvaniam aufugit, & Arianiſmum palam docuit, in cœtu Claudiopolitano, cujus miniſter erat, & cum quo Socinus aliquando diſputavit: nam alia Socini erat ſententia, dicentis, Chriſtum non extitiſſe ante Mariam, quem ille ajebat fuiſſe ſubſtantiam ſpiritualem à Deo ante reliqua creatam, quæ poſtea carnem induiſſet. Diſputationem illam edidit Socinus, interque opera ejus legitur. Ab illo Eraſmo Iohannis, hæreſis Arianæ, quum Socinus Photinianæ eſſet, ſectatore factum arbitror, quod ipſis nomina Arianorum & Ebionitarum, aliquando & Photinianorum, indita ſint. Quod verò pridem exundarit apud nos hæreſis Sociniana, cujus antea vix nomen noſtris notum erat, factum (uti dico) per infelices Remonſtrantium diſputationes, primò per Vorſtium, Theologum iſtum, κενόφωνον uti merito appellabat Caſaubonus, ei reſponſurus, poſtquam ad ſe ſcripſiſſet. epiſt. ad Thuanum, cclxxxII. & cujus librum *de Deo*, ita ad Socini mentem compoſitum,

ut

ut nullum æque citent Adverſarii, ubi iſtam materiam tractant, damnatum idcirco à Rege Angliæ, & comburi juſſa exemplaria, tum Londini, tum in utrâque Academiâ, ſcribit in Epiſtolâ ad Perronum Cardinalem, pro Rege ſuo reſponſoriâ. Quod ampliſſ. Magiſtratus Amſteldamenſis ſecutus nuper fuit, quando in ignem conjici exemplaria librorum Volkelii, iſt hic recuſorum, laudabili exemplo voluit. Iam quo magis ſive clam, ſive palam, ſive proprio nomine, ſive ſub alieno ſe quaquaverſum ingerit Socinianiſmus, eo ſolertius & validius ei omni modo occurrendum, politicè, & Eccleſiaſticè, quodque utriq; inſervit, etiam Scholaſticè: id eſt, ut in Academiis diligenter inſtruantur ſtudioſi de malitiâ & contagio iſtius hæreſis, quibus ſe artibus vulgò inſinuet, quibus nitatur rationibus, tum quo pacto & quibus argumentis confundi & deſtrui poſſit. Tempus fuit, quo cum aliis luctandum beſtiis nobis fuit: habent quæque diſputationes ſuas quaſi periodos. Initio cum Papiſmo acerrimum bellum fuit, inde cum Anabaptiſtis, & Enthuſiaſtis, pridem cum Remonſtrantibus, nunc cum peſſimis omnium Socinianis decertandum venit. Quamvis enim Papiſtæ graviter errent, tenent tamen adhuc multa religionis fundamenta, ſed quæ variarum ſuperſtitionum & errorum ἐποικοδομῇ corrumpunt: Sociniani verò tollunt omnia. At gravius eſt carere omnino, quibus carere nequeas, quam habere eadem ut cunque vitiata. Supereſt hoc; in genere adhuc magni operis argumentum, quod unumquemque exerceat, diſputationum adverſus illam hæreſim. Nos pro modulo noſtro inchoavimus, edito *Confutati Socinianiſmi* Tomo primo, ad reliqua ſimiliter perficienda accincti: ſed & aliorum in idem opus Domini labores ac ſtudia provocamus, ut unanimi operâ à grege arceamus malum, quo nullum aliud magis inimicum & exitioſum. Quare plura de hoc argumento dicere ſuperſedeo, quæ alibi prolixius tum expoſui jam, tum in ſequentibus per-

tractaturus, cum bono Deo, ſum. Interim ad cognoſcenda Socinianorum dogmata conducet vel Catechiſmus Racovienſis, aut Oſtorodus, Smalcius contra Frantzium, Volkelius; nam Socini ſcripta & rarius haberi poſſunt, & diffuſiora ſunt, quam ut ſummam totius doctrinæ ſuæ ſyſtematicè exhibeant. Tum adverſus illa compendio uti poſſunt Studioſi Stechmanni *Photinianiſmo*, aut Andreæ Prolæi *Mataeologiâ Socinianâ*, Cloppenburgii *Compendiolo Socinianiſmi Confutato*, vel Nicolai Arnoldi *Refutatione Catecheſis Racovianæ*. Extant præterea nec contemnendi hâc in parte tractatus, Theodori Thummii *Impietas Photiniana*, & Calovii *Socinianiſmus profligatus*. Controverſiæ autem ſunt:

I. Num in S. Scripturâ aliqua revera ſit diſſenſio & repugnantia? *Neg.*

II. Num S. Scripturæ textus authenticus pluribus in locis ſit immutatus, atque depravatus? *Neg.*

III. Num aliqui Veteris Teſtamenti libri ſacri perierint? *Neg.*

IV. Num ſub Novo jam Teſtamento, Veteris Teſtamenti lectio non ſit neceſſaria, magnique adeo momenti? *Neg.*

V. Num ſine internâ, ac ſingulari illuminatione Spiritus Sancti, S. Scriptura rectè & ſalutariter intelligi, atque ſervari poſſit? *Neg.*

VI. Num ratio humana ſit judex & norma controverſiarum Theologicarum? *Neg.*

VII. Annon aliqua de Deo notitia hominum animis inſita ſit, & naturalis? *Aff.*

An ex rerum creatarum contemplatione, aliqua de Deo notitia acquiri poſſit? *Aff.*

VIII. Num religio duabus modo contineatur partibus, præceptis divinis, & promiſſis? *Neg.*

Annon etiam notitia credendorum partem faciat? *Aff.*

IX. Num articuli ad ſalutem fundamentales ſint pauciſſi-

ciſſimi? iique, quos Sociniani pro talibus habent?ut de Deo ſolùm, quod ſit, unus, æternus, perfectè juſtus, perfectè ſapiens, perfectè potens? *Neg.*

x. Num Dei æternitas, partes ac ſucceſſionem temporis habeat, per prius, & poſterius? *Neg.*

xi. An Deus eſſentia ſuâ ſit omnipræſens? *Aff.*

xii. An Deus habeat omnium ſcientiam, etiam futurorum contingentium? *Aff.*

xiii. Num attributa, ſeu proprietates in Deo ſint accidentia, vel qualitates realiter à Deo, atque inter ſe differentes? *Neg.*

xiv. An in Deo ſint unius eſſentiæ tres Perſonæ; Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus? *Aff.*

xv. Num in Deo ſint affectus, & variæ voluntatis commotiones? *Neg.*

xvi. Num prædeſtinatio ſit Dei decretum æternum, quo voluerit homines in Chriſtum credituros atque in fide perſeveraturos, ſalvare, ſed in genere tantum, non in individuo ſingulari, quos? atque ubi quis actu jam, voluntate ſuâ bene uſus, in Chriſtum credit, diverſis alii & alii temporibus, an tum demum à Deo, propter ipſorum fidem ac obedientiam, eligantur; & electione modo inchoatâ, & incertâ, atque mutabili, quæ etjam ceſſare, deficiente in hominibus fide, poſſit, neque ſit completa, & peremtoria, niſi poſt probatam hominis ad vitæ finem, in fide & bonis operibus perſeverantiam? *Neg.*

xvii. Num Angeli, & materia mundi, ante hujus mundi ſex diebus creationem, fuerint creata? *Neg.*

xviii. Primus homo annon à Deo fuerit creatus juſtus ac ſanctus? *Aff.*

xix. Annon omnes homines naſcantur cum peccato originali? *Aff.*

xx. Annon mors ſit peccati pœna? *Aff.*

xxi. Num homo à natura poſſit præſtare quodvis bonum? *Neg.*

XXII. An Chriſtus ſit verus Deus? *Aff.*

XXIII. Num Chriſtus etiam venturus fuiſſet, quamvis homo non peccaſſet? *Neg.*

XXIV. Num Chriſtus, tempore quadrageſimalis jejunii, in cœlum raptus fuerit, ut ibidem de doctrina hominibus patefacienda inſtrueretur? *Neg.*

XXV. Num promiſſio vitæ æternæ, & remiſſionis peccatorum, ac Spiritus Sancti, & ſalutis in Chriſto, Patribus etiam facta & oblata ſit in Veteri Teſtamento, ab iiſque credita, & proinde ii eâdem viâ ſalvati fuerint, quâ nos? *Aff.*

XXVI. Num Chriſtus legem moralem perfectiorem, & alias de novo leges dederit?

Videlicet, an

ad *Primum* præceptum addiderit,

I. Præceptum generale, de precibus Deo faciendis?

II. Formulam Orationis Dominicæ?

III. Præceptum, de invocando & adorando Chriſto?

Ad *ſecundum*,

I. Præceptum, de cavendis idolis, eorum habitationis loco, atque idololythis?

Ad *Tertium*,

I. Ne leviter juremus?

II. Vt quoque per nomen Chriſti liceat jurare?

Quartum præceptum num ſit cæremoniale, & ad Chriſtianos nihil pertinens? *Neg.*

Num ad præceptum *quintum* per Chriſtum additum ſit,

Quod ſpectat ad officium Magiſtratus, & ſubditorum; maritorum, & uxorum; dominorum, ac ſervorum?

Ad præceptum *ſextum*,

I. Dilectio inimicorum?

II. Proximo non iraſcendum, non convitiandum,

ne-

neque vindictam intentandam eſſe?

Ad *ſeptimum*,

I. Alienæ uxoris concupiſcentiam, eſſe adulterium?

II. Polygamiam, & divortium extra caſum adulterii, illicita eſſe?

III. Cavendam eſſe omnem ſcortationem, impuritatem, turpiloquium, geſtus, contrectationes libidinoſas?

Ad *Octavum*,

I. Prohibitio avaritiæ?

Ad *Nonum*,

I. Omne mendacium & ſimulationes ac diſſimulationes, item detractiones, & condemnationes temerarias peccatum eſſe?

Qu. Num officioſa mendacia ſint licita? *Neg.*

Ad *Decimum*,

I. Non eſſe animum oblectandum concupiſcentiâ rei alienæ, neque ejus fovendam cogitationem?

Negatur, illa ceu additamenta ad legem à Chriſto appoſita fuiſſe.

XXVII. Num Chriſtus, præter legem, alia quædam tulerit præcepta moralia? videlicet

I De ſui abnegatione.

II. Tolerantiâ crucis.

III Denique imitatione Chriſti? *Neg.*

XXVIII. An Chriſtus paſſione ſuâ pro peccatis noſtris vere ſatisfecerit, & ſalutem meritus nobis ſit? *Aff.*

XXIX. Num Deus propter opera, vel obedientiam præceptorum Chriſti, hominem juſtificet? *Neg.*

An verò propter imputatam ei, per fidem, juſtitiam Chriſti? *Aff.*

XXX. An vera probitas ſit naturalis, & naturaliter acquiſita? *Neg.*

An verò à Spiritu Sancto, & ſingulari ejus efficaciâ, hominem actu convertente? *Aff.*

XXXI

xxxI. Num ſint aliqui homines adeo perfecti, ut non peccent? *Neg.*

xxxII. Num aliqua peccata ſint per ſe venialia? *Neg.*

xxxIII. Num renati & fideles plene quidem deficiant à Deo, & ab omni ejus gratiâ? *Neg.*

xxxIV. Num homini regenito peccanti, & in peccatum crebrius relabenti, quantumvis id doleat & deploret, nullus aditus pateat ad pœnitentiam, & ad gratiam Novi fœderis, ſive miſericordiam Dei, & remiſſionem peccatorum impetrandam? *Neg.*

xxxV. Num inveſtigare Eccleſiam, ubi, & apud quos ſit, prorſus non ſit neceſſarium, ſed propemodum, vel quodammodo inutile? *Neg.*

xxxVI. Annon profeſſio veræ doctrinæ nota ſit Eccleſiæ? *Aff.*

xxxVII. Num omnis Eccleſia planè deficere ex mundo poſſit, ut nulla ſit, vel aliquando non fuerit? *Neg.*

xxxVIII. An ad obeundum Sacrum in Eccleſiâ miniſterium, neceſſaria ſit vocatio? *Aff.*

xxxIX. Num baptiſmus & Cœna ſacramenta ſint, gratiam Dei fidelibus obſignantia & confirmantia? an verò nudæ duntaxat fidei profeſſiones, & gratiarum actio? *Aff.* prius; *Neg.* poſterius.

xl. Num Baptiſmus ſit res indifferens, non præcepta? *Neg.*

xlI. An etiam fidelium infantes baptizandi? *Aff.*

xlII. Num prohibitum ſit Chriſtiano Magiſtratui mortis ſupplicio reum afficere? vel etiam belligerare? *Neg.*

xlIII. Num animæ poſt hanc vitam nec ſubſiſtant per ſe, nec vivant, aut ſentiant? *Neg.*

xlIV. An in reſurrectione eadem corpora ſint reſurrectura? *Aff.*

xlv.

xlv. Num improborum poena infernalis nullum cruciatum dicat, ſolam annihilationem? *Neg.*

Liber Octavus,

DE REMONSTRANTIBUS.

Periodi tres controverſiæ de Prædeſtinatione, de Arminio. Vorſtio. Simone Epiſcopio. Remonſtrantium nomen. Apologia Socinianiſmus, de ipſorum tolerantiâ. Prudenter diſcernendi ut homines, ita & controverſiæ ipſorum. Reſponſio brevis, adverſus libellum A. F. P.

Controverſiæ de Prædeſtinatione, quæque huc ſpectant, tres in Eccleſiâ fuerunt magis celebres periodi. Prima, tempore *Auguſtini*, adverſus Pelagianos, inde & Semi Pelagianos in Galliâ, ab anno cccccv. Deinde, ſæculo nono, ab anno DCCCL. cum *Gottſchalco*, Monacho Orbacenſe, Auguſtini ſententiam ſequente, & impugnato varie ab Hincmaro, Rabano Mauro, Ioh. Erigena Scoto, aliis; ſed & defenſo, non minori cum ſtudio, à Remigio, epiſcopo Lugdunenſi, Floro, Prudentio Tricaſſino &c. tum Synodis etiam pro hâc, & illâ ſententiâ coactis, agitatiſque. Demum hoc ſæculo, ab anno cIↄ Iↄ c I I I. quo tempore Iacobus *Arminius*, (nomen vernaculum erat Iacobus Hermanni, quod in Arminium mutârat) Veteraquinas, in Academiâ Leidenſi Profeſſor Theologus damnatam olim ab Eccleſiâ ſententiam renovavit, & contentiones & diſſidia illa in Belgicis Eccleſiis mota ſunt, ex quibus Sciſma *Remonſtranticum* poſtea enatum fuit. In Arminio quidem mitior animus, & nec ad tot alias opiniones,

nes, extra circum Prædeſtinationis, cujus in doctrinâ rite explicandâ ſemper hæſerat, nimium ſiſus ſuis propriis extra Dei verbum, & communem docendi in Eccleſiâ modum ſpeculationibus; neque ad tantas turbas, ac diſcipuli ejus poſt ipſum, concitandas inclinare viſus: interim tamen, ut qui ſemel compagem aliquam luxant, ad diſſolvenda alia pruriiſſe deprehenſus fuit, cum aliunde, tum ex *Epiſtolâ*, *& articulis perpendendis ad Hippolytum à Collibus*. Et *Declaratione ſententiæ*, *& Reſponſione ad* XXXI. *articulos*. Vivere deſiit Arminius, a. cIↃ IↃ C IX. In cujus locum deſignatus quidem erat Conradus *Vorſtius*, ſed quum tempeſtive ſe prodidiſſet, præſertim in libro *de Deo*, non tantum quas partes turbasque futurus eſſet adverſus recte ſentientes & docentes in doctrinâ Prædeſtinationis, ſed hæreſi Socini imbutum pectus, & varia opinionum monſtra à ſe ali, de quibus & Eccleſiæ noſtræ, & Rex Magnæ Britanniæ Iacobus Illuſtriſſ. Belg. Ordines monendos exiſtimabant, nunquam hic muneri, ad quod quidem vocatus erat, & cujus occupandi cauſa Leidam jam cum familiâ ſuâ venerat, admotus fuit. Vnde factum, quod eum poſtea Sociniani, ad capeſſendam apud ipſos Theologiæ profeſſionem, invitarint: quæ in *Apparat. ad Tom.* I. *Socinianiſmi Confut.* plenius, ubi oſtendendum mihi fuit, quomodo ſub nomine Remonſtrantium (quo pacto ſe ipſos lubenter appellant, aut Remonſtranto-Reformatos, uti in inſcriptione Catecheſis ſuæ: illud nomen ab anno cIↃ IↃ C X. acceperunt ex libello, ſeu Remonſtrantiâ, uti vulgo dicimus, Ordinibus Hollandiæ oblatâ, quam in Collatione Hagienſi, anni ſeq. cIↃ IↃ C XI. & apud Baudartium in Hiſtoriâ, legere eſt) tum à Vorſtio, tum ab aliis, Socinianiſmus in noſtris Eccleſiis innoteſcere & doceri cœperit.

In quo haud ſegnem operam à Simone *Epiſcopio* etiam collocatam, nemo inficiabitur. Epiſcopius iſte, de

quo

quo ſimiliter, loco jam à me aſſignato, dixi, ſedulus Arminii diſcipulus, cuique ſua ſtudia potiſſimum debebat, in locum Franciſci Gomari Leidam accitus fuit a. clɔ Iɔ c x I I. atque poſtquam à Synodo Dordracenâ a. clɔ Iɔ c x I x. una cum aliis Remonſtrantium Doctoribus munere exauctoratus fuit, tamen invitâ & Eccleſio, & Rep. Rotterodamum primùm, inde Amſtelodamum, *ut Remonſtrantium ſeminario praeeſſet, & juvenes qui in ſpem Eccleſiæ aluntur in Theologiâ inſtitueret*, uti palam de eo loquitur Stephanus Curcellæus, in præfat. Operum Epiſcopii, repedavit; atque ne Prædeſtinationis negotium parum Sciſmati videretur, Sociniana dogmata paſſim ita ſuis immiſcuit, ut & Remonſtrantium fecerit, & Sectæ affricarit, quam ducebat. Hinc, ne *Confeſſionem* dicam, quam ita ambiguam & laxam fecit, ut ſub eâ, quemadmodum patuit, ſatis tuto præſidio Socinianiſmus lateret, *Apologiam* illius, ceu Socinianiſmi novam Confeſſionem edidit, Remonſtrantium omnium nomine. In quo neſcio an gravius peccarit Auctor, an Societas Remonſtrantium, quod ſuo nomine ſiverint prodire ſcriptum, quod Socinianiſmo à fronte & tergo ita totum inſignitum, ut manifeſtiſſimo fuerit argumento non Arminianiſmum magis, quam Socinianiſmum ab ipſis teneri, pluſque ab Arminio iſtos, quam Arminius unquam à Noſtris, diſceſſiſſe. Quid attinebat, ut Epiſcopius, qui quantopere in ſcriptis Socinianorum ſtuduerit, & ex illis omnia ſua addidicerit, in libris noſtris contra Socinianos oſtendo, in ſcriptis ſuis vel alias extra notas controverſias adoptaret, & præcipue damnatam Socinianorum hæreſim, vel ad hæc nomen Societatis obtenderet, quaſi hujus eſſent, quæ adeo non probata ei, ut ne quidem intellecta, & nomen Socinianum ipſorum plurimi adhuc ex animo horreant? Numquid non ſatis turbarum datum erat per dogmata Arminiana, ut Sociniana inſuper in auxilium venire deberent? vel quare non ſuo ſolius illa nomine

expoſuit Epiſcopius, ſuo periculo, immuni ab iſtâ labe ſervata hactenus Societate, quam certum eſt nunquam in illa, præter Arminiana, dogmatum capita rogatam unquam, vel conſenſiſſe, ut hujus nomine non magis debuerint illa proſtare, quam nec ſuo? Sed hoc ſpectavit verſipellis Auctor, ut venenum ſuum toti cœtui hoc pacto communicaret, & impingeret nomini Remonſtrantium, quæ ſibi gravius fuiſſet ſeorſim ferre. Hinc in Eccleſiam iſtam, per Doctores ſuos diſcipulos Epiſcopii, plana via hæreſis illa ſubintravit: ut ſuo exemplo docuerit, non debere unquam cœtum ita ſe tradere τοῖς ἡγουμένοις, ut pro arbitrio trahant illum in ignota ſibi dogmata, ſuoque ad quamcunque formandam religionem & ſectam abutantur nomine. Non ferrent noſtri homines, & benè hoc quidem, ut aliquis Reformatam religionem defenſurus peregrina intermiſceret dogmata, ſed & librum talem & auctorem juberent res habere ſuas, & palam diſſenſum ſuum teſtarentur ocyus atque innocentiam. Nihil etiam neceſſe eſt, ut qui Apologiam ſcribit, ad hoc ſemper utatur nomine eorum, pro quibus ſcribit, ſatis eſt proprio nomine egiſſe, ut ad eum ſolum redeat culpa minus rectè à ſe dictorum, non ad Eccleſiam, vel Societatem. Ut magna Remonſtrantium hic fuerit imprudentia, quod ſiverunt Epiſcopii Apologiam heterodoxiis variis intertextam prodire ſuo publico nomine. Quod videre forſean in Apologia Catecheſis ſuæ, per eundem Auctorem ſcripta, quam poſt ejus mortem ediderunt, ſed non ſuo, at auctoris Epiſcopii ſolius præſcripto nomine. Quod æque potuiſſent facere, imo & longe ſatius fuiſſet, in ſcriptâ Confeſſionis Apologia, adverſus Leidenſes Profeſſores, atque in Catecheſis ſuæ aliâ, adverſus Heidanum. Sed turbidi, paradoxi, & mordacis ingenii vir erat Epiſcopius, ad ſerendas augendaſque contentiones, non ad componendas factus, & cui quale quale caput, certe non adfuit animus Theologi

logi, id quod in omni tractatione ſatis evidenter oſtendit. Non enim graves & arduas quæſtiones de Dei prædeſtinatione, aliaſque Theologicas cum omni reverentiâ ſuſpiciendas, pro dignitate tractavit, ut hominem vel Dei Spiritu, vel argumenti ſenſu tactum dixiſſes; ſed ſcurriliter, ſed dicaciter, tamquam res nihili vel leviſſima ageretur: ut ipſe Curcellæus fateri neceſſe habeat, *forte quædam leniùs dici potuerint, quam ab eo factum fuerit.* Neque in Adverſarios cauſa rejici ullâ ſpecie poteſt tam inhoneſtæ tractationis, non dico ipſorum Adverſariorum, quod neque etiam decet, ſed rei quæ agebatur, altiſſimæ & tremendæ. Adeo ut, tum per aſſumta Socinianæ hæreſis varia dogmata, eaque defenſa, tum per acrem & ſeveram Noſtros tractandi rationem, ſeu in ſcriptis, ſeu aliter, & ipſe & alii ridiculum fecerint ſuum de tolerantiâ tantopere jactatâ *ἄγαμμα*.

Quid quæſo illud eſt tolerantiæ, quod adeo ſibi proprium vendicant Remonſtrantes, ut hinc dignoſci ſuam ſectam, præque aliis commendari, velint? Summa huc redit, inquit Curcellæus, Epiſcopii ſucceſſor & præco, *Cum Chriſtiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter ſe conſentiant, eum qui ſupereſt in aliis minoris momenti diſſenſum impedire non debere, quo minus in unum Eccleſiæ corpus coëant, & ſe ut fratres mutuâ in Chriſto charitate proſequantur. Si modo qui iſta magni æſtimant, cæteros diverſum ſentientes ad ea ſuſcipienda non cogant. Hæc enim eſt tyrannis in Eccleſiâ non ferenda: cujus qui rei ſunt, fundamentum evertere & fraternitatis vinculum abrumpere cenſendi ſunt. Quod etiam de idololatris dictum volo.* Quæ de tyrannide illâ dicit, nullis magis convenire quam ſuis, apparuit, quando in initio tumultuum non noſtros ſolum Doctores non ferebant, ſed tum locis ſuis extrudebant, tum graviſſime perſequebantur, mulctabantque homines (quod & hic factum) etiam extra urbes ad concionem audiendam placidè pièque progre-

diendam placidè pièque progredientes. Quod de idololatris in unum cœtum ſecum agendis, optime mentem ipſorum explicat, & qualis hinc Eccleſia oritura ſit, oſtendit: videlicet haræ alicujus inſtar, vel quale lararium Adriani fuiſſe dicitur, ubi inter idola etiam Chriſtus aliquis apparuit. Non hoc de idololatris vel ipſe Socinus admitteret. Et ſi inſtitui ejuſmodi debet Eccleſia, quid adeo Paulus interdixit communione Chriſti & Belial, ideo quod nulla συγκατάθεσις templo Dei cum idolis, non magis quam luci cum tenebris, nec juſtitiæ cum iniquitate? II. Cor. VI. 14. 15. 16. Hactenus Reformati idololatris præſertim applicuere verba illa ſequentia: *ideo exite è medio ipſorum & ſeparamini, inquit Dominus; & impurum ne attingite: atque ego excipiam vos.* Iam Reformati qui volent etiam dici, eum idololatris una eundum, & idem incolendum templum, inque idem Eccleſiæ corpus omnibus coëundum eſſe docebunt? atque alios à ſe condemnabunt Reformatos, qui hoc nec faciunt ipſi, neque faciendum arbitrantur? Qui hoc quæſo, vel cum profeſſione Reformationis, vel cum puritate cultus divini, & dignitate Eccleſiæ Chriſti conciliari poteſt? Dices quidem non te velle reſorbere Papiſmum, & illorum aliorumve ideo probare idololatriam, ſed ſiquidem ipſi ferre vos diſſentientes in animum inducant, concordiæ locum fore. Ego verò quin facile jam hoc tempore & loco vobis, illâ etiam ſub conditione, acceſſuri ſint Pontificii, haud dubito. Agite ergo, & cum illis ſub eundem vos abripite pileum, mali bonique æquum tegumentum. Saltem hinc ſingulos etiam Remonſtrantium debere primum nos, noſtraſque Eccleſias adire, viſuri annon illos admittere in communionem noſtram velimus, ne ſcindere videantur Eccleſiæ unionem, à quâ ipſorum πρὸ ταύτης abierunt, & ipſos nunc deterrent, cujuſque adhuc nomen retinere cupiunt, ſequitur. Et non eodem pacto Eccleſias noſtras ſentire de

omni-

omnibus illorum dogmatibus & hominibus, ipſi non ignorant, ut non putandum ſit, quia aliqua per nonnullos ipſorum tradita *dogmata* extra communionem noſtram ponimus, & *Doctores* illorum, atque pro ratione *temporis locique* major ſollicitudo incumbit, quod erga *ſeductos* ſimpliciter, & in ſolo *prædeſtinationis* negotio rite cognoſcendo hærentes, (cui vulgò cauſam Sciſmatis tribuere ſolent) & non factionibus ſed *paci* ſtudentes, & erga *dociles* Eccleſia non omni benignitate utatur & prudentiâ. Quod autem Remonſtrantes pro fundamento ſubſternunt ſuæ illius tolerantiæ vel potius confuſionis promiſcuæ, omnes hodie Chriſtiano nomine appellatos convenire in fundamentalibus & præcipuis Religionis dogmatibus, quam vanum ſit, alibi prolixè, & quam id non ex communi, quod omnes accipiunt, Symbolo ſequatur, oſtendi. Sententiæ illius fundamentum haud aliud eſt, quam quo nititur Libertiniſmus, quem tamen videri voluit Epiſcopius egregiè refelliſſe, *lib.* IV. *Inſtitut. Theol. Sect.* I. *cap.* XII. XIII. ſcilicet hoc, quod religiones omnes ferè uno ſint habendæ ordine. Ita diſputat in hâc Oper. Epiſcopii præfatione Curcellæus, ut pares in veritatis vindicatione faciat Calviniſtas, (ſic pro ſolitâ in nos acerbitate loquuntur, quum ſatis norint nomen hoc nec à Nobis accipi, nec probari: nemo Noſtrum ſe Calviniſtam dixit, aut inſcripſit, uti illi ſe Remonſtrantes: & quâ ratione ipſi ſe Reformatos adhuc appellant, quam quod aliquando in Eccleſiâ noſtrâ fuerunt, ex quâ temere abiere?) Lutheranos, Pontificios, Mennonitas, Socinianos; eccur non addidit Remonſtrantes? vel an judicio *ἀναμαρτήτῳ* deciſum eſt ab horum parte ſtare veritatem? vel annon alii æque Remonſtrantibus abjudicabunt veritatem, ac hi illis? quod ejus argumentum eſt, quo hic diſputat. Ego autem regero, iniquiſſimam illam agendi rationem eſſe, ex aliorum affirmatione aut negatione ſuſpendere rei cujuſcunque veritatem, nedum re-

ligionis. Alii dicunt ſe veritatem tenere, & hi, iſti, illis verùm quid tum? ergo incerta eſt veritas? ſi argumentum tuum preſſim ſequare, eviceris, nullam eſſe uſpiam veritatem, nam nullibi tam certa erit, quin inſurgent alii, & multi, imo & potiſſima hominum pars, qui reclamabunt. Quid ergo, quales nos vis homines, ſcepticos omnes, & quovis vento περιφερομένους Epheſ. IV. 14.? abſit. Sume rem tuam aliquam terreſtrem, mundanam, quam certum habeas tuam eſſe: an ideo cedes, ſi forte quiſpiam vel multi etiam controverſiam moveant? veritas rei vel certitudo pendet ex opinione adverſantis? Dices, hoc certum mihi, illi non. Nempe id revera eſt, ideo quod incerti eſtis religionis veſtræ, putatis alios veræ certos eſſe non poſſe. Ad eundem modum quo Papiſtæ, quia ipſi ſalutis certi eſſe nec ſecundum doctrinam ſuam poſſunt, neque juxta aliam volunt, opinantur nos ſalutis certitudinem habere non poſſe. An ideo nos veritatem doctrinæ iſtius noſtræ de certitudine ſalutis trademus, quod Pontificii eam multis argumentis impugnant; vel ejuſne idcirco cedemus certitudinem? & tuum tamen hic etiam obtinebit argumentum, quod Pontificius tam dicet veram eſſe theſim ſuam, ac nos noſtram. Vides ergo falſam illam eſſe regulam, quod nequeat conſtare veritatis certitudo, vel quod hæc tum minor ſit, ubi alii obloquuntur. *Sed inter Chriſtianos opinionibus inter ſe diſſentientes nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio eſt deciſum à quorum parte ſtet veritas*, inquis. Fac concluſionem: ergo neſcitur inter Chriſtianos, à quorum parte ſtet veritas. O abominandam theſim, omnem uno ictu religionem & Eccleſiis, & hominibus profanè auferentem. Et quid aliud inferes? nam duo dicis: nondum inter Chriſtianos diſſidentes deciſum eſſe à quorum parte ſtet veritas. Saltem tuam jam cauſam tradis, & non conſtare fateris à veſtrâ parte ſtare veritatem. Tum quæ cauſa & ſcandalum hinc præbeatur Pontificiis inclamandi, quare ergo reformatis,

& incertæ opinioni ſuperſtruitis certam Reformationem, quam & ipſis perſuaderis, ſerio velim perpendite. Dein dicis, illud haud deciſum judicio ἀναμφίβλητα. Imo in Scripturis omnino: & hoc ſatis eſt. Extra eas quid attinet alium judicem extare, aut quærere? habemus Moſem, habemus Prophetas, inſuper & Chriſtum, & Apoſtolos, quibus illi haud ſufficiunt, non veritatem quærunt vel apud quos illa ſit, ſed tergiverſari & vexare. Sed illi non interponunt judicium inter Chriſtianos diſſidentes: itane? Reformatus hoc nemo dicat. Pontificiorum themata novimus, quod hic alia ſint. An tu negabis, Scripturam decidere, à cujus parte ſtet veritas, dum alius pro Purgatorio diſputat, alius contra, dum unus Sanctos invocandos contendit, alter non, & ſic de cæteris? Ego populi iſtius vices ex animo doleo, qui per tales Doctorum ſuorum hypotheſes in incerta omnia & dubia trahitur, & cui non licet firmâ animi fiducia & πληροφορίᾳ amplecti fidei veritatem, atque certitudinem. Aliter longe nos docet Dei verbum, aliter ipſius religionis natura & gravitas. Hoc Remonſtrantiſmus, præter alia, mali habet haud vulgaris, quod animos hominum in religionis negotio reddit adeo incertos, lubricos, indifferentes, & de religione ut de re quâdam communi, aut fere quaſi de ſectâ aliquâ philoſophicâ judicantes, ad hominum ingenia, & promiſcuam cum omnibus converſationem, & appetitum, non ad naturam illius divinam, cœleſtemque. Quando inquit: *Si Calviniſtæ iniquum eſſe putant ſe à Pontificiis aut Lutheranis damnari, quo id ſibi jure in illos aut alios quoſcunque uſurpant? ipſa certè naturalis æquitas dictat: quod quiſque juris in alterum &c.* Quaſi de re aliquâ propriâ, ubi alterius in alterum jus ſpectatur, & non de religione, cujus grave & ἀναμφισβήτητον in omnes eſt imperium, tum ac ſi in veritatis diſſidio par jus ſit Pontificiis, atque Reformatis, (quod hos profecto pudendum eſt aſſerere) ita loquitur. *Damnare* ſi excipias.

pias, in promtu eſt deſtinctio, eaque notiſſima, *rei*, & *perſonæ*: illam ubi mala eſt, qualis Papiſmus in ſe certò eſt, damnamus; non tamen homines: & non de hoc jam quæritur, ſed de veritatis notitiâ, certitudine, & triumpho adverſus errores ac falſitatem, quæ damnanda omnibus ſemper eſt, id eſt, reprobanda, & cavenda. Ita nunc Reformatos audimus, iniquùm dicere, quod Papiſmum damnamus? vel æquo jure licere Pontificiis nos damnare, doctrinamque noſtram, ac nos illorum? Non hoc Arminius docuit in Diſputatione ſuâ, quâ aſſertum ivit: *Eccleſias Reformatas à Romanâ Eccleſiâ ſeceſſionem non feciſſe: eaſque rectè facere, quod fidei cultuſque divini communionem cum eâdem habere & profiteri detrectant:* neque Vorſtius, quando ſcripſit ſuas *de cauſis deſerendi Papatus*, non pœnitendas Diſputationes. Sed ita illos loqui, quos pœniteat Reformationis, & qui dummodo nobis ægre faciant, lubenter cauſam proſtituunt & tradunt Pontificiis, oportet. Pergunt: *Nec majori cum ſpecie dici poteſt, ſingulis Magiſtratibus licere in ſuâ ditione religionem quam probant ſummâ vi tueri, & cæteras diſſentientes eliminare. Si enim id licet in Hollandiâ Calviniſtis, cur non quoque in Suediâ, Daniâ, Saxoniâ Lutheranis, in Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ Pontificiis, imo in Turciâ Mahometanis? in Chinâ & Iaponiâ Ethnicis?* Parum erat, religionem noſtram componere cum Papiſtis, aliiſque in Chriſtianiſmo, ni etiam in parem ordinem redigeretur cum Muhammedanâ, & Ethnicâ. Nemo dicit, tuendam à Magiſtratu religionem quam probat, ſed ſolam veram. Neque de vi ſummâ, de coactione quâ alii ad religionem adigantur, loquimur; ſed de veræ religionis (quam profanum eſt comparare cum Gentilium & Turcarum ſuperſtitionibus & infidelitate) jure, & comprobatione, quam veram certo ſciri haberique poſſe jam dictum, & quo ſolo fundamento illud niti debet quod vel Magiſtratus, vel alii pro ejus defenſione aut propagatione agunt. Quin tu cenſes veram

ram religionem defendi à Magiſtratu Chriſtiano non poſſe, neque aliquid ei agendum eſſe, pro religione Chriſti, etiam qua Magiſtratus eſt, quin idem liceat Gentili pro falſâ? non licere illi ſuperſtitiones aliaque mala religioni inimica arcere, & ut commode atque optime poteſt eliminare, niſi idem liceat Muhammedanis aut Gentilibus adverſus Chriſtum, & ejus doctrinam? vel denique quod Reformatus Magiſtratus Papiſmum, quantum jure & commode poteſt, non debeat removere, quin idem æque contra Reformationem concedendum ſit ejus Adverſariis? loquimur hic, quid liceat de jure, non quid in foro politico uſu veniat. Ex quibus liquet, quam periculoſa & pernitioſa ſint Adverſariorum de iſtâ ſuâ tolerantiæ Pandorâ, quam tam latè deprædicant, & immanè adeo extendunt, ipſis quoque dum Reformati audire etiam volunt, & toti Chriſtianæ religioni, fidei noſtræ, & veritati (*per veritatem autem intelligo, non modo eam, quæ ad ſalutem æternam obtinendam neceſſaria eſt, ſed omnem omnino veritatem, imprimis eam, quæ ad divinam gloriam, ſalutem noſtram, aliorumque ædificationem promovendam eſt neceſſaria.* loquor cum Epiſcopio, reſpondente ad qu. III. *an aliquis propter Remonſtrantium articulos, quos ad ſalutem eſſe neceſſarios non putat, perſecutionis periculo ſe exponere teneatur*, nunquam deſerendam eſſe veritatem) denique & Chriſto domino adverſantia themata. Et vehementer tamen ſibi placent in iſthoc ſuo conſilio, quaſi unum ſit ad conjungendos hominum animos, & minuendas inter Chriſtianos, lites ac diſſidia remedium, vel *panacea*, ut Epiſcopii verbum retineam, quod hâc de re habet, in Examine Theſium Capelli: quum revera in Chriſtianæ religionis opprobrium & perniciem tendat, hoc ſi quod aliud, dum & veræ religionis illam facit incertitudinem, & parem ejus, cum quâvis falsâ, inſuper & Ethnicâ ac Muhammedanâ conditionem. Quo magis deplorare ſoleo iſtorum hominum ſtatum;

qui non aliis Doctoribus de religione Chriſtianâ inſtituuntur, tum & Doctores ipſos. Aliud eſt, diſputare de tolerantiâ quinque iſtorum articulorum, ex quibus primùm enatæ lites, tum ſchiſma; aliud, de vagâ & univerſali tolerantiâ, pro quâ nunc diſputant, ad omnes Chriſtianiſmi ſectas, quantùmcunque errantes ac adverſantes, ipſoſque etiam idololatras, in unum cœtum cogendos; ne de infidelibus quod modo dictum, repetam. Initio diſputatum de illâ valde fuit, reſtrictaque ſemper ad contentionem quinquarticulanam. Sic VVtenbogardus, in hiſtoriâ vitæ ſuæ, ſic Grotius *Apolog. cap.* IV. *&* VI. Nunc de hâc etiam, prout quotidie dilapſi Adverſarii fuerunt in alias aliaſque opiniones & errores: nullibi certò unquam perſiſtente extra Eccleſiam errandi vagandique ſpiritu. *Pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent*, inquit de hæreticis ſuis, lib. *Præſcriptionum*, Tertullianus.

Longe alia facies Remonſtrantium hodie, ac initio turbarum fuit, & omninò aliâ ratione diſputatur iiſdem de rebus nunc, præterquam de pluribus aliis, ac tunc. Exempli cauſa, quis neſcit illorum theſim ſemper fuiſſe, electionem à Deo factam eſſe ex prævisâ fide? poſtea in gratiam Socini; vel ex iſtâ hæreſi fluctuantes circa præſcientiam in Deo futurorum contingentium, miſſum fecerunt quod de electione æternâ hactenus docuerant, & cœperunt dicere, eam non ab æterno, ſed in tempore contingere ubi quis actu credit. Quæ eſt ipſa Socini ſententia. Apologia Remonſtrantium c. XVIII. pag. 189. *Si uſum Scripturæ ſpectes, ἐκλέγειν ſive ἐκλέγεσθαι ſignificat actualem ſequeſtrationem quorundam ſive hominum ſive populorum ex communi turbâ cæterorum ad certum aliquem finem, id eſt, ad participandum peculiare aliquod privilegium, quo cæteri carent.* Pag. 190. *At ex iis, quæ jam à nobis præmiſſa ſunt, patet falſum eſſe quod electio facta ſit ab æterno: Vnus tantum in Scriptura locus eſt, qui id affirmare videtur, unde communis error iſte natus eſt,*

locus

locus vid. ad Epheſ. 1. 4. *ubi Deus* elegiſſe Epheſios *dicitur* ante jacta mundi fundamenta: *ſed eligendi verbum iſt hic pro decreto eligendi accipi poſſe quis dubitat? Nec mirum, nec novum id videri debet; cum Spiritui S. in Scripturis familiare ſit, affirmare* datum nobis eſſe ante tempora ſæcularia, *quod, ut nobis daretur, ante tempora ſecularia, decretum eſt. Ita* verbi gratia ſalus nobis data dicitur ante tempora ſæcularia, 2 *Tim.* 1. 9. Quæ ſi ſcire velis, unde petierit Apolog. Auctor, Socinum explica in *Prælect. cap.* XIII. *pag.* 63. ubi hæc leges: *Neque huic ſententiæ noſtræ repugnant verba illa Pauli Epheſ.* 1. 4. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, *&c. Namque eo loco eligendi verbum non proprie uſurpatum fuit, nec electionem ipſam ſive eligendi decretum, quæ loquendi forma ſanctis literis per quam familiaris eſt, præſertim vero apud ipſum Paulum, qui affirmare non dubitat, Deum ſuos jam glorificaſſe, Rom.* 8. 30. *& datam nobis fuiſſe gratiam in Chriſto ante tempora ſecularia,* 2 *Tim.* 1. 9. *& alia ejuſmodi non pauca.* Iterum Remonſtrantes Apolog. pag. 191. *Conclud. ergo falſum eſſe (quamquam hactenus id plerique tenuerunt) Electionem in Sripturis uſpiam ab æterno factam dici, aut eam (niſi cum pro decreto ſumitur) in Scripturis proponi ut rationem Dei internam ſive immanentem, quæ in Deo ab æterno fuerit: & contra veriſſimum eſſe, quod electio in ſcripturis proponatur ut actio Dei externa ſive tranſiens, & quæ in tempore cæpta eſt, contra quam hactenus fere creditum eſt.* Similiter negant, reprobationem ab æterno factam *cap.* XX. *pag.* 220. Quum Arminiana ſententia de electione ex prævisâ fide niteretur æterna Dei præſcientia, uti Arminius in Declaratione ſententiæ ſuæ loquitur: *Hoc decretum præſcientia Dei innititur, quâ ab æterno ſcivit, quinam juxta ejuſcemodi adminiſtrationem mediorum ad converſionem & fidem idoneorum, ex præveniente ipſius gratiâ credituri erant & ſubſequente gratiâ perſeveraturi: qui vero etiam non erant credituri & perſeveraturi.* hæc autem in aliam formam re-

fin-

finxiſſe Epiſcopium haud mirum, poſtquam ex Socini Theologiâ circa præſcientiam Dei nutare cæpit, uti in *Socinianiſmo Confutato* à nobis oſtenſum, *lib.* I I. *cap.* V I I. & I I I. Ita quoque diſputatum fuit initio de mortis Chriſti univerſalitate, an pro omnibus mortuus ſit? Jam verò videas illos nuſquam ſatisfactionis Chriſti, ubi de ejus morte & ſalvatione ſermo, mentionem facere, & hæc tamen mortis iſtius conſideratio quidem præcipua, in cujus expoſitione & vindicatione adverſus Socinianos, tum res, & Eccleſiæ uſus poſtulant apertiorem plenioremque fieri illius explicationem: imo in Apologiâ, cap. V I I I, dicunt quidem ob plures Chriſtum cauſas Servatorem noſtrum eſſe, *& præconio, exemplo, & martyrio ſuo etiam ſalutem noſtram procuraſſe*, ne μῦ interim de ſatisfactione; ut neque in Catecheſi, ubi ſolum ajunt, Chriſtum propter hominum peccata mactatum, & verbum ſatisfactionis, & modum hâc de re loquendi in Eccleſiâ uſitatum ſtudioſe declinant, contra ad illum qui Socinianorum eſt ſe accommodant, quare quæſtionem illam quæ nobis iiſcum de morte Chriſti eſt, ità proponendam cenſeo, ut ſatisfactionem etiam exprimamus, tum ad hujus eliciendam confeſſionem, tum quod ex ejus debita attentione facilius deciditur, an Chriſtus morte ſuâ ſatisfecerit pro omnium & ſingulorum hominum peccatis. Poſt *Arminiana*, Remonſtrantes aut ipſa *Sociniana* dogmata, uti in multis, arripuerunt; aut pleroſque Theologiæ articulos inflexerunt, & ſi non in theſi ipsâ, vel eam tradendo *integram* Socinianis, vel ejus elevando certitudinem aut *neceſſitatem*, in illorum gratiam; in ejus *explicatione*, & defenſione, Socinianis, quantum poſſunt, acceſſere, & ad eorum mentem phraſim, ſtylum, omnia accommodarunt. Vt omnino, quemadmodum cum Lutheranis, ubi diſtinguimus hodiernos & horum quæſtiones diſputationeſque, à doctrinâ qualis primùm Lutheri fuit; ſimili diſcrimine utendum. ſit

apud

apud Remonſtrantes in *Arminianos* meros, id eſt, eos qui Arminio in hærentes manent intra famoſos illos quinque de Prædeſtinatione & annexos articulos; & *Remonſtranto-Socinianos*, quales formavit poſt Arminium Epiſcopius. Et prudenter inter utroſque diſcernendum eſt. Homines iſtos alienat ab Eccleſiâ multum *factio* politica, quod putantes, ſe aut ſuos læſos vel politicè vel Eccleſiaſtice, in muneris aut loci, quem forte tenebant, amiſſione, ulciſcendum hoc opinentur pertinaci ab Eccleſiâ divortio. Perverſo ſane conſilio, in Eccleſiam, & animæ ſuæ propriam pacem & conſolationem vindicare velle, quod homines aliqui fortè adverſus te commiſere, (ſi hoc ita ſit, & non debuerit haud aliter fieri) quod uti facti eſt, ita noſtro non eget patrocinio, minus vindictâ. Verùm illa ubi in oblivionem venerint, aut meliori ſententiâ animoque ipſi ſuperaverint, diſcreto rejectoque palam & ſincere à ſe ſuâque profeſſione omni *Socinianiſmo*, ſpes eſt in meliorem mentem, & unionem nobiſcum adducendos.

Vulgus ipſorum ſi interroges, præter repoſitam alto animo, quam prætendunt, injuriam ſibi ſuiſque factam, horrenda aliqua in doctrinam noſtram, præſertim de prædeſtinatione, proferunt opprobria, de Deo auctore peccati &c. quæ vana terriculamenta & *calumnia* ſunt, quibus doctrinam & Eccleſias noſtras contra fas & verum improbè onerant, qui hoc unum ſibi agendum exiſtimant, ut ſimplices homines à communione noſtrâ abſterreant, & ſeducant. Diluenda illa convitia paſſim ſunt, & animi hominum de illis melius inſtruendi. Nemo ex noſtris illa docet, quæ iſti nobis vulgo objiciunt, & ut aliquis illa ſcripſiſſet (quod tamen ita non eſt), quis in noſtris concionibus talia unquam proponi vel doceri audivit? Jam non ex alicujus opinione forte vel ſcripto judicari de doctrinâ Eccleſiæ debet, ſed ex concionibus, ex Confeſſione: ubi

noſtra Confeſſio abominanda talia habet, ac ipſi nobis exprobrant? vel ubi, aut quis unquam pro membro Eccleſiæ adoptatus fuit, ſub iſtorum fide & profeſſione? Quorſum ergo falſiſſimis iſtiuſmodi & prodigioſis conſequentiis denigrare & blaſphemare doctrinam pergunt, & docent alios? Hæc demenda animis hominum præjudicia ſunt, & de veritate ac ſanctitate doctrinæ noſtræ ſincere & conſtanter inſtruendi.

Ad cognoſcendas res Remonſtranticas, quod ad Arminiana, faciunt ſcripta Arminii, Collatio Hagienſis, & Synodus Dordracena; quod ad Sociniana, Apologia Remonſtrantium; Catecheſis; Scripta Epiſcopii, & quæ eum auctorem (ſignificante Curcellæo) habent, Reſponſio ad Specimen Profeſſorum Leidenſium, Vedelius Rhapſodus, Verus Remonſtrans, Theologus. Adverſus illa, ex tantâ Scriptorum, quæ eſt, copiâ, lege Gomari theſes, Ameſium, ad Collationem Hagienſem, & in Anti-Synodalibus: adverſus hæc, & tum Catechiſmum ipſorum, habes Voetium, Heidanum; tum Apologiam, Diſputationes Antapologeticas Triglandii. Immenſa ſcimus librorum eſt turba, ſed quæ Studioſis præſertim ſeligenda ſint, annotamus. Satis ſuperque hic diſputatum videri merito poteſt, nempe quod ad Arminiana, forte & nimium, ſi reſpiciamus quam promiſcue à *quibuſvis*, ſæpe non ſatis rerum capacibus, & nimis *multis* ſcriptionibus, & coram *quibuſvis*, quoque fere *loco* & *tempore*, *vulgarius* etiam quam pro ſublimitate quæſtionum, clamatum & tumultuatum, de altiſſimis fidei & doctrinæ myſteriis, ſit. Ad Sociniana quod pertinet, de his in genere, tum quantum Remonſtrantes tangunt, plus neceſſariæ operæ utiliſque adhuc ſupereſt. Ad obſervandam vero illam inter dogmata Remonſtrantica diſtinctionem & diſcrimen eſt, quod ego Controverſias hoc ordine diſpono, ut primo loco proponam quinque (tertius & quartus aliquando commodè in unum

con-

contrahuntur) famoſos articulos de Prædeſtinatione Dei, &c. tum alia (non dico omnia, quaſi nullum à me prætermiſſum ſit, de cujus ſenſu, ob ſententiæ ambiguitatem, an hic collocandum eſſet, hæſi): annotatâ etiam differentiâ, quâ de illis hodie aliter diſputant, atque olim.

Quiſquis fuerit libelli, contra me, vel *Summa Controverſ. lib.* VIII. editi Auctor A. F. P. dignus neutiquam viſus fuit, vel tale ſcriptum, quod à longe gravioribus, quibus diſtinebar in *Iudaiſmo* confutando, curis me abſtraheret: quin, ad medium fere lectum, inter occupationes iſtas, abjiciendum, parteſque ei dandas in ſecundâ *Summa* editione, cenſebam: eodem modo, quo cum Auctore libelli *Ad legem & teſtimonium* antehâc me egiſſe memineram. Memineram & ejus, quod Auguſtinus dixit, in initio libri ſec. de Civit. Dei, *& tamen quis diſceptandi finis erit & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus: nam qui vel non poſſunt intelligere quod dicitur, vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiamſi intellexerint, non obediant, reſpondent, ut ſcriptum eſt, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixâ fronte ſtatuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant, quam ſit ærumnoſum & infructuoſum vides.* Interim rogatus ab eximio quo Studioſo, ut vel ipſe perlegerem libellum; aut ejus examen ſibi permitterem, ob neſcio quam familiaritatem, quâ cum Remonſtrantici Seminarii Sociis fruitur, eum, quem jam alius Studioſus, ac diſcipulus noſter in Academiâ Ultrajectinâ, ſub præſidio Cl. Viri D. Matth. Netheni, exóſſatum dederat, relegi tandem totum, & in quinque diſtinxi Capita, quæ quam nullius negotii ſint, & nihil præter antiquam contineant cantilenam, quæque in Adverſariis ſcriptiunculis obſervare Studioſos oporteat, oſtendere ipſis haud gravate volui.

Atque

Atque *primum* quod concernit *hiſtoriam* doctrinæ, ſive noſtræ, ſive Remonſtrantium, gloriatur Auctor, multos, ante Auguſtinum Patres, in antiquâ Eccleſiâ; in Reformatâ, ante Arminium nonnullos, ex Remonſtrantium ſc. ſenſu loquutos. Sed quorum nec *loca* profert, nec *verba*; & quæ nomina pridem in *libellis* vulgaribus adducta à ſuis, à Noſtris diſcuſſa haud ignorabat; & diluta hoc uno *reſponſo*, quod de doctrinâ aliquâ non ita ſollicitè atque accuratè loquantur homines, eâ nondum in controverſiam adductâ, vexatâque ab Adverſariis, quam poſtea: ut de doctrinâ & controverſiâ Pelagii, non tam audiendi ſint, qui ante, quam qui poſt Auguſtini tempora; & de Arminio, qui hujus themata noſſe potuerunt, atque opiniones. Quem in finem ipſa Auguſtini verba faciunt, ſuper his ipſis quæſtionibus, lib. de Prædeſt. Sanct. cap. XIV. *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hâc difficili adſolvendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Vnde factum eſt, ut de gratiâ Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis & tranſeuntes attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adverſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant.* Enarrat. in Pſalm. LIV. *Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? nunquid perfectè de pœnitentiâ tractatum eſt, antequam obſiſterent Novatiani? Sic non perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores: nec de ipsâ Chriſti unitate enucleatè dicta erant, quæ dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa urgere cæpit fratres infirmos, ut jam illi qui noverant hæc tractare atque diſſolvere, ne perirent infirmi ſollicitati quæſtionibus impiorum, ſermonibus & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deducerent.* Hoc eſt, quod & alibi dixit, de Civit. Dei lib. XVI. cap. II. *ab adverſario motam quæſtionem diſcendi exiſtere occaſionem*, atque adverſus eos omnia *& conſiderari dili-*

gen-

gentius ; & intelligi clarius , & inſtantius prædicari ſolere. de eo etiam exponens Apoſtolicum iſtud, *oportet hæreſes eſſe.* Cæterum ab Auguſtini ævo, Eccleſiam Catholicam illum, ejuſque doctrinam pro ſuis agnoviſſe, tam certum, ac noſtram cum illâ convenire. Quod non Pontificii ignorant, vel diffitentur ; in nuperis contentionibus Ianſenianis, atque anterioribus Dominicanorum. Quumque non Noſtri ſolùm, ſed & Pontificii Doctores pro falſo habeant quod de Prædeſtinatorum hæreſi, per calumniam doctrinæ Eccleſiæ, Auguſtini, noſtræque affricatur, quanta ea mentis male affectæ ærugo eſt in Adverſario, quod *Prædeſtinatianorum*, Prædeſtinatorum dicere debuerat, *hæreſin* à Gottſcalco renovatam, etiamnum aſſerere haud erubeſcat. Super quo inſtruendus rectiùs venit ex Vſſerio, Vincentio, Ianſenio, Auvræo, Doctore Sorbonico, qui, nullam unquam fuiſſe Prædeſtinatorum hæreſim, oſtendit contra Sirmundi Ieſuitæ librum Hygini ſc. de Prædeſtinatorum hæreſi, &c. in quo palmarios quam plurimos errores & falſitates adnotavit quoque mſ. in ſuo Codice Blondellus.

Secundò ad doctrinam quod ſpectat, vel doctrinalia. Negandum Adverſario, Nos, in probandâ aliis Sripturæ, aut doctrinæ veritate objectivâ, *in teſtimonio Spiritus S. proram ac puppim conſtituere:* ut hinc Libertini contra nos inclamare poſſint, quod habet *pag.* 33. vel, quod *pag.* 43. Pontificii circulum objicere. Nequit! dici, inter Chriſtianos opinionibus inter ſe diſſentientes nondum ullo ἀναμαρτήτῳ judicio eſſe deciſum, à quorum parte ſtet veritas, quamvis in judicio illo, (quod non *de cælo pronunciatum*, uti *pag.* 40. ſed Spiritûs S. in Scripturâ loquentis eſſe dicimus : & Scripturam normam vel indicem & regulam, Spiritum S. judicem paſſim appellamus,) *omnes non acquieſcant, & contendere deſinant*, uti temerè colligit, *pag.* 35. 45. atque hominum nullus ſit infallibilis. *pag.* 36. 37. Non omnes

propterea aut Scepticos facimus, aut Papas. *pag.* 37. Sed hanc ipſorum argumentationem improbamus, contra veræ religionis defenſionem, quam ſolam Magiſtratui tribuimus, hoc pacto agentium: *ſi id licet in Hollandiâ Calviniſtis, cur non quoque in Suediâ, Daniâ, Saxoniâ Lutheranis, in Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ Pontificiis; imo in Turciâ Mahometanis, in Chinâ & japoniâ Ethnicis?* quomodo argutatus Curcellæus fuerat. Hoc dicimus indignum eſſe Chriſtianis, religionem noſtram, ejuſque defenſionem componere cum Muhammedanâ, vel Ethnicâ: quaſi par utriuſque & pro ſe, & contra aliam, jus ſit & officium: indignum Reformatum nomen amplexis, in eandem hactenus conditionem referre noſtram religionem cum ſuperſtitione & idololatriâ Papiſticâ. impugnare illud æque regulas & fundamenta politiæ Chriſtianæ, ac Eccleſiæ: atque inducere religionum ἀδιαφορίαν, & libertiniſmum. Ad objectionem, quod nemo in *propriâ cauſâ* poſſit eſſe judex, negandum, ſimiliter cauſam religionis propriam dici aut poſſe, aut debere. Sed ipſi argumento eo uſi fueramus, à contrariis in re quâcumque noſtrâ vulgari aut terrenâ judiciis non pendere veritatem ejus, aut poſſeſſionis noſtræ. Verùm quis non videt, aliud eſſe in argumentatione, *comparationem* ſumere à re propriâ etiam ad rem religionis; aliud ſimile utriuſque velle facere *judicium*. Argumentum illud eſt à minori ad majus; non à pari, contra *pag.* 47. De mutuâ tolerantiâ quam identidem cantillant Adverſarii, jam toties diſcuſſum exploſumque, & oſtenſum inanes voces eſſe, ab ipſorum factis ubique toto cœlo diſcrepantes, ut verbum addere, ſupervacaneum merito videri poſſit. Sat ultro citroque verborum hic inſumtum: ad rem deveniatur, & factis oſtendant ſeriò ſe id velle, quod videri volunt. Dixerat D. Curcellæus, Chriſtianos, utpote judicio ſuo in præcipuis & fundamentalibus religionis dogmatibus conſentientes, in unum Eccleſiæ corpus coire debere,

ut

ut fratres in Chriſto: modo cæteros diverſa ſentientes ad ſua non cogerent. *Hoc enim eſt*, inquit, *tyrannis in Eccleſiâ non ferenda: cujus qui rei ſunt, fundamentum evertere & fraternitatis vinculum abrumpere cenſendi ſunt. Quod etiam de idololatris dictum volo.* Poſtrema hæc de idololatris Pontificiis ego dicta accepi relate ad iſta non ſolum, quæ de tyrannide, ſed & quæ de unione Chriſtianorum inter ſe, attulerat, modo tyrannidem Pontificii omitterent. Quod ex iſtis meis verbis palam eſt, quæ libellator omittit: *dices quidem non te velle reſorbere Papiſmum, & illorum aliorumve adeo probare idololatriam; ſed ſiquidem ipſi ferre vos diſſentientes in animum inducant, concordiæ locum fore. Ego vero quin facile jam hoc tempore & loco vobis, illâ etiam ſub conditione, acceſſuri ſint Pontificii, haud dubito.* Magnam verò calumniæ mihi dicam ſcribit, quod contra Curcellæi mentem, illa ſic explicarim, & Pontificiis etiam ex ipſorum mente, attribuerim. Verùm ſciat. I. me verba illa, *quod etiam de idololatris dictum volo*; non negaſſe ad poſteriora iſta referri debere, de tyrannide quæ dixerat, ſed excluſive ad alia, & non quoque ad priora, hoc videre me non potuiſſe. II. Obſtabat vis & filum argumenti ipſius, quo tum Chriſtianos dixerat in præcipuis & fundamentalibus convenire; tum in reliquis ſe tolerare invicem debere; atque interim in unum omnes coire Eccleſiæ corpus; & tanquam fratres proſequi mutuò ſemet oportere. Quæ, quare non etiam Pontificiis, quippe Chriſtianis, attribuenda ſint, nondum fateor me perſpicere: modo vid. tyrannidem ſeponant, atque tolerantiam veſtram amplectantur. Non enim aliquos Chriſtianos, ſed Chriſtianos in genere conſentire dictum; & ut fratres in unum corpus concedere debere. Ergo, noſtro judicio, controverſia Papiſtica de idololatriâ, non eſt ex præcipuis & fundamentalibus, quæ coitionem impediat; vel reſtringendum illud, de Chriſtianorum in fundamentalibus & pręcipuis conſenſu. III.

Noveram ex Remonſtrantium Apologiâ, articulos fundamentales agnoſci ab ipſis iſtos, modò, qui adeo in confeſſo, atque indubii juris ſunt, ut de iis neque controverti poſſit: quare, de Pontificiorum idololatriâ quum quidem maxime controvertatur, hic articulus ipſis fundamentalis eſſe nequit, qui conjunctionem fraternam impediat: vel articuli religionis & ſalutis fundamentales aliter conſtituendi veniunt. IV. Et hic noſter Auctor, pag. 38. *Atque in his mutuam tolerantiam diſſentientibus ſanctè & inviolate colendam aſſerimus: cujus generis ferme ſunt omnes controverſiæ, quæ hoc tempore inter Chriſtianos agitantur.* & pag. 51. *univerſalem* propugnat inter Chriſtianos tolerantiam. Quomodo ergo ab eâ Pontificios, conſideratos etiam ut idololatras, modò tyrannidi omni Papali valedicant, excludere poſſunt? Denique, ut quantopere abſimus vel à calumniâ, in quâ nobis irrogandâ impotenter illâ occaſione paratragœdiat, vel ab animo cuipiam aliquid præter mentem attribuendi, gratulamur hanc ipſis ſententiam, & mentem melius explicatam, ſi verè dicere queant, & teſtari, ſe cum Pontificiis idololatris nullam velle nec poſſe eccleſiaſticam aut fraternam colere communionem; quamvis ita late & generatim loquantur, *cum Chriſtiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter ſe conſentiant, eum, qui ſupereſt in aliis levioris momenti diſſenſum, impedire non debere, quò minus in unum Eccleſiæ corpus coëant, & ſe ut fratres mutuâ in Chriſto charitate proſequantur. Si modo, qui iſta magni æſtimant, cæteros diverſum ſentientes ad ea ſuſcipienda non cogant.* Porro, negandum ei, neminem noſtrum prædeſtinationis, fidei, aut ſalutis ſuæ poſſe eſſe certum, contra *pag.* 44. 46. Negandum, veræ religionis defenſionem, niſi per atrocem calumniam, perſequutionem dici debere: vel non eam aut defendendam vi etiam & armis, vel falſam removendam, eliminandam eſſe, ſic ego; addit is, opprimendam, *pag.* 48. neque

illud

illud eſt, in conſcientias irruere, vel in Dei jura involare, aut ad noſtram religionem ſuſcipiendam cogere homines. *pag.* 50. Siquidem placeret, aut vacaret mihi mulctare hominem eadem, quâ mecum egit, ratione, & ubi mea invertit, calumniam clamare, haud pauca hic ſe offerrent. Dixeram, Epiſcopium *nutare* circa præſcientiam Dei, quod & probavi ſuo loco in *Socinianiſmo Confutato*: ille refert me dixiſſe *negatam* Epiſcopio Dei præſcientiam, *pag.* 53. Certe qui hoc de Dei præſcientia inquit, *niſi rationibus omnibus obſtaret una divinarum prædictionum irrefragabilis auctoritas, pars negans pœne preponderatura videatur. Addo etiam magnis multiſque circa divinam providentiam difficultatibus occurri poſſe, ſi actionum humanarum, quas Deus à libera atque æquilibri voluntate ſuſpenſas eſſe voluit, præſcientia Deo non tribuatur*, mihi quidem nutare circa illam rem videtur haud uno modo. Ego ex Apol. attuleram, quod dicit, *falſum eſſe quod electio facta ſit ab æterno*, atque id communem errorem appellat. quod item contra Socinianos plenius diſcuſſi. ille de voce electionis, accepta pro decreto eligendi, duntaxat reſpondet. *pag.* 53. Sed de re eſt quæſtio, & errore illo, quem dixerat Epiſcopius, communi; non de ſolâ voce, vel loci Epheſ. 1.4. expoſitione. Trita & vel pueris refutata eſt argumentatio, reſpectu Dei nulla ſunt contingentia, ergo contingentium nulla Deo poteſt attribui præſcientia. *pag.* 54. Quæ nobis, nulla nixa conſequentia opponere, & talibus libellum illinire Auctor non debuiſſet, ſed illa prius aggredi, quæ ſuper hoc ipſo copioſe à nobis dicta reſponſaque ſunt alibi. Quinam illi ſint, inter Theologos, qui dicunt, Deum omnia quidem futura præſcire poſſe ſi velit, ſed non velle omnia præſcire, quæ poſſit, quos notat *pag.* 54. ego quidem ignoro. Deſideravi, atque etiamnum deſidero, pleniorem ab Adverſariis fieri mentionem atque expreſſionem ſatisfactionis Chriſti, nec modò dicant,

Chriſtum præconio, exemplo & martyrio ſuo etiam ſalutem noſtram procuraſſe, ſed hic, ubi ne μῦ quidem de ſatisfactione, & locus id tamen poſtulat, eam, id eſt, rem & naturam ejus exponere, non poſt multa tandem, eâ uti voce, quam nec Sociniani uſurpare reformidant; nam & ſatisfactionem ſibi non negari Eques Polonus, in nupero adverſus Ordinum Decretum Scripto contendit. Ruarus ſe agnoſcere dicit, Chriſtum tamquam caput electorum omnium, obedi-
„ entia ſua in vita, & multo magis in morte. Deo præ-
„ ſtitâ, ſufficiens λύτρον dediſſe pro peccatis noſtris, a-
„ deoque æquipollens ſupplicio, quod nos peccatis no-
„ ſtris eramus meriti, non quidem ex ſeſe, &c. ſed ex
„ clementi Dei acceptatione. *Cum autem*, inquit, *meritum ſtrictè dictum ſatisfactione excludo; non nego tamen ejus meritum in laxiori ſignificatione.* Hoc verò negat, propriè & verè *pœnam pro peccatis noſtris à Chriſto perſolutam.* Vt non mirum videri Remonſtrantibus debeat, hæc ipſorum non ſatis videri verba, quibus dicunt, quod per Chriſtum juſtitiæ Dei, *ſive amori, quo juſtitiam amat, & odio habet peccatum, abunde ſatisfactum fuerit, & impoſterum cum genere humano propitius, per eundem Filium ſuum, agere decreverit.* Quæ, uti vides, nec Socinianus refugiet affirmare: ut non de voce, ſed de re ſatisfactionis ſimus ſolliciti, neque id ſatis ſit, quod Deo ſatisfactum dicunt, niſi Chriſtum verè & propriè noſtri loco pœnas peccatorum noſtrorum in ſe ſuſcepiſſe, ac verâ propriâque ſatisfactione exſolviſſe eas, aſſerant, atque ita apertè diſtinctèque Socinianiſmum rejiciant. Quem quomodo improbatum in Apologiâ, dicant, vel hinc dijudicari poteſt, quod *pag.* 61. Noſter Socinianos dicit, in Confeſſione, & Apologiâ, adverſus Cichovium Ieſuitam anno cIↄ Iↄ c l I I. *tantum paſſioni D. Ieſu* tribuere, *ut nemo vel paulo æquior, aliquid merito deſiderare queat.* Nihil ergo ipſi pro ſuâ æquitate ſc. deſiderant in Socinianis. Nos vero, & omnes, do-

ctrinam de veritate ſatisfactionis. Quibus dum ſe accommodant Remonſtrantes, & hic ipſe Scriptor, quo animo adeo tumultuatus eſt in nos, vel quod Socinianiſmo illos diximus plus æquo indulgentiores, & faventiores; vel quod hâc in causâ pleniorem ab ipſis petivimus hujus rei, contra Socinianos, in publicis Scriptis, Confeſſione, Catecheſi, Apologiâ, explicationem? Interim tamen & hic ſi ſincere ſententiam & doctrinam ſuam pro veritate fidei iſtius teſtati fuerint, & quod de Apologiâ, ſuiſque dicit, vere rejecerint aperteque Socinianam ſententiam, erit quod palam nobis ipſiſque iterum gratulemur. Denique quod in initio Auctor haud ſemel pollicitus erat ſe oſtenſurum, ex doctrinâ noſtra ſequi Deum peccati auctorem eſſe; id temere, neque *per conſequentiam*, ſed *calumniam luce clariorem*, probare conatur ineptiſſime ex maledicentiſſimis Lutheranorum; ex Actis Synodalibus Remonſtrantium; noſtrâ Catecheſi, qu. lx. denique Synodo Dordracenâ c. 1. art. VI. quæ talia ſunt, ut nemo non facile ad illa reſponderit, & ad nauſeam uſque exploſas norit blaſphemias, reſponſo meo ulteriori indignas, niſi inaniter chartam & tempus, repetendis rebus, commaculare turpiter cum Adverſario ſtatuam. Quod ſi quis, aut D. Curcellæus operam quærat, & negotium, age in manus ſumat, ne plures dicam, unum Twiſſum, atque Arminium ſolvat iis, quibus obriguit hactenus, vinculis: ego me promtum paratumque offero, qui cum eo manus conſeram, vel ſuper rancidâ iſtâ, atque à Bellarmino mutuatâ, calumniâ, de Deo auctore peccati; vel de toto prædeſtinationis negotio: ſaxo ſentiant, in prædeſtinationis dogmate, quod hic blaterat, victos nos non eſſe.

Tertium, quę de causâ *ſchiſmatis* & turbarum Remonſtranticarum, quam nobis falſo impingit, & ſolitis hiſtoriolis quereliſque, ut libellum impleret ſcilicet, extendit, locum reperient, ubi Cl. Triglandii Hiſtoriam

Adverſarii everterint. Dicimus cum Optato, lib. 1, adverſus Parmenianum: *clauſiſti oculos, ne parentes tuos reos agnoſceres: aperuiſti eos, ut innocentes & indignos crimini copulares. Omnia pro tempore, nihil pro veritate.* quomodo ante dixerat, *ut quod illi priores in titulo ſciſmatis fecerant, & vos jam dudum feciſſe & nunc facere videamini. Illi ruperunt ſuis temporibus pacem: vos exterminatis unitatem.*

Quartum, quò referendum quod ad amoliendum à ſuis *Socinianiſmum* operoſe agit, admittemus, ubi effecerit verum eſſe, quod dicit pag. 14. *nullos hic eſſe Socinianos conſtat.* Quod utinam verum, noſque omnes falſi eſſemus, & ſupra modum, ſupra quam oportet, ſolliciti! Ita nulli hic Sociniani? & hoc conſtat? Quæſo unde tot Sociniani libri, & Belgico etiam idiomate? unde tot ſermones, diſputationes, tot turbæ in Sectis, in Eccleſiis, in politiis denique de Socinianiſmo invehendo, fovendo? unde veſtra illa Theologia, ad Socini, ſupra quam Arminii, opiniones & dogmata, ex quo ſchiſma feciſtis, accommodata? Quod niſi oſtenderint alii, oſtenderim & ego, fidem nolo ullam mereamur. Neque volupe nobis eſt, hæreſim illam vel in aliis deprehendere, vel in vobis. Sed id ipſe olim Montacutius, veſtris utcunque addictus nimium dogmatibus, palam teſtatus fuit, in libro Actorum, & Monumentorum cap. 1. pag. 47. ita: *multi id haud negaverint, illos*, Arminii nempe diſcipulos, *merito ac juſte à Calvino, & Beza defeciſſe, quod ad partes illas rigidiores, quæ abditam illam pluſque admirandam, quia intellecta minus, doctrinam de prædeſtinatione ad vitam & mortem concernunt; verùm & id omnino dicitur, ſatiſque probabiliter, quod ſub eo diſſenſionis iſtius prætextu, occulte clam, inſenſibiliter præjudicatis ac paratis animis non ſatis attendentibus, nec ſuſpicantibus infundant tales novos, vel redivivos conceptus hæreticos, quos licentioſa prophetandi libertas, quam ita appellant, ambitio, oppoſitio, diſſenſus, vel*

curio-

curioſitas ipſis offerunt. Hæc Montacutius. Hoc verò quod dicitur, Socinianos nullos hic eſſe, aut non id conſtare, patrocinium eorum arguit ipſis, qui tam benigne de illis loquuntur, cordi eſſe & curæ. Neque clam illud nunc, ſed palam ſatis eſt, & nemini ignotum eſſe poteſt, ne quidem volenti. Rem manifeſtariam probare nec attinet, nec gratum adeo. Et quantum Socinianis deferat hic ipſe Scriptor, in articulo palmario de ſatisfactione, jam audivimus, ubi nihil in ipſis deſiderare, quæ paſſionem D. Ieſu concernunt, teſtatus fuit. Interim & hic, quod ſupra aliquoties, gratulabimur valde, hoc ſi à ſuâ parte præſtiterint Adverſarii ſancte & ſincere, ne ullos, & apud ipſos, eſſe hic Socinianos conſtiterit.

Quintum libelli caput dandum frequentiſſimis graviſſimiſque *calumniis*, in *doctrinam* primò & religionem noſtram; tum ejus Profeſſores, ac *Doctores*; denique & *me*. Hæc vulgaris ipſorum agendi, cui à multis annis aſſueverunt, methodus: atque certo conſilio ſingulatim annotanda. Vt & quo animo ad diſputationes haſce accedant, & quo fructu tractare eas poſſint, appareat. Sed vinci in his, & pro maledictis benedicere, quod ex animo ei facimus, qui atrociter læſit non nos adeo, quam & alios, atque Eccleſiam, ejuſque doctrinam, id demum vincere eſt. Dabo indicem, neque omnium, nam eas annotare tantum inſtitui, copiâ earum adactus, ubi plurima perlegeram, atque ſecundo relegere iſtiuſmodi emblematibus exornatum ſcriptum, ab animo, vel negotiis impetrare haud potui. Quæ obiter hic, ibi occurrunt, habe iſta. In *Doctrinam* dicta, pag. 15. *horribilia dogmata. monſtra errorum*. pag. 56. doctrinam noſtram *eſſe merè ſpeculativam*. pag. 62. *Deum auctorem peccati conſtituere*. pag. 5. Catechiſmum *non male cum regulâ lesbiâ* conferri. pag. 10. Synodum Dordracenam *ex hominibus partium expertibus* non conſtitiſſe. *Doctores* pag. 9. *deformatos* appellat, pro re-

formatis: ingenioſâ nimirum mutatione. pag. 29. *licet concordiæ ſtudium præ ſe ferant, animum tamen gerunt à pace alieniſſimum* pag. 26. *concionibus debacchari ſolent*. pag. 35. *Calviniſtæ*. pag. 62. *conſcientias ab ipſis in ſervitutem redigi*. pag. 41. *quotquot ſunt Calvini ſectatores, eodem jure Pontificatum ſibi vindicabunt*. Quid recenſeam, neque hoc adeo gratum vel utile argumentum, non ea καλά, vel ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις, Tit. III. 8. ſcommata, hæc ejus ſc. rhetorica, in Gomarum, pag. 59. Heidanum. pag. 17. & 56. Mareſium, pag. 59. Cabeljavium, & du Bois, pag. 23. VVittewrongelium, pag. 29. Campenſes, pag. 22. Denique & in *me*, pag. 5. *convitia, maledicta, calumnias*. Nimirum quia de Arminio dixeram, eum nimium ſiſum propriis ſuis ſpeculationibus. Grave ſcilicet crimen, quod non niſi illis diris exagitandum fuit. Quaſi aliter de Arminio omnes judicent, qui eum vel coram, vel ex ſcriptis noverunt: & non idem etiam publicâ Lectione de eodem dixerit, ante me, eximius in Angliâ Theologus, Iohannes Prideaux, *quam periculoſe verſentur in Eccleſiâ ſubtiliora nonnulla ingenia, quæ meditationem jactant ſine lectione, obſervare eſt in Arminio*. Quod verò de Vorſtio dixi, de Epiſcopio, aliiſque iſtius commatis viris, latius comprobavi in Apparatu ad Controverſ. & Diſput. Socin. Quod autem præſens Auctor de Vedelio inquit, Zydlovio, Maccovio, Amyraldo, res prorſus aliter habet, ac ſcribit. De infantibus quod enim ab illo ſcriptum, in inferno damnatis; nec alii, nec ego unquam diximus: ſed illorum judicium Deo committimus, ſuſpenſo noſtro: quia de infantibus, ut nec infantibus Scriptura tam copioſe loquitur, atque de adultis. De fidelium infantibus in infantiâ morientibus, res clara eſt, eos ex judicio charitatis habendos pro fœderatis, & ſalvatis. Zydlovium, in illâ ſuâ diſputatione res imo juſſerunt ſibi ſuas habere, qui ei palam ſe oppoſuere, Triglandius, Voetius, alii. Nec Maccovii probata ſententia

com-

communi Theologorum judicio fuit, de objecto fidei falſo. Nihil autem à vero magis abeſt, quam ob illa ulcera ab Amyraldo tacta, hunc Arminianiſmi accuſatum fuiſſe unquam. Vt nimis rerum imperitus Scriptor hic fuerit, qui ſe illis immiſcere, & calumnias, quam veritatem, ſequi maluerit. Quid illas magno numero, in me præſertim eructatas, perſequar? quaſi homines pro beſtiis habuiſſem? quum phraſim Apoſtolicam uſurpavi, ubi in diſputatione adverſus hæreticos, cum beſtiis luctatos nos dixi. Me nunc inter illos ponit, qui nulla ergâ ipſos charitate ducuntur, qui perſequutionem (à quâ ſemper longè abſui) in ipſos, in Mennonitas, moliar; alibi tamen cum iis conjungit, qui videri volunt aliquam cum ipſis communionem expetere, quare me jubet ad animum revocare ea, quæ nuper in Eccleſiâ Vltrajectinâ, de concordiæ rationibus agitata ſunt. De quo melius ſcio judicaſſe Remonſtrantium permultos, quam is facit. Et tamen, hic Scriptor, iſtâ ſua methodo, & ſcribendi ratione ac reverentiâ, concordiam ſcilicet promovere ſe jactat, & mutuæ tolerantiæ eſſe jmprimis deditum, videlicet quæ diris inſectationibus & calumnjis paratur, quę apprime quadrant libelli frontiſpicio, ubi pollicetur, eo ſcilicet *de mutuâ inter Chriſtianos opinionibus diſſidentes tolerantiâ potiſſimum* diſceptari. bellè nimirum, & egregie. Nos verò ex animo Deum rogare haud deſinimus, ea ut pacis veritatiſque conſilia omnibus inſpiret, quæ ad nominis ſui gloriam futura ſint, & veram, non fucatam, Chriſtianorum inter ſe concordiam, & tolerantiam. Atque quia Dordracena Synodus ipſis ſudes in oculis eſt, quam continuis impetunt convitiis, non deſinam hic apponere, judicium Viri ſupra omnes judicioſi & magni, & præter Papicolas, nemini non probati, Pauli nempe Servitæ, quod perſcripſit ad celeberrimum Danielem Heinſium, poſt habitam Synodum, miſſamque ſibi Heinſii Homiliam, ſuper eodem argumento

mento. Epiſtola hæc eſt: *Reverendo Domine, fuit proculdubio Apoſtolorum Iohannis & Pauli ſententia, quam in tuâ homiliâ enarraſti; eamque orthodoxam eſſe ſoli non credunt, qui cæcitate mentis damnati ſunt: nam ut Divinæ gratiæ & adoptionis ſoli electi participes ſunt, ita quæ ſit ejus vis & efficacitas ſoli agnoſcere poſſunt. Non enim mundus aut caro, vel nuEticorax lucem ferre valent, quibus denegata eſt ea oculorum acies, quâ lux perſpici poteſt. Meo judicio nedum fides Divinum beneficium eſt, verum & recte de eâ, ac de illius cauſis & effectibus exiſtimatio mundanis ſapientibus eſt denegata. Vos felices, quibus cælitus divina myſteria detecta ſunt. Chriſtiana iſta Synodus Apoſtolicam ſententiam à carnali diſcrevit, & hâc damnatâ illam pie amplexa eſt. Et prudenter ampliſſimi Ordines adverſarios veſtros, linguam coercere juſſerunt, defuncti munere, quod principis eſt proprium in Eccleſiâ &c.* 4. Kal. Iunii 1620.

Iam ſequuntur controverſiæ.

I. Num cauſa prædeſtinationis, quare Deus ab æterno prædeſtinavit hominum alios ad ſalutem, ſit propter præviſam eorum fidem: alios autem ad mortem, propter præviſa eorum mala opera? *Neg.*

Vel:

Num electio & reprobatio non ſint facta ab æterno, ſed in tempore fiant, ad actualem hominum fidem, vel inobedientiam? *Neg.*

II. Num Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus mortuus ſit? *Neg.*

Vel:

Num Chriſtus morte ſuâ ſatisfecerit Deo pro omnium & ſingulorum hominum peccatis? *Neg.*

III. Num omnibus per Euangelii prædicationem vocatis communis quæpiam à Deo concedatur gratia, quâ in ipſorum ſitum ſit poteſtate, & arbitrio, verbo divino credere & obtemperare? *Neg.*

IV. An Spiritus S. ſingulari operatione in ipſam animam,

nimam, converſionem hominis & fidem effectivè producat? *Aff.*

v. Annon Deus fideles ita ſemper cuſtodiat & regat, ut nunquam à ſe prorſus deficiant? *Aff.*

vi. Num de ſimplicitate Dei nihil extet in Scripturis? *Neg.*

vii. Annon Scriptura doceat, Deum ſecundum eſſentiam ſuam ubique eſſe? *Aff.*

viii. Annon pro certo ex Scripturis affirmandum ſit, Deum habere ſcientiam futurorum contingentium? *Aff.*

ix. Num eventus libere futuros Deus norit per ſcientiam aliquam mediam, ante decretum voluntatis ſuæ de illis futuris? *Neg.*

x. Num doctrina de Perſonarum in Deo Trinitate non ſit fundamentalis ad ſalutem, neque uſus alicujus practici? *Neg.*

xi. Num de adorando Spiritu Sancto nullum in Scripturâ extet mandatum, exemplum, aut indicium? *Neg.*

xii. Num quæſtio de juſtitiâ originali tota inepta & inutilis ſit? *Neg.*

xiii. An providentiæ divinæ vis influat in voluntatem, eam ad actum ſuum excitando & determinando? *Aff.*

Num verò à voluntatis actu ipſa determinetur? *Neg.*

xiv. Annon peccatum originale ſit proprie dictum peccatum? *Aff.*

xv. Num Chriſtus ob plures alias cauſas ſit Filius Dei, quam ob æternam à Patre generationem? *Neg.*

xvi. Num Chriſtus ob alias cauſas dicatur Salvator, videlicet præconium, exemplum, & martyrium, quam propter noſtram à peccatis redemtionem? *Neg.*

xvii. Num Chriſtus, tamquam novus à Patre Legislator

lator, legem additione novorum præceptorum fecerit perfectiorem? *Neg.*

XVIII. Num fides in Chriſtum ſalvifica nec præcepta fuerit ſub V. T. nec viguerit? *Neg.*

XIX. Num dicendum ſit, Socinum, in capite de juſtificatione, & de fide, quod ad ſummam rei, convenire cum Orthodoxis? *Neg.*

XX. Num coram Deo juſtificemur non fide apprehendendo Chriſti juſtitiam, quæ ſola nobis imputetur in remiſſionem peccatorum, ſed fide ut eſt actus & opus noſtrum, includens in ſe obedientiam operum Euangelicorum, propter quam, quamvis non ex ejus dignitate & merito, juſtificemur? *Neg.*

XXI. Num credendum ſit, omnibus omnino hominibus conferri à Deo communem & generalem gratiam, per quam idonei ſint Deo vocanti parere, & cujus beneficio legi naturę obſecundati, Deo grati evadant, & vel ſalute æterna per extraordinariam gratiam donentur, vel beneficiis majoribus gradatim à Deo afficiantur, ut ad ſalutem æternam pervenire poſſint? *Neg.*

XXII. Num actus intellectus non ſubjaceant divino mandato? *Neg.*

XXIII. Num eo perfectionis hic veniant fideles & regeniti, ut abſque omni luctâ, præcepta omnia divina præſtare aut complere poſſint? *Neg.*

XXIV. Num diſtinctio presbyterorum, in docentes & regentes, ſit novitium εὕρημα? *Neg.*

XXV. Num ordines in Eccleſiis, inter Euangelii miniſtros, hierarchici, non ſint tamquam illiciti improbandi? *Neg.*

XXVI. Num vocatio, ad conſtituendum miniſtrum Euangelicum, ſive ad hoc, ut quis jure & legitime Euangelium hominibus prædicet, non ſit neceſſaria? *Neg.*

XXVII. Num à quovis fideli aliquando Sacramenta, baptiſmus, & Cœna adminiſtrari poſſint? *Neg.*

XXVIII. Num nec ex præcepto Chriſti, nec ex Apoſtolicâ authoritate pædobaptiſmus urgeri poſſit? *Neg.*

XXIX. Num S. Cœna ſit tantum in commemorationem mortis Chriſti, & non quoque in confirmationem & obſignationem gratiæ ac ſalutis in Chriſto? *Neg.*

XXX. Num Chriſtiano Magiſtratui competat jus & poteſtas architectonica ſub Chriſto ſuprema in Eccleſiæ regimen, ſine cujus authoritate nihil hic agi queat, Miniſtris Eccleſiæ ſuam authoritatem non immediate & à Chriſto, ſed ſubordinatam à Magiſtratu habentibus? *Neg.*

XXXI. Num quæſtio de ſtatu animarum à corpore ſeparatarum, contra Socinianos, ſit ſupervacanea? *Neg.*

XXXII. Num inutilis ſit quæſtio, an eadem corpora ſint reſurrectura? *Neg.*

XXXIII. Num dogmata ad ſalutem neceſſaria ſint pauciſſima, & quæ apud Chriſtianos nec controverſa, nec controverti poſſint, ſed apud omnes in confeſſo ſint qui Chriſtiani eſſe velint, aut quibus modo ſanum ſit ſinciput? videlicet hiſce tribus comprehenſa capitibus, fide divinorum promiſſorum, obedientiâ divinorum præceptorum, & debitâ Scripturis reverentia? *Neg.*

XXXIV. Num omnes Chriſtianorum cœtus, ſectæque, in illis fundamentalibus pariter conſentientes, in unum Eccleſiæ corpus coire oporteat? *Neg.*

XXXV. Num libertas prophetiarum ſit, cuilibet permittere ut profiteatur, & doceat talia, ac ex verbo Dei controverti poſſunt; & ut Deum colat quo modo colendum credit, adeoque quouſque illam quiſque hic ſibi concedi amat? *Neg.*

Liber Nonus
DE
LUTHERANIS.

DE ſchiſmate Lutherano, ejus origine: ubi de Luthero, Caroloſtadio, Zwinglio, eorumque ſcriptis mutuis. De Auguſtanâ Confeſſione. Controverſiâ ubiquitatis. Libro Concordiæ. De Syncretiſmo. Colloquium Marpurgenſe. Concordia Wittembergenſis. Conſenſus Sendomirienſis. Judicium de unione iiſcum, vel ſyncretiſmo. Controverſiæ, præter articulum de S. Cœnâ, reliquæ. Diſputatio.

EST hoc certe triſte & pernitioſum *Sciſma*, quod Satan, ut operi Reformationis tanto efficacius obſiſteret, ejuſque curſum remoraretur, ſuperiori ſæculo excitavit, inter Eccleſias Lutheranas, & Noſtras: ſive *partes* reſpiciamus, inter quas obortum, unà Papiſmo egreſſas, eique reformando intentas; ſive cauſam *S. Cœnæ*, ob quam excitatum, quum nullum debeat eſſe Chriſtianæ charitatis majus vinculum, quam iſtud; ſeu *atrocem* diſſentiendi modum, quo ſupra omnem modum illi Noſtras & Eccleſias & doctrinam inde inſectati fuerunt paſſim atque perſequuti. Deplorandum quam maxime illos, qui *iidem* initio fuerunt, vel ejuſdem operis Socii, quique poſt primum animorum divortium *uniti* aliquoties, ſemperque *uniendi*, ſi cauſam & originem diſſenſus conſideres, ita & exardeſcere, & implacabiles fieri, ut diſcordare ferme pro articulo religionis haberi incipiat. Et quid hoc S. Cœnæ eſt, ob quod adeo divelluntur? non profecto, an Cœna frequentanda, vel an Sacramentum ſit, & de fructu ejus recte faciendo apud ani-

animum fidelem, quæ ejus ſummam complectuntur & eſſentiam; neque de Chriſti præſentiâ, an præſens ibi Chriſtus, & ſingularem ſuæ gratiæ guſtum communicantibus præbeat; ſed num ejus corpus adſit, num hoc vere & ſubſtantialiter edatur, & ſanguis ejus bibatur? quod quia nunc defendunt ex corporis & humanæ in Chriſto naturæ ubiquitate, tota quæſtio alium locum vel categoriam occupavit, quam prius, neque tam de Sacramento, quam de ſtatu & conditione corporis Chriſti quæri videtur. Sed utrumſit, ſi verum, quod corpus Chriſti omnipræſens, aut hinc etiam ſubſtantialiter in S. Cœnâ adſit, non pendebit hoc ex noſtrâ vel opinione, vel fide, ſed ex rei veritate; ac proinde ſi vel erraremus quod illa non ita credimus, (in quo tamen non errare nos probatu facile eſt), attamen & præſens Chriſti corpus ubique nihilo ſecius eſſet, & à nobis quoque ederetur, quod tantâ contentione defendunt, ab infidelibus quoque & impiis manducari: proinde hæc quantumvis diſſenſus alicujus cauſa, Sciſmatis verò inter Eccleſias eſſe non debuit; quod quantopere pios omnes à primo ejus ortu huc uſque affligat, nemo unquam ſatis expreſſerit. Quoties audita illa pii Melanthonis vox fuit, haud ſine grandi animi mœrore „ atq; ejulatu expreſſa: non ſi tantum lacrymarum fun„derem, quantum hic præterfluens Albis vehit, exhauri„re meum dolorem poſſem, quem fero propter hæren„tem hanc in Eccleſiis noſtris controverſiam! Hoc etjam ſcripſit Vito Theodoro, Eccleſiaſtæ Noribergenſi a. cIↄ Iↄ xlv. ad Albertum Hartenbergium, a. cIↄ Iↄ l I I. ad Hencelium, Conſulem Auguſtanum, a. cIↄ Iↄ lv I. ad alios. Ad Bucerum a. cIↄ Iↄ xxxv, *Nulla enim res æque deterret homines ab Euangelio, ac noſtra diſcordia.* Dici haud poteſt, quantum hęc ſcandalorum ubiq; dederit. *Væ mundo à ſcandalis: neceſſe quidem eſt venire ſcandala; ſed væ iſti homini, per quem venit ſcandalum.* Matth. xv I I I. 7. De tribus nobis hic diſſerendum venit, de diſſidio, & *Sciſmate*

mate Lutherano, ſuper cauſâ Sacramentariâ: de *ſyncre-tiſmo* & unione cum iis: tertio, de *diſputatione*, & reliquis ipſorum Controverſiis.

In *Schiſmatis* perſtringendâ *hiſtoria*, attendenda ejus *occaſio*, tum *ruptura*, demum variæ ejus à multis *obfirmationes*, & exaſperationes, & rupturæ productiones, ut minus corrigibilis evaſerit. Occaſio conjicienda in *diſcordiam Lutheri* cum collegâ *Caroloſtadio*. Ruptura, in *ſcripta adverſaria* non *Lutheri* tantum & *Caroloſtadii*, ſed & illius in *Zuinglium* nominatim, inde *Saxonicorum*, & *Tigurinorum*, quibus dein *Baſileenſes* acceſſerunt, aliique. Obfirmationes Sciſmatis obſervandæ, in contentionibus ſuper *Auguſtanâ Confeſſione*, ab a. cIↄ Iↄ xxx. & demum in *Libro Concordiæ*, pro canonizando dogmate Vbiquitatis facto, a. cIↄ Iↄ lxxvII. Circa *ſyncretiſmum* notamus, primo *Auctores*, qui pro eo ſedulam navarunt operam, ſive *Eccleſiaſticos*, quales imprimis *Bucerus*, *Melanthon*; ſive *politicos*; inter quos præcipuus Haſſiæ Lantgravius, *Philippus*, alii pòſt nominandi. Deinde *Conſenſus* quoquo pacto aliquoties initos. *Marpurgi* primùm anno cIↄ Iↄ xxIx. tum *VVittemberga* a. cIↄ Iↄ xxxvI. Denique *Sendomiriæ*, in Poloniâ, anno cIↄ Iↄ lxx. & alibi. Tertio, *judicium* de ſyncretiſmo cautè tractando interponimus. Poſt quæ loco ultimo, de *reliquis* cum Lutheranis *controverſiis*, illarum *origine*, & tractandi *modo* diſceptamus.

In anteceſſum verò non incongruum videri debet, aliqua de *Luthero*, de *Caroloſtadio*, de *Zuinglio* prænotaſſe. Natus eſt *Martinus Lutherus* a. cIↄ cccc lxxxIII. d. x. Novembris, Iſlebiæ, quod Comitatus Mansfeldici oppidum eſt. Martinus appellatus, eo quod dies, quo baptizabatur infans, iſti Sancto dicatus erat. Hoc pro more ſæculi. Vnde & Vrbano Regio ſuum nomen mire contigit, mulierculis nomen Sancti, cujus die natus erat, oblitis, Sacerdos, quia Vrbani diem ſciebat haud procul abeſſe, *Vrbanum* nominavit. Lutherus, emen-

ſis,

ſis trivialibus ſtudiis Iſenaci, Erphurdiam venit a. cIↄ Iↄ I. ætatis ſuæ XVIII. ubi Magiſter artium renunciatus, Philoſophiam docuit, annos natus viginti. Tum & juris aggreſſus ſtudium fuit. Anno ætatis vigeſimo primo, territus, ut volunt, violenta, ex fulmine, commilitonis ſui morte, Monaſterium ibidem Monachorum Auguſtinianorum ingreſſus eſt: ubi primum incidit in exemplar Bibliorum, nunquam ſibi antehâc viſorum. Interim & ſedulus in lectione Auguſtini, neque minus Scholaſticorum, præſertim Gabriëlis, & Cameracenſis: Occami ſcripta & acumen ipſi Thomæ, ac Scoto præferebat. Miſſam dicere cœpit ibidem ab a. cIↄ Iↄ VII. ætatis XXIV. VVittembergam verò, ad illuſtrandam recens ab Electore Friderico erectam Academiam (cujus Ioh. Staupicius primus fuit Theologiæ profeſſor, Ordinis Auguſtiniani eremitarum Vicarius Generalis per Germaniam, magnus Lutheri patronus; & primus Rector, Mellerſtadius) Erphordia vocatus fuit a. cIↄ Iↄ VIII. cum annum ætatis ageret XXVI. Vbi primo Dialecticam & Phyſicam Ariſtotelis explicuit: inde, urgente Staupicio, Theologiæ Doctor, ſumtus promotionis curante Electore, qui concionantem ſæpius audiverat, eoque ejus ingenium demirabatur, factus eſt a. cIↄ Iↄ XII. anno ætatis XXX. Hinc jam prælegere Theologiam, & explicare primùm epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Romanos, inde Pſalmos cœpit, eâ dexteritate, vi, & doctrinæ puritate, in articulo præſertim de juſtificatione hominis coram Deo, quem tum à Staupicio, tum proprio conſcientiæ ſenſu addidicerat, ut non potuerit quin Iohanni Tecelio, Dominicani Ordinis Monacho, indulgentias venales in Miſniâ & Saxoniâ impudenter circumferenti ab a. cIↄ Iↄ XVI, ſe animoſe opponeret. Vnde Reformationis, quod notum, cœptum opus. In quo, magnis multiſque cum Adverſariis colluctandum ei ſemper fuit, præter Tecelium, cum Eccio, Prierate, & poſtea Cajetano. Quin & ſilen-

tium promiſit aliquoties, modo idem Adverſariis ſuis injungeretur, atque ad Pontificem provocavit, ſua ei lubenter ſubmiſſurus. Tandem compertus à nimis quam multis, contra ac opinabatur, adeoque à Pontifice & Cardinalibus, illa dogmatum opprobria doceri ac defendi, exuto omni metu, & Romanæ ſedis obedientiâ, in opere Reformationis animoſe & conſtanter perrexit: quod factum ab anno cIↃ IↃ xx. quando ſcripſit in litteris ad Spalatinum, inter alia: *A me quidem jacta mihi alea, contemtus eſt Romanus furor & favor: nolo eis reconciliari nec communicare in perpetuum, damnent exurantque mea. Ego viciſſim, niſi ignem habere nequeam, damnabo, publiceque concremabo jus pontificium totum, id eſt, lernam illam hereſium, & finem habebit humilitatis exhibita hactenuſque fruſtrata obſervantia, quâ nolo amplius inflari hoſtes Euangelii.* Hoc anno Bulla Papæ adverſus Lutherum prodiit, quam is, poſtquam ſua ſcripta Colonienſes hoc etiam anno combuſſerant, una cum jure Pontificio, die x. Decembris hujus ejuſdem anni in exſtructum rogum palam conjecit, addita hâc exeratione: *quia tu conturbaſti Sanctum Domini, conturbet te ignis æternus.* Iam anno cIↃ IↃ xviii. Heidelbergam, ad capitulum Ordinis, quod ibi habebatur, profectus Lutherus, pro teſtandâ ſuâ doctrinæque ſuæ innocentiâ, diſputationem in Monaſterio Auguſtinianorum, quod nunc Collegium Sapientiæ eſt, habuit *de juſtificatione fidei*, cujus theſes extant Tom. 1. Operum Lutheri Latin. Diſputationi illi Bucerus tum temporis interfuit, omniaque, ut poterat, quæ à Luthero dicebantur, annotavit. Reverſus inde domum, in prima, quæ cum Pontificiis inſtituta de religione diſputatio fuit, Lipſiæ, anno cIↃ IↃ xix. Caroloſtadius & Lutherus unà fuerunt, addito ipſis Melanthone: ubi cum Eckio primùm Caroloſtadius, de libero arbitrio, tum Lutherus, de Pontifice Eccleſiæ capite, diſputavit. VVormatia reverſus anno cIↃ IↃ xxi, ex conſilio Electoris Saxoniæ

Fri-

Friderici abductus fuit in ſolitarium aliquem locum extra hominum notitiam & contubernium, arx fuit VVartenburg, prope Iſenacum (Pathmum appellare ſolitus), ubi circiter decem menſes egit. Quo abſente VVittembergenſes, interque eos præcipuus Caroloſtadius, nihilo ſegnius pergentes in Eccleſiæ reformatione, privatam miſſam, & imagines, Confeſſionem auricularem, diſcrimina ciborum, invocationem Sanctorum abrogarunt, & celebrare S. Cœnam ſub utrâque (uti ſolent loqui) ſpecie, potius parte, inſtituerunt. Quæ res Lutherum, quod ſe abſente, neque prius conſultâ ſuâ authoritate, facta fuiſſet, adeo pupugit, ut inconſulto Electore, ex ſuo eremo VVittembergam a. cIↃ IↃ XXII. advolarit, ibique illa improbare, & publice etiam pro concione reprehendere inceperit, non tam quod male eſſent facta, quam quod non à ſe: veritus hoc pacto nomini & authoritati ſuæ aliquid derogatum iri.

Andreas Bodenſtein Caroloſtadius, ſic dictus ab oppido Franciæ Orientalis, in quo natus, quem ab initialibus nominis & cognominis litteris a b c Melanthon in privatis litteris Alphabetum ſolebat nominare, primus fuit Theologiæ Doctor in recenti Academiâ VVittembergenſi factus, & Profeſſor Theologiæ: etiamque juris doctor fuit, & Lutherum poſtea Theologiæ Doctorem creavit: unde & Lutherus ei, ut *Præceptori ac majori ſuo* ſcribit in epiſtolis. Poſtquam Lutherus indulgentias oppugnare cœpit, ei ſe mox adjunxit Caroloſtadius, atque a. cIↃ IↃ XX, qui fatalis Papatui in illis oris fuit, aperte & acriter Papiſmum oppugnandum deſtruendumque docuit. Vnde ejus decem tum temporis Concluſiones quas *Chriſtianiſſimas* appellat, quarum tertia erat: *Alexander quartus, & omnes poſt eum Pontifices Romani anathemate ſe per ſuas decretales percuſſerunt, ab a. 1296. uſque ad annum 1520. nunc præſentem. IV. Sequitur ergo, quod Leo decimus excommunicare non poteſt. Quia juxta ſuas Conſtitutiones: excommunicatus non poteſt excommunicare.*

Et quæ ſequuntur. Verùm reformatione illâ VVittenbergæ, Luthero in Pathmo deliteſcente, peracta, quam diximus, reverſus Lutherus hinc certamen orſus eſt cum Caroloſtadio. Quod initium dedit triſtis & diuturni diſſidii Sacramentarii. Namque aliter hic, aliter ille doctrinam & verba Cœnæ interpretabatur. Caroloſtadius verba, *hoc eſt enim corpus meum* exponebat, quaſi per hoc, non panis, ſed aſſidens Chriſti corpus ab ipſo fuiſſet commonſtratum: id eſt, quaſi fracto, diſtributoque ad comedendum pane Chriſtus ſermone & manu ad ſuum versâ corpus, dixiſſet: *hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Lutherus aliter, & per *hoc*, panem denotari volebat. Inde æmulationes & contentiones inter Lutherum atque Caroloſtadium ortæ, præſertim quum hic videret, ſe ab illo aliquoties pro concione publicè perſtringi. Hinc VVittembergam deſerendam ſibi Caroloſtadius judicavit, atque vocatus Orlamundam, quod Thuringiæ oppidum, paſtor Eccleſiæ hic conſtitutus anno cIↃ IↃXXIV. fuit. Neque ita tamen quievit Lutherus, ſed hoc etiam anno Ienam veniens, ad ſedandos furentium Anabaptiſtarum motus & tumultus, concionem habuit, cui & Caroloſtadius forte intererat. quâ primum in Muncerum ejuſque deliria invectus, porro ejuſdem Alſtetenſis ſeditioſi ſpiritus dixit eſſe εἰκονομάχους, & baptiſmi ac Sacramenti altaris deſtructores: quibus haud obſcure Caroloſtadium deſignabat. Quod hic ſentiens, à concione Lutherum in publico convenit diverſorio, atque expoſtulavit multis de injuriâ ſibi palam facta. Ille vero adeo non placandum ſibi offenſum Caroloſtadii animum putavit, ut contrà vehementius irritarit, protracto aureo nummo illum in ſcriptionem adverſus ſe publicam cogens, ich beger/das ihr wider mich ſchreiben ſole/ und giben euch darumb den goldgulden / das ir meiner nicht ſchonen ſole / und ſe dapfferer ir mich angreiffe / je lieber ir mir ſein ſolt. Hoc initium certaminis Sacramen-

tarii

tarii fuit, hæc occaſio. Arrogantior Lutherus meritò in eo viſus fuit, quod adeo intemperanter tulit alios præter ſe Reformationis ἐγχειρῆσαι; quod non minus ægrum ei fecit erga Huldrichum Zuinglium animum, apud Helvetios reſonnantem. Tanti mali cauſa exiſtit inter bonos ſiniſtra æmulatio. Imprudentiam addidit, quod volupe ei fuerit leviter à ſe atque ob meliorem cauſam diſſentientes fratres pro concione perſtringere & impetere: quod animi affectibus obnoxii, & ad turbas proni infrangibile eſt argumentum. Adde, ubi etiam ad ſcriptionem ſimilium facile; quis tum alium provocat, tum ipſe proſilit, in materiâ quæ extra contentionem concionum, ſeu ſcriptionum commodiùs ſopiatur, atque ubi non adverſus hoſtes, & heterodoxos, ſed cum fratribus res eſt. Verùm ſapienter id quidem Deus ita permiſit; ac moderatus in Luthero fuit, ut juxta virtutes planè divinas, etiam communis infirmitatis proderet lapſus, ne hominem ignoraremus, neve (quod cæteroquin homines facile committunt, & à quo ne hîc quidem immunes aliqui fuerunt) idolum ex eo faceremus, quem ad tantum opus Deus adhibebat: tum etiam ut planè hoc Dei opus ſciremus, quod in benè reformandâ Eccleſiâ homo aliis ἐργάζεσθαι præſtitit. Ienâ Lutherus Orlamundam pergens, ubi paſtorem agebat Caroloſtadius, eum nec ſalutare, nec fratrem appellare ſuſtinuit, utpote aureo nummo ſibi (ut dicebat) in adverſarium conducto. Facta hæc a. cIↃ IↃXXIV. Poſteà Caroloſtadius, juſſu Electoris, ſed inſtigante Luthero, quaſi Anabaptiſtarum faveret furoribus, Thuringiâ ejectus, & varia oberrans loca, libellos aliquot ſcripſit *de Cœnâ*, quos Baſileæ edidit. Tandem & Tigurum venit, anno cIↃ IↃ XXX. ubi Zuinglius docebat; qui de Caroloſtadio judicare ſolebat, idem ei accidiſſe quod Tyroni; cui arma quidem ad pugnandum non deeſſent, ſed armorum peritia. Tiguri Caroloſtadius, quum jam violentam illam ſuam ver-

borum Cœnæ interpretationem abjeciſſet, factus fuit Eccleſiæ diaconus; quod haud leviter Lutherum commoviſſe creditum. Poſt obitum Zuinglii, Baſileam conceſſit, ubi decem annis in Scholâ, & Eccleſiâ docuit, mortuus ibidem a. clↄ Iↄ xli.

Huldrichus Zuinglius natus eſt a. clↄ cccc lxxxvii. Kal. Januar. Baſileæ primùm litteris operam dedit, ubi & poſtea eaſdem in Scholâ Martinianâ docuit. Inde in Philoſophiâ gradum Magiſterii adeptus, ad Theologica ſe applicuit, in quibus illos fructus fecit, ut non diu pòſt Glaronam, apud Helvetios, ad paſtorale obeundum munus vocatus ſit, a. clↄ Iↄ xvi. quando nec noto, nec audito Lutheri nomine puriorem doctrinam annunciare cæpit, potiſſimum in doctrinâ de juſtificatione hominis coram Deo, quam à Papiſmi fermento depuratam didicerat, à præceptore ſuo, Thoma VVittembachio. Glaronâ vocatus fuit, ad famoſiſſimum tum temporis Virginis Eremitanæ templum zum Einſidlen, a. clↄ Iↄ xvii. ubi collegam habuit Leonem Judæ. Loci hujus Abbas Cunradus à Rechenberg, Viſitatoribus, ſe ut Miſſam celebraret monentibus, aliquando reſpondiſſe fertur: Si verè Chriſtus eſt in hoſtiâ, indignus ſum qui illum intuear; indignior, qui Patri offeram. Si non eſt in hoſtiâ, væ mihi, ſi panem, pro Deo, populo adorandum proponam. Glaronâ tranſlatus fuit Zuinglius Tigurum anno clↄ Iↄ xix. Kal. Januar. quo tempore quam rationem ſervarit in prædicando Euangelio, ipſe poſtea a. clↄ Iↄ xxii. expoſuit in libro, quem Archetelem inſcripſit, qui eſt Tomo operum ejus primo: *anno abhinc quarto*, inquit, (*ut rationem prædicationis noſtræ Tiguri promulgatæ habeatis*) *ſolidum Euangelium ſecundum Matthæum prædicavi, quo tempore illorum nomina ne nominari quidem audieram, quorum factionis nunc inſimulatis &c. Nec eſt, ut me quorundam ſcriptorum inſimuletis, nam antequam ea ad manus veſtras venerint, ... negotium, imo ante annum fere polliciti ſumus id me fa-*

factum. Hæc adverſus illos dixit, qui eum temere nomine & authoritate Lutheri prægravare conabantur. Et quanto tum temporis in pretio apud ipſos Adverſarios habitus fuerit, declarat epiſtola ſeu Breve Papæ Adriani VI. ad ipſum miſſum, Papatus ejus anno primo, cIↄ Iↄ XXIII. d. XXIII. Ianuarii, quo & Zuinglium, dilectum filium, & egregiam ejus virtutem, tum quoque affectum erga eum & ipſius commoda honoreſque mire deprædicat. Occubuit Zuinglius a. cIↄ Iↄ XXXI. die XI. Oct. ætatis anno XLIV. quadriennio Luthero minor. In Carolſtadio forte haud immerito majorem deſideres prudentiam, & conſtantiam; in Luthero moderationem & humilitatem; ſed in Zuinglio quid carpas, haud equidem ſcio, adeo vir prudens & doctus juxta fuit, & in controverſia Sacramentaria adverſus Lutherum non ſcripſit prior nominatim, & vulgari linguâ: ſed Latinâ, ut eruditis hæc potius objicere judicanda, quam ad populum commovendum emittere, ſecus ac Lutherus; atque ad ſententiæ & doctrinæ ſuæ ſimplicem expoſitionem, non Lutheri impugnationem, vel nominis ejus detractionem, videretur. Vide ejus *Amicam exegeſim*, ſive expoſitionem Euchariſtici negotii, ad Martinum Lutherum, Oper. Zuinglii, Tom. II. ſcriptam a. cIↄ Iↄ XXVII. ubi in epiſtolâ ad Lutherum, inquit: *non bellum decrevi, aut ad ſingulare certamen in harenam deſcendi, ſed fecialem tibi mitto librum: non qui res repetitum, ſed compoſitum veniat. Unde & expoſitionis ei nomen præfiximus, quo tibi ſententiam noſtram ac ſcripturæ fundamentum, quo nitimur, amice exponat, ne ad manus veniatur: quod Pontificii & mordaces quidam, ſed mali poëtæ aliquandiu anxie optarunt.* Ad Lectorem: *Diſſentiebat à nobis palam Lutherus, ac maledicta in omnia pacis gratia ferentes congerebat, nemo ex nobis mutibat: ac ne nunc quidem conviciis aget. Quid ergo novi factum erit, ubi nominatim expoſitionem noſtram ad eum damus? quandoquidem ille prius ſic à nobis diſſentiebat, ut non*

 eſſet

eſſet contentus ſcientiam noſtram rejicere, niſi nos inter fanaticos quoque & preſtigiatores connumeraſſet: idque libris editis, ut eſt in epiſtolâ ad Rutlingenſes, & Caroloſtadii revocatione. Et nos ſine intermiſſione ipſius argumentis, ſed præterito ejus nomine, reſpondimus & ad ea, quibus fidebat, perinde atque nunc facturi ſumus. Scribebat ergo & antea contra nos nominatim etiam Lutherus, nos contra ipſum, ſed tacite ac intacto ejus nomine. Nunc ad eum ſcribemus nominatim, ſed citra contumeliam: ſi ipſe nobis iratus erit, nihil novi fiet: ſi nos benigne feremus, utpote malis jam durati, quæ in nos jaculabitur, iterum novi fiet nihil: prius enim ad eadem tela ſtetimus inconnitentibus oculis. Inde Lutherus ſermonem à ſe in VVittembergenſi Eccleſiâ habitum, pro ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento aſſertione, contra Swermeros aut Fanaticos edit, cui reponere Apologiam Zuinglius, à multis ad id rogatus, neceſſe habuit, ſed vide quam ſollicite, quamque prudenter, quippe hic primus liber adverſus Lutherum ab eo Germanicè conſcriptus fuit, anno CIϽ IϽ XXVII. V. Cal. April. *Nec enim hic ullos*, inquit, *tumultus aut turbas quærimus, ſed hoc unum cavere conamur, ne quando vel falsâ ſcriptorum interpretatione vel ignorantiæ tenebris circumventi decipiamur: præterea ne quiſquam in Chriſti eccleſiâ tantum authoritatis ſibi vendicare instituat, ne nemini ipſum citra divini verbi quoque teſtimonium quidvis affirmantem aut huic falſum ſenſum obtrudentem liceat reprehendere.* Deinde: *Primum vero diligentiſſime te admonitum velim, amice Lector, ut excuſſa omni oſcitantia cum judicio legere diſcas; nec unquam eò negligentiæ te adduci patiaris, ut quam primum aliquid vel à Luthero vel Zuinglio dictum ſcriptumve eſſe audis, id ipſum ſtatim citra omnem ipſius rei conſiderationem diligentiorem temere arripere velis, ita ut huic te totum committas: quin potius ad judicii veri regulam ſingula revocando num divinæ veritati verboque Dei æterno conformia loquantur ſcribantur conſiderabis.* Tum in *Reſponſione ad Lutheri librum*

de Sacramento, eodem anno ſcriptâ; *noſtra quidem*, inquit, *Latine edita, in quibus ad omnia argumenta tua (quæ tu hactenus à nemine adhuc tractata & convicta eſſe ſæpe conqueſtus es) reſpondimus, peregrina tamen lingua uſi, ne quando nos alicujus odii ac invidiæ inſimulare poſſes, quaſi dedecoris & infamiæ tuæ ſiti inflammati nomen tuum univerſis Germaniæ populis inviſum & exoſum facere cupiamus.* De primis Caroloſtadii hâc in cauſâ ſcriptis libellis, unde magnum Zuinglio conflatum ab aliis odium & invidia, vide quam ingenue, & prudenter judicet, in primâ ejus de hâc re ſcriptione, nempe epiſtolâ *de Cœnâ Domini*, ad Matthæum Albertum Rutlingenſem Eccleſiaſten, anno cIↄ Iↄ XXIV. d. XVI. Novemb. *Caroloſtadius, ut neque de iſto taceam, qui ſive tempeſtive, ſive minus, de improviſo hanc rem in vulgus diſſipavit, ac libellum quendam trium paginarum de hâc re edidit, ſub titulo, De execrabili abuſu Euchariſtiæ; eum legimus, poſteaquam fratres, præſertim Leo noſter, orarint ut legerem, ipſiſque prius non eſſet improbatus: lectus, placuit multis locis, quibuſdam diſplicuit, quod res omnium difficillima non ſatis humerorum haberet.* Quique à ſententiâ Caroloſtadii diſſentiebat, ut quem quidem oppugnare falſam, ſed nec tamen veram tueri perſuaſus erat; cenſebatque tyroni ſimilem, cui non quidem animus & arma ad pugnandum deeſſent, ſed armorum peritia, in ſuâ verò proponendâ quàm fuit modeſtus, quam ſanctus! In ipsâ illâ ad Matthæum Rutlingenſem epiſtolâ: *Nam tametſi eà ſententià, quam dicturi ſumus, vehementer nobis arrideat; nihil tamen deſinimus, ſed noſtra in medium proferimus: ut ſi Domino placuerit, alii quoque ſic ſentire doceantur, ſed à ſpiritu, qui nos omnia docet: is enim ſi voluerit ſic intelligi, fruſtra verba fundemus. Deum ergo Opt. Max. precor, ut vias noſtras dirigat: ac ſicubi ſimus Bilaam in morem veritati pertinaciter obluctaturi, angelum ſuum opponat, qui machæra ſua minis hunc aſinum (inſcitiam & audaciam dico noſtram, ſi ſaltem ex audacia gloriæque cupiditate quicquam*

quam nobis hic agitur) ſic ad maceriam adfligat, ut fractum pedem, hoc eſt impurum illotumque carnis ſenſum auferamus, ne ultra blaſphememus nomen domini Dei noſtri. Lutherus opinionem de Sacramento ſuam hauſerat vel retinuerat ex lectione Cardinalis Aliacenſis, in Quartum Sententiarum, ubi is ſe, miſſâ tranſſubſtantiatione, magis inclinare in conſubſtantiationem, niſi Eccleſiæ obſtaret deciſio, fatetur. De quo Lutherus, in libro *de captivitate Babylonicâ*, ſcripto anno cIↄ Iↄ xx. in hunc modum palam loquutus eſt: *Hic VViglephiſta, & ſexcentis nominibus hæreticus ero. Quid tum? poſtquam Romanus Epiſcopus, Epiſcopus eſſe deſiit, & tyrannus factus eſt, non formido ejus univerſa Decreta, cujus non ſcio eſſe poteſtatem, articulos novos fidei condendi, nec Concilii quidem generalis. Dedit mihi quondam, cum Theologiam ſcholaſticam haurirem, occaſionem cogitandi D. Cardinalis Camerac. libro ſententiarum quarto, acutiſſime diſputans: multo probabilius eſſe, & minus ſuperfluorum miraculorum poni, ſi in altari verum corpus verumque vinum, non autem accidentia eſſe aſtruerentur, niſi Eccleſia determinaſſet contrarium. Poſtea videns quæ eſſet Eccleſia, quæ hoc determinaſſet, nempe Thomiſtica, hoc eſt, Ariſtotelica, audacior factus ſum, & qui inter ſaxum & ſacrum hærebam, tandem ſtabilivi conſcientiam meam, ſententia priore, Eſſe videlicet verum panem verumque vinum, in quibus Chriſti vera caro verusque ſanguis, non aliter nec minus ſit, quam illi ſub accidentibus ſuis ponunt.* Hinc ergo acceptâ Lutheri opinione, diſputari ſuper eâ cœpit à Caroloſtadio primum, anno cIↄ Iↄ xx ii. at ſcriptis eriſticis, ab anno cIↄ Iↄ xxiv. non inter iſtum ſolum, & Lutherum, ſed hunc quoque, & Zuinglium, Oecolampadium, aliosque.

Inde natæ diverſæ *Confeſſiones* Eccleſiarum Saxonicarum, & Helveticarum, in Comitiis Auguſtanis anno cIↄ Iↄ xxx. Nam poſtquam ſuam, à Luthero, Melanthone, Iuſto Iona, & Bugenhagio primùm à die xiv.

Martii cIↄ Iↄ xxx. delineari cœptam, & ſeptemdecim articulis comprehenſam, qui Tom. v. Germanico Ienenſi Lutheri, & alibi leguntur, & in Annalibus Euangelicis Sculteti, Decad. 11. atque inde à Melanthone, non primum Auguſtæ compoſitam, (ut nonnulli ſcribunt), ſed hic exaſciatam & in iſtam formam redactam, iterumque Luthero miſſam Coburgum, in arce vicinâ, ubi ſubſiſtebat, probatamque adeo, ut ſcriberet ſe in eâ emendare nihil poſſe, neque ſibi facile futurum fuiſſe, tantâ moderatione ac ſtyli lenitate uti, dan er ſo ſanfft / und leiſe nicht treten konte / uti loquitur, Tom. v. German. Ienenſ. fol. 22. poſtquam (dico) illam Confeſſionem Elector Saxoniæ Iohannes, cum Iohanne Friderico, filio; & Georgio Marchione Brandeburgenſi; Erneſto, & Franciſco fratribus, Ducibus Brunſvicenſibus, & Luneburgenſibus; Philippo, Haſſiæ Lantgravio; VVolfango, Principe Anhaltino, & Legatis civitatum Noribergæ, & Reutlingæ, obtuliſſet die xxiv. Iunii, lectaque poſtridie in palatio Cæſaris publice fuiſſet, aliam quatuor Civitates, Argentoratum, Conſtantia, Memminga, & Lindavium, auctore Bucero & Capitone, quæ doctrinam de Sacramento apertius, planius, veriuſque explicaret, quam illa Saxonica, Imperatori in Comitiis exhibuerunt: inde & Zuinglius, quia variis per Adverſarios paſſim impetebatur calumniis, ob cauſam doctrinæ, quaſi mira horrendaque doceret, ſingularem ſententiæ ſuæ Confeſſionem Imperatori miſit. Adeo ut triplex in his Comitiis oblata fuerit Confeſſio, Melanthonis illa Saxonicorum, quæ vulgò Auguſtana nominatur; & quatuor civitatum; & poſtremò Zuinglii, Auguſtanę Confeſſionis primos fuiſſe auctores illos, quos diximus, & quo quantoque tempore primos articulos rudiiter conſignarint, operæ pretium eſt audire ex litteris Lutheri ad Juſtum Ionam, eò magis quò circa horum hiſtoriam multos errare comperimus. Ita habet epiſtola, *S. Scri-*

pſiſ

pſit Princeps nobis, id eſt, tibi, Pomerano, Philippo, & mihi communes literas, ut una ſimus. & omnibus ſepoſitis aliis rebus, ante Dominicam futuram abſolvamus, quæ neceſſaria ſunt ad Comitia 8. Aprilis futura. Carolus enim Cæſar ipſe aderit Auguſtæ, amice compoſiturus omnia, ut ſcribit in ſuâ bullâ. Quare hodie & cras, licet abſente te, faciemus nos tres, quantum poſſumus: tamen & tuum erit, ut Principis voluntati ſatisfiat, rejectis in ſocios reliquos laboribus tuis, cras te hic ſiſtere nobiſcum. Feſtinata enim ſunt omnia. Chriſtus adſpiret, ut omnia in gloriam ejus fiant. Amen. Hora 12. 14. *Martii, a.* 30. Auguſtæ quum aliquo tempore Saxoniæ Elector, Melanthon, alii morarentur, ante Cæſaris adventum, Elector ad Martinum Lutherum Confeſſionem à Melanthone reviſam retextamque miſit, hiſce cum litteris; *S. Reverende & doctiſſime nobis dilecte & devote: poſtquam vos, & alii noſtri Theologi VViteberga, nobis clementer mandantibus & petentibus, articulos de religione noſtrâ controverſos, ſcripto brevi delineaſtis, non volumus vos celare, jam M. Philippum Melanthonem denuò eos hic Auguſtæ revidiſſe, & in formam redegiſſe, quam vobis unà mittimus. Et clementer petimus, ut eoſdem articulos accuratius revidere, & expendere non gravemini. Et ſive ita, ut ſcripti ſunt, vobis placebunt, ſive addendum aliquid aut adimendum eſſe cogitabitis, ſcripto ſententiam veſtram annotare, & per hunc tabellarium ſine morâ, bene munitos & obſignatos remittere velitis, ut Cæſare, quem brevi expectamus adveniente, inſtructi & parati ſimus.* Ita ergo & Luthero, & Melanthoni debetur hæc Confeſſio, ut præcipuis ejus auctoribus, illi quaſi patri, huic matri, quorum ille plus materiæ, hic formæ contulerit, quamque à ſe aliquoties mutatam variatamque faſſus haud ſemel fuit. In epiſtolis ad Ioachimum Camerarium, de Actis in Conventu Auguſtano, part. 1. Conſil. Theol. *Ego mutabam & refingebam pleraque quotidie. Plura etiam mutaturus, ſi noſtri συμφερόμενοι permiſiſſent.* Ad ipſum Lutherum:

In

In Apologiâ quotidie multa mutamus. Apologiam nominat, Confeſſionem: uti in alterâ ad eundem declarat epiſtolâ: *Mittitur tibi Apologia noſtra, quamquam verius Confeſſio eſt.* Ut minus exagitandum fuerit, quod poſtea etiam aliquid in confeſſione variatum, ipſo adhuc ſuperſtite Luthero, fuerit. Quâ de re Ioh. Brentius, hunc in modum ſcripſit ad Vitum Theodorum, anno cIↃ IↃ xl I. *Ego ſoleo hanc poſteriorem editionem Apologiæ cum priori conferre, ut videam, quid mutatum ſit, & invenio plæraque eſſe mutata. Scio autem Philippum citra judicium nil temere mutare. Quare dum confero & expendo cauſas mutationis, mirum quanto cum fructu à lectione diſcedam.* Mutatio illa contigit à Concordiâ VVittembergenſi, anno cIↃ IↃ xxxv I I I. quando Confeſſio à Melanthone fuit recognita, emendata, & locupletata. Decimus articulus, qui de S. Cœnâ agit, in primâ editione ſic legitur. *De Cœnâ Domini docent, quod corpus & ſanguis Chriſti verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœnâ Domini: & improbant ſecus docentes.* In hâc autem *variata,* uti vulgo ad majorem invidiam loquuntur: *De Cœna Domini docent, quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in Cœnâ Domini.* Adeo ut & in ipſa theſi, & adjecto vel omiſſo anathemate, ſit diſcrepantia. Ibi dicitur Chriſti corpus adeſſe & diſtribui: hic duntaxat exhiberi: ibi ſecus docentes notantur; hic non. Articulum illum decimum, uti totam Confeſſionem, certum eſt ab Auctore ad Pontificiorum ſenſus nimis fuiſſe accommodatum, & tantum Adverſariis conceſſum, ut hinc magnam apud ſuos ſe invidiam incurriſſe multis in litteris ipſe Melanthon teſtatus ſit. Ad intimum amicum ſuum Ioachimum Camerarium: *Ego Apologiam paravi ſcriptam ſumma verecundia. Neque de his rebus poſſe mitius dici arbitror.* Eodem anno ſcilicet xxx. ad eundem, Auguſta: *Non dubitabam, quin Apologia noſtra videretur noſtris quibuſdam futura lenior, quam mereatur improbitas adverſari-*

ſariorum. Ego tamen complexus ſum ea, quæ ſunt in cauſſa præcipua. Iuriſdictionem totam, καὶ τὸ ἀξίωμα reddo Epiſcopis. In alia: Hoc *male habet ſcilicet, quoſdam immoderatiores, reddi juriſdictionem, reſtitui πολιτείαν Eccleſiaſticam. Hoc interpretantur reſtitutionem dominationis Pontificiæ* &c. *Vtinam, utinam poſſim non quidem dominationem confirmare, ſed adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum. Video enim, qualem ſimus habituri Eccleſiam, diſſoluta πολιτείᾳ Eccleſiaſtica. Video poſtea multò intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam anteà unquam fuit. Adhæc, nihil adhuc conceſſimus adverſariis, præter ea, quæ Lutherus cenſuit eſſe reddenda, re benè ac diligenter deliberata ante conventum. Neque ego non additurus eram aliquid quaſi auctarium, publicæ pacis cauſſa. Cujus fortaſſe aliqui rationem nunc non habent.* Ergo ex conſenſu Lutheri hæc egit. Vnde ad Lutherum ipſum poſtridie Auguſti, ejuſdem anni, & ex eodem loco: *Valde reprehendimur à noſtris, quod juriſdictionem Epiſcopis reddimus. Nam vulgus aſſuefactum libertati, & ſemel excuſſo jugo Epiſcoporum, ægre patitur ſibi rurſus imponi illa vetera onera, & maximè oderunt illam dominationem civitates Imperii. De doctrina religionis nihil laborant, tantum de regno & libertate ſunt ſolliciti.* In alia, ad eundem: *Non credis, quanto in odio ſim Noricis, & neſcio quibus aliis, propter reſtitutam Epiſcopis juriſdictionem. Ita de ſuo regno, non de Euangelio dimicant ſocii noſtri. Amicus quidam ſcripſit, me, ſi quanta voluiſſem maxima pecunia à Romano Pontifice conductus eſſem, non potuiſſe meliorem rationem ſuſcipere reſtituendæ dominationis Pontificiæ, quam hanc eſſe judicent homines, quam inſtituimus. Ego nullum adhuc articulum, aut deſerui aut abjeci, qui ad doctrinam pertineat. Tantum ſtomachantur de politicis rebus, quas non eſt noſtrum eripere Epiſcopis.* Hæc omnia quò minus offenderet Pontificios, noſque ab ipſis, vel pace impertienda redderent alieniores. Eodem anno Melanthon, ad Iohannem Silberbornium; *Nos obtulimus confeſſionem*

nem fidei, moderatiſſimè ſcriptam, ut apparet, nos non abhorrere à conſiliis pacis. Hoc unum petivimus, ne ſæviretur in Eccleſias noſtras, propter id doctrinæ genus, quod illi propoſueramus, cum quidem res loquatur ipſa, nos nullum dogma defendere contra Euangelium, aut catholicam Eccleſiam, imò multis locis doctrinæ Chriſtianæ, qui anteà prophanis opinionibus jacuerant oppreſſi, lumen attuliſſe, videlicet, de juſtitia fidei, de pænitentia, de uſu Sacramentorum, de autoritate traditionum humanarum: Quod ſi hoc ab adverſariis impetraremus, oſtendebamus, nos prolixè illis conceſſuros eſſe omnia, quæ ad dignitatem Epiſcoporum ſtabiliendam pertinent. Neque enim id egimus unquam, ut politia Eccleſiaſtica diſſolveretur, modò ut Euangelium non damnarent Pontifices. Oſtendimus etiam nos, in ritibus Eccleſiaſticis, omnes, qui viderentur ἀδιάφοροι, communiter cum ipſis ſervaturos eſſe. Nullum detrectavimus onus, quod ſine ſcelere ſuſcipi poſſet. Ex tam profuſa in Pontificios liberalitate quum ſcripta Confeſſio, duriſſimis temporibus, & à moderatiſſimi non ſolum ingenii viro, ſed hoc etiam in opere timidiſſimo, uti ex Lutheri ad ipſum literis oſtendi poteſt, tempore duro non ſolum, ſed quoque exiguo, quid mirum quod & in eâ concinnandâ ſæpius nutaverit, & poſtea ad exactiorem limam revocatam in nonnullis correxerit Melanthon, aut elucidarit; neque hoc inſcio, vel improbante unquam Luthero, quo vivo hęc variatio contigit, & ſic aliquoties, eo adhuc ſuperſtite, recuſa. Gratiam nonnullam Papatui in Confeſſione factam, neque ipſi Papiſtæ ignorant. Quid? Papa Pius V. in epiſt. ad Regem Poloniæ Sigiſmundum Auguſtum, anno cIↃ IↃ lxx. *Auguſtana autem Confeſſio, (ſolet paſſim dicere Confuſio,) etſi ſimilis eſt cæteris hæreſum pravitatibus; tamen ob eam cauſſam periculoſior eſt, quod levius quam cætera à Catholicæ fidei profeſſione declinans, ſpeciem quandam religionis retinere videatur; eo pernicioſior aliis, quò venenum ejus occultius latet, nec eminet foras.*

Primus Eckius, in Colloquio VVormatienſi anno

cIↄ Iↄ xl I. controverſiam Melanthoni de mutatis Confeſſionis Exemplaribus movit; ſed hic tantum abfuit, ut Melanthon à ſuis deſertus, aut culpatus fuerit, ut Eckio os obturarit, poſtquam reſpondiſſet: *Rerum eandem eſſe ſententiam, & ſi quædam alicubi in poſteriore editione vel magis mitigata vel explicatiora eſſent.* Ne alia addam, quę pro jure & authoritate mutatæ Confeſſionis, & pro honore Melanthonis, hanc eandem in rem, dici copioſe poſſunt. Vide Admonitionem Neoſtadianam, Hoſpinianum, *Hiſtor. Sacramentariæ part.* II. Pezelium, *Part.* VIII. *Reſponſ. Theolog. pag.* 124. & alios. Luculentum certe Recognitæ Confeſſioni Principes Proteſtantes teſtimonium perhibuere litteris anno cIↄ Iↄ lxI. ad Ferdinandum Imp. ex conventu Naumburgico ſcriptis, in quo de varietate Exemplarium Confeſſionis diſceptatum fuit, & Recognita æque ac prior approbata, quod *ea unius ejuſdemque ſententiæ cum prima illa ſit. Quodque in plurimis Colloquiis & diſputationibus, quæ cum Adverſariis inſtitutæ fuerunt, oblata fuit, & in quibuſdam articulis eam ob cauſam copioſius explicata eſt, ut veritas divina in lucem magis proferretur &c. præſertim cum hanc Recognitam Confeſſionem ſicut a.* 40. *&* 41. *typis edita eſt, hoc ipſo tempore conſtet in Eccleſiis & Scholis noſtrarum ditionum potiſſimum in uſu eſſe, & in manibus omnium verſari.* De Conventu iſto Naumburgico etiam Thuanus, lib. XXVIII. Hiſtor. VII. *viri ea conditione aſſenſi ſunt, ut præfatio nova adderetur, in qua poſterior quoque illa editio Confeſſionis & apologia tamquam cum priore conſentiens approbetur, & loca quædam in priore illa ad tranſſubſtantiationem alludentia explicentur.* Adde & Auctorem *Hiſtor. Concil. Tridentini, lib.* V. Atque illuſtre imprimis eſt Lantgravii VVilhelmi, hac de re ad Electorem Saxoniæ Auguſtum, a. lxxvII. ſcriptum, occaſione libri Concordiæ: *Non ignoratis quod antehac bono animo de particula illa (non mutata Auguſtana Confeſſio) monuerimus, ac etiamnum vos amanter rogamus; de his rebus ac pericu-*

ricu-

periculoſis inde manantibus conſequentiis diligenter cogitare, ac ſingula ſtudioſe perpendere velitis. Etſi namque æquum eſt, ut Auguſtanam illam Confeſſionem, quæ Imp. Carolo anno 30. oblata eſt, nominemus: conſtat tamen omnibus, quam ob cauſam deinceps illa Confeſſio, vivente adhuc Luthero, & tam de ipſius, quam præcipuorum Statuum, Theologorumque conſilio, & voluntate, in quibuſdam articulis, non ſine magno fructu locupletata, ac deinceps in Colloquiis, publico nomine Imperii habitis, propoſita & uſurpata, imo & à nobis, & à D. Parente noſtro, aliiſque Electoribus, & Principibus anno 61. Naumburgi appenſis ſigillis non minus quam prior illa confirmata, & Imp. Ferdinando Francofurti propoſita oblataque fuerit. Quæ ſane omnia unica hac voce (non mutata) improbamus atque rejicimus. Adeo non privata authoritate Melanthonis, ut hodie Lutherani ſcribunt, ſed à Theologis, & Politicis, & Principibus, & Electoribus, à Melanthone non ſolum, ſed à Luthero quoque Confeſſionis illa recognitio vel variatio approbata fuit. Et mirum, quare poſt Lutherum ea contentio de variatâ Confeſſione incæperit, cui Lutherus ad octo annos ſupervixit, & pluries recuſam vidit, neque tamen oblocutus unquam fuit, ſed calculum ſuum appoſuit ſemper juxta cum aliis Theologis, Principibuſque, & comprobavit. Ipſa prima editio a. cIↄ Iↄ xxx I. jam diſcrepabat ab exemplari Cæſari exhibito, in quo legebatur: *Corpus & ſanguinem Chriſti, ſub ſpecie panis & vini verè adeſſe in Cœnâ Domini*, nimis profecto ad mentem & ſententiam Pontificiorum. Vnde in ejus primâ Apologia, & Canon Miſſæ, & dictum Theophylacti, de panis mutatione quoque referebantur. Quare his omiſſis, in primâ ſtatim editione poſitum: *Corpus & ſanguinem Chriſti verè adeſſe, & diſtribui in Cœnâ Domini.* Demum, in editione recognitâ: *Cum pane & vino verè exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti veſcentibus in Cœnâ Domini.* Quid jam eſt, quod reprehendas, priorem editionem ab alterâ correctam, mutationemque eveniſſe, quum

paſſim ut mutata Confeſſio, ita & editiones fuerint; quarum prima à ſuo autographo, (ut exemplari in Cancellariâ Caſſelenſi ſervato oſtendi poteſt) jam tum diſcrepari ?} Non quidem dixero, quod tamen Principes viros ſcribere haud pœnituit, vel auctores Confeſſionis iſto tempore adhuc in errore Tranſſubſtantiationis hæſiſſe, vel hunc in Confeſſione expreſſum; quod mihi non veroſimile de illis Theologis, & tamdiu jam adverſus Papatum exercitatis, & à Marpurgico conventu multum doctioribus: ſed quidem nimis lata laxaque oratione, & verbis ad Pontificiorum aures ac gratiam directis, ſententiam authorum valde timide generatimque declaratam, & quia non aperte & libere magis improbarunt id quod improbandum erat, ſua ſermonis φλυαρίᾳ nec ſibi, neque aliis ſatisfeciſſe, ſed cothurnum dediſſe plus quam uni aptandum pedi, ſaltem de quo ex verbis non facile conſtare poſſet quò ſpectarent, exiſtimo. Hinc ejus ab iiſdem ſuis Auctoribus facta mutatio. Sed ulterius ut ſcias, primam exhibitæ Confeſſionis, tum editæ, denique & renovatæ lectionem, quas omnes nunc expoſui, quem ſenſum exprimere Confeſſio voluerit, addam etiam protographum articuli iſtius decimi, ex ſeptemdecim articulis Lutheri, quos cum Melanthone, Iuſto Iona, & Pomerano conſignavit, & ex quibus Confeſſionem poſtea formavit Melanthon: *Quod in Euchariſtia ſeu Sacramento altaris vere præſens ſit in pane ac vino verum corpus & ſanguis Chriſti, ſecundum verba, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: nec tantum ſit panis & vinum, ut nunc adverſarii quidam contendunt. Flagitant etiam hæc verba & conſerunt fidem, & exſuſcitant eam in omnibus qui hoc Sacramentum ſerio petunt, nec contra illud agunt: ſicut & baptiſmus cum petitur, fidem adfert & largitur.* Hinc ſumtus effformatuſque Confeſſionis articulus ille fuit, æque fruſtra ad demulcendos Pontificios, ac ad Noſtros perſtringendos, quum ex nupero Marpurgenſi Colloquio ſatis

ſci-

ſcirent, quomodo vel minus candide noſtra ſententia explicaretur, dicendo in S. Cœnâ tantum panem eſſe vinumque, vel ſaltem minus diſtinčte, integreque quam ut ita hic fieri oporteret. Certum quoque, non illo primum fine articulos illos vel Confeſſionem ſcriptam, ut pro perpetuâ Eccleſiarum Proteſtantium normâ haberentur, vel ſymbolo; ſed tantum, ut apud Cæſarem ac Principes declararent Proteſtantium doctrinam Chriſtianam, eamque immunem redderent ab illis calumniis & heterodoxiis, quibus eam Adverſarii paſſim gravabant. Quæ cauſa fuit, quare ad ſententiam & loquendi modum Pontificiorum, plus quam decuit, ſe inclinarit. Neque credendum eſt, ſi pro tali ſcripto habendam Confeſſionem putaſſent Auctores, quod tam brevi tempore, & fere ad unius arbitrium, in tantâ rerum anguſtiâ, neque habitis hac de re prius aliorum & Theologorum, & Politicorum, Principumque ſuffragiis, levi adeo rudique operâ congeſſiſſent. Quare non eſt, quod Lutherani hodiè omnes, ex præſcripto ſcilicet libri Concordiæ, tantopere clament Auguſtanam Confeſſionem invariatam, aut certent pro priori ejus editione, adverſus ſecundam recognitam. An ergo inſanierunt omnes Theologi, Principes, & Status, qui recognitam probarunt; & ut à priori non adeo diſcrepantem, nec ei poſtponi, nedum opponi, vel quaſi minus ſanam, aut heterodoxiæ alicujus ſuſpectam rejici voluerunt? Sumamus decimum, de S. Cœna Domini, articulum: is adeo Pontificiis conveniebat & aptari æque poterat, Tranſſubſtantiationis dogmate ſub illo facile intelligendo, ut in ſuo de illo judicio Cæſar, Principeſque annotarent: *Decimus articulus in verbis nihil offendit, quando fatentur in Eucharistiâ poſt conſecrationem legitimè factam, corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter & vere adeſſe.* An licuit in gratiam Pontificiorum ita cudere articulum iſtum, quâ formâ minus illis diſpliceret, & nefas fuit pro veritate magis explicandâ, adde

& pro concordiâ cum noſtris confirmandâ, ſaltem non offendendâ, ita exponere, quo ſenſu intelligendum eſſe Auctor ipſe judicavit? Certe qui adeo pro priori lectione æſtuant adverſus poſteriorem & correctiorem, oſtendunt ſibi gratius eſſe, nos, quam Pontificios, damnari. Formula Concordiæ, a. cIↄ Iↄ lxxvII, erecta recognitam Confeſſionem explodit, & Lutheranos omnes jubet invariatam, ut loquuntur, id eſt, primam tenere ac ſequi. Vnde jam tantis buccis & magna ſcilicet cum διακρίσει, Invariatæ ſocios ſe jactitant. Atqui inter præcipuas cauſas negatæ libri Bergenſis, ſeu formulæ Concordiæ à Principibus viris Theologiſque ſubſcriptionis fuit, quod correctiorem Confeſſionis editionem indigne repudiaret, & novo exemplo nomineque ſolam immutatam præſcriberet. Hoc notarunt in articulis Torgenſibus, vel in *Declaratione controverſorum articulorum*, uti primò appellabantur, (ex quibus Formula & Concordia Bergenſis pòſt conflata, quando illi ad Principes & Theologos Auguſtanæ Confeſſionis per univerſam Germaniam miſſi, ad exquirenda aliorum judicia & cenſuras, antequam in Cœnobio Bergenſi confirmarentur, atque referrentur in canonem) Theologi Haſſiaci a. cIↄ Iↄ lxxvI. d. v. Septembris: uti ſic loquuntur: *Auguſtana Confeſſio, ejuſque Apologia in Conventu Naumburgenſi Anno* 61 *à nonnullis Electoribus & Principibus denuò ſubſcripta, & quæ in Imperii Comitiis & Colloquiis oblata & exhibita ſunt Confeſſiones, quibus & Schmalcaldici articuli annumerandi, repetita & Imperatori* Ferdinando *tradita, adeoque unanimiter approbata ſunt. Hoc verò nobis non minus mirum, quam diligenti conſideratione dignum videtur, quod vox Immutata Confeſſioni Auguſtanæ additur: cùm tamen Electores & Principes haud dubiè ſingulari conſilio, & magnis gravibuſque de cauſis, in dicto Conventu Naumburgi, non primam tantum, quæ Imp.* Carolo 5. *Auguſta exhibita fuit, ſed etiam alteram, quæ paulò poſt Anno* 40.

& 42.

& 42. copioſius repetita, & ex Scriptura ſacra emendata, declarata & locupletata, ac Vuiteberga in lucem edita eſt, nullatenus rejecerint, ſed ut defenſam etiam in VVormatienſi Colloquio adverſus Eccium, & ſic authenticum ſcriptum, vivente adhuc Luthero, factum, æque ac priores Anno 30. Imp. Carolo *traditas, & Anno 31. Vuiteberga excuſas, approbarint: quæ omnia verbo Immutata improbantur, ut non modò ob hanc cauſam Theologi, ſed etiam Euangelici Electores & Principes levitatis & inconſtantiæ argui & accuſari poſſent.* Quod ſuorum Theologorum judicium confirmarunt Principes Lantgravii VVilhelmus, & Ludovicus, quando illud ad Saxoniæ Electorem, una cum ſuis mittebant litteris, in quibus: *Nam quod ſolum, & nominatim ad primam immutatam Confeſſionem Auguſtanam, quæ iſto quidem tempore ſcripta eſt in ſumma feſtinatione & temporis anguſtia, atque etiam in maximo metu præſentium periculorum, adeoque molliſſimè, ne offenderetur Cæſar, neve Principes Euangelici in ſummum vitæ periculum adducerentur, provocatur, eoque illa quæ poſtea in præcipuis articulis ſumma cum diligentia & cura locupletata & emendata eſt, ſi non rejicitur, ſaltem ſuſpecta apud alios redditur, id approbare non poſſumus.* Similiter VVilhelmus Lantgravius, ad Norbergenſem Senatum: ad Iulium Brunſvicenſem: iterum ad Auguſtum Saxoniæ Electorem, anno cIↄ Iↄ lxxvII. die xx. Decemb. Et a. cIↄ Iↄ lxxvIII. d. II. Ianuar. ſuper eadem re. Iterum a. cIↄ Iↄ lxxIx. d. xxvI. Octob. quando & propter hanc, & alias cauſas, ad Legatos trium Electorum, Palatini, Saxonis, & Brandenburgici, ipſum ad ſubſcriptionem Bergenſis libri denuo ſollicitantes, identidem detrectavit. Neque aliter cenſuerunt de iſthac novitiâ appellatione *Immutatæ Confeſſionis*, Ludovicus Elector Palatinus, in litteris ad Saxonem a. cIↄ Iↄ lxxvII. d. xvII. Octob. Tum Theologi Magdeburgenſes, Bipontini, Anhaltini, aliique Auguſtanæ Confeſſionis Theologi, qui tamen ſeu in articulis primum Torgenſibus, ipſis ad

judicandum, ſeu libro Bergenſi, ad ſubſcribendum miſſis, nominatim hoc de immutatâ Auguſtanâ Confeſſione graviter reprehenderunt, & pro causá non minimâ attulere, quo minus iiſdem aſſentirentur. Noſtros ſciens omitto: quippe ſatis eſt, ipſos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, ac Principes in Formulâ Bergenſis diſcordiæ non tuliſſe hoc Confeſſionis mutatæ ſtigma, à paucis recentibuſque Theologis ſuæ profeſſioni ac doctrinæ iniquè impreſſum, illoſque ſtuduiſſe in ipſo initio hanc à ſe removere ignominiam & contemtum. Accedit & ratio gravis politica, quo minus Confeſſionum contrarietas, propter varias editiones, vel ob poſteriorem iſtam Recognitionem, concedi debuerit. Nam dum multi pridem clamarent, & præſertim Ieſuitæ Dilligenſes, Proteſtantes excidiſſe pace Religionis, olim ipſis conceſſa, quia nunc alia docerent ab Auguſtanâ Confeſſione Cæſari exhibitâ, quod inter alia oſtendere cónabantur ex Auguſtanæ Confeſſionis variatione, huic plene occurri non potuit, niſi negando, per illam variationem, in Eccleſia, vel doctrina mutationem obtigiſſe. Confer Iohannis Gerhardi *Dedicat. ad lib.* II *Confeſſ. Specialis part.* II. Quomodo enim aliter commode reſponderis? niſi Ieſuitis concedere fractam Deo & hominibus fidem, melius videatur: quod quantâ cum Principum, aliorumque Auguſtanæ Confeſſionis Sociorum contumelia & probro conjunctum, quis eſt qui non videat? Sed quorſum adeo de variata Confeſſione tumultuantur varii iſti homines, qui ne quidem ipſam illam Bergenſem formulam, quæ mutatam Confeſſionem tantopere exagitat, immutatam ſervare aliquamdiu potuere, quin multi de variatione identidem fuerint conqueſti? Hoc Helmſtadienſes Theologi a. cIↄ Iↄ lxxxIII. in Conventu Quedelburgenſi Saxonicis palam objecere, in Concordia Bergenſi quædam poſt factas ſubſcriptiones mutata fuiſſe. Idem Hunnio, in Apologetica adverſus ipſum

epiſtola.

epiſtola, regeſſit Daniel Hofmannus, a. cIↃ IↃ xcIV. & adverſus Pappum, Argentinenſem Theologum, turbonem verius, à quo cæptum noſtros loco movere, initio facto à venerando ſene Iohanne Sturmio, probavit Michael Beutherus, in *Declaratione Agendæ Eccleſiæ Argentinenſis*. Hæc de variata, vel invariata Auguſtana Confeſſione paulo latius exponenda fuerunt, ut ſciretur, quid ſibi velit, quod paſſim tanta cum φαιδρολογία Lutherani vulgo, at temere, jactant de ſua invariata Confeſſione. Quamvis retenta etiam priori lectione, quam omnino fatendum eſt ſecundis curis prodiiſſe emendatiorem, poſſit verbis dari ſenſus quoque non incommodus, qui articulo laxe & generaliter concepto aptari, per intellectum & explicationem ſacramentalem de Chriſti præſentia poteſt; vel, uti inquit Altingius, in Exegeſi Auguſtanæ Confeſſ. *Corpus & ſanguinem Chriſti vere adeſſe in Cœnâ bifariam poteſt intelligi; vel quod adſint ſpiritualiter oblata verbo promiſſionis & fide percepta; vel quod adſint corporaliter & ſubſtantialiter, incluſa vel abſcondita inviſibiliter in, cum, ſub pane & vino.* Quo poſtremo ſenſu illud rejicimus.

Denique hinc factum, quod noſtri paſſim non detrectarint ſubſcribere Auguſtanæ Confeſſioni, pro ſenſu Auctorum magis, quam verborum, & in noſtram ſententiam haud difficulter exponendæ. Calvinus, epiſt. ad Mart. Schallingium, a. cIↃ IↃ lvII. *Nec vero Auguſtanam Confeſſionem repudio, cui pridem volens ac libens ſubſcripſi, ſicut eam author ipſe interpretatus eſt.* Zanchius, Argentorati quum eſſet ſuffectus in locum Caſpari Hedionis, rogatus, ut Auguſtanæ ſubſcriberet Confeſſioni, fecit id quidem, ſed hac additâ conditione: *modo orthodoxe intelligatur.* Atque tribus additis capitibus ſententiam ſuam de Cœnâ, cujus cauſa ſubſcriptio petebatur, explicuit: *verum Chriſti corpus pro nobis traditum, & verum ejus ſanguinem, in peccatorum noſtrorum remiſſionem effuſum, in Cœna vere manducari & bibi.* II. *Verùm*

id non ore & dentibus corporis, ſed vera fide. III. *Ideoque à ſolis fidelibus.* In qua explicatione Scholarchæ tum temporis acquieverunt. Similiter Petrus Martyr, ex Angliâ redux, & priſtino in Argentinenſi Scholâ loco reſtitutus, de Auguſtanâ Confeſſione ſubſcribendâ interrogatus, nam tum jam gliſcebant ibidem turbæ Sacramentariæ: *Confeſſionem Auguſtanam,* dixit, *& alias quæ ab ea non diſcrepant, ſi recte atque commode intelligantur, ſe libenter amplecti, profiteri, ac ſi opus fuerit, velle pro viribus tueri.* Sed præter Confeſſionem, quando proferebatur Concordia Marpurgenſis, ejuſque articuli, *ſe illi non ſubſcripſiſſe,* reſpondit, *quod per verbum Dei & conſcientiam largiri nequeat, deſtitutos verâ fide percipiendo ſacramenta, corpus Chriſti ſumere.* Iudicioſiſſimus atque religioſiſſimus vir fuit Petrus Martyr. Hyperius ſic ſubſcripſit: *Andreas Hyperius in ſummâ negotii conſentit.* Paſſim noſtri in Germaniâ Theologi & docent, & exponunt in Scholis Auguſtanam Confeſſionem, eique Commentarios ſcribunt & Exegeſes. Moris quoque eſt, Doctores qui promoventur, eidem jurare: quod nobis exprobrant Remonſtrantes, *in Apologia cap.* X. Neque veriti fuerunt Noſtri in variis Imperii Comitiis, ſub Auguſtana Confeſſione, ejuſque Sociis comprehendi, quando de religionis negotio cum Proteſtantibus actum; quamvis hodie melius in articulis nuperæ pacis anno cIↄ Iↄ cXLVIII. ſeorſim ab aliis, & proprio nomine veniamus, treſque religiones exſerte nominentur, *art.* VII. De quibus confer noſtrum *Examen Bullæ P. Innocentii X. de Pace Germania. pag.* 469. *&c.* Flaccianorum factio fuit, quæ ut Melanthoni vivo, etiamque mortuo, ita ejus diſcipulis ſtudiiſque infenſiſſima, quæſtionem inter Lutheranos movit, de mutata, vel recognita à Melanthone Confeſſione: quo hac etiam ratione optimum virum, ejuſq; meliora ſequentes conſilia diſcipulos primum gravibus multorum odiis onerare, inde vexare paſſim, demum & loco movere poſſent,

Quæ

Quam VVittenbergenſes Theologi præ aliis experti fuere: ſenſiſſet & ipſe non minus Melanthon, niſi fato præventus, mors ipſum inſidiis & molitionibus iſtis exemiſſet. Nam quum (quod inter ſingularia divinæ in opere Reformationis providentiæ colloco) Melanthon moderatiora in diſſenſione Sacramentaria ſequutus conſilia, inde & parum, vel nihil à noſtris hac in re abeſſet, cæteri ejus collegæ ac diſcipuli in Academia VVittembergenſi adeo præferendam Melanthonis, præ Lutheri duritia, modeſtiam ſententiamque cenſebant, ut poſt ejus mortem Academia mirum in modum mutata veritati locum dare, & doctrinam de Cœna, ex noſtra potius, quam Lutheri ſententia, exponere & docere inceperit. Fatentur hoc Academiæ iſti eveniſſe Lutherani omnes. Hinc enim natæ aliorum maleferiatorum adverſus VVittembergenſes, & qui cum hiſce faciebant, Lipſenſes, inſectationes, odia, perſequutiones, quibus illos loco & profeſſione poſtea deturbarunt, & in exilium alios, alios in carcerem egerunt. Et ne idem aliquando iterum eveniret, formulam Concordiæ ſcilicet, excogitarunt, quâ doctrina noſtra ad minimas quaſi fibras caſtigatur & damnatur; in quam formulam omnes jurare coëgerunt, ne de cætero illis metus de ſuis eſſet, in meliorem forte ſententiam mitioremque nobiſcum adducendis. Hæc *Formula Concordiæ Bergenſis* appellata, in qua Schiſma ipſorum quaſi conſummatum videri poteſt. Quam ut eo melius explicemus, de Philippo Melanthone, & Matthæo Flacio Illyrico pauca præmittenda ſunt.

Philippus Melanthon, non ſine boni viri elogio nominandus, quem Germania communem merito agnoſcit præceptorem, quando natus ſit, indicat inſcriptio ante paternas ædes, in inferiori Palatinatu, Brettæ oppido, hæc: *Dei pietate natus eſt in hac domo Doctiſſimus Dn. Philipp. Melanchton, d. XVI. Feb. a.* CIↃ CCCC XCVII. Nomen vernaculum fuit *Schwartzerd*. Heidelbergæ

ſtuduis

ſtuduit convictor Doctoris Theologi Pallantis, ab anno ætatis ſuæ duodecimo, id eſt ſæculi cIↄ Iↄ IX. ubi titulum & gradum Baccalaurei adeptus, ſextus videlicet inter unum & viginti candidatos. Cum triennio exacto, Magiſterium ambiret, atque repulſam ob ætatis defectum à quibuſdam ferret, tum etiam ob curam valetudinis, Tubingam conceſſit. Audivit hic, præter alios in Medicinâ, ac Iure, in Theologiâ Doct. Lempum, de quo non abſque juſto riſu aliquoties retulit, quod explicans dogma Tranſſubſtantiationis, auditoribus ſuis creta illud depingere in tabulâ ſolitus eſſet. Adferebat hoc vulgo Melanthon, quando ei res abſona aliqua proponebatur, etiam poſtea ad retundendum commentum ubiquitatis. De alio quoque Tubingenſi Concionatore Monacho narrabat, qui omiſſâ Euangeliorum doctrinâ, explicabat pro concione Ethica Ariſtotelis; idque non parvo auditorum ſtudio, qui iſta lubentius audiebant, quam vulgares ex putidiſſimis Legendis fabulas, quæ ſolæ & ſemper fere repetebantur. Hæc tenebroſa & triſtiſſima illa tempora, quibus & ſe haud abſimilem tum fuiſſe deplorare ſolebat: *cohorreſco quando cogito, quomodo acceſſerim ad ſtatuas in Papatu.* Tubingæ poſtquam Magiſter artium factus, & publice in Academiâ legiſſet Virgilium, Terentium, Ciceronem, atque etiam aliquandiu præfuiſſet officinæ Typographicæ, vocatus fuit VVittembergam, quò ex conſilio Capnionis potiſſimùm (qui eum cognatione attingebat, & olim quando in Phorcemienſi Scholâ litteris operam dabat, ſorori ſuæ cohabitantem (Phorcenſis, vel Phorcemienſis & Capnio erat) donarat Græcâ Grammaticâ, Lexico Græco, & Bibliorum codice; & ad quem Tubingæ degentem ſæpius Capnio divertere, unàque cum eo in Collegio cibum capere ſolebat, præſertim quando ab indoctis Monachis, Hochſtrato, & ſui ſimilibus indigne vexaretur, & jam in Germaniâ, jam Romæ hæreſis accuſaretur, qui ſolus inter omnes iſtos quid hæreſis eſ-

ſet

ſet, credo intelligebat, tantamque litteris & Græcis, & Hebraicis, illo tempore gloriam conciliavit, ut nemo alius, editâ à ſe primum Grammatica Hebræa, & Onomaſtico) hoc dico Capnione conſulente, Melanthon (cujus nomen ex Germanico in Græcum, uti ſuum ex *Reuchlin* in Capnionis, Hermolaus Barbarus olim commutarat) Tubingâ relictâ VVittembergam conceſſit a. cIↄ Iↄ XVIII. ætatis ſuæ XXII. quo diſcedente Georgium Simlerum, ejus in Græcis præceptorem dixiſſe ferunt: *deplorandum eſſe toti civitati ejus abitum; & omnes illos qui Tubingæ viverent, non eo uſque progreſſos eſſe n ſtudiis, ut quantus hic vir eſſet, qui diſcederet, intelligerent.* VVittembergæ Græcam linguam docuit, magno omnium concurſu, fructuque, præſertim Theologorum. Quod Lutherus de eo mox teſtatus fuit, in litteris ad Spalatinum: *Auditorium habet refertum auditoribus: imprimis omnes Theologos ſummos, cum mediis & infimis ſtudioſos facit Græcitatis.* Neque hanc ſolum linguam, ſed & Latinam, arteſque omnes unâ cum litteris, & Philoſophiam tam diligenter, tantâque cum laude excoluit, ut hæ omnes illum ceu alterum parentem inde jure meritoque honorare, per Germaniam præſertim, incæperint. Tantoque apparatu præditum, in Theologicis fœlicius verſatum quis miretur? ad quæ ſemper animum ejus ſtudiumque valde accenderat codex ille Biblicus, ſibi à cognato ſuo Capnione olim datus, in cujus lectione adeo fuit aſſiduus, ut nemo credere poſſet librum iſtum, quem ſic in ſinu ſemper premebat, ſacrum eſſe, ſed profanum aliquem autorem ita ab ipſo volvi indeſinenter ac tantum non deperiri, vulgo arbitrarentur. Tantum ejus judicio tribuebat Lutherus, ut abſque eo nihil magni facile aggrederetur: atque hinc ſcripſit lib. 1. epiſt. pag. 197. *in omni mea profeſſione nihil ducam antiquius Philippi calculo: cujus unius judicium & autoritas mihi ſtant pro multis millibus ſordidorum Ecciorum. Neque me pudet, etſi magiſtrum artium, philoſo-*

phiæ

phia & Theologia, & omnibus penè Ecci titulis inſignem, ſi hujus mihi Grammatiſtæ diſſenſerit ingenium meo ſenſu cedere. Quod & ſæpius feci, & quotidie facio, ob divinum donum, quod Deus in hoc fictile vaſculum (Eccio quidem contemptibile) largâ benedictione infudit. De titulis quod dicit, hoc eſt, Melanthon ſolo Magiſtri titulo contentus fuit; Doctoris, quem Lutherus habebat, reſpuit; neque adeo contemſit in aliis, quam quidem neglexit in ſeipſo. Vnde de illis, in epiſtola quadam, loquens de alio; *ille adoleſcens, quiſquis eſt, ſi non habet certam conditionem, meo judicio rectius faciet, ſi non properabit ad gradum. Titulus aliquid habet oneris. Vides meum exemplum: nemo me perpellere potuit, ut illum, quamlibet honorificum titulum Doctoris, mihi decerni ſinerem. Nec ego gradus illos parviſacia: ſed ideò, quia judico eſſe magna onera & neceſſaria reipublicæ verecundè petendos eſſe, & conferendos, ſentio.* Hac ratione Lutherus de eo alibi dixit: *quidquid uſpiam in artibus & vera philoſophiâ ſciamus, hoc Philippum præſtare titulo quidem humili Magiſtri inſignitum, ſed longe omnibus Doctoribus doctiorem.* Magna Dei in hoc eluxit ſapientia & benignitas, quod ſingulari adeo providentia, utrumque virum Lutherum & Melanthonem, hunc Tubingâ, illum Erphordiâ, ad eandem Academiam, inque idem, quod inſtabat, Reformationis opus, tam extraordinariis donis imbutos, mirum in modum conſociaret, ut dum non uni omnia concedere, defectus alterius per alterum corrigi, & mutua ſtudiorum animorumque συμβιβάσει in idem opus incumbere ambos voluerit. Erat in Luthero major animus, & vehementior, in Philippo mitior: ibi plus Theologiæ, hic litterarum: Lutherus ad inchoandum valebat, Philippus ad peragendum: pluſculum in iſthoc Monachi, hic philoſophi: in eodem opere fuit utriuſque magnus interim & neceſſarius fructus, atque divina quædam in eodem attemperatio. Vnde & conjunctiſſimi ambo, quamvis non ejuſdem per omnia ingenii

genii

genii & indolis, vixere, ac quantum honoris Luthero Melanthon, tantum huic ille amoris viciſſim conſtanterque referebat. Fidelem Luthero in omnibus conſiliis & negotiis πιστὸς ὑπηρέτης ſe exhibuit: cum quo unà quando eſſet in primò Colloquio Lipſiaco anno cIↄ Iↄ xix. ac nonnunquam interloqueretur, indignatus Eckius: *tace tu Philippe, ac tua ſtudia cura: ne me perturba*, iratus dixit: & quando aliquid Luthero in ſchedula porrigeret, Idem, *amove*, inquit, *à te iſtum ſaccum diſtinctionum.* Per contemtum Eckius Melanthonem, *Grammaticum* appellare ſolebat. Poſtquam cum hic, tum alibi egregia eruditionis Theologicæ ſpecimina Melanthon dediſſet, toto animo ſtudioque tradendæ Theologiæ, & reformandæ, cum Luthero, Eccleſiæ incubuit. Vnde in omnibus Eccleſiarum negotiis, quæ tum crebra magnaque paſſim agitabantur, interfuit, ſive Conſilia de emendandis eccleſiis, ſive viſitationes earum, ſive Comitia, & Colloquia de religionis negotio haberentur. Quod vel una ſatis teſtari poteſt concinnata à ſe, quamvis ex prælineatis aliis articulis, Auguſtana Confeſſio, cujus præcipuum onus ipſi incumbebat: ut minus mirum, ſi non ita ex ſententia fluxerit prima illa ejus ſcriptio, quin aliquoties fuerit mutanda. Hinc teſtatum aliquando Melanchtonem in ejus vita refert Melchior Adamus, inter Vitas Theol. German. *ſi nunc mihi adornanda eſſet Confeſſio illa, accuratius omnino complecterer, quam eo tempore licebat.* Et in epiſtolis ad Flachium, & alios paſſim: *Scripſi Auguſtanam Confeſſionem tunc, cum haberem reprehenſores multos, adjutorem neminem.* Viſumque ei initio erat, titulum non facere Confeſſionis, vel Principum nomine edere, ſed potius *docentium*, ſeu Theologorum. In controverſia Sacramentaria ſtetit primùm à diſputatione cum Oecolampadio, ſuper ſententia antiquitatis de hac controverſia. Imprimis à Conventu Marpurgenſi; tum Colloquio Caſſellano cum Bucero,

a. cIↄ

a. cIↄ Iↄ xxxv. mitius ſe geſſit, & viam concordiæ, quum videret nec tantam hic eſſe quæſtionem, nec nos adeo errare, ſectatus fuit: denique in noſtram tandem etiam plene ceſſit ſententiam, poſt cultam cum Calvino præcipue integerrimam conſtantemque familiaritatem. Vide de illis etiam Sculterum, in Curriculo vitæ ſuæ, pag. 20. ubi refert, quod Peucerum narrantem audierit, ſocerum ſuum Melanthonem lecto Dialogo Oecolampadii de Cœna Domini, mutaſſe de orali manducatione ſententiam, & quod poſtea triumphare ſolitus fuerit hoc argumento; Patribus doctrina Synuſiaſtarum ignota fuit: Auguſtinus craſſiſſimus fuit Zuinglianus, ergo &c. Dialogus ille legitur etiam inter epiſtolas Oecolampadii, & Zuinglii, pag. 130. Docet nos diſtinguere ipſe Melanthon, epiſt. ad Ioach. Camerarium a. cIↄ Iↄ xxx iv. die x. Ianuar. prout vel Lutheri, vel ſuam ſententiam ſequebatur loquens enim de Colloquio Caſſellano inter ſe & Bucerum, ad quod à Philippo Lantgravio evocatus fuerat, inquit: *heri demum, hoc eſt, die nono Ianuarii domum reverſus ſum ex Cattis, quo me & Bucerum vocarat ὁ μακεδὼν Philippus Landgravius, ut ego noſtrorum, ille ſuorum ſententiam afferret περὶ τῆς διαλλαγῆς in illa pervulgata cauſa. Meam ſententiam noli nunc requirere. Fui enim nuncius alienæ; etſi profecto non diſſimulabo, quid ſentiam, ubi audiero, quid reſpondeant noſtri. Ac de hac tota re aut coram, aut cum habebo certiores tabellarios.* &c. tum de Simone Gryneo addit: *& publicæ diſcordiæ cauſam nullam præbuit ipſe. Etſi autem non facio me judicem, tamen nec noſtros planè libero culpâ.* Et ad Iohannem Brentium ſcripſit die xx 1 1. Ianuarii, non aſpernandam eſſe cum Noſtris concordiam, quorum ſententiæ multi in Galliis & alibi Martyres interficiantur: *ea res ut verum fatear* (inquit) *non leviter me cruciat.* Certe vehementer hæc res piam & pacificam animam diſcruciabat. Heu quoties apud amicos, ſive iis loqueretur, ſive

ſcri-

ſcriberet, exclamavit: *Si tantum lacrymarum funderè poſſem, quantum undarum noſter Albis pleno vehit alveo, non poſſet exhauriri meus dolor, ortus ex hâc diſſenſione*. Ad Vitum Theodorum, a. cIↄ Iↄ xxxv111. *illud ſcias, amplius decennio nullum diem, nullam noctem abiiſſe, quin hâc de re cogitarim*. Ita enim hæc cura eum aſſiduò urebat, hæc ſollicitudo. Semper ad extremum uſque concordiam ſuaſit: quod non neſcit quodcunque uſpiam eſt Lutheranorum. Pridie quam moreretur, Caſparo Peucero, genero ſuo, dicebat: *non morbò moveor, neque ulla eſt ſollicitudo, quæ animum meum angat aut perturbet: una cura eſt, una ſollicitudo, ut Eccleſiæ ſint in Chriſto Ieſu concordes*. Hujus Peuceri extat *Tractatus Hiſtoricus de Phil. Melanthonis ſententiâ, de Controverſiâ Cœnæ Domini*, a. cIↄ Iↄ xcv1. editus, qui totum negotium hoc copioſe explicans conſuli à quovis poteſt. Ferdinandus Imp. intellectâ Melanthonis morte (obiit autem a. cIↄ Iↄ lx. die 19. Aprilis, ætatis ſuæ lx111. poſtquam xl11. annos VVittembergæ docuerat) hoc ei modeſtiæ teſtimonium (cujus ipſe ille Ferdinandus variis ex Colloquiis ceperat documenta) perhibuit: *hujus viri conſilia ſemper fuerunt moderata*. Adeo hoc nomine apud omnes prædicabatur. Beza, in Epicedio ejus: *Et gravis ut huic ſis caveas juveniſve ſenexve. Qui nemini vixit gravis*. Quòd ab annò cIↄ Iↄ xxx1x. in noſtrâ ſententiâ ſteterit Melanthon, docuit me ſcriptâ hoc anno, menſe Martio, epiſtolâ Argentorato ad Farellum Calvinus, cujus hæc, quæ de eo agit, pars hic omnino legenda eſt: *Cum Philippo fuit mihi multis de rebus colloquium: de cauſâ concordiæ ad eum prius ſcripſeram, ut bonis viris de ipſorum ſententiâ certò poſſemus teſtari. Miſeram ergo paucos articulos, quibus ſummam rei breviter perſtrinxeram. Iis ſine controverſiâ ipſe quidem aſſentitur: ſed fatetur eſſe in illâ parte nonnullos, qui craſſius aliquid requirant: atque id tantâ pervicaciâ, ne dicam tyrannide, ut diu in periculo fuerit, quòd eum videbant à ſuo ſenſu nonnihil alienum. Quamquam au-*

tem non putat conſtare ſolidam conſenſionem, optat tamen ut hac concordia, qualiſcunque eſt, foveatur, donec in unitatem ſua veritatis nos Dominus utrinque adduxerit. De ipſo nihil dubita, quin penitus nobiſcum ſentiat. Vivebat adhuc Lutherus, mortuus demum a. xlvi. ſed quem exemplo Eliæ excuſare prudens vir Melanthon ſolebat, cujus vocationi nihil quidem fidei authoritatiſque deceſſit, quamvis cultum vitulorum non ſuſtulerit, quum ab idolis aliis gentem illam magno cum zelo repurgaſſet. Sed propter authoritatem Lutheri, & incommoda multa quæ nimis anxiè metuebat Melanthon, continuit ſe, ut minus aperte conſtanterque ſententiam, quàm tenebat, tueretur, vel exponeret. Unde eum & confirmare & excitare variis litteris Calvinus opus habuit nimis hic puſillanimem, & æque cum ſuo, ac Eccleſiæ incommodo ſupra modum moderantem: ne adeo vereretur potius, quam revereretur Lutherum, ut ejus cauſa minus officio & conſcientiæ ſatisfaceret in exponendâ & defendendâ ſententiâ, cujus de veritate apud animum ſatis eſſet convictus. Quod non ita ad incitandum, quam quidem erigendum ejus animum, à ſe dictum Calvinus interpretari voluit, epiſtola ad eum a. CIↃ IↃ xlv. die xxviii. Junii. *Utinam ut me angit, adeoque excruciat mœroris tui συμπάθεια: ſic aliquâ ejus parte ſublevare te poſſem. Si ita eſt, ut dicunt Tigurini, habuerunt juſtam ſcribendi cauſam. Veſter autem Pericles quanta intemperie ad fulminandum rapitur? præſertim cum ejus cauſa nihilo ſit melior. Multum illi debemus omnes, fateor. Nec ego invitus patiar, ut ſumma authoritate polleat, modò ſibi ipſi moderari ſciat. Quanquam in Eccleſia ſemper videndum eſt, quouſque hominibus deferamus. Actum enim eſt, ubi unus quiſpiam plus poteſt reliquis omnibus: præſertim ubi hoc ipſum non dubitat experiri, quantum poſſit. In tanta quidem diſſipatione, quantam nunc cernimus, difficile eſt res turbatas componere. Verum ſi in nobis omnibus eſſet is animus qui eſſe debet, aliquod forſan remedium poſſet inveniri.*

Et

Et certè fœdum exemplum tranſmittimus ad poſteros, dum omnem libertatem ſponte malumus projicere, quam ut hominis unius animum offenſiunculâ aliquâ pungamus. At eſt vehemens ingenium, & impetus habet violentos. Quaſi verò hæc vehementia non magis exultet, dum omnes illi indulgent, atque omnia permittunt. Si inter prima renaſcentis Eccleſiæ initia jam emergit hoc tyrannidis exemplum: quid brevi, rebus in deterius collapſis, fiet? Defleamus ergo Eccleſiæ calamitatem, neque modò taciti apud nos hunc mœrorem devoremus: ſed audeamus aliquando liberum gemitum edere. Quid ſi etiam Domini permiſſu in has anguſtias ſis redactus, ut plenior tandem de hac re confeſſio tibi extorqueatur? Veriſſimum equidem fateor eſſe quod doces: & quòd placido genere docendi hactenus ſtuduiſti animos à contentione revocare, prudentiam moderationemque tuam laudo. Sed dum locum hunc tanquam ſcopulum aliquem refugis, ne in quorundam offenſionem incurras, plurimos, qui aliquid certius in quo acquieſcant, abs te requirunt, ſuſpenſos perplexoſque relinquis. Eſt autem, ut me aliquando tibi dixere memini, non ſatis nobis honeſtum, eam doctrinam, quam plerique ſancti proprio ſanguine teſtatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem conſignare. Ad hanc ergo plenam & ſolidam mentis tuæ explicationem fortè viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuò hæreant dubii, qui ab authoritate tua pendent, quos ſcis eſſe quamplurimos. Neque hoc tam incitandi quam conſolandi tui cauſâ dico. Similiter ad eum ſcripſit a. ClↃIↃLV. III. Non: Martii. Περὶ τῆς ἀρτολατρείας *pridem interior animi tui ſenſus mihi cognitus eſt, quem etiam non diſſimulas in tuis litteris. Sed mihi diſplicet tua iſta nimia tarditas; quâ non tantum fovetur, ſed etiam indies augetur eorum dementia, quos tam petulanter ruere vides in totius Eccleſiæ perniciem.* Ejuſdem anni, X. Cal. Septemb. *Quid plauſibile ſit mundo vel odioſum, me non latet. Sed mihi nihil pluris eſt, quam præſcriptam à magiſtro normam ſequi. Nec dubito quin hæc ingenuitas piis & ſanis gratior tandem futura ſit, quam flexibilis & mollis docendi ratio, qua ina-*

nem meum præ ſe fert. Quod te Deo & Eccleſiæ debere agnoſcis, obſecro te ut quamprimum ſolvas. Neque in hanc rem inſiſto, quod partem invidiæ in te exonerans, tantundem me levatum iri confidam. Quin potius, ſi liceat, quidquid in te oneris jam incumbit, pro meo in te amore atque obſervantiâ, paratus forem in meos humeros ſuſcipere: ſed tuum eſt expendere, ut ego monitor non accedam, niſi dubitatione pios homines qui te reſpiciunt, maturè liberes, te vix unquam ſolvendo fore. Iterum a. clↃ IↃ lvII. III Non. Auguſti: *Ac tibi omnino jam videndum eſt quidem maturè, ne tibi apud poſteros dedecori ſit nimia taciturnitas. Quod ſi, dum ſuis telis undique te confodiant hippocentauri iſti, expectas, timendum rurſus ne parum opportuna cenſeatur confeſſio, quam tanta neceſſitas extorſerit. Quid ſi mors occupet? Nonne ut tibi decedat omnis auctoritas, fideſque abrogetur, ſerviliter timidum fuiſſe clamabunt? quam infamiam ut abs te extergere feſtines, non es pluribus verbis monendus.* Cunctantiorem in hoc negotio fuiſſe Melanthonem palam eſt: hæc verò eo lubentius ex epiſtolis Calvini ad ipſum diſcribenda duxi, quod ab aliis neglecta, & à Peucero non niſi unâ iſtarum epiſtolarum exhibita, tum ut ex iis penitiſſime ſpectari mens & ſententia Melanthonis cum Calvino eadem poſſet, ad quod hic operam dabat inſignem, ut ὁμόφρονες ubique eſſent, vel redderentur, in iis etiam, ubi alia & diſcrepanti docendi ratione utebatur Melanthon quam Calvinus, quemadmodum in negotio liberi arbitrii, & divinæ electionis, de quo in variis litteris hic illum admonet, & modeſtè reprehendit. *Equidem cupio ſic penitus inter nos convenire, ut ne in verbulo quidem uno diſſenſionis ulla ſpecies appareat. Sed tuum eſt mihi potius præire, quam ſpectare quid mihi placeat. Vides quam tecum agam familiariter: neque tamen vereor, ne modum excedam: ſcio enim quantum mihi apud te pro ſingulari tuâ in me benevolentiâ liceat. In D. Martino plus aliquantò difficultatis erit: quantum enim ex rumore & quorundam literis intelligere potui, vix dum bene*

pla-

placatus hominis animus levi de cauſâ exulcerari poſſet. Proinde quas ad eum literas ſcripſi, nuntius tibi oſtendet: ut illis inſpectis, totum negotium tuo conſilio regas. Epiſtolam illam ad Lutherum à ſe ſcriptam indicat, quam Clariſſ. vir Alexander Morus, poſt orationem de Calvino, edidit, hoc eodem tempore ad illum datam a. clↄ Iↄ xlv. 12. Calend. Februar. quo ad Melanthonem illa, una cum libro *de Libertinis* miſerat: ſuper quo ipſorum judicium expetebat, quia erant in Galliâ (ut ad utrumque, Lutherum, atque Melanthonem teſtatur) qui Lutheri authoritatem prætexebant, quo ipſis licitum eſſet, quamvis Reformatis, uti haberi volebant, Papiſtarum ſacra frequentare. A Melanthone reſponſum Calvino video, ex hujus ad illum epiſtolâ a. clↄ Iↄ xlv. d XXVIII. Junii: an à Luthero quoque, neſcio, niſi illa Melanthonis communis utriuſque fuerit, de quo multum dubito, quia nec plurali numero loquitur, quando gratias pro illâ agit, neque Lutheri meminit, vel ſalutem aut gratiam reddendam ſcribit, quod puto vir alias humaniſſimus non omiſiſſet. Leonardus Hutterus, *de Orig. libri Concordiæ*, adverſus Hoſpinianum, cap. 11. ad probandas Melanthonis cum Calvino (uti loquitur) colluſiones, ex hujus *Defenſione alterâ* adverſus VVeſtphalum, ad a. clↄ Iↄ lv. Calvini, ad Melanthonis ſententiam has ſatis apertas provocationes adfert: *Si Philippus verbulo declaret, me à ſuâ mente deflectere, protinus deſiſtam.* Rurſus, in Admonitione poſtremâ, ad Eundem: *Si temere comperiar Philippi nomine abuſus, nullas ignominiæ notas recuſo.* Et iterum: *Dixi, & quidem centies ſi opus ſit confirmo, non magis à me Philippum, quàm à propriis viſceribus in hâc cauſâ* (de Sacramento) *poſſe divelli: etſi tonitru, quod à violentis hominibus inſtabat metuens, (quid dicam intelligunt quibus nota fuerunt Lutheri flabella) non tam apertè ſemper, quam optaſſem, ſententiam ſuam protulit.* Vnde Idem Hutterus, cap. IV. ejuſdem libri palam inquit: *Philippum ab agnitâ veritate ad*

Calvinianos, poſt obitum Lutheri, defeciſſe. Hinc Philippum duplicem, quin triplicem faciunt. Idem c. xi. Alii diſtinguunt Philippum *publicum*, & *privatum*, partim *orthodoxum*, partim *heterodoxum*, uti Calovius, in Critico ſacro. Atque Benedictus Morgenſtern, epiſt. ad Schluſſelburgium, pag. 107. *Germanicarum Eccleſiarum peſtem Phil. Melanthonem*, ſcribere haud erubeſcit.

Non parva tandem inter Lutherum ac Melanthonem ex illâ ſententiarum; etiam animorum diſſenſio, & ſimultas orta fuit: quin & pro concione ſe notari aliquando occulte Melanthon ſenſit, de quo & Scultetus, in Curriculo vitæ ſuæ, pag. 20. unde (ad quem modum antea diximus Caroloſtadium abactum, dentâtis iſtiuſmodi concionibus) de diſceſſu cogitans, deque adjungendo ſibi fidiſſimo comite Caſparo Crucigero, quod nequidquam certe ex re Lutheri fuiſſet, hic illum ad ſe accerſitum ita compoſuit placavitque: *cauſa*, inquiens, *hæc mea eſt, quam tuebor ſine te: tu maneas ſane in ſententia contraria, ſi veriorem eſſe judicas: nec mihi tuo vel patrocinio vel auxilio opus eſt.* In quas leges tranſactum inter utrumque fuit, ſervataque mutuo pax & amicitia. Ita palam nunc diſſentiebat à Luthero Melanthon, & non ultra ut olim alienæ ſententiæ nuncius habebatur, ſed dominus ſuæ. Attamen, utcunque inter ambos ad extremum uſque ſpiritum inviolabilis fuerit concordia, mortuo Luthero, ejus diſcipuli aliique in Melanthonem inſurgere, impugnare eum, θυσπίζειν eo uſque cœperunt, ut ſic tandem verum eſſe ſenſerit, quod Calvinus toties præmonuerat, ſe prolixa ſuâ moderatione, & timiditate non demulſiſſe adverſarios, ſed irritaſſe, & feciſſe adverſus ſe audentiores, quod corrigere, poſtquam illis tantum indulſerat, ac ab exordio reſiſtere, non æque promptum ſerò nimis pervidit. Vnde exilium non ſibi jam eligendum, ſed metuendum; de quo, ad VVolffgangum Muſculum, a. cIↄ Iↄ xliv.

xliv. die. xii. Auguſti, *Nunc domeſtica bella nova e noſter Pericles. Tonat adverſus eos, qui περὶ συμβόλ ... σύμβολον καὶ ἄσημον χρισ... aliter loquuntur, quam ipſe ... quitur: ac me quoque interdum arripit. Fortaſſis in hac ſen ... ſta brevi mihi exulandum erit. Ego nec defugio ærumn. ... εἰ δεῖ συγκακοπαθεῖν τῷ εὐαγγελίῳ, nec quidquam tamen ... moderate faciam.* ad Calvinum, a. cIↄ Iↄ l i i. *Mihi ... vivam, nova exilia expectanda ſunt.* Quò ſi redigeretu ... Calvinum adire, & petere Genevam propoſuerat. *Qu ... re ſi cedendum erit, colloqui tecum decrevi*, inquit. ... Calvinus ad eum: *ſin vero contigerit, quod times, e ... hoc mihi in rebus miſeris & luctuoſis non leve ſolatium, ... dere te prius & amplecti, quam ex hoc mundo migrandu ... ſit.* Iterum ille, ad Calvinum, a. cIↄ Iↄ l i v. die x i ... Octob. *Non deſpero nos colloquuturos eſſe, antequam e ... hoc mortali carcere mens diſcedat. Etſi enim propter ſenecta ... à meta hujus curriculi non procul abſum, tamen quotid ... nova exilia expecto.* Iiſdem litteris dixerat: *Quod verò ... proximis litteris me hortaris, ut reprimam inverecundos clam ... res illorum, qui renovant certamen περὶ ἀρτολατρείας, ſci ... quoſdam præcipuè odio mei eam diſputationem movere, ... habeant plauſibilem cauſam ad me opprimendum.* Adve ... ſus quæ omnia incommoda, metuſque diligenter & ſ ... lide eum conſolatus Calvinus fuit. Egregiè epiſtolâ cIↄ Iↄ lv. i i i. Non. Martii. *Nec verò illa mihi excuſ ... tio ſatisfacit, malevolos qui te oppreſſum cupiunt, hinc capt ... re plauſibilem materiam. Quid enim facturi ſunt ſervi Chr ... ſti, niſi ſpretâ invidiâ, contemptis ſiniſtris rumoribus, poſ ... habito etiam diſcriminum metu, quæcunque obſtacula ing ... rit Satan, victrice conſtantia ſuperent? Certè quantumv ... in te inſaniant, nihil tibi durius ab illis impendet, quam ... migrare iſtinc cogaris. Quod tibi meo judicio complures ... cauſas ſponte optandum foret. Verùm ut timenda ſint extr ... ma quæque, tibi ſemel ſtatuere neceſſe eſt, quid Chriſto d ... beas, ne ingenuam veritatis profeſſionem ſupprimens, ad ea ... opprimendam quaſi tacitum patrocinium improbis hominib ...*

accommodes. Ad Albertum Hardenbergium Bremenſem Concionatorem Melanthon ſcripſit a. cIↄ Iↄ lx. die XII. Januar. quo eodem a. obiit, d. XIX. Aprilis: *Totos jam viginti annos expecto exilia.* Ad eundem, *ſi ſolus expellar, decrevi Palæſtinam adire, & in illis Hieronymi latebris, in invocatione filii Dei, & teſtimonia perſpicua de doctrina ſcribere, & in morte Deo animam commendare.* Aliâ epiſtolâ, *Dixerunt Adverſarii, ſe perfecturos eſſe, ut non ſim habiturus veſtigium, ubi pedem collocare poſſim in Germania. Utinam hoc cito perficiant, ut Filius Dei ad Iudam dicit. Erit mihi vel in cœlo veſtigium morienti: vel ſi vivam in hoc corpore apud honeſtos & doctos viros, vel in Germania, vel alibi.* Certe niſi mature (ſibi quidem, non item Eccleſiæ) eum Deus turbis hiſce ſubduxiſſet, procul dubio adverſarii in eo orſi fuiſſent tragœdiam, quam pòſt in genero ejus Peucero perfecerunt. Unde de eo etiam Thuanus, in fine libri XXVI. *Sed qui obviam nami humanitatem in exteris ac diverſa ſentientibus probavit, longe contrariam fortunam inter ſuos, & eandem doctrinam profitentes expertus eſt.*

Luthero, quod adverſus Noſtros immoderatior extitit, cauſa magna fuit *Amſdorfius*: Melanthoni quod illæ excitatæ turbæ, etiam *Flacius*. Ille Lutherum, quamvis per ſe acrem ſatis ad majorem ſemper incitavit vehementiam, & ab omni cum Argentinenſibus & Tigurinis ineundâ concordiâ deflexit, niſi prius ſe erraſſe confiterentur. Natus Nicolaus Amsdorfius, a. cIↄ cccc lxxx III. Luthero ætate æqualis. Magdeburgenſium primus concionator fuit: inde, expulſo Iulio Pflug, epiſcopus Naumburgenſis à Luthero, ex conſilio & juſſu Electoris Saxoniæ, ordinatus; ſed ſexto anno pòſt à Carolo Imp. iterum ejectus, reſtituto in ejus locum priori Iulio Pflug, Magdeburgum repetiit. Hic Luthero non ita diu ante ejus mortem auctor fuit, ut formulam conciperet, ad quam, in iſtâ ſententiarum de Cœnâ diſcrepantia, ſubſcribendam o-

mnes collegas & paſtores adigeret, cui prudentior tum Lutherus reſpondit: *Litem hanc ſuam eſſe, cui invitum neminem velit implicare. Si quid tale tentaret, plures fortaſſe adverſaturos, quàm ſuffragaturos, & poſteriora prioribus futura pejora.* Quod utinam monitum ſimul & vaticinium Formulæ Bergenſis poſtea Auctoribus firmius animo inſediſſet, & fuiſſet obſervatum! Hic fuit idem Amsdorfius, qui adverſus Georgium Majorem, neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem negavit, contrà crudam, ineptam ac ſtolidam theſim aſſeruit, unde qualis vel ingenii vel theologiæ vir fuerit, apparet: *bona opera ad ſalutem eſſe noxia & periculoſa.* Quaſi non poſſet veritas & puritas doctrinæ de gratuitâ noſtri coram Deo juſtificatione ſervari, cum bonorum operum neceſſitate, non ad juſtificationem, neque ad merendum, ſed ut iis à juſtificatione, tamquam ſolâ viâ ad ſalutem regiâ, per ſanctitatem nempe, abſque qua nemo Deum viſurus eſt, Hebr. XII. 14 progredientes ad ſalutis poſſeſſionem (non juris adeptionem) perveniamus. Magnas illi homines (qui hæc non benè intelligentes, aut conciliantes, de propoſitione illâ: *bona opera ad ſalutem neceſſaria*, impotenter litigarunt,) Melanthoni moleſtias, & turbas Eccleſiæ inanes concitârunt. De quibus vide part. II. Conſil. Theol. Melanthonis. Et quum tria in iſtâ propoſitione eſſent conſideranda, an *facienda* bona opera? an *neceſſariò?* an ad *ſalutem*? illud neque Amsdorfius negabat, ex cujus præfatione ad Poſtillam domeſticam, hæc Melanthon produxit: ich habe allezeit gelehret / daß man gute werck zu thun pflichtig und ſchuldig iſt. Et quia ſecundum etiam Melanthon aſtruebat, neceſſaria eſſe bona opera, ſeu obedientiam, ideo ſic adverſus eum tumultuatum. Tertium vero cedebat lubens, neque aſſerere audebat, ad ſalutem eſſe neceſſaria. *Propter has cauſas*, inquit, *docemus, neceſſaria eſſe bona opera, ſeu novam obedientiam. Nequaquam tamen aſſuendum eſt, bona opera ad ſalu-*

tem & vitam æternam conſequendam neceſſaria eſſe. In Reſponſo ad Paſtores Saxonicos: *tamen hac phraſi non utamur, bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem.* Alibi: *Planè dico, me non uti hac phraſi: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem. Sed has propoſitiones affirmo veras eſſe, & propriè, ſine ſophiſtica ſic dici: Nova obedientia eſt neceſſaria, vel, Bona opera ſunt neceſſaria, quia Deo debetur obedientia, juxta dictum, debitores ſumus.* ſic etiam alibi ſe declarat. Hac in contentione Flacius ſe conjunxit adverſus Melanthonem, quo magis videlicet præceptorem ſuum opprimeret. Vnde in propoſitionibus a. CIↃ IↃ LVII. Coſvigâ ad Melanthonem datis, in propoſitione tertiâ: *ideoque tollatur corruptela de neceſſitate operum ad ſalutem, cum conjunctis.* Quin omnino & facienda bona opera, & neceſſari ſ, atque ad ſalutem, non obtinendam vel acquirendam, ſed gratis obtentam adeundam & occupandam: libereque hæc & intrepide aſſerenda nobis ſunt, nequidquam cum ullo vel gratiæ divinæ, aut gratuitæ juſtificationis Chriſtique præjudicio, aut Pontificiorum ipſorumque ſententiæ aliquo ad minimum commodo conjuncta.

Flacius ex præcipuis fuit Melanthonis & VVittembergenſium, in contentione decennali de adiaphoris, adverſarius. Vbi ſi rem ipſam ſolum ſpectaſſent, non improbandum erat, quod remiſſiori de adiaphoris, quæ prætendi vulgo talia ſolent, non haberi, & revera pons fiunt per quem Papiſmus reduci queat, ſententiæ ſe opponerent, niſi pro inconſiderata ſuâ vehementiâ, à re ad perſonam pergentes, ſtuduiſſent hoc pacto virum optimum Philippum Melanthonem, collegaſque & ſocios ſævum in modum opprimere & perdere. Monuerat illum amanter acriterque etiam Calvinus, de illa ſuper adiaphoris contentione, per epiſtolam: *Sed ego te nunc apud teipſum accuſo, ne iis qui abſentem damnant, cogar ſubſcribere. Hæc tua defenſionis ſumma eſt, modò retineatur doctrinæ puritas, de rebus externis non eſſe pertinaciter*

nacitet dimicandum. Atqui ſi verum eſt, quod pro certo paſſim aſſeritur, tu res medias & indifferentes nimis longè extendis. Cultum Dei mille modis apud Papiſtas adulteratum non ignoras. Corruptelas, quæ minimè tolerabiles erant, ſuſtulimus. Nunc impii, ut de ſubacto Euangelio triumphum agant, eaſdem jubent reſtituere. Si quis recuſare non dubitet, hoccine pertinaciæ adſcribes? Id verò à tua modeſtia quàm alienum ſit, novi. Tu ſi ad cedendum fuiſti mollior, id tibi vitio à multis verti, non eſt quod mireris. Adde, quod rerum quas tu medias facis, quædam cum Dei verbo manifeſtè pugnant. Nimis præciſè fortaſſis quædam alii urgent, atque ut in contentionibus fieri ſolet, odiosè quædam exagitant, quibus non ineſt tantum mali. Verùm ſi quid in rebus divinis intelligo, tam multa Papiſtis abs te concedi non oportuit: partim quia laxaſti quæ verbo ſuo Dominus adſtringit, partim quia protervè Euangelio inſultandi materiam dediſti. Vnde & ceſſit poſtmodum in hac contentione Melanthon lubens. Ad ipſum Flacium, a. cIↄ Iↄ lvi. *Hæc poſtea Conſiliarii nominarunt ἀδιάφορα. Nam ab ipſis vocabulum initiò nobis propoſitum eſt. Sciebam etiam leviſſimas mutationes ingratas fore populo. Tamen cùm doctrina retineretur integra, malui noſtros hanc ſervitutem ſubire, quam deſerere miniſterium Euangelii. Et idem conſilium Francis me dediſſe fateor. Hoc igitur feci. Doctrinam confeſſionis nunquam mutavi. Eò etiam de ritibus hic mediis nimis pugnavi, quia jam anteà in plerisque Eccleſiis harum regionum retenti erant. Poſteà vos contradicere cœpiſtis. Ceſſi, nihil pugnavi. Aiax apud Homerum prælians cum Hectore, contentus eſt, cum cedit Hector, & fatetur, ipſum victorem eſſe. Vos finem nullum facitis criminandi. Quis hoc hoſtis facit? ut cedentes & arma abjicientes feriat? vincite, cedo, nihil pugno de ritibus illis, & maximè opto. ut dulcis ſit Eccleſiarum concordia. Fateor etiam hac in re à me peccatum eſſe, & à Deo veniam peto, quod non procul fugi illas inſidioſas deliberationes. Sed illa, quæ falſa mihi à te & Gallo objiciuntur, refutabo. Et hac*

hac de mediis ritibus, quia in epiſtolâ tuâ de his præcipua pars eſt.

Fuit ille Matthias Flacius, vel Flachius *Flach* Germanicè, natione Illyricus, (hodie Slavonia dicitur) unde hoc nomine innotuit, natus a. cIↃ IↃ xx. Cum Venetiis ſtuderet, audiretque celebrem in litteris humanioribus virum I. Baptiſtam Egnatium, conſilium communicavit cum Baldo Lupatino, Franciſcanorum provinciali, propinquo ſuo materno, de ingrediendo Monaſterio, quò ad Theologiæ eruditionem, cujus vehementer cupidus erat, commodius perveniret, quod tamen ipſe Baldus poſtea diſſuaſit, & quia hic guſtum Reformationis jam perceperat, auctor potius erat, ut in Germaniam ſecederet, purioris doctrinæ Præceptoribus uſurus: quod & fecit. Baldus non diu latere potuit, quin in ſuſpicionem veniret hæreſis, ac primum per viginti annos ſquallido carcere diſcruciatus, tandem mari merſus ſupplicium conſtanter pertulit. Dignus vir, cujus in Martyrologio nomen ne prætereatur. Baſileam ergo Flacius, inde VVittembergam venit, ubi Lutherum audivit & Melanthonem, interque ſtudia tantis ſubinde concutiebatur tentationibus, ut publicæ in templo preces pro ipſo haberentur. Profeſſor poſtea conſtitutus, nonnulla adverſus Papiſtas, & in opere Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ (Centurias Magdeburgi confecit) haud pœnitenda præſtitit: ſed inquieti, vehementioris & duri quum eſſet ingenii, tum VVittembergæ adverſus Melanthonem, tum Antverpiæ poſtmodum, ubi cum Spangerbergio, Hamelmanno & aliis, circa a. cIↃ IↃ lxvII. ad Colloquium vel Diſputationem, cum Noſtris habendam (*tum nihil Proteſtantes ab Adverſariis timerent, inter ſe mox digladiari cœperunt,* inquit hâc ipſâ de re Thuanus, lib. xl.) vocatus, tantas turbas dedit, ut & hic & ibi amiſſæ cum libertatis, tum puritatis doctrinæ, cauſa inter primos extiterit. Taceo contentiones ſuo de peccati originalis ſubſtantiâ dogma-

gma-

gmate aliiſque datas, de quibus Euſebius Bohemus, in *Epitome Hiſtor. Eccleſ. pag.* 998. *&c.* Extant Acta Diſputationis Vinarienſis anni cIↄ Iↄ lvII. inter ipſum, & Victorinum Strigelium, Ienenſem Theologum, (quem adverſa factio primum Ienæ carcere tenuit triennali, inde Lipſiâ abegit: Profeſſor poſtmodum factus Heidelbergæ, ubi & obiit) de quorum tamen editione valde ſemper conqueſtus Strigelius fuit, ubi primo loco di„ſputatum fuit: utrum in regeneratione, ſeu converſio„ne hominis ad Deum tantum mutentur qualitates, ſine „creatione novæ ſubſtantiæ: an verò cum qualitatibus „creetur nova ſubſtantia? ſecundo, de modo agendi, „quem Deus in hominis converſione adhibeat? Sed ſibi cum homine Barbaro, (adeo crudas incoctaſque locutiones proferre ſolitus erat) rem fuiſſe, ſcripſit poſtea bonus vir Strigelius. Mortuus autem ille eſt Francofurti ad Mœnum a. cIↄ Iↄ lxxv.

Quomodo Melanthon, ita eum ſequuti reliqui poſt ejus obitum VVittembergenſes Theologi, in Controverſiâ Sacramentariâ moderationem vehementiæ præferendam cenſebant, & ſimpliciter dogma de corporis Chriſti ubiquitate rejiciebant, librisque ac Propoſitionibus nonnullis ſe in totâ doctrinâ magis Philippi, quam Lutheri, ſententiam amplecti palam oſtendebant. Scripſerant inter alia anno cIↄ Iↄ lxxI. Catechiſmum, in quo ad interrogationem, de Cœna Domini, quid ſit, reſpondetur: *Eſt communio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut in verbis Euangelii inſtituta eſt: in quâ ſumtione Filius Dei verè & ſubſtantialiter adeſt, & teſtatur ſe applicare credentibus ſua beneficia.* Ediderant quoque librum Germanicâ linguâ Grûndfeſt / *ſeu Fundamentum firmum VVittebergenſium Theologorum, de perſonâ & incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, contra novos Marcionitas, Samoſatenianos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos & Monothelitas in Flaccianorum grege.* Quæ valde horum hominum bilem commo-

verunt. Neque negat Leonhartus Hutterus, VVittembergenſis Profeſſor, illa noſtræ eſſe ſententiæ, quando in libro adverſus Hoſpinianum, *de libro Concordiæ cap.* 31. de VVittembergenſibus Theologis, ut palam Calviniſtis, & de ipſorum Catechiſmo, ita loquitur: *de hoc Catechiſmo Hoſpinianus noſter ſatis prolixè diſſerit, & floſculos ejus elegantiores, Calviniſmo manifeſtè patrocinantes, recitat ac magnificè commendat. Quâ ſanè in parte nos ſibi adverſarios non habet. Nam ultrò concedimus ipſum ſcatere erroribus Calviniſticis.* Capite quarto inquit: *à VVittebergenſibus & nonnullis Lipſenſibus, per ſcripta hactenus ab ipſis edita, Calviniſmum in Eccleſias & Scholas introductum fuiſſe.* Cum VVittembergenſibus unà ſtabant Lipſienſes; verùm à pluribus paſſim oppugnabantur, à quibus accuſati apud Electorem Auguſtum, inſtituto Dreſdę, quod Miſnię oppidum eſt, variorum Theologorum Conventu, ad a. cIↄ Iↄ lxxi. die x. Octobris, *Conſenſus* conſcribitur, quo VVittembergenſium ſententia & docendi modus probatur, adverſus *venenata*, uti loquuntur, *Flaccianorum dogmata.* De negotio Cœnæ ſic ſe explicuerunt VVittembergenſes: *firmiter credimus, præſentiam veri corporis & ſanguinis in Cœnâ (quam Lutherus, & harum regionum Doctores contra Papiſticam Tranſſubſtantiationem, & localem incluſionem in pane, Sacramentariorum item errorem de vacuis, nudis, & inanibus ſignis, Unionem Sacramentalem vocarunt) ex verbis tantum Inſtitutionis rectè probari poſſe, ut ſunt ab Evangeliſtis magnâ diligentiâ & conſenſu deſcripta; & ab Apoſtolo Paulo fideliter repetita ac declarata.* Et hunc in ſenſum, ſed fruſtra, Sacramentariorum errorem, de inanibus ſignis, multi, ut haberent ſcilicet quod improbare poſſent, rejecerunt: quod & nobis æque tutum, ac aliis. Articulos autem de naturis Chriſti, earumque unione, ſalvis proprietatibus, de Chriſti adſcenſione, majeſtate & gloriâ, adverſus corporis ejus ubiquitatem, rectę & planè expoſuerunt. Hæc ergo quum non

ex voto ſuccederent Adverſariis; ſupera itaque miſcuerunt, quouſque alio in Conventu, & Dreſdenſem conſenſum annullare, & talem modum formulamque docendi in Eccleſias introducere, quo & de VVittembergenſibus ſe plene vindicare, & ſecuri eſſe adverſus moderatiorem in articulo de Cœnâ explicationem, poſſent. Quem in finem obtinuere Conventum Torgæ unum, & alterum, & denique tertium in Cœnobio Bergenſi, prope Magdeburgum, quibus omnia animi ſui vota ita tandem perfecere, ut excogitata *formulâ*, quam falsò Concordiæ appellarunt, & corporalem Chriſti in Cœnâ præſentiam, & naturæ ejus humanæ ubiquitatem, in canonem retulerint, atque eliminata moderatiore docendi ratione, & Philippi authoritate, libriſque, præſertim *Corpore Doctrinæ*, damnatiſque paſſim melius ſentientibus, infinitis animis laqueum, Eccleſiis ſuis aliam & diram formam, nobis ab ipſis diſſentiendi æternam ferè neceſſitatem hac ratione impoſuerunt.

Conventus *Torgenſis primus* habitus fuit anno cIↃ IↃ lxxiv. menſe Majo, conſtititque quindecim Theologis, inter quos Henricus Salmuth, Paulus Crellius, VVolfgangus Harderus, Daniel Greſſerus, Nic. Jägenteufel, Petrus Glaſerus, & alii, vix noti homines, qui non auditis aliis egregiis præſtantiſſimiſque, & de Eccleſiâ optimè meritis viris, condiderunt *Formulam Concordiæ*, ex quâ Bergenſis dein nata fuit, conſtantem articulis partim affirmativis, partim negativis, qui tum ſententiam, de Cœnâ crudiorem, quòd ad Chriſti corporis præſentiam continent, decem theſibus, ne quid omitti videretur, comprehenſam; tum Sacramentariorum (ut loquuntur), nominatim Zuinglii, Oecolampadii, Buceri, Calvini, Bezæ, Martyris, Heidelbergenſium &c. errores ſcilicet acerbiſſimè damnant, ac rejiciunt, ut fanaticos nempe, furibundos, & quid non? conſignatis hunc in finem articulis plus quam viginti,

ne videlicet ulla rima in poſterum ſupereſſet evadendi, quia ubique conſtricta hæreret ſententia & expoſitio quævis melior, & qui in eam inter ipſos forte propenderent, his tendiculis mox caperentur. Hinc jam in VVittembergenſes, alioſque Theologos paſſim; qui Torgenſibus articulis, ut veritati, & authoritati doctrinæ, Doctorumque hactenus in ipſorum Eccleſiâ celebratorum; & paci quàm maxime infenſis, neque debito modo ordineque compoſitis nollent ſubſcribere, ſævitum acriter. Ac primò VVittembergenſes Theologi Torgam, ad articulorum ſubſcriptionem evocati, poſtquam diu multiſque reſtitiſſent, & varias tum pro Dreſdenſi Conſenſu nupero, tum adverſus novitios hos articulos adferrent rationes, argumenta, obteſtationes, ſpretis omnibus, captivi abducti fuerunt Torgâ Lipſiam: erant quatuor, Caſpar Cruciger, Henricus Mollerus, Chriſtophorus Pezelius, & Fridericus VVidebramus, qui poſtmodum Heidelbergam vocatus, iſthic obiit. Paulus Crellius primùm, inde Georgius Major, ejus ſocer, Theologi item VVittembergenſes, turpiter & cauſam, & Collegas deſerebant. Neque in illos ſolos, quos dixi, ita ſævitum, ſed in plures, ob eandem cauſam, & veritatis profeſſionem. Caſpar Peucerus jam ante, menſe Aprili, in carcerem abductus fuerat, ideo quod auctor haberetur librorum, quos antea diximus, à VVittembergenſibus editos, & adverſarios adeo commoviſſe. Erat hic gener Melanthonis, Medicinæ in Academiâ VVittembergenſi Profeſſor, fidus ſemper Socero, & doctrinæ ejus religioſus ſupra reliquos, uti oportuit, ſectator. Quare ei, præ aliis, adſcripta Academiæ VVittembergenſis in meliorem ſententiam, id eſt, uti vulgo dicebant, Calviniſmum mutatio; eoque magis, quo in aulâ & Academiâ plurimum pollebat. Capita, ob quæ accuſatus, quatuor proferebantur. 1. Quod per conſpirationes & practicas (ut loquuntur) conatus fuiſſet

nova

„nova ſacramentaria dogmata in iſtas terras invehere.
„ II. quod ipſe chartas de his, atque libellos ſparſiſſet.
„ III. Ad iſtorum dogmatum defenſionem animaſſet
„ Theologos. IV. Atque incitaſſet etiam exteros Theo-
„ logos, adverſus Eccleſiarum Saxonicarum Doctores.
In quo nominatim tangebant Bezam, ejuſque cum illo familiaritatem. Ad ſingula Peucerus reſpondit: ſed nihil obtinuit; niſi ut mutato ſubinde carcere, decem continuos annos in ſquallore & miſeriâ vitam traheret, non obſtantibus quibuſcunque pro ſe interceſſionibus, ipſiuſque adeo Imperatoris Maximiliani II. qui & uſus apud Electorem hâc ratione fuerat, digniſſimâ Imperatore, eoque ob quem ab omnibus ſemper celebratus fuit, animo, Electore cauſam incarcerationis dante, quod vellet miniſtros ſecum idem ſentire in religione: *id quidem non perficies*, inquit Imperator, *neque noſtrum eſt imperare conſcientiis, aut ad fidem quempiam vi cogere.* Liberatus tandem, mortuâ Electoris uxore Peucerus, ſibi infenſiſſimâ, ductaque ab illo Principis Anhaldini filiâ; hujus precibus fuit, cum jam eſſet ætatis LXII. anno CIↃ IↃ LXXXVI. vixitque exinde in aulâ Anhaltinâ, uſque ad extremum vitæ, quod incidit in a. CIↃ IↃ CII. die XV. Septemb. Conſtantiam ejus ipſe Elector Auguſtus prædicavit, quum declarationem poſtremam ad propoſitas ei quæſtiones legiſſet, laudabatque egregium animum. Hiſtoriam carceris ſui ipſe conſcripſit, quam ediderunt amici, anno poſt obitum ejus CIↃ IↃ CV. Præter hunc alii fuerunt, quorum idem fatum; de quibus nunc non eſt dicendi locus.

Alter Torgæ Conventus habitus fuit a. CIↃ IↃ LXXVI. Neque enim ſatis erat Flaccianis, primos illos Torgenſes articulos tam affirmativos quam negativos concinnaſſe, niſi & dogma Ubiquitatis, quod in illis neglectum fuerat, throno collocaſſent, deturbatâ è contra authoritate & ſcriptis Melanthonis, ad quæ alii identidem provocabant; Hutterus, cap. XI. in initio: *Iam*

modò ſuprà oſtendimus Articulos Conventus primi Torgenſis, licet craſſioribus Calviniſmi erroribus eſſent oppoſiti, non tamen planè omni imperfectione & impuritate caruiſſe. Neque enim tùm temporis in lucem fuerant protracti errores, quibus Corpus Doctrinæ Philippicum ſcatere poſtmodum evidentiſſimè demonſtratum fuit. Hujus Conventus præſides fuere ſex viri, Iacobus Andreas, Chemnitius, Selneccerus, Chytræus, Muſculus, Cornerus: qui *librum Concordiæ*, ex primis illis Torgenſibus articulis, aliiſque inde additis conſtruxerunt. Iacobus Andreas, fabri filius, unde cognomentum Schmidlein, interfuit quoque Colloquio VVormatienſi a. cIↄ Iↄ lvii. & ad Colloquium Poſſiacenum miſſus à Chriſtophoro, Duce VVittembergico, a. cIↄ Iↄ lxi. pòſt factus fuit Academiæ Tubingenſis Cancellarius, & à VVittembergico Principe miſſus ad Colloquium Mompelgartenſe, cum Theodoro Beza, a. cIↄ Iↄ lxxxvi: denique colloquium Badenæ habuit, cum Ioh. Piſtorio Niddano Medico noſtræ ſententiæ addicto, a. cIↄ Iↄ lxxxix. poſt quod, anno ſequente, obiit. Vir inquieti tumultuantiſque ingenii, arrogantis magis quam docti, & qui haud leve lucrum familiæ ſuæ ex novis ſemper variiſque tumultibus, quibus ut plurimum præ erat, attulit. Martinus Chemnitius vir bene doctus, Brunſvicenſis Eccleſiæ per triginta annos primum coadjutor, quomodo loquuntur, inde Superintendens; quamvis à variis interim expetitus fuerit Principibus, Electoribus, atque à Rege Daniæ Friderico, Brunſvigæ obiit a. cIↄ Iↄ lxxxvi. Nicolaus Selneccerus, Theologus Lipſienſis, cui imprimis cum Beza certamen fuit de corporis Chriſti ubiquitate, ſuper loco Act. III. 21. *ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι*, obiit Lipſiæ a. cIↄ Iↄ xcii. David Chytræus, vernacule Rochhafe/ quindecim annos natus, ut multi ætatem mirarentur, Magiſter artium Tubingæ, poſtea etiam Theol. Doctor in VVittembergenſi Academiâ factus, in Roſtochianâ docuit Academiâ, mortuus ibidem

dem a. cIↃ IↃ c. vir, præterquam in Theologiâ, in hiſtoriis benè verſatus. Librum, ſeu formulam Torgenſem, uti appellabatur, ab illis ſexumviris compoſitam, ad alias per Germaniam Auguſtanę Confeſſionis Eccleſias & Scholas, pro impetrandis omnium ſuper eo judiciis & ſuffragiis, mitti placuit. Quare ab Electore miſſus aliis quaquaverſum Electoribus, Principibus, Statibus, Academiis, & Scholis, varia, alia pro, alia adverſus iſtum librum judicia & cenſuras retulit. Quæ omnia iiſdem illis libri, & doctrinæ Vbiquitatis ſex conſcriptis Patribus, in tertio Conventu *Bergenſi*, in Monaſterio, prope Magdeburgum a. cIↃ IↃ lxxvii. die xii. Maji, tradidit cognoſcenda & examinanda, ut ex iis tandem prodiret formula Concordiæ, quæ ſic vocatur, & ſive à primis conventibus, ſive ab hoc ultimo, jam Torgenſis, jam Bergenſis, appellata fuit. Inde ſubſcripta à multis, ab aliis rejecta, tandem & edita, quamvis multis Auguſtanæ Confeſſionis reclamantibus, a. cIↃ IↃ lxxx. Subſcriptionem detrectarunt una cum Theologis ſuis & Eccleſiarum miniſtris, Lantgravii fratres: Princeps Bipontinus: Duces Pomeraniæ: Pruſſiæ Dux Albertus: Princeps Anhaldinus Ioach. Erneſtus: Dux Mechelburgenſis: Duces Saxoniæ Lauwenbergenſis: Comes Hanoviæ Philippus Ludovicus: Comites Naſſovii, Iohannes, & Ludovicus VVitgenſtenius; urbes Imperii, Magdeburgum, Francofurtum, Spira, VVormatia: multique alii. Rex Daniæ librum Concordiæ regno ſuo inferri vetuit: cumque dono ſibi miſſum à Sorore ſuâ, Electoris Saxoniæ conjuge, quamvis auro & holoſerico eximie obductum, in ignem abjecit. Atque adverſus eum alii haud aliter animati fuere. Quos multæ movebant rationes, repudiata Auguſtana Confeſſio, à Melanthone recognita, quam ſub nomine mutatæ odioſe exagitabant; proſciſſa optimi Melanthonis fama, & ſcripta; approbatum novitium ubiquitatis corporis Chriſti commentum; da-

minatę(quippe damnandi pro improbandi, quâ Confeſſio uſa fuerat, vocem, quamvis ingratiis Principum, adhibuerant) innumeræ Eccleſiæ, pii Martyres ab illis diſſidentes, & quæ ejuſmodi tum Principes, tum Eccleſiæ recuſati aſſenſus proferebant argumenta. Omitto Reformatarum Eccleſiarum, & Principum, adverſus iſtum Diſcordiæ librum proteſtationes: ubi non ſilenda imprimis Iohannis Caſimiri, Comitis Palatini vigilantia; tum Theologorum ipſius ſcripta a. cIↄ Iↄ lxxxi. *Admonitio Neoſtadiana*, auctore Zachariâ Vrſino; pro quâ, ſub nomine Studioſorum Neoſtadianorum prodiit Defenſio, auctore Marco Beumlero Tigurino, adverſus Erfurtenſis Apologiæ Sophiſmata, & cavillationes. Ille etiam Iohannes Caſimirus cauſa fuit indicti Francofurtenſis Conventus annó cIↄ Iↄ lxxvii. die xxvi. Septembris. nationalis fere omnium Eccleſiarum Reformatarum, ut quid adverſus Librum Concordiæ, & injuſtas ſui in eo damnationes agendum foret, conſulerent. Nam quod Hutterus paſſim excipit, formulâ hâc non damnatas fuiſſe exteras Eccleſias, ſed tantum ordinem inter ſuos Theologos conſtitutum, illud utinam non factum fuiſſet! quidem non expreſſe dixerunt, ſe damnare exteras Eccleſias; verùm damnare exteros Doctores, Zuinglium, Oecolampadium, Bezam, & reliquos, horumque doctrinam, & quicunque inter ipſos eam aliquâ ratione ſequerentur: quod quid revera aliud fuit, quam exteras damnare Eccleſias? Delegati ad Conventum Francofurtenſem venerunt Eccleſiarum Gallicarum, Polonicarum, Hungaricarum, Belgicarum, aliarumque: Bohemicæ quoque, & Helveticæ invitatæ huc à Principe fuerant; ſed per graves cauſas impeditæ ſe voluerunt excuſatas. Aderant Legati Reginæ Angliæ, Daniel Rogerius, qui conventum moderabatur, & Robertus Belus; præter Conſiliarios, & Miniſtros Caſimiri Principis. Tria deliberandi fuerunt capita. 1. *Quomodo impendens omnium Eccleſia-*

rum

rum exterarum condemnatio, quam Vbiquitarii novi ſui Corporis doctrinæ ſubſcriptione quærerent; præveniri atque impediri poſſet? II. *An expediat hoc tempore communem ac uniformem fidei Confeſſionem omnium Eccleſiarum nomine conſcribere: Et ſi expediat, quâ potiſſimum methodo conſcribi debeat?* III *Quibus hæc ſcribendi provincia demandanda ſit: & quâ ratione hæc Confeſſio cum prædictis Eccleſiis communicari, & ab iiſdem ſubſcribi & comprobari poſſit?* Ad primum caput, decreta fuit, inſtitutaque Cœtus nomine Legatio ad Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſionis, pro impediendis atque retundendis condemnationibus Eccleſiarum in Concordiæ libro factis. Legationem iſtam obivit Paulus Knibbius J C. cui ad parandum ubique acceſſum juvandumque additus Reginæ Angliæ Legatus, Robertus Belus: nihil autem à Principibus, ad quos miſſi, præter verba, retulerunt. Magnificus & perquam celebris iſte Eccleſiarum noſtrarum Conventus Francofurtenſis fuit, cui interfuerunt præſtantiſſimi viri, Vrſinus, Zanchius, Toſſanus, Iunius, Threcius, Languetus, Dathenus, alii: illudque de communi omnium Eccleſiarum & uniformi Confeſſione edendâ, ſic quidem plurimis viſum (ſingulorum judicia videre eſt in Fragmento notularum Datheni, ex Bibliothecâ Ant. Tyſii, exhibito à Cl. Ludovico Gerardo à Reneſſe, in Notis ad Epiſt. Apologeticam Belgicarum Eccleſiarum ad Auctores libri Bergenſis), & conſcriptio ejus demandata Vrſino, ac Zanchio; examen verò Gualthero, & Bezæ; ſcriptaque & miſſa quoque ad Helvetios, ſed poſtea tamen gravibus dè cauſis opus ſuſpenſum intermiſſumque fuit. Videatur Hoſpinianus, in eximio opere, *de Origine, & progreſſu libri Concordiæ*, cui apte titulum fecit: *Concordia Diſcors*. eique fruſtraneo conatu Leonhartus Hutterus, Theologus VVittebergenſis aliud ejuſdem argumenti volumen oppoſuit, tit. *Concordia Concors*. Etiam Eccleſia Belgica ſeorſim, uti cœpimus

dicere, novo iſti Libri Bergenſis partui ſe oppoſuit, ſcriptâ ad Auctores illius, ſex ſupra nominatos Theologos, quos & fratrum titulo paſſim honorant, epiſtolâ Apologeticâ a. cIↄ Iↄ lxix: quæ Latinè edita, Belgicè, & Germanicè. Ne Papiſtas dicam, quibus idem liber, & Vbiquitatis monſtroſum commentum magno ſcandalo ſemper fuit. Inde libri & Diſputationes Ieſuitarum, aliorumque adverſus corporis Chriſti ubiquitatem, Sperlingi, Buſæi, Caſpari Francki, Gregorii de Valentia, & Bellarmini Iudicium de libro Concordiæ, quod ſubjunctum legitur ultimo Controverſiarum ejus Tomo. Atque hic famoſus liber Concordiæ, cui titulus, *Concordia. Pia & unanimi conſenſu repetita Confeſſio fidei & doctrina Electorum, Principum, & Ordinum Imperii, atque eorundem Theologorum, qui Auguſtanam Confeſſionem amplectuntur* &c. comprehenditque, præter *Præfationem*, ſubſcriptam variis Electorum, Principum, Senatuumque nominibus; & tria vulgata *Symbola, Apoſtolicum* (ut dicitur), *Nicænum*, *Athanaſianum*; *Confeſſionem Auguſtanam*, juxta primam ejus editionem; cum ejuſdem *Apologiâ*: *Articulos Schmalcaldicos*; *Catechiſmum Lutheri* utrumque, *Minorem*, & *majorem*: *Epitomen articulorum, de quibus controverſiæ ortæ ſunt, inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis, qui in Repetitione ſequenti, ſecundum verbi Dei præſcriptum, pie declarati ſunt & conciliati*: denique *Solidam, planam* (ſic loquuntur) *ac perſpicuam Repetitionem, & declarationem quorundam articulorum Auguſtanæ Confeſſionis, de quibus aliquandiu inter nonnullos Theologos eidem addictos diſputatum fuit: continentem earum controverſiarum ad normam & analogiam verbi Dei & compendiariam Chriſtianæ noſtræ doctrinæ formulam & rationem, deciſionem atque conciliationem*. Hæc formula illa, & Concordia, vel variarum potius formularum συλλογὴ & farrago, ad quam Eccleſias, & doctrinam, doctoreſque ſuos, multo cum Reformationis opprobrio & detrimento, jam à multis annis [illegible]

αυθαδέστερες illi inclementer adegerunt: in quo propterea ſciſmatis Lutherani conſtituimus vim & complementum. Atque hactenus id egimus, ut rationem diſſidii inter nos, atque Lutheranos, quod ad *ortum* ſuum & *profectum*, denique hanc ejus *adultam ἀκμὴν* explicaremus: ſequitur, juxta ordinem initio præſcriptum, de *ſyncretiſmo* & unione cum iis, tum prout *inita* aliquoties, tum quouſque *ineunda* forte adhuc videatur, aliquid ut hoc etiam in loco proferamus.

De quo quando agimus, antequam de aliis Lutheranorum nobiſcum controverſiis, vel hoc argumento eſt, intelligi *ſyncretiſmum* ſuper *diſſenſione de Cœnâ*: non ſi alias præterea aſſuant opiniones aut errores, de quibus ut in negotio Concordiæ nunquam actum; ita nec quales ſint hic interrogare, ſolummodo de diſſidio Sacramentario componendo, in quo ſemper laboratum, loqui convenit. Neque dogma *Vbiquitatis* hic temere immiſcendum, quod uti poſt natum, & pro articulo doctrinæ aſſumtum, interque ipſos Lutheranos ſemper plurimos habuit obloquutores, nunquam etiam huic conſilio ingeſtum fuit. Dicemus ergo, quid hoc in negotio ſyncretiſmi olim factum, quidquid fieri hodie, ſi non poſſit, at noſtro quidem judicio oporteat. In quo promovendo præ aliis ſemper laborarunt Theologi Argentinenſes, interque eos *Bucerus*, & *Capito*: ex Politicis, nullus majori ardore & conſtantiá, quam Lantgravius Haſſiæ, *Philippus*.

Martinus *Bucerus* Seleſtadienſis, natus fuit anno cIↄ ccccxc I. & ex lectis primum Lutheri libris, inde familiaritate cum eo contractâ Heidelbergæ, denique eâdem in Colloquio VVormatienſi renovatâ confirmatâque, puriori Euangelii prædicationi (Ordinis Dominicani Monachus fuit) acceſſit, atque Argentorati docere cœpit a. cIↄ Iↄ xx I I I, ubi cum Collegis diligentem navavit operam in Eccleſiæ iſtius à ſuperſtitionibus & corruptelis Papiſmi reformatione, tum diſſidii

Euchariſtici, quod quantum damni ubique Reformationi adferret ſatis videbat, inter Lutherum Saxonicoſque, & Helveticos alioſque Theologos, compoſitione. Cui fini interfuit Colloquio Marpurgenſi a. cIↄ Iↄ xxix. & VVittembergenſi a. cIↄ Iↄ xxxvi. quibus concordia inter diſſidentes, conſcriptis ejus aliquot articulis, ſancita fuit.

VVolfgangus Fabritius *Capito*, Haganoæ natus a. cIↄ cccclxxviii. trium facultatum, Medicinæ primùm, tum Theologiæ, denique & Iuris doctor factus, concionator primò Archiepiſcopi Moguntini Alberti Cardinalis fuit, inde Argentoratum venit a. cIↄ Iↄ xxiii. cum Bucero: ubi Euangelii doctrinam haud ſegniter promovit, & Buceri in concordiæ cum Lutheranis opere aſſiduus fuit Collega. Vxorem habuit Iohannis Oecolampadii viduam; deinde aliam. Obiit a. cIↄ Iↄ xli.

Philippus Haſſiæ *Lantgravius* indefeſſam ad combinandos utrimque animos collocavit operam, ſæpiuſque hujus & illius partis evocavit ad ſe Theologos magis moderatos, hinc Bucerum imprimis, inde Melanthonem; autorque extitit primi *Conventus Marpurgenſis* a. cIↄ Iↄ xxix. die 1. Octob. illum in finem habiti: ubi adfuerunt Lutherus, Melanthon, Iuſtus Ionas, Andreas Oſiander, Brentius, Steph. Agricola: ex noſtrâ parte Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Hedio: & poſt privatum primò aliquod, tum publica Colloquia, tertio die *conſenſus* factus aliquot articulis, & conſignatus fuit; uno ſolo excepto, de modo præſentiæ Chriſti in Cœnâ: ſubſcripſeruntque omnes, quos dixi. Decimuſquartus, ſive ultimus articulus de S. Cœnâ ita habet: *Credimus, & certò ſtatuimus omnes de Cœnâ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd utrâque parte Cœna ſecundum inſtitutionem utendum ſit. Et quòd Miſſa non ſit opus, per quod vivis aut mortuis impetretur gratia: Quòd etiam ſacramentum altaris ſit ſacramentum veri Corporis & ſanguinis Ieſu*

Chriſti: Et quòd ſpirituali manducatione illius corporis & ſanguinis, ſingulis Chriſtianis præcipuè opus ſit. Similiter, quòd uſus ſacramenti, perinde, ut verbum à Deo omnipotente, ſit ordinatus, ut ad veram fidem & dilectionem conſcientiæ imbecilles moveantur per Spiritum ſanctum. Et quanquam in eo, (An verum corpus & ſanguis Chriſti corporaliter ſit in pane & vino) hoc tempore nondum conſenſimus: Tamen utraque pars, quantum omninò ferre poteſt cujuſque conſcientia, caritatem mutuam præſtare debet. Vtraque etiam pars Deum omnipotentem ſedulò invocare debet, ut per Spiritum ſuum nos in verâ ſententiâ confirmare velit. Amen. De hoc Colloquio, Melanthon ſcripſit ad Camerarium: *De congreſſu Marpurgenſi non habeo, quod ſcribam. De aliis capitibus doctrinæ Chriſtianæ omnibus convenit. Tantùm controverſia cœnæ explicari non potuit. Leges capita, quæ ibi compoſita ſunt. Tantùm triduanum colloquium fuit. Et adverſarii leniores viſi ſunt, quàm fore arbitrabar. Reliqui omnes, præter Lutherum, fuimus κῶφα πρόσωπα. Nam Lantgravius properavit dimittere conventum propter peſtilentiam graſſantem eo loco.* Quo leniores noſtri erant, eo durior Lutherus, qui ab initio congreſſus ſtatim in menſâ, ad quam ſedebant, majuſculis litteris ſcripſerat: *hoc eſt corpus meum*: ſcilicet ne ab illis abduceretur. Demum Noſtros pro fratribus, utcunque hoc Chriſtianè & laudabiliter ambientes, id eſt, offerentes, docenteſque, fratrum loco mutuo eſſe oportere, non ita orantes; quamvis, ut de hâc re Bucerus ſcripſit, *nos nihil puderet, etiam quemlibet in quo Chriſti aliquid appareat, precari, ut fratris locum apud ſe concederet, ſi ad hoc adprecari ſatis eſſet*, agnoſcere tamen noluit. Nihil autem hic de omnipræſentiâ corporis Chriſti, ob quam non in articulo de perſonâ Chriſti mutuò pleneque conſenſiſſent, agitatum. Argumento, quantopere à primâ quæſtionum metâ nunc abierint Adverſarii, tum in illâ, tum in aliis contra nos arreptis contentionibus, ubi factâ ſummariâ articulorum fidei, & ſi quorum forte con-

troverſorum, dinumeratione, nihil extra plenam conſenſionem tum temporis ſuperfuit, præter unum illud de modo præſentiæ Chriſti in S. Cœnâ: de quo quæ Lutheri ſententia, & quomodo intelligenda, vel in quo puncto à noſtrâ diverſa, patuit ex voce corporalis, videlicet, an Chriſti corpus corporaliter eſſet in Cœnâ.

Argentinenſes Theologi præcipui auctores fuerunt inſtituti Conventus, Conſenſuſque in hâc cauſâ ſecundi *VVittembergenſis*, a. cIↃ IↃ xxxv I. die xx I. Maji. Ubi & in eo, de quo ſolo in Marpurgenſi Conventu diſſentiebant, viſa fuit inita eſſe concordia, ſcriptaque in hæc verba communis formula, auctore Melanthone: *Audivimus D. Bucerum explicantem ſuam ſententiam de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, hoc modo: Confitentur juxta verba Irenæi, conſtare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cœleſti. Itaque ſentiunt & docent, cum pane & vino, verè & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi, corpus Chriſti & ſanguinem. Et quanquam negant fieri Tranſſubſtantiationem, nec ſentiunt fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra uſum Sacramenti, tamen concedunt Sacramentali unione* (Panem eſſe corpus Chriſti / Corpus eſſe cum pane,) *Hoc eſt, ſentiunt porrecto pane ſimul adeſſe & verè exhiberi corpus Chriſti. Nam extra uſum cum aſſervatur in pixide, aut oſtenditur in proceſſionibus, ut fit à Papiſtis, ſentiunt non adeſſe corpus Chriſti. Deinde hanc inſtitutionem ſentiunt valere in Eccleſiâ, nec pendere ex dignitate Miniſtri, aut ſumentis. Quare ſicut Paulus ait, etiam indignos manducare, ita ſentiunt porrigi verè corpus & ſanguinem Domini, etiam indignis, Et indignos ſumere, ubi ſervantur verba & inſtitutio Chriſti: Sed tales ſumunt ad judicium, ut Paulus ait, quia abutuntur Sacramento, cum ſine pœnitentiâ & ſine fide eo utantur: Ideo enim propoſitum eſt, ut teſtetur illis applicari beneficia Chriſti, & fieri eos membra Chri-*

Chriſti, & ablui ſanguine Chriſti, qui, agunt pœnitentiam & erigunt ſe fide in Chriſtum, Cum autem pauci convenerimus, & opus ſit utrinque hanc rem ad alios concionatores & ſuperiores referre, nondum licet nobis de concordiâ paciſci, priusquam ad alios retulerimus. Cum autem profiteantur omnes, ſe juxta confeſſionem & Apologiam Principum Euangelium profitentium, in omnibus articulis ſentire & docere velle, maximè cupimus ſarciri & conſtitui concordiam. Et ſpes eſt nobis, ſi reliqui utrinque ita conſenſerint, ſolidam futuram eſſe concordiam. Subſcripſerunt d. XXIX. Maji, à noſtrâ quidem parte Capito, Bucerus, Frechtus, Ortherus, Gervaſ. Scholaſticus, Ioh. Bernhardi, Bonif. Lycoſthenes, VVolf. Muſculus, Mart. Germani, Matthæus Aulberus, Ioh. Schradinus, Argentinenſis, Vlmenſis, Eſlingenſis, Memmingenſis, Franeofurtenſis, Auguſtanæ, Furfeldenſis, Ruthlingenſis Eccleſiarum Miniſtri: ab illâ parte Lutherus, Cruciger, Bugenhagius, Melanthon, Menius, & Miconius. Hujus Formulæ vel Conſenſus, in quem coierunt, præcipuus auctor Bucerus fuit, cujus proinde nomen ſtatim in limine occurrit. Probatum quidem variis fuit, quod à Bucero actum: quamvis alii maluiſſent non illis verbis conceptam formulam, quę Adverſariis plus æquo concedere videtur. Interim de omnibus inter illos conventum religionis articulis, nihilque ſe in noſtris deſiderare, ſed ſibi per omnia ſatisfactum, Lutherus palam faſſus fuit. In Bucero verò multi haud ſatis probabant immoderatum paſſim concordandi ſtudium, & hinc indulgentiam nimiam quâ largiebatur ea, quæ tradi Adverſariis noluiſſent: unde eidem accidiſſe dixerunt, quod illis, qui præ nimia vini aviditate, etiam fœces hauriunt. Non ita ut aliis, Capita Concordiæ VVittembergenſis placuerunt Baſilienſibus, & Helvetiis, qui ſententiæ ſuæ expoſitionem pleniorem ſingulari ſcripto complèxam Luthero tranſmiſerunt. In quâ primo enarrant, quam acceptum ſibi fuerit, quod Luthe-

therus ipſorum Confeſſionem, paulo ante ſcriptam miſſamque, per Bucerum & Capitonem, *in ſe non improbaverit, ſed benè acceperit: ſaltem Chriſtianæ concordiæ, quam in Articulo de S. Cœnâ omnes deſiderent, promovendæ cauſa, uberiorem declarationem poſtulaverit:* quodque per Concordiæ articulos, *Confeſſioni & doctrinæ Baſilienſi nihil derogaretur*, ſed *eoſdem* (hæc ipſorum verba) *fidei & Confeſſioni noſtræ eſſe conſentaneos, & non contrarios: ſicque nos in Articulorum ſenſu quantum ad ſummam, prorſus convenire. Quod quidem, promovendæ concordiæ cauſa, nobis pergratum eſt.* Deinde expoſitâ latius doctrinâ de miniſterio verbi, ſacramentis, baptiſmo, & Cœnâ; reſcripſit tandem illis Lutherus, d. 1. Decemb. a. cIↃ IↃ XXXVII. (quum illi ad eum ſcripſiſſent a. cIↃ IↃ XXXVI. menſe Novembri) litteris ſpiritu charitatis & concordiæ, ut & invectiva in Stentores Concordiæ inimicos, pleniſſimis. Neque an mitius, meliuſque unquam, & magis deliberato ac compoſito animo hâc de re ad Noſtros ſcripſerit, ſcio. Vbi hæc ejus verba: *Erunt enim tam apud vos, quam apud nos aliqui, quibus Concordia hæc parum probabitur, ſed ſuſpecta erit. Si tamen nos utrinque, quibus illa cordi eſt, ſeriò ſeduloque inſtabimus: Clementiſſimus Deus & Pater utique gratiam ſuam dabit, ut & alii paulatim miteſcant, & aquæ turbidæ conſidant. Rogo itaque peramanter, V. P. hoc agat & curet ſeriò, ut apud vos & veſtrates clamoſi illi, qui adverſus nos & concordiam blaterant, à vociferationibus ſuis abſtineant, ac populum ſimpliciter doceant. Præterea hanc Concordiæ cauſam commendet illis, qui ad talia vocati ſunt atque idonei: nec eos impediat. Quemadmodum & nos hoc loco tum in ſcriptis, tum in concionibus tranquillitati ſtudebimus, & ab invectivis in veſtros abſtinebimus: ne cauſam ullam Concordiæ impediendæ præbeamus: quippe quam, Deo teſte, toto pectore videre exoptamus. Et laus ſit Deo: dimicatum, declamatum hactenus fuit plus ſatis, ſiquidem aliquid ſic profici potuiſſet. Cum primis verò obnixè rogatos vos volo, ita de*

me exiſtimetis tanquam de eo, cui res tota ſumme ſit cordi quique quantum omninò mearum erit virium, nihil eorum ſit intermiſſurus, quæ ad Concordiam promovendam pertinebunt. Novit id Deus, quem teſtem invoco ſuper animam meam. Diſsidium enim hoc nec mihi, nec cuiquam profuit: ſed plurimum damni dedit: ex quo profectò nihil utilitatis vel commodi ſperari potuit, vel etiamnum poteſt. Deinde ad ſingulos declaratæ confeſſionis articulos accedens: *In primo* inquit, *de verbo prædicato, nihil prorſus habeo, quod deſiderem. Similiter in articulo II. de Baptiſmo nihil differentiæ obſervo.* Tum de S. Cœnâ: *Quod ad tertium articulum de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti: nondum quoque docuimus, neque adhuc docemus, Chriſtum è cælo vel à dextra Dei deſcendere vel aſcendere, viſibiliter vel inviſibiliter. Firmiter tenemus articulum fidei: Aſcendit in cælum: ſedet ad dextram Dei: unde venturus eſt judicare, &c. Committimus divinæ omnipotentiæ, quomodo corpus & ſanguis ejus in Cænâ nobis præbeantur, quoties ipſius mandato convenitur, & inſtitutio ejus celebratur. Non mentionem facimus ullius aſcenſus vel deſcenſus, qui fieret in Cænâ: ſed ſimpliciter tenemus verba ejus: Hoc eſt corpus meum, Hoc eſt ſanguis meus. Veruntamen, ſi, quod prius dixi, non omnino ſatis rectè mentem mutuò percipimus, hoc in præſens optimum ſit, ut invicem amici ſimus, & optima quæque mutuò de nobis invicem polliceamur, donec gluma & fæculenta aqua tandem ſubſidat. Poterunt hic & in reliquis omnibus D. Capito & Martinus Bucerus optimè in medium conſulere, modo pectora invicem componamus, ac ſimultates omnes faceſſere jubeamus, ut Spiritui ſancto locus detur.* Atque hoc fundamento iterum fundat concordiam, repetitque: *Inſuper ut dilectio & amicabilis Concordia inter nos perfecta vigeat, ex parte noſtrâ nihil faciemus reliquum: cumprimis ego, quantum ad me, omnem offenſam penitus ex animo delebo, vobiſque amorem & fidem omnem polliceor. Quantumvis enim nos, qui rem hanc ſerio agimus, ſumma quæque egerimus, ſemper tamen auxilio*

Dei

Dei & conſilio majore indigebimus; quandoquidem Satan ſummus noſter & concordiæ hoſtis, facile ſuos noverit invenire, per quos ſumma imis conturbet: ut nihil ſit opus, nos diffidentiæ vel ſuſpicionibus invicem indulgere. Sed cum primis neceſſarium, ut corda ſimul & dextras mutuò porrigamus, ne poſteriora fiant deteriora prioribus. Tantum ſua tunc bene putavit intereſſe, ut concordia retineretur. Concludit, *De excommunicatione ſeu clavibus non recordor, aliquando inter nos aliquid fuiſſe controverſum. Forte apud vos rectius habet diſciplina quam apud nos: neque in hoc capite, modo in cæteris plenè conjuncti ſimus, volente Domino, laborabit Concordia, Amen.* Vtinam hic animus idem & conſtans Luthero ſemper adfuiſſet, ſed & diſcipuli hanc potius Præceptoris ſui æmulati fuiſſent æquitatem ac concordiam, quam intemperiem ſæpius aliàs oſtenſam! Adeo diſtinguere debemus, quidquid ipſi in Melanthone, in *Luthero* nos, prout aliquando *acrior* fuit, vel *mitior*. Illius intervalla habuit magis crebra; hujus etiam nonnulla, præcipue ubi jam diximus. Reſponderunt ad illas etiam Lutheri litteras Helvetii, a. cIↃ IↃ XXXVIII. d. IV. Maji, atque in fine dicunt: *Ex his omnibus non poſſumus aliud perſpicere aut ſentire, quam inter nos (Deo ſit laus) de ſenſu aut verâ ſubſtantiâ hujus articuli unanimem eſſe conſenſum, pacemque optimam inter nos ſine ullâ amplius controverſiâ coaluiſſe, Deumque ad hanc veram concordiam nos ſuo auxilio adduxiſſe, cui nos eam ob rem maximas laudes & gratias agimus in æternum.* Atque ita tum concordia inter Lutherum, ac Tigurinos tandem coaluit: utinam verò firma ſemper & conſtans fuiſſet! Bene Melanthon, in ep. ad Vitum Theodorum: *Ego ne longiſſime recederem à veteribus, poſui in uſu ſacramentalem præſentiam, & dixi datis his rebus, Chriſtum verè adeſſe, & efficacem eſſe. Id profecto ſatis eſt. Nec addidi incluſionem, aut conjunctionem talem, quâ affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, aut ferruminaretur, aut miſceretur. Sacramenta pacta ſunt, ut rebus ſumtis adſit aliud.*

Quod

Quod autem de Buceri lenitate, ac indulgentia diximus, ea nec Martyri uſquequaque probata: quare nec illius in docendo formulæ dubiæ, obſcuræ, & ad aures Adverſariorum compoſitæ magis, quam ad ſoliditatem doctrinæ, adſenſit. quod tum Argentorati oſtendit, quando ibi primum cum Bucero docere incæpit, ſed cujus methodum in formulis illiuſmodi laxis non ſectabatur; tum in Anglia, ubi Martyr Oxonii, Bucerus Cantabrigiæ agebat. atque hic in theſes à Martyre diſputatas, inter quas ſecunda erat: *Corpus & ſanguis Chriſti non eſt carnaliter aut corporaliter in pane & vino, nec ut alii dicunt, ſub ſpeciebus panis & vini*, iſtam appoſuit Cenſuram, quod optaſſet theſim ſic expreſſam: *Corpus Chriſti non continetur localiter in pane & vino: nec iis rebus affixum aut adjunctum eſt ulla mundi regione.* Scilicet ut iſto loquendi modo declinaret Lutheranorum ſententiam, non refutaret. Hoc eum tempore etiam Calvinus abuſque Genevâ monuit, ut magis perſpicue de Cœnâ Domini ſcriberet, ac loqueretur. Et reverſo ex Angliâ Petro Martyre Argentoratum, ubi ei proponebatur Concordiæ VVittembergenſis formula, à Bucero cum Luthero inita, ſubſcribere abnuit, quia per conſcientiam (dicebat) largiri nequiret deſtitutos verâ fide, percipiendo ſacramenta, corpus Chriſti ſumere. Ex adverſo Lutherani Bucerum pro ſuo habere auſi. Vide Miniſtros Comitatus Mansfeldici, in Scripto a. cIↄ Iↄ lxv. adverſus Eberum. Quæ res ita ſollicitos multorum animos tenuit de Bucero, ut identidem monerent, caveret, ne nimium tribuendo Adverſariis, vel veritatem pro mundi captu aſtutius hinc inde flectendo, inconſtantiæ notam ſibi inureret; uti ad illum ſcripſit Georgius, Comes VVurtembergicus anno cIↄ Iↄ xxxv. Similiaque ad eundem aliquoties VVolfgangus Muſculus. Vide Annales Sculteti, part. II. p. 343. 387. ubi ad Bucerum Muſculus: *Vrbani Regii factum multis etiam ſuorum ſcandalo eſt. Ejus exemplo tibi etiam multum*

timeo

timeo, &c. & p. 398. 413. In hiſtoriâ, ſive Curriculo vitæ ſuæ narrat, Bullingerum dixiſſe Dan. Toſſano: *M. D. Toſſane, tu incides in multos qui de concordiâ VVittembergicâ loquentur: narro igitur tibi, quid à Petro Martyre ego, & Simlerus, & quid Martyr à Bucero in Angliâ audierit. Bucerus, ajebat Martyr, dixit, ſe pœnas dare quod cauſam publicam homo privatus voluiſſet componere, & tam multa prava dogmata conciliare. Profeſſus eſt etiam Martyr, ſe nunquam in illam concordiam conſpiraſſe.* Et pag. 39. totum illud Buceri negotium à capite arceſſens, ſcribit, cum à Tigurinis ad Capellas infeliciter pugnatum eſſet, & Zuinglius cum multis egregiis viris occubuiſſet, eâque clade, quod paulo ante inter aliquot Helvetiæ Civitates, & Argentinam, atque Haſſorum Principes coïerat fœdus diſſolutum eſſet; Martinum Bucerum Theologum Argentinenſem timidiuſculum totam cauſam ſimul perituram putaſſe, niſi ſuperioris Germaniæ Civitates, & imprimis Argentinam ſuam alicujus novi fœderis præſidio muniret. Vtroque igitur oculo illum reſpexiſſe ad potentiſſimum Saxoniæ Principem, quem ut facilius ad fœdus pelliceret, omnibus conatum eſſe perſuadere, Zuinglii & Lutheri ſententiam, de Cœnâ Domini, eandem fuiſſe, ſed eos propter λογομαχίαν non potuiſſe convenire: præſtare autem cum Luthero loqui, quàm cum Oecolampadio & Zuinglio, quod ille ſublimius, iſti humilius de cauſa iſta locuti eſſent. Quod Bucerus etiam perſuaſerat Iohanni Calvino viro juveni, & Controverſiarum Germanicarum ignaro, quà tum temporis ex Galliâ Argentinam venerat. Hinc in Germaniâ ſuperiori phraſes Bucero-Lutheranæ poſt infelicem præſertim Concordiam VVittembergenſem frequenter uſurpatæ; reſque eò devenit, ut demortuis Theologis, quibus Bucerianæ conciliationis cauſa nota fuerat, Vlma, Auguſta, Memminga, Lindavia, Argentina denique pro Zuinglianâ doctrinâ Lutheranam, & Vbiquitatem tandem ipſam, amplexarentur;

ut non immeritò ſcribat Rudolphus Gualterus, Epiſtolâ quâdam ad Illuſtrem Comitem Ludovicum VVitgenſtenium ſeniorem, Bucerum; ſi hodie viveret, ne ab Argentinâ quidem ſuâ agnitum & admiſſum iri.

Illa quæ hactenus de ſyncretiſmo Lutheranorum diximus, *viventibus* diſſenſionis *auctoribus* contigerunt, videlicet Conſenſus Marpurgenſis primum, tum VVittembergenſis: poſt illos è medio ſublatos, non defuere etiam qui huic operi eximiam navarunt operam; ut divulſæ eccleſiæ in concordiam vel tolerantiam mutuam coirent. Vnionem dicimus Eccleſiaſticam, inter Eccleſias diſſidentes, & ab Eccleſiaſticis, peculiaribus huc inſtitutis conventibus, concluſam; ubi poſt duas præcedentes *Marpurgenſem*, & *VVittembergenſem*, tertia ſequuta, nobiſque conſideranda venit, poſt mortem anteſignanorum inita, *Sendomirienſis* in Poloniâ, a. cIↄ Iↄ lxx. die xiv. Aprilis: ubi trium Confeſſionum in Poloniâ utrâque, & magno Ducatu Lithuaniæ ſocii; Bohemicæ, Auguſtanæ, & Helveticæ, adverſus Ebionitas, & Anabaptiſtas, Conſenſum piè feliciterque hunc in modum ſtabiliverunt, quod ad articulum de S. Cœnâ: *Deinde verò, quantum ad infelix illud diſſidium de Cœnâ Domini attinet: convenimus in ſententiâ verborum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut illa orthodoxè intellecta ſunt à Patribus, & inprimis Irenæo: qui duabus rebus ſcilicet terrena & cœleſti hoc myſterium conſtare dixit. Neque elementa ſignave nuda & vacua illa eſſe aſſerimus, ſed ſimul re ipsâ credentibus exhibere & præſtare fide quod ſignificant. Denique ut expreſſius clariuſque loquamur, convenimus, ut credamus & confiteamur, ſubſtantialem præſentiam Chriſti non ſignificari duntaxat, ſed verè in Cœnâ eo veſcentibus repræſentari, diſtribui & exhiberi corpus & ſanguinem Domini ſymbolis adjectis ipſi rei minimè nudis, ſecundum Sacramentorum naturam.* Quæ mutui conſenſus ratio hactenus omnium optima eſt, ut junctis, invicemque approbatis Eccleſiarum

Confeſſionibus, vel formula alia omittatur, vel talis conſtituatur, ac hæc, quæ ex VVittembergenſi quidem aliqua retinet, ſed ubi cardo difficultatis hæret, accuratior illâ eſt, ſubſtantialem præſentiam Chriſti in Cœnâ ſtatuens quidem, non autem corporis, quamvis hoc etiam exhibeatur, ſumaturque in ſymbolis, à credentibus, per fidem: *in uſu inſtituto in hac communione verè & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum, & verè exhiberi ſumentibus corpus & ſanguinem Chriſti.* Quæ omnia melius ſonant, quam quæ in formulâ VVittembergenſi: *verè & ſubſtantialiter adeſſe corpus Chriſti*: Et, *porrigi verè corpus & ſanguinem Domini, etiam indignis.* Atque iſto modo in hæc placita conſenſum Sendomiriæ, ut miſſis dehinc omnibus odiis, inſectationibus, rixis; pro fratribus ſe mutuo agnoſcerent, ſuaſque invicem eccleſias pro orthodoxis: in quo ſupra Marpurgenſem conſenſum progreſſi fuerunt: *convenimuſque, ut quemadmodum illi nos, noſtraſque Eccleſias, & confeſſionem noſtram, in hâc ſynodo publicatam, & Fratrum orthodoxas eſſe teſtantur: ſic etiam nos illarum Eccleſias eodem Chriſtiano amore proſequamur, & orthodoxas fateamur: extremumque Vale dicamus, & altum ſilentium imponamus omnibus rixis, diſtractionibus, diſſidiis, quibus Euangelii curſus, non ſine maximâ multorum piorum offenſione, impeditus eſt: & unde adverſariis noſtris non levis calumniandi, & vera Chriſtianæ Religioni noſtræ contradicendi occaſio fuit ſubminiſtrata: quin potius paci & tranquillitati publicæ ſtudere, charitatem mutuam exercere, & operas mutuas ad ædificationem Eccleſiæ pro fraternâ conjunctione noſtrâ præſtare debemus.* Quinimo pro uno fere Eccleſiarum corpore haberi hinc omnes voluerunt, & ad generales Synodos ex æquo vocari, & convenire: *Quamobrem conſilia officiave mutua inter nos conferre, & in poſterum de conſervatione & juramento omnium totius Regni, Lithuaniæ, Samogitiæ piarum orthodoxarum & reformatarum Eccleſiarum, tanquam*

de

de uno corpore conſulere polliciti ſumus, ac recepimus. Et ſi quando Synodos generales celebrabunt, nobis quoque ſignificent: & ad noſtras etiam generales vocati non gravatim veniant, ſi opus fuerit. Hęc autem Eccleſiarum unio præſtantiſſima haberi merito debet, ad cujus exemplar ſe alias componere, omneſque illud ſequi ęquum ſit, & laudabile. Adeoque facilis, ne dicam poſſibilis, Eccleſiarum noſtrarum coitio, quando in probos, modeſtos, & orthodoxiæ ſtudioſos viros ejus inſtituendæ cadit conſilium. Conſenſum Sendomirienſem eodem anno confirmarunt ſolemniter in Synodo Poſnanienſi: ubi utraque pars, primùm Miniſtri, Patroni, & tota Eccleſia Confeſſionis Bohemicæ, Poloni, & Germani, utriuſque ſexus homines, ex templo ſuo progreſſi in templum Auguſtanæ Confeſſionis, concionem matutinam habuerunt Miniſtri Fratrum Bohemorum; alter Polonicè, Germanicè alter; à meridie viciſſim Auguſtanæ Confeſſionis Cœtus proceſſit ad templum fratrum Bohæmicorum, & hic Auguſtanæ Confeſſionis Miniſtri, unus iterum Polonis, alter Germanis, concionem habuerunt; atque prælectus utrobique populo Conſenſus, in quem omnes unanimiter conceſſerunt, factâque per Miniſtros ad mutuam concordiam & pacem adhortatione ſeriâ, maximâ cunctorum lætitiâ & applauſu occentum illud: *ecce quam bonum & quam jucundum fratres habitare in unum.* Quis obſecro, tantillum modo ſpiritus Chriſtiani habens, hoc opus non probet, non laudet, & ad animum ſuum rediens, non exultet pariter in tam ſanctâ concordiâ? quæ ut grata cœlo, ita quod inviſa potuerit eſſe hominibus aliis, quis crederet, niſi hoc Vilnenſes Lutherani ſuo facto, in Synodo a. CIↃ IↃ LXXVIII. probaſſent, atque improbâ facti hujus commendatione Leonhardus, vel Leoninus Hutterus, in ſcripto ſuo adverſus Parei Irenicum, verè litigioſo, & furibundo magis, quam Theologico, *cap.* XVIII. confirmaret: falſus interim, in illâ nationali

Synodo Sendomirienſi conſenſum inter Euangelicos initum, & in Synodo Torunenſi quoque confirmatum fuiſſe a. cIↄ Iↄ xcv. Sic eſt, poſtquam in nationali Sendomirienſi Synodo conſenſus factus, eodem anno die xx Maji, in Synodo provinciali Poſnanienſi ſolemniter ille confirmatus fuit, repetitus in nationali Synodo Cracovienſi, a. cIↄ Iↄ lxxiii. d. xxix Septemb. & obſignatus cum exitu Synodi, ſacrâ Synaxi ab omnibus trium Eccleſiarum præſentibus Miniſtris, & delegatis unanimiter celebratâ, juxta ritum Cracovienſis Eccleſiæ. Idemque factum in Synodo Petricovienſi, a. cIↄ Iↄ lxxviii., die 1. Iunii, & VVlodiſlavienſi, a. cIↄ Iↄ lxxxiii. die xix. Iunii, atque Torunenſi, a. cIↄ Iↄ xcv. die xxi Auguſti. Denique in nupero Torunenſi Colloquio, a. cIↄ Iↄ cxlv. d. 1. Septemb. Reformati in generali fidei ſuæ Confeſſione Sendomirienſem ſuam, id eſt, Helveticam, ibidem lingua Polonicâ explicatius conſcriptam Confeſſionem probarunt iterum confirmaruntque oblatam antea Sigiſmundo II. in Comitiis Varſavienſibus a. cIↄ Iↄ lxxii, eique dedicatam poſtea, quum ederetur a. cIↄ Iↄ lxxiv. & Stephano Regi exhibitam, in Comitiis a. cIↄ Iↄ lxxviii. qua diligenter conſideratâ, Rex Noſtris publicum religionis exercitium Cracoviæ conceſſit. Conſenſus ille Sendomirienſis a. cIↄ Iↄ lxxxvi. Torunii primò, linguâ Latino-Polonicâ, ex decreto Synodico in lucem datus fuit, recuſus iterum a. cIↄ Iↄ xcii. & a. cIↄ Iↄ xcvi. Heidelbergæ a. cIↄ Iↄ c v. atque pridem utroque idiomate a. cIↄ Iↄ cxxviii. Factâ Sendomirienſi conſenſione, Proceres Evangelici in Poloniâ, communicato cum Miniſtris conſilio, ad excitandos in ſimilem concordiam Germanorum animos, quibus ſuo illuſtri exemplo jam præiverant, litteras, dum Comitia VVarſavienſia celebrabantur a. cIↄ Iↄ lxxviii. dederunt d. xxviii. Februarii, ad Electores, & Principes Germaniæ, ad Ludovicum, Electorem Palatinum, Saxonem, & Brande-

deburgicum: qui reſcripſerunt, probari ſibi concordiæ & unionis ſtudium, illudque ſe apud ſuos omni ope promoturos. In epiſtolâ ad Electorem Palatinum loquuntur Poloni Proceres, inter alia: *Nos certè, qui regno hoc Polonico, & Magno Ducatu Lithwanico, cæteriſque provinciis iiſdem adnexis continemur, libenter fatemur, uberrimum nos fructum ex eâ Concordia, quam collatis & conciliatis tribus fidei confeßionibus, Auguſtanâ ſcilicet, fratrum Bohemorum, & Helvetica, beneficio Dei ſanctè inivimus, ſummo cum gaudio & animi lætitia percipere, quam ut Deus Opt. Max. nobis perpetuam eſſe, & eandem cæteris quoque Eccleſiis largiri & tribuere velit, ardentiſſimis votis eum precamur.* Adjunxere ſuas litteras Theologi, iiſdemque unanimiter ſubſcripſere, tum Auguſtanæ Confeſſionis, tum Reformatarum Eccleſiarum, & Fratrum Bohemicorum Miniſtri, ſuo ſuorumque nomine, *ſervi Ieſu Chriſti, Miniſtri Euangelici in regno Poloniæ &c.* In quibus litteris, ad Electorem Palatinum ſic loquuntur: *Quod ſi id nobis (in fundamento quidem conſentientibus) contingere non poßit, ut etiam in ſingulis religionis noſtræ ſcrupulis idem, eodemque oris tenore loquamur (ſiquidem Spiritus S. variè & liberè dona ſua diſtribuit, prout & cui vult) monent nos ſacræ literæ, ne invicem nos mordeamus. (nam inquit, conſumemini) neque tam impotenter nobis in proprio ſenſu & donis arrideamus, ut ſervos Domini, ſanguine ipſius emtos, condemnemus, ſed alii alios invicem honore prævenientes, alii aliorum onera charitate portemus, & pro nobis invicem oremus. Quare ſi quis contentioſus eſt, nos non habemus eum morem, neque Eccleſia Dei* 1 *Corinth.* 11. *Nos inquam, qui in his Sarmaticis regionibus gregem Chriſti paſcimus, quamvis diverſos præceptores in perdiſcenda una eademque cœleſti doctrina habuerimus, alii Auguſtanæ, alii Bohemicæ, alii Helveticæ confeßioni, ritibuſque aſſuefacti & addicti, cum aliquandiu ſibimet quiſque in ſuo ſenſu placentes, invicem contendorimus, & non illepidum Antichri-*

tichriſto ſpectaculum prebuerimus: tandem anno abhinc octavo, tum authoritate Spiritus S. pacem concordiam & amorem mutuum ſuadentis, tum etiam malis diſcordiæ permoti, omnibus litibus finem impoſuimus, ac contendere jam in more non habemus. Cui concordia & amori mutuo Dominus ita benedicit, ut lætitiam ac fructum inde ſequentem vix verbis ſatis declarare poſſimus. Nam non ſolum illud in noſtris conſcientiis ſentimus: Ecce quam bonum & quam jucundum, fratres habitare in unum: ſed etiam manifeſte experimur, id Eccleſiæ noſtræ inter atrociſſimos hoſtes, tam Papiſtas, quam Arianos verſanti, plurimum conducere ad pacem externam, ab ſublationem ſcandalorum, ad ædificationem Eccleſiæ, & ad repreſſionem ac oppreſſionem hoſtium Filii Dei, contra quos conjunctus exercitus Domini, triplici acie, quantò concordius, tantò fortius, & præclarius contendit. Factum inde, ut ad exemplum Sendomirienſium, in Bohemiâ ii qui Huſſiticam & Bohemicam, atque illi qui Auguſtanam Confeſſionem ſequebantur, in unum conſenſerint, a. cIↄ Iↄ lxxv. facta communi fidei formulâ, quam & Maximilianus Imp. ratam habuit, viguitque communis conſenſus inconcuſſus uſque ad a. cIↄ Iↄ c vi. Videre de his licet Hoſpinianum, *Hiſtor. Sacram. part.* I I. *pag.* 342. Hiſtoriam *Fratrum Bohemorum*, Joh. Camerarii. Paræum, in *Irenico*, *cap.* XVII. & XVII. & XXII. Hiſtoriam *Eccleſiarum Sclavonicarum lib.* 1. *pag.* 88. 89 64. Conſenſus illius Sendomirienſis juſſi ſunt ſinguli Eccleſiarum per Poloniam &c. Miniſtri habere exemplar: ita conſtitutum in Synodo VVlodiſlavienſi a. cIↄ Iↄ lxxxIII. can. III. atque in Synodo Torunienſi a. cIↄ Iↄ xcv. can. II. & hic quidem non habere illud tantùm, & legere, *ſed etiam ex præſcripto illius, & canonum in eo expreſſorum, tum ipſe agere, tum cœtum ſibi commiſſum gubernare.* Et can. III. ſancitum, *ut in Synodis particularibus, & cœtibus frequentioribus, quales ſolent haberi in feriis Paſchalibus, aut alio quovis ad id accommodato tempore, ad minimum ſemel*

quot

quotannis libellus iſte Conſenſus cum Synodis Generalibus in eo contentis prælegatur, & juxta illum examen fratrum, & membrorum Eccleſiæ Dei inſtituatur: quique aliquâ in re deliquiſſe deprehenſi fuerint, corrigantur, & in reos fiat executio diſciplinæ. Namque deprehendebantur aliqui Conſenſui iſti minus morigeri, quique ei ſubſcribere nollent, de quibus excommunicandis actum d. XXIV Aug. in illâ Synodo. Vtinam verò exemplum iſtius Conſenſus permoveat ad ſimilem, Eccleſias quoque alias, præſertim quum non adeo grave vel arduum opus ſit, tres Confeſſiones, Auguſtanam, Helveticam, Bohemicam in conſenſum redigere, illę ſi in ſe ſpectentur; & quas Lutherus ipſe aliquando non improbavit. Tum tutiſſimum hîc in Confeſſionibus concordandis laborare, potius quam Doctoribus. Quid de Helveticâ Confeſſione, poſt Concordiam VVittembergenſem, ſibi miſsâ judicarit Lutherus, modò vidimus. De Bohemorum fide & ſententiâ circa cœnam, jam a. cIↄ Iↄ XXIII. audita eâ ex Legatis fratrum Bohemorum ad ſe VVittembergam, hoc ſuum judicium expoſuit, in epiſt. ad Nic. Hauſmannum, Tom. II. epiſt. *De Pighardis* (ſic quidem etiam, ſed per invidiam vulgo appellabantur) *jam non male ſentio, audita eorum, præſentibus ipſis, fide circa ſacramentum Euchariſtiæ.* Atque ad eundem alibi, explicans ſimul mentem Bohemorum, & diſcrimen à ſententiâ ſuâ: *Pighardi ſic de ſacramento ſentiunt, quod Chriſtus ſub pane non ſit corporaliter, quomodo aliqui dicunt, ſe vidiſſe ibi ſanguinem, & puerulum &c. ſed ſpiritualiter, ſeu ſacramentaliter, hoc eſt, qui panem accipit viſibiliter, verè accipit naturaliter ejus ſanguinem, qui à dextris Patris ſedet, ſed inviſibiliter. Vltra hoc non poſſum eos damnare. Deinde quod non adorant, ad idem referunt, quod non ſit ibi viſibiliter, ut viſiones habent, ſed inviſibiliter, hoc eſt, ad dexteram Patris.* In eundem ſenſum Confeſſionem illorum à ſe editam, præfatione ſuâ laudavit anno cIↄ Iↄ XXXIII. Vt valde mirum ſit de-

 teſtan-

teſtandumque, exiſtere Lutheri ut ſe jactant diſcipulos, qui Conſenſum Sendomirienſem repudiant, tantâ tum cauſæ æquitate, tum Lutheri quoque authoritate, ne Scripturam dicamus, ſubnixum. Benedictus Morgenſtern, in epiſt. ad Schluſſelburgium, *impii conſenſus Sacramentariorum in Poloniâ, cui ſubſcripſerunt Pſeudo-Lutherani Calviniſtæ & Fratres Bohemici &c. Exagitavi in meo ſcripto impium hunc ſyncretiſmum, non pro dignitate, (quis enim hoc poſſet) ſed pro viribus in hâc ſenectâ.* Sed non aliter hic uſuvenit quam ut veritas, ita & charitas odium pariát. Manet nihilominus laudabile Patrum Sendomirienſium inſtitutum, & exemplum iſtud ſuum, ad quod alios quaquaverſum merito exhortabantur, imitandum.

Neque defuerunt *viri* egregii ſemper, ut & hos, poſt initam aliquoties *Synodicè* unionem, nominemus, qui *ſingulari* pietatis & concordiæ zelo Lutheranos ad *unionem* duxerunt incitandos, qua *Politici*, qua *Eccleſiaſtici*. Inter illos, præter jam memoratos, Chriſtianus I. Elector Saxoniæ: Chriſtophorus, Dux VVurtembergicus, qui Cardinali Lotharingio interroganti, quænam Confeſſio & religio Germanorum eſſet, & an ea cum Miniſtris Gallicis conſentiret? reſpondit: *ſe nullum diſcrimen ſcire inter Gallicorum miniſtrorum & Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam, excepto unico articulo de Cœnâ Domini, qui tamen ita ſe habeat, ut conſenſus in eo etiam primo quoque tempore ſperari poſſit, quum certamen magis in verbis, quam in reipſâ conſiſtat.* Quæ legi in Protocollo Colloquii inter Ducem, & Cardinalem habiti ad tabernas Alſaticas, a. CIↃ IↃ LXII. miſſo ab ipſo Duce ad Electorem Fridericum III. Palatinum, in Archivo Electoralis Cancellariæ manu propriâ Electoris aliquot in locis annotato, teſtis eſt Hoſpinianus, *Hiſtor. Sacram. part.* II. *pag.* 310. Rex Navarrenus a. CIↃ IↃ LXI. Prorex Galliæ, pro Carolo IX. adhuc puero, Daniæ Regis legato Georgio Glucho, roganti ut non

Cal-

Calvini & Helvetiorum, ſed Lutheri doctrinam per Galliam doceri curaret, lepidè admodum reſpondit: „Lutherum & Calvinum in quadraginta articulis com„muniter à Papâ diſſentire, inter ſe in triginta novem „convenire, unum reſtare controverſum: quo non „obſtante deberent utrimque junctis animis in Papam „inſurgere, & hunc opprimere, deinde etiam de com„ponendo controverſo illo uno articulo ſeriò diſpicere. Referunt Beza & Gallaſius, in *Comment. de ſtatu Relig. in Gallia part.* 1. *pag.* 80. Et Thuanus, *Hiſtor. lib.* XXVII. In libro Memoriarum Pleſſæi, legitur Inſtructio à Rege Navarreno Henrico data Domino de Segur, Legato in Belgium, & Daniam, cui inter alia in mandatis fuerit ut hoc negotium apud Principes Proteſtantes urgeret, quo in aliquâ Synodo diſſidium Sacramentarium componeretur, de quo inter partes conveniebat quod ad „rem, ſolum de modo rei litigare, quod non ſatis deco„rum, de modo ultra modum contendere. Pontificios „nobis longè prudentiores eſſe, qui quantumvis diſ„crepantes ſuper hâc re ante diſputationes Lutheri ha„buerint inter ſe ſententias decem vel duodecim, tamen „concordiam ſervarent. Atque hoc multorum Principum ſtudium ſemper fuit, ut ſublato infelici ſciſmate, Eccleſię magis conjungerentur. Quod etiam ſpectarunt litteræ Electoris Palatini a. cIↃ IↃ C VII. ad Comitem Palatinum Neoburgicum, ad Regem Angliæ, atque ad Illuſtriſſ. Ordines.

Atque uti proprium hoc officium *Theologorum*, ita à noſtrâ quidem parte neſcimus unquam ullum fuiſſe, qui non exiſtimarit, inter Lutherum & Zuinglium, vel Eccleſias Lutheranas & Reformatas, ob diſſenſionem ſacramentalem haud oportuiſſe dirimi, aut negari fraternitatem. Inter *Lutheranos* (quemadmodum ſupra in ipſo Luthero diſtinguenda diximus intervalla mitiora, ab acrioribus. ut quum ſcribit ad Iacobum, Præpoſitum Bremenſem: *beatus qui non abiit in conſilio Sacramen-*

ſtanorum, nec ſtetit in viâ Zuinglianorum, nec ſedit in cathedra Tigurinorum. Habes quid ſentiam. Quo quid immitius dici poteſt? taliaque apud ipſum plura: ſed quoque alibi meliora habet. In quibus diſtinguendis vide quam clementer & moderatè ſe geſſerit, quem cane pejus & angue oderunt Lutherani, Calvinus, epiſtola ad Bullingerum, ſcripta a. cIↄ Iↄ xlIV. die xxv. Novemb. *Sæpe dicere ſolitus ſum, etiamſi me diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut inſignem Dei ſervum agnoſcam: qui tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laboret)* ſic dico, inter Lutheranos fatemur quidem eſſe pacis ſtudioſos, præter illos qui in formulas Vonſenſus jam olim jurarunt, atque probos viros, quibus dolet hæc divulſio, & nihil adeo in votis eſt quam Concordiam, ad Majorum exemplum, reſarcire; ſed pleramque ipſorum partem litigandi intemperies adeo uſque tenet, ut non ſolum Nos haud ferant, ſed neque illos è ſuis, qui erga Nos modeſtiores ſe gerunt; qui nihil prius habent quam dominare, & damnare. De Melanthone jam diximus. Et hic in epiſtolâ ad VVolffgangum Muſculum, anno cIↄ Iↄ xlIV. die v. Octob. *Meminiſti verſum Ariſtophanis de ollis inter ſe colliſis, καὶ πίθος πληγεὶς ὑπὸ ὀργῆς ἀντεκλάκλασεν πίθῳ. Sic civiles diſcordiæ ſæpe utrique parti exitio ſunt: quod & metui antea ſæpe, & nunc metuo eventurum noſtris eccleſiis, moto rurſus θορύβῳ περὶ δείπνου. O rem miſeram, & omnium lachrymis deplorandam, quod illud ὅσιον σύμβολον belli cogitur eſſe materia ſeu occaſio!* in eandem ſententiam ſcripſit ad eundem, die x. Novembris ejuſdem anni. Ad Chriſtophorum Carlevitzium, Conſiliarium Saxonicum & Cæſareum ſcripſit anno cIↄ Iↄ xlVI, quando exilia ſibi prævidebat & metuebat: *Quidquid ergo decreverit Princeps, etiamſi quod non probabo, tamen nihil ſeditiosè faciam, ſed vel tacebo, vel feram, quidquid accidat. Tuli etiam antea ſervitutem penè deformem, cum ſæpè Lutherus*

magis

magis ſua naturæ, in quâ φιλονεικία erat non exigua; quam vel perſona ſua, vel utilitati communi ſerviret. Et ſcio omnibus ætatibus ut tempeſtatum incommoda, ita aliquâ in gubernatione vitia modeſtiæ arte ferenda & diſſimulanda eſſe. Quæ à Collegis ſuis crudelia paſſus gener ejus Peucerus, ſupra attigimus. Simili modo cum Victorino Strigelio, Vrbano Pierio, aliiſque actum, quos melioris ſententiæ modeſtiæque homines in durum carcerem compegerunt, ac miſerè vexarunt. Non abſque lachrymis legat quis duram Anglo-Belgarum exulum apud Lutheranos Hafniæ, VViſmariæ, Lubeci, & Hamburgi a. cIↃ IↃ l I I I. & l I V. conditionem, quomodo excepti fuerint mediâ acerbaque hieme cum ſuis mulieribus, gravidis, puerperis, infantibus, ægrotis, ſenibus, & nuſpiam hoſpitium, vel hyemandi ſaltem ſpatium nanciſci aliquod potuerint, idque propter unum doctrinæ iſtud diſcrimen in causâ ſacramenti, ſuper quo variis in locis impetratâ à Miniſtris Lutheranis (aliquando & denegatâ) diſputatione, ita ſuam cauſæque innocentiam probarunt, ut commiſerationem commeritos eo acerbius exagitarint humanitatis ac religionis juxta inimici illi Miniſtri. De quibus vide *Narrationem* Iohannis Vtenhovii, qui illis interfuit, *de inſtitutâ & diſſipatâ Belgarum, aliorumque peregrinorum in Angliâ, Eccleſiâ*; quam etiam *Hiſtoria* ſuæ *Sacramentaria* inſeruit Hoſpinianus; & Belgicis Annalibus, Emm. Meteranus, *lib.* I. Huc, quod in *Conſiliis* Melanthonis *part.* I I. ad a. cIↃ IↃ l V I. reſpondit VVeſalienſibus: *An Angli & Galli hoſpites ſint tolerandi?* quod omnino affirmat agendum, & concedendum eis quoque miniſterii ſacri uſum eſſe. Ne dicam, quomodo vel cum Guiljelmo Klebitio Heidelbergæ Heſhuſius, inſanum in morem a. cIↃ IↃ l I X. cum Danæo, Geneva in Hollandiam, ad capeſſendam Theol. Profeſſionem a. cIↃ IↃ lxxx I. proficiſcenti, inhumaniter in itinere Argentinenſes, omne hoſpitium ei, & familiæ ſuæ intercludendo; cum Sa-

xoniæ

noniæ Cancellario; Doctore Creill. cIↃ IↃ c I. quem capite multarunt: hodieque cum Noſtræ religionis hominibus Dantiſci, templum ſcholamque contra jus & fas eripientes, agant: certe non digni ſaltem ea Noſtrorum humanitate ac benevolentiâ, fraternâque charitate, quam ubique experiuntur. In Narratione exulum Belgarum Iohannis Vtenhovii, quam diximus, *pag.* 89. refertur, in Actis ipſorum apud Daniæ Regem, quod inter cætera teſtati fuere, neminem unquam à ſuâ communione, controverſiæ Sacramentariæ nomine, ſive in Angliâ, ſive alibi excluſum fuiſſe. Et Martinus Micronius, in diſputatione Lubeci, a. cIↃ IↃ l I v, d. xxv I. Februarii: *Leve eſſet à profeſſis Chriſti hoſtibus talia, aut etiam graviora propter Chriſtum ſuſtinere: ſed à vobis, quos pro noſtris Fratribus & communis Evangelii Chriſti profeſſoribus hactenus duximus, iſtiuſmodi experiri, longe nobis eſt moleſtiſſimum.* Et hoc tamen efferatorum hominum animos retinere non potuit, quia pios Confeſſores toto regno, urente hyeme, ocyus expellerent. Atque niſi conſtaret peccari benignitate, quamvis in immeritos non ita facile, ac rigore aliquo licet non injuſto, aliter quoque cum illis agendum cenſeremus, qui nimiâ noſtrâ bonitate ſupra modum abutuntur. Certè hæc oſtendunt, omnino diſtinguendos Lutheranos, neque de illis æque Sentiendum, vel promiſcue benevolentiam noſtram iis offerendam aut proſtituendam; ſed moderandam prudentiâ noſtram erga illos beneficentiam eſſe. Sunt quidem inter illos, ſed rariores, ut ex omnibus hiſtoriis liquet, & ſuppreſſi varieque multati à primipilis ſuis, inferiores aliis numero ac poteſtate, qui erga nos & Eccleſias noſtras melius affecti, *moderationem* ſuadent. Cum iſtis quidem volo nobis negotium eſſe, non ita cum illis: quamvis & hic parum fructus ſperari poſſit, quandiu non apparet quo pacto qui meliores apud ſuos queant aut ſuperiores evadere, aut ſaltem reliquorum clamores & ve-

ſaniam coërcere; ne officiant. Interim & probos illos modeſtoſque Theologos non deſeri vel negligi, ſed juvari firmarique oportet. Talis fuit Petrus Palladius, Superintendens Haffnienſis, qui ut eſt in hiſtoriâ Iohannis Vtenhovii jam memoratâ, exules noſtros benignìſſimè excipiebat, & pro fratribus à ſe habitis voluiſſet quidem datum ſuo loco hoſpitium, niſi à Rege aliter mandatum fuiſſet: auditâ eorum coram frequenti cœtu declaratione fidei, aperto ore teſtatus fuit: *Confeſſionem ipſorum ab omnibus ſectis alienam, in præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus conſentire. Exiguum duntaxat diſſidium eſſe circa Cœnam Dominicam, non quidem in præcipuâ ejus parte & myſterio, ſed duntaxat quæſtione de modo præſentiæ corporis Chriſti in Cœnâ. Quod ſane diſſidium tanti non eſt* (dicebat) *ut propterea fraternitatis vinculum rumpi à nobis debeat: præſertim cum in præcipuis articulis Chriſtianæ fidei conſenſus ſit. Quapropter nos decet, homines iſtos in hâc fidei ipſorum Confeſſione pro fratribus complecti, ac pro noſtrâ facultate juvare. Ego ſane eos pro Chriſtianis & fratribus agnoſco: atque apud vos omnes conſtet, me ita de illis ſentire, en publice eis datâ dextrâ id teſtatum facio*: quod cum amanter admodum feciſſet, amicè diſceſſum. Contigit hoc a. cIↄ Iↄ l I I I. Similis notæ melioris quoque Chriſtophorus Donawerus, Miniſter Ratisbonenſis, qui a. cIↄ Iↄ c x. Senatui Eccleſiaſtico exhibuit Moderations motiven/ ſeu *Rationes Moderationis*, ob quas nequiret damnare Calviniſtas; quæ in lucem editæ a. xxx I I I. dignæ, ut non à Germanis ſolum, ſed Latine etiam ab omnibus legantur. Atque hujuſmodi ſcripta ab alterâ parte edita ſemper magni facienda & concelebranda ſunt, eo magis quo rariora. Nec omittendus Chriſtophorus Pelargus, Theol. Francofurt. ad Oderam, & Superintendens Marchiæ: quem acerbè Calviniſmi exagitavit Frid. Balduinus VVittembergenſis Theologus: & *apoſtatam* in literis ad eum ſuis a. cIↄ Iↄ x I V. criminantur Crame-

rus, & Schluſſelburgius. Denique meritò prædicandum celeberrimi viri Georgi Calixti, Theologi Helmſtadienſis; *Iudicium, de Controverſiis Theologicis, quæ inter Lutheranos & Reformatos agitantur. Et de mutuâ partium Fraternitate atque tolerantiâ, propter conſenſum in fundamentis.* Vna cum *Ejuſdem Deſiderio & Studio Concordiæ Eccleſiaſticæ*: Lugduni Batav. impreſſâ, anno præcedento cIↄ Iↄ l I. Iudicium terſum, prudens, ſanctum: cui, quod ad rei ſummam, totus, lubenſque accedo. Nam quamvis aliam ab eo tum in doctrinâ de Prædeſtinatione, tum de Cœnâ ſententiam amplectar, de cujus alterutrius veritate nec diſputat, neque contendendi ibi locus eſt, exiſtimo tamen, prout ab eo utraque ſententia, momentumque proponitur, benè tolerari utramque ſic invicem poſſe, ac debere, quomodo ubi Concordia inter partes vel habetur, vel conſulitur, expedire viſum fuerit. In tribus Calixtus diſſenſum noſtrum conſtituit, in articulo de Prædeſtinatione, de naturâ Chriſti, & S. Cœnâ, atque iſthic Vbiquitatem corporis Chriſti æque àc nos rejicit, hic vero, & illic ita nos à ſuâ ſententiâ diſcrepare ait, ut non malo animo, ſed ibi defendendæ luculentius divinæ gratiæ, hic oppugnandæ tanto acrius Miſſæ Papiſticæ cauſâ videamur ſibi in eam, quam tuemur, ire ſententiam: quare non de illâ re contendendum eſſe, in quâ abſque ſalutis periculo aut error aut ignorantia poſſit contingere, & quâ non obſtante inter Nos ea Eccleſiarum debeat eſſe & animorum convenientia, ut fraterno Nos amore mutuò & conſtanter complectamur. In quo ei accedimus, de illâ noſtrâ differentiâ, & momento ita judicanti. Quod ſi cum talibus, ac ille, hâc in re ſemper agendum, facilis foret conciliatio ac conſenſus.

Sed alii, & plures, ferme infinitas faciunt inter nos controverſias; qualis Henricus Eckhardus, in *Faſciculo Controverſiarum*, an calumniarum? eaſque, quæ ſunt, extendere malunt & augere, quam contrahere: qui animum

nimum

nimum ad diſputandum judicandumque adferunt vehementer exulceratum, neque aliquid norunt quam lædere. Atque hi plus nocent, quam alii proſint. Apud *Nos* nemo, quod ſciam, eſt, qui non cenſeat, negotium Sacramentarium, ex quo natum ſciſma fotumque, non eo trahi oportere, ut Eccleſias divellat. Quare pro pace aut retinenda, aut revocanda aſſidui Noſtrorum fuerunt & labores, & ſcripta. Sic ipſe ille Calvinus, cujus nomen tanto odio exagitant, judicavit. Quem in finem legatur vel ſolus ejus libellus, *de optimâ ineundæ concordiæ ratione, ſi extra contentionem quæratur veritas.* Ex quo ſi hæc perpenderimus, facile de ejus mente conſtare poterit: *Ne qua vel dubitatio vel ſuſpicio concordiam moretur & impediat, primo loco definiendum eſt de quibus rebus conveniat inter nos. Nam quæ initio certaminum maximè exaſperarunt utrinque animos, nunc ſunt extra controverſiam. Odioſiſſimum erat ab unâ parte jactari, alligari Spiritus gratiam externis elementis: ab alterâ modò nudas & inanes figuras & theatricis pompis ſimiles relinqui. Hæc contentio nunc ſublata eſt.* Deinde: *Quiſquis autem ſano rectoque judicio præditus, ſimul compoſitum affectum & ſedatum afferet, fatebitur ſolum de modo edendi eſſe certamen.* Pergit: *Hoc conſtituto, licebit admittere loquendi formas, in quibus nonnulli ob ambiguitatem ſunt perplexi. Sub pane vel cum pane nobis dari Chriſti corpus: quia non ſubſtantialis unio corruptibilis cibi cum Chriſti carne, ſed ſacramentalis notatur conjunctio. Hoc autem controverſia caret apud omnes pios, inſeparabile eſſe vinculum ſigni & rei ſignatæ in promiſſione ipsâ, quia Deus nihil fallaciter oſtentat, ſed figurat quod verè & re ipſa præſtat:* Demum ſubjungit: *Hæc ubi tranſacta fuerint, emergit adhuc dubitatio de voce ſubſtantiæ: cujus ſedandæ hæc videtur eſſe expedita ratio, ut craſſa imaginatio tollatur de manducatione carnis, ac ſi corporalibus cibis eſſet ſimilis, qui ore ſumti in ventre deſcendant. Nam ubi hæc abſurditas remota fuerit, non eſt cur negemus ſubſtantialiter nos*

paſci

paſci Chriſti carne, quia verè coaleſcimus cum ipſo in unum corpus per fidem, & ita unum cum ipſo efficimur. Quæ, & quam facilis, vel Calvino judice, & quam propinquus, in illis etiam verbis formuliſque de quibus maximè contenditur, conſenſus ſit, apparet. Quare etiam ſe haud mediocriter lætatum adjutumque conſenſu, licet nondum pleno ſolidoque, aliquali ſaltem Marpurgi ante inito, ſcribit Idem, ſtatim in principio *Secundæ Defenſionis de Sacramentis, adverſus VVeſtphalum.* His conſimilia Beza aliquoties propoſuit, in Colloquio Mompelgartenſi, a. cIɔ Iɔ lxxxvi. Vnde & Noſtri Lutheranos paſſim fratres in Chriſtò appellarunt: & colendam invicem fraternitatem ſuo exemplo monuerunt, quamvis non eâ, quâ oportuit, humanitate & amore ſemper excepti: ut in Colloquio Marpurgenſi, Mulbrunenſi, Mompelgartenſi, aliiſque patuit. Hic cum Beza in Colloquii exitu dixiſſet: *dolemus nos non conſentire. Cupimus tamen vobiſcum fraternitatem colere:* & ad dextram fraternitatis porrigendam paratum ſe oſtendiſſet; Iacobus Andreas excipere, ſe non fraternitatis, ſed quidem humanitatis dexteram ei porrecturum; abrupit Beza, dicens: *Quia dexteras fraternitatis nobis porrigere recuſatis, & nos pro fratribus agnoſcere non vultis; amicitiæ dexteras etiam nolo.* Et in Colloquio Mulbrunenſi, de Vbiquitate corporis Chriſti, inter Theologos Palatinos, & VVittembergicos a. cIɔ Iɔ lxxv. Noſtri illos paſſim Fratres nominarunt: illi vero, pro more, fraternitatem repudiarunt. Hocque ipſum, quæ nonnullorum eſt vecordia, exprobrare impotenter ſolent, quod ad pacem ita promti & alacres ſumus. Et Lantgravio Haſſiæ Mauritio a. cIɔ Iɔ c v. fraternitatis dexteram negabat Balthaſar Mentzerus: ut in Actis tumultuum Marpurgicorum iſtius anni eſt. In quibus neſcio majoremne noſtrorum liberalitatem admirer, an reliquorum inhumanitatem. Denique Scultetus à Theologis Tubingenſibus, poſtquam & comm. & per

teras iterum diu egerat de conciliandâ pace, a. cIↄ Iↄ è xvi. hoc reſponſi tandem retulit, *ſe in amicitiam politicam nos ſemper recepiſſe, recepturoſque deinceps; in Theologicam, hoc eſt, fraternitatem Chriſtianam nunquam.*

Concordiæ noſtræ nihil adeo objici poſſe videtur, quam famoſus liber Concordiæ a. cIↄ Iↄ lxxvii: à ſex Doctoribus Lutheranis cuſus, indeque omnibus obtruſus. Eo tamen etiam non obſtante Noſtri, videntes librum illum, hoc quidem animo fineque propoſitum ut Vbiquitatis commentum in canonem referret, ſed tamen eo loquendi modo prudenter uſos ejus Architectos ut non adeo aperte exprimerent, tum inter ipſos plurimos ſemper id nobiſcum repudiare, perrexerunt in ſuâ erga Lutheranos benevolentiâ, & fratres compellarunt, etiam in illâ Epiſtolâ paſſim, quam Belgicę Eccleſię a. cIↄIↄlxx ix. ad Sexum-viros Bergenſes miſerunt, apologeticam & expoſtulatoriam, inſcriptam *Honorandis in Chriſto fratribus &c.* Sic & præfatio nomine Eccleſiarum Gallicarum & Belgicarum pręmiſſa Syntagmati Confeſſionum a. cIↄ Iↄ lxxx i. quę etiam huic operi inſeruit ſimul Confeſſionem Auguſtanam, Saxonicam, & VVittembergenſem. Cujus rationem dat Pręfatio: *& qui longè diſcrepare putabantur (ut hactenus de nobis & fratribus Auguſtanæ confeſſionis propter privata nimium multorum ſcripta non prorſus immeritò inter judicatum eſt) ii ſi modò intra confeſſionum fines ſtetur, & abſit quidem omnis calumnia, & ſophiſtice, adſit verò & ſyncera & candida interpretatio, quam proximè in omnibus convenire exiſtimandi ſint. Atque hæc cauſa fuit cur Auguſtanam confeſſionem, unà etiam cum Saxonicâ & VVittembergenſi inſerere in hâc Harmoniâ voluerimus, ut faciliùs cognoſci poſſit, & nos cum illis in propriis quibuſque fidei capitibus conſentire, & quam pauciſſima ſupereſſe inter nos controverſa. Nam quod ad illam de Cœnâ Domini controverſiam attinet, in re, & de re ipſâ nulla pugna eſt, in adjunctis & circumſtantiis quibuſdam rei variamus.* Similiter *Admonitio Neoſta-*

diana, cap. XI. *&* XII. ubi *de verâ Chriſtianæ Concordiæ in Eccleſiis conſtituendæ ratione*. Vbiquitatis dogma non agnoverunt olim, neque adhuc agnoſcunt Theologi Helmſtadienſes. Quod apparuit in Conventu primum Quedelburgenſi, a. cIↄIↄlxxxIII. ubi Tilemannus Heshuſius, Daniel Hofmannus, aliique Ducis Brunſvicenſis, & Helmſtadienſium Concionatores aperte acriterque illi obloquuti fuerunt; neque intellexerunt eam doceri in libro Concordiæ, cujus hâc ſuper re verba, in articulo de Perſonâ Chriſti: *Quod autem Chriſtus omnipotentiâ ſuâ divinâ, corpore ſuo, quod collocavit ad dexteram majeſtatis & potentiæ Dei, præſens eſſe poſſit, ubicunque vult, præſertim in Sacrâ ſuâ Cœnâ, quo ſe in verbo ſuo alligavit, id facile omnipotentiâ ejus efficere poteſt, ſine abolitione vera ſua humana natura.* Quæ verba non docent actualem corporis Chriſti omnipræſentiam, neque ubicunque hoc eſſe, ſed ubicunque velit, eſſe. Quamvis primi argumenti ariete illâ quidem ſic concuti ſtatim poſſint, ut vel ad hoc, vel ad alia abſurda confugere neceſſe habeant. Dico enim, vel corpus Chriſti ubicunque vult, & in Cœnâ præſens erit, per temporaneum & tranſitorium deſcenſum; vel per continuam exiſtentiam. Non illud, quod Lutherus in litteris ad Helvetios exſerte negavit. Atque hoc ſi eſſet, jam vel in pluribus terræ locis Chriſti corpus continuo exiſteret, vel omnibus. Vtrum ſumatur, abſonum fuerit, & contrarium fidei, ac humanæ in Chriſto naturæ. Deinde adverſus Tubingenſes Theologos ſuper eâdem re diſputarunt Helmſtadienſes, edito a. cIↄ Iↄ lxxxv, ſcripto Apologetico Germanicè, adverſus calumniam, quâ accuſabantur als ſolten ſie von der approbierten formula Concordiæ abgefallen ſeyn / darumb das ſie die ungegrundte Vbiquitatem carnis Chriſti nicht billichen. Subſcribunt quidem formulæ Concordiæ; non tamen dogmati Vbiquitatis. Iidem & hodie Helmſtadienſes ſunt. Calixtus, in Iudicio ſuo, pag. 5. *infauſtum certamen*

de

de ubiquitate appellat, motum primò à Iacobo Fabro Stapulenſi; atque à Luthero quidem aliquando in fervore contentionis adverſus Zuinglium arreptum, ſed poſtea omiſſum; tandem à Iohanne Brentio, & Iacobo Andreâ tantis viribus reſuſcitatum, ut ſcribat, hunc poſteriorem, *nulli opera pepercisse, donec ubiquitatem aliis perſuaſiſſet, aliis obtruſiſſet. Neque tamen omnibus Auguſtanam confeſſionem amplexis, ſive ut vocant Lutheranis perſuadere eam potuit, non Danis, non Holſatis, non Norimbergenſibus, non Helmſtadienſibus, non aliis pluribus. Stat itaque ab ubiquitate hodie ſaltem aliqua pars eorum, qui Lutherani dicuntur; contra eam verò, quicquid reliquorum eſt Chriſtianorum, toto Orbe, tum Orientalium, tum Græcorum, tum Pontificiorum, tum Calvinianorum. Neque præter rem cenſeri poteſt quod ſcribit Vir magni Iudicii M. Anton. de Dominis lib. ſuo* VII. *C.* XI. *n.* 5. *Ubiquitatem corporis Chriſti adhuc magis, quam eſt tranſſubſtantiatio, abſurdam, magiſque impoſſibilem omnis bonus Theologus ſemper reſpuet: adſerere eam non eſt boni Philoſophi, neque boni Theologi.* Et quis non merito cohorreat ad tàm monſtroſam corporis Chriſti ubiquitatem; de quâ Brentius ad Heshuſium dixit, in Quedelburgenſi Colloquio: *Idem corpus Chriſti etiam Romæ & Athenis fuiſſe inviſibiliter eo tempore, quo Chriſtus in cruce pependit.* Hoc cœlum Brentianum, quod ſe non exſpectare, neque in eo ſuum πολίτευμα eſſe Petrus Martyr, in ſupremis conſtitutus, Bullingero reſpondit. Deque eâdem Ubiquitate alter ille ejus patronus Iacobus Andreas ad Lantgravium Haſſiæ Wilhelmum a. cIↃ IↃ lxxix. quum eum ad Libri Concordiæ ſubſcriptionem importunius ſollicitaret: *Chriſtus in adſcenſione ſuâ ne pilo quidem à terrâ receſſit.* Atque ipſe quoque Lutherus antea dixerat: *Corpus Chriſti eſſe in quovis etiam pane tabernæ piſtoriæ: & in fune ſive laqueo, quo Iudas ſe ſuſpenderit.* Quæ verba magno conatu defenſum it Leon. Hutterus, lib. *Concordia Concors. cap.* 1. Verba Pauli, *ut impleren-*

tur omnia, ſic explicuit Lutherus; quemadmodum ſaccus frumento impletur ac diſtenditur: Zuinglius, in Exegeſi *Eucharist. negot. pag.* 345. iterum *Apol. ad Lutheri Sermon. contra Swermeros, pag.* 372. *Tom.* II. Lubecenſes, in diſput. cum Mart. Micronio a. cIↃ IↃ LIV. dicebant, Chriſtum ita ubique exiſtere, ut ſit in omni gramine terræ. Verùm quia Vbiquitas illa non ab omnibus Lutheranis, uti audivimus, defenditur, Noſtri quoque, eâ miſsâ, inhærentes controverſiæ Sacramentariæ, hanc fraternè componendam ſemper exiſtimarunt. Quo faciunt plurima Noſtrorum *communia* ſcripta, & *privata*, vel à ſingularibus, vel communi aliquorum, ſeu Eccleſiarum, aut Academiarum nomine edita. Theologorum Heidelbergenſium lib: Treuhertzige Ermahnung, &c. Barth. Bythneri, nomine Eccleſiarum Polonicarum *Exhortatio.* Antonii Corrani, dicti Bellerive, Miniſtri Antverpienſis, a. cIↃ IↃ LXVII. epiſtola ad Socios Auguſtanæ Confeſſionis, in eâdem urbe: quam refert Borrius, in Annalibus Belgicis, *lib.* III. Hermanni Pacifici, revera Chriſtophori Herdeſtani, Vrbis Norimbergenſis ſyndici, *Simplex ac dilucida expoſitio, quâ ratione controverſia de Cœnâ Domini orta, facile cognoſci & componi poſſit*, anno cIↃ IↃ LXXVIII. Eraſmi Sabini Hohfneri *Lutheranorum & Calviniſtarum, id eſt, Eccleſiarum euangelicarum conſenſus in doctrinâ de Cœnâ, & perſonâ Chriſti*, Germanicè, a. cIↃ IↃ CVII. Davidis Paræi *Irenicum*, a. cIↃ IↃ CXV. qui ad hoc ſcribendum motus quodam libro Germanico, Motiven und urſachen / *Rationes propter quas Principes Lutherani cum Calviniſtis in negotio Religionis contra Papiſtas ſimul ſtare nec poſſint, nec debeant.* uti colligere eſt ex libri capite XXIX. quas Motivas omnes ex profeſſo refutat. Et quamvis acerbe ejus Irenicum Hutterus exagitarit, non tamen par pari retulit Paræus, ſed modeſtiâ & charitate alterius malam vicit intemperiem, oſtendens quod ſemel dixerat, atque in brevibus adverſus

Hut-

Hutterum *Notis* ſtatim initio repetit, nolle ſe, ut Irenicum ſuum fieret polemicum. A. CIↃ IↃ XXXI. à III. Martii ad XXIII. Lipſiæ, in Conventu Electorum & Principum Proteſtantium Germaniæ, colloquuti inter ſe diebus aliquot fuerunt, ſuo tantum nomine, & ſine cujuſquam, de quo in exordio & fine Colloquii utrimque ſolemniter proteſtati, præjudicio, tres à Noſtrâ, & totidem ab alià parte Theologi. Hinc Matthias Hoë, Polycarpus Lyſerus, Henricus Hoffner: à noſtrà parte, Iohannes Bergius, Iohannes Crocius, Theophilus Neoburgus. Egerunt de omnibus Auguſtanæ Confeſſionis articulis ordine, quibus Noſtri ſubſcripturos ſe offerebant; atque ad decimum articulum de Cœnâ, quæſtionem de modo communicationis ſuſpenſam reliquerunt; quomodo olim in Colloquio Marpurgenſi. In reliquis etiam parum diſcrepabant. Præmittebatur hoc ceu tentamen majoris & generalis Concordiæ inſtituendæ; ad quam tempora, & Conventus iſte videbantur invitare. Sequuta variorum hinc inde, qua Theologorum, qua Politicorum ſtudia & conſilia in eandem rem, procurante hæc cum primis & promovente Ioh. Duræo Scoto-Britanno. Qui conquiſitis judiciis Theologorum Anglorum, interque eos Davenantii, Mortoni, Halli, a. CIↃ IↃ CXXIV. quæ ſimul edita; promoventibus negotium Archiepiſcopis Cantuarienſibus, Abbото primum, deinde Laudo; habitis etiam Theologorum Gallorum, Tranſylvanorum, Belgarum judiciis, Scotorum quoque; (quorum judicium inſeruit *Inſtructionibus Hiſtorico-Theologicis lib.* XIV. *cap.* VII. Ioh. Forbeſius, tum temporis in Abredonienſi Academiâ Theol. Profeſſor) apud Germanos, & Suecos indefeſſam poſuit operam, ad negotium ſyncretiſmi, in Colloquio Lipſiaco inchoati; promovendum, perficiendumque: ad quod quum Noſtri ſe promptos, politici & Principes inter Lutheranos non alienos oſtenderent, horum Theologi (neque tamen id de omnibus dictum) primò re-

remoram & obſtacula ſuggerere, inde totum negotium abrumpere & diſſipare annisi ſunt, protruſo à VVittembergenſi Theologo Hulſemanno ferali libro, *Calviniſmi irreconciliabilis*: quo cluſerunt ſuorum Noſtrorumque vota & labores pro faciendâ Eccleſiarum unione, non omnino abſque fructu jam aliquo uſque producta. Quibus, a. cIↄ Iↄ c xl i. menſe Ianuario *Epiſtolicam Diſſertationem*, quâ eos ſciſmatis continuati inter Proteſtantes merito reos agit, Duræus oppoſuit. Idem Hulſemannus eſt, qui in Colloquio nupero Torunenſi, a, Iↄ Iↄ c xlv. poſtquam ſeſſ. v. hæc Manifeſtatio à Reformatis facta fuiſſet: *Quod in hoc Colloquio, alii Catholici Romani, alii Auguſtani, alii verò Reformati dicantur, id nulli parti quidquam præjudicare, neque ita accipi debet, quaſi Auguſtani & Reformati non eſſent membra Eccleſiæ Catholicæ, vel quaſi Auguſtani non eſſent Reformati, vel Reformati non eſſent Auguſtanæ Confeſſionis Socii, ſed hæ partium appellationes diſcriminis ergo in hoc Colloquio adhibebuntur*: turbas omnibus movit, & ſeſſ. v i i i. ſolemniter reproteſtatus eſt contra prædictam D D. Reformatorum Manifeſtationem, poſtquam intellexit eam „in Acta relatam eſſe: ſe non permittere communio„nem Auguſtanæ Confeſſionis ſociorum D D. Refor„matis, quoad communionem dogmatum. Atque ita ſemper homines illi vel tentatis vel initis Conſenſionis viis ſe impotenter oppoſuere, & intermiſſæ, vel ruptæ Concordiæ primi ubique extiterunt auctores. *De ſyncretiſmo putatio Lipſiæ inito* ſcribit Michael VValtherus, in Centuria Miſcellan. Theol. cap. xx. Conſenſum Marpurgenſem primus violavit Lutherus, a. cIↄ Iↄxxx i i. edita *ad Marchionem Brandeburgenſem epiſtolâ*, quâ in Zuinglianos, ut Sacramentarios, hæreticos, & fanaticos invehitur: ſimiliter anno ſequente, ad Francofurtenſes. Hic quoque VVittembergenſem Concordiam fregit, a. cIↄ Iↄ xxx ix. priſtinâ acerbitate uſus adverſus Zuinglium, & Tigurinos, in libro *de Conciliis*. Melantho-

lanthonem improbe vexarunt, ac tantum non in exilium egerunt ſui VVittembergenſes. Adverſus Paulum Eberum, qui in libro, *Pia & in verbo Dei fundata aſſertio de Cœnâ Domini*, abhorrere ſe dicit *ab illâ quorundam vehementiâ, qui ita præſentiam corporis Chriſti in cœnâ defendunt, ut prorſus ab Eccleſia & fidei univerſæ conſortio excludant omnes, qui non eodem modo, ficut ipſi conſueverunt, de præſentiâ corporis Chriſti in Cœnâ ſentire, & loqui didicerunt*: clamarunt mox a. CIↃ IↃ lxv. Miniſtri Comitatus Mansfeldenſis; & acerbe eum inſectati fuerunt. Contra Sendomirienſem Conſenſum vociferati ſtatim ſunt Vilnenſes Lutherani: adverſus nuperos tractatus & negotia, VVittembergenſes: atque, ut de Colloquio Lipſienſi loquitur Joh. Micrælius, in Syntagm. Hiſtor. pag. 487. *nihil aliud poſtea effectum eſt, quam ut D. Hoë & D. Bergius ſcriptis ſe invicem laceſſerent: Et quanquam aliis viſum eſt, illa religionis capita, in quibus utriuſque partis Theologi conſentiunt, abunde ſufficere, tùm ad ſalutem hominis Chriſtiani, tùm ad ſolidiorem pacem in Eccleſiis Dei ſtabiliendam, non tamen ſine causâ alii verentur, niſi Deus ipſe animos diſſidentium, & quidem in fundamentalibus fidei articulis, in viâ veritatis conſolidet, ne fruſtra ſit omnis conatus, quem præter Lipſiacos Ioh. Duræus hactenus magno ſtudio adhibuit, ut capita illa controverſiarum & reliqua obſtacula inter noſtrates & Calvinianos tollantur, quæ obſtare videntur, quò minus in unum Eccleſiæ corpus coaleſcamus.* Id eſt, nulla nobis cum illis concordia ſperanda, niſi illorum accipiamus opiniones: ſalvis ſententiis nihil expectandum. Ita ſemper impedire ac rumpere Concordiam ſategerunt inquieti & rixoſi homines: quod adeo non diffitentur, ut gloriæ ducant. Certe non Chriſtianorum, vel Dei filiorum, aut Theologorum gloriâ. Sed adeo quidem à viis pacis, id eſt, optimis quibuſque abſunt, & horrent. Hinc Eckhardus, ante *Faſciculum* ſuarum *Controverſiarum*, ubi tum *præſtigiatores Calviniſtas*, tum *fanaticos & verſipelles impoſto-*

paſtores appellat, in primâ Præfatione ad Georgium Saxoniæ Ducem, de nobis inquit: *Quinto denique negantur diſſidere ſe à nobis non in fundamento Religionis, ſed in rebus levioribus, quæ parum habeant momenti: nec de quæſtionibus numero multis, ſed pauciſſimis controverſiam eſſe, de quibus citra fidei naufragium & pacis atque fraternitatis jacturam diſſenſio eſſe queat.* Deinde: *Ex articulis enim cardinalibus & fundamentalibus, ne unum quidem Theologia Calviniſtica inviolatum nobis relinquit.* Et in alterâ Præfatione, ad Saxoniæ Electorem, Chriſtianum II. eadem veſaniâ, & vertigine correptus: *cùm tam inter ſummum cælum & imam terram tanta non ſit diſtantia, quanta inter Auguſtanam Confeſſionem & Calviniſtarum ἑτεροδιδασκαλίας, nec magis inter Calviniſtas & Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, quàm inter Chriſtum & Belial, fraternitas iniri aut conjunctio fieri queat.* Poſtea etiam: *In articulis profectò non paucis neque levibus diſcrepantia ſumma eſt: nec magis, quàm inter lucem & tenebras conciliatio tentari poteſt.* Quid agas iſtis hominibus, vel quam hic mediteris conſenſionem? Integrum, & ſatis ſpiſſum librum ſcripſit Nicolaus Hunnius, *de fundamentali diſſenſu doctrinæ Euangelicæ Lutheranæ, & Calvinianæ ſeu Reformatæ.* Confer Philippi Nicolai præfat. ad libros ſuos *de Omnipræſentiâ Chriſti.* Feurbornii Dedicat: ad tractatum, *de Peccato in Spiritum S.* VVittembergenſes adverſus Palatinorum Treuhertzige Ermahnung/ *p.* 27. Hutterum; & Sigwartum, contra Irenicum Parei. Hunc præſertim *lib.* I. *c.* I. & *lib.* II. *c.* I. II. modeſtior tamen diſputat Huttero. Friderico Balduino VVittembergenſi Theologo haud ſatis fuit diſputationes conſcribere, eaſque ſatis prolixas, *de Eucharistiâ Calvinianorum*; *de Baptiſmo Calvinianorum*; niſi etiam *de Chriſto Calvinianorum*, quaſi videlicet alium nos Chriſtum habeamus, diſputaſſet. VVeberi, contra quem diſputat Ioh. Lampadius, in Prodromo Concordiæ Euangelicæ, hoc erat argumentum; *inter quos Chriſtus eſt diviſus,*

illi non poſſunt eſſe ejuſdem doctrinæ fratres. Atqui inter Lutheranos & Calvinianos Chriſtus eſt diviſus. Ergo. Michael VValtherus, in Centuriâ Miſcellaneorum Theologicorum, XXXVIII. pag. 370. *Quæſitum fuit à Paſtore quodam in Belgio; Num Calviniani verum habeant Cœnæ Sacramentum? Reſpondi, minime gentium.* Conradus Schluſſelburgius, in epiſtolâ ad Pelargum, cujus ſupra meminimus, eum non modo *apoſtatam* vocat, ſed *Calvinianos blaſphemos, Sacramentarios, Scripturæ Sacræ falſarios, & hæreticos manifeſtos, ipſius Cacodæmonis miniſtros, errores blaſpemos* tueri, *de nullo fere Chriſtianæ articulo doctrinæ recte ſentire & docere.* Berengarium Calviniſtarum in Galliâ patronum, quamvis errorem revocarit, tamen *cum ſuâ æternâ damnatione expertum* veritatem; *mærore animi* hunc, & Œcolampadium extinctum: quorum exemplo etiam Pelargus, ſiquidem in apoſtaſiâ permanſerit, *ſecundum Dei juſtum judicium* ſit *æternum* periturus; quare ut eum Deus *in apoſtaſiâ ſuâ perſeverantem evertat & confundat*, precatur: a ſe verò *Calvinianos perfecto odio tanquam hæreticos, ſecundum Dei mandatum proſequi*, ſcribit. Quis non immani aliquo dæmone poſſeſſum hominem, talia evomentem, putet? Hoccine Chriſtianum, vel Euangelicum eſt, deflectentem aliquem à Lutheranis ad nos, tantis odiis proſequi, atque æterno devovere exitio? ſit Lutheranum, certe non eſt Theologicum, niſi odii iſtius, quod proverbio locum dedit, Theologici. Quid dicam blaſphemum librum Zachæi Fabri, Germanicè ſcriptum, Beweis das die Calviniſche lehr ärger ſey als die Papiſtiſche / *Calviniſtarum multorum religionem multò deteriorem eſſe Papiſticâ*: ubi in genere de Calviniſtis non modò hoc ſatagit probare; ſed & pejores illos eſſe ipſis, qui Chriſtum crucifixerunt *pag.* 60. Ethnicis, *pag.* 89. 118. Turcis *pag.* 124. quin etiam Diabolo, ſcribit *pag.* 126. quod *pag.* 128. multis ſupra ducenta ac trecenta argumentis ſe probaturum mentitur, nempe Calviniſtarum do-

doctrinam pejorem & damnabiliorem eſſe ipſo Diabolo; quare multis anathematiſmis execrandam *pag.* 80. neque in imperio tolerandam, *pag.* 115. Iohannes Affelmannus, Profeſſ. Roſtochienſis, ſcripſit Diſputationem, *Trias Syllogiſmorum Anti-Calviniſticorum*, ubi hunc primum facit ſyllogiſmum, *Deus Calviniſtarum*, *eſt* 1. *Auctor & cauſa peccatorum.* 2. *Vere peccans.* 3. *Et magis quidem quam homo.* 4. *Eſt hypocrita, & deluſor peſſimus.* 5. *Eſt iniquiſſimus & injuſtiſſimus.* 6. *Eſt Diabolus, imo* 7. *Diabolo deterior.* Et ejuſdem diſp. ſyllogiſmo tertio: *quorum Doctorum tanta eſt prophanitas, & abominatio, ut fidem Chriſtianam ſimpliciter tollant è medio, & quemlibet in ſuâ religione ſalvari poſſe credant, aut certum eſt, eos ſerio religionem non agere ſerio, ſed religione ludere, ut teſſeris. At Doctorum Calvinianorum tanta eſt prophanitas, impietas, & abominatio. Ergo.* Ad quæ quis non totus contremiſcat? Et hæc probat, ſequiturque Abrahamus Calovius, in Epiſt. Dedic. ad Criticum ſacrum, in Confeſſ. Auguſtanam: ubi totis viribus ſe opponit concordiæ Eccleſiaſticæ, ejuſque promotoribus, Crocio & Duræo, variiſque argumentis apud Sueciæ Reginam & Proceres, oſtendere conatur, inter Lutheranos & Nos diſſenſiones eſſe de fide, non leves, ſed præcipuas & fundamentales, in decem articulis nos diſcrepare ab Auguſtanâ Confeſſione, & in controverſiis pluſquam triginta graviſſimis δὶς διὰ πασῶν diſſidere: quare & conſilium unionis pacificæ inter Eccleſias & Confeſſiones hinc inde, verbo Dei è diametro adverſari, Samaritaniſmum ſapere, à pietate eſſe alienum, carnale, ſubdolum, ſcandaloſum & periculoſiſſimum. I nunc, & cum talibus hominibus pacem expete, vel iis laborioſe offer, quam præfracte nolunt, deteſtantur, oppugnant. Quid ſimilis notæ libros recenſebo, ſolis titulis horrendos? *Calvinianorum Neſtorianiſmus. Calvinus Iudaizans. Calvino-Papiſmus.* Vom newen Godt der Calviniſten. Et ſi qui ſimilis διαβολὰς plures

res. Hæc jam olim Melanthon vidit, & ingemuit. In epiſtolâ ad Vitum Theodorum, a. CIↃ IↃ XLIII. *An me magno ſine dolore noſtros audire putas, qui interdum nihilo mitius de Eccleſiis Rhenanis loquuntur, quam de Turcis? Te quoque interdum doleo, horridius loqui.* nedum ut nos deteriores habeant Pontificiis. Lucas Oſiander F. in Concluſione Enchiridii Controverſ. cum Calvinianis, pag. 294. *Romanus equidem Antichriſtus Eccleſiæ faciem miſere deformavit: non autem meliorem ſe gerit ſpiritus Calviniſticus, & in quibuſdam etiam Papam ſuperat.* Similiter Matthias Hoe, in epiſt. ad Comitem Ioach. Andream Schlick, ſcriptâ a. CIↃ IↃ CXIX. die XXIII. Auguſti, poſtèaque editâ: Nos orientalem Antichriſtum appellat, atque componit cum occidentali, ut non multo meliorem. Hoc jam ipſis Pontificiis obſervatum, nos præ ipſis, Lutheranis exoſos eſſe. Famianus Strada Decad. I. Belli Belgici, lib. VI. ad annum CIↃ IↃ LXVII. *Lutherani enim odio Calvinianorum, à quibus longe acrius quam à Catholicis diſſidebant, non ea ſane cura tangebantur.* Loquitur de Lutheranis Antverpiæ cladem noſtrorum ſub Domino Tholoſio, haud procul ab urbe, non ſolum placide ſpectantibus, ſed & adverſum Noſtros ſe cum Pontificiis Hiſpaniſque conjungentibus. Neque certe uſquequaque fidos illos Noſtri ſenſere. Quod ſupra *lib.* IV. *pag.* 271. de Cardinalis Lotharingi rationario adduximus ex Zanchio, hujus quoque loci eſt, ut debite perpendatur. Quid, annon ad eam uſque rabiem nonnullos illorum abreptos novimus, ut Martyres noſtros, quorum tum temporis magnus ubique numerus erat, palam dicere auderent, Diaboli eſſe Martyres? Melanthon, a. CIↃ IↃ LVIII. epiſt. ad Ioach. Camerarium: *Optat Princeps communne multarum gentium colloquium. Mihi videtur rectè hoc ſcribi, ne videamur fremitus litteris Balthi probare, ubi vociferantur quidam, martyres Anglicos eſſe martyres diaboli. Nolim hac contumeliâ afficere Spiritum ſanctum, in Latimero, qui annum*

octo-

octogeſimum egreſſus fuit, *& in aliis ſanctis viris*, *quos no-vi.* Ioach. VVeſtphalus illud ſcripſit, in libro contra Joh. à Laſco; quem Senatui Francofurtanæ urbis, ubi Laſcus erat, & poteſtatem erigendæ exulum peregrinorum, præſertim Belgarum Eccleſiæ, cui & Dathenus præfuit, acceperat, inſcripſit: eos, qui pro aſſerenda veritate, & gloria Dei ſuum ſanguinem effudiſſent in Anglia, Belgio, Gallia, & alibi, eſſe Martyres Diaboli. Scilicet tantum religio potuit ſuadere malorum. Eant qui cum talibus furiis pacem expetunt; aut fraternam communionem, qui Spiritui ſancto tam manifeſte obloquuntur, & Martyres, quos Deus accepit, Eccleſia honorat, ipſique perſequutores venerati fuere, Diabolo aſſignant. Peſſimum hominum genus, non dicam Chriſtianorum, qui otio luxuque diffluentes, hinc in contentiones faſtumque proni, eos qui ſalutari cruce & perſequutionibus graviſſimis exercentur, quique morte quvis crudeliſſima veritatis ac conſcientiæ puritatem rediment, contemnunt, conviciantur, damnant. Quod nos docet, in agitandis ſyncretiſmi conſiliis caute prudenterque verſari, & imprimis videre, quibuſcum illa tractemus. Sed omnino ſtratagema Diaboli notandum, quod iſtis Lutheranorum adverſum Nos odiis, atque horrendis criminationibus ſubeſt, ut ſciamus ex qua cauſa hæc emanent. Eſt autem hoc, quod ſentientes doctrinæ noſtræ & veritatis vim adverſus cruda ſua dogmata, putant, niſi ſuos homines validis vociferationibus, calumniis & diris à nobis abſterreant, facile doctrinam noſtram admiſſuros eſſe, unde, ne hoc eveniat, iſta methodo agendum ſibi cenſent; ſed quam norint à Pontificiis mutuatam, eoque vel ſolo nomine debere omnibus eſſe exoſam.

Ego verò in negotio ſyncretiſmi ſuſpenſo pede verſandum exiſtimo, & quædam hic ante omnia *prænotanda*, & diſtincte conſideranda eſſe, tum videndum, quid *agi*, quo *modo*, quibuſque *conditionibus* oporteat.

At-

Atque ut à poſtremo exordiar, præmitto. 1. De *ſyncretiſmo* hic cogitari, id eſt, partium adverſarum & amicitiæ reconciliatione, ac reductione in mutuam conjunctionem, & communionem aliqualem, non in plenam unionem, vel in unius ſententiæ, aut corporis Eccleſiaſtici conſenſum: tantùm de duarum, diſtinctarum, & diverſarum Eccleſiarum conſociatione, manente utrimque ſuâ doctrinæ & rituum quorundam nonnullâ diſcrepantiâ, ſed quæ nec ſalutis, nec religionis, nec communionis fraternæ inter utramque Eccleſiam, cætera orthodoxam, fundamentum videatur tollere. Atque hâc ratione intelligendum quidquid de unione, conſenſu, aut concordiâ ineundâ dicitur, ſcilicet non de totali & omni, qualis eſt concedentium in unam ſententiam, & ejuſdem corporis communionem, quæ hic vix ſperanda, ſed partiali, & quæ ſecundum quid, qualis duorum in idem fœdus, pacta, leges, conciliationis eſt concurſus & συγκαλύψεως. Plus etiam, quam de *tolerantiâ* hic agitur, quâ miſſis convitiis, inſectationibus, damnationibus, addendum & perſequutionibus, ſe ferant invicem: nam hoc retrogredi eſſet, ſi id nunc demum in conſiliorum partem veniret, ut nos hoc pacto tolerarent, qui nunquam aliter à nobis toleratos ſe dicere poſſunt. Verùm ultra iſta dudum progreſſum, initaque mutua concordia & fraternitas; huic ſuperſtruendum, non retrocedendum, ſed promovendum opus illud eſt & confirmandum, ſi quid ultra curandum ſit. In illiuſmodi tolerantiam concedendum facile dicent omnes, ii etiam qui eam minus ſervant, & abſtinendum à calumniis & contentionibus clamabunt quoque rixoſiſſimi, & maledicentiſſimi hominum. Sed quemadmodum in diſputationibus, improbatur ſi ad priora relabamur themata, progrediendum, & ubi ſtetit promovendum ultra negotium eſt: ita in diſſidio Eccleſiarum videndum, quouſque res productæ unquam fuerint (ad quod nos juvat hiſtoria, abſque quâ

nihil

nihil hic agitur), & hic aut in quo hæſerit videndum, ſin minus ictus conſenſus, aut ſi non confirmatus, conſervatus, promotus receptuſque, in eo laborandum, ut quod bene cœptum perficiatur. Poſtremum & ſummum, ad quod Concordia noſtra producta fuit, cenſeo fuiſſe Conſenſum Sendominienſem, tam quoad ipſam Conſenſionem, quam ejus modum & leges; reſtat modo hoc ut ſervatum fuiſſet, promotumque. Ego in hoc annitendum arbitror, ut illud repetatur, perficiatur, & omnibus perſuadeatur, ſi quid in hoc opere agendum putemus. Tum multas in conſultando difficultates tollit exemplum, ſi ei ſuperædifices, potius quam ut novas operi leges & regulas mediteris. Diſtinguenda etiam bene, *materia*, *perſona*, *locus*, *tempus* ſyncretiſmi. Ne ſuper quâvis materiâ, vel articulo; neve cum quocunque homine ineatur: tùm etiam multum facit ratio loci, ubi; denique & quando inſtituendus. *Materiam* ſyncretiſmi nolo extendi ad *quavis*, & quæcunque altera pars de novo poſſit iterum atque iterum in controverſiam vocare: quid ſi damnatas hæreſes, alioſve errores paulatim adoptet, ac ſequatur? vel pruriat indies novas contentiones, malitque ſerere eas & fovere, quam cavere aut evellere? Materia diſſenſus jam non alia facienda eſt, quam quæ ab initio fuit, inter Lutherum, ac Noſtros; & de quâ in Colloquiis, & formando conſenſu olim laboratum; vel quæ ex mutuis Confeſſionibus peti monſtrarique poteſt. De hâc videndum ut conveniatur, vel in certas leges tolerantia ac fraternitas conſtituatur, aut potius quæ aliquoties ante facta, ut novo parcamus labori ac certaminibus, retineatur. Adeo parum, vel nihil operis eſt in re, totum ferè in affectibus & hominum animis temperandis ac movendis in mutuam convenientiam. Icto in præcipuo, ſaltem primo controverſiæ capite, fœdere, in reliquis facilius pergetur, quum illud turbarum initium fuerit, & deinceps ſemper

per ceu feralis tæda à rixoſis arrepta ſit ad accendendos omnium animos prætenſum vulgo à rixoſis, ne paci videretur locus eſſe. III. Magis adhuc *perſonas* diſtinguo, in *moderatos*, pios, pacificos, prudentes; & *contentioſos* alios, turbulentos *αὐθάδεις*: neque enim promiſcue omnibus pacem offero, vel cum quibuſcunque eam aut agito, aut cupio. Sunt qui pacem pervicaciter repudiant, jurati ejus hoſtes, clamatores contra eam & ejus ſtudioſos validi, nihil prius habentes quam Nos, & doctrinam, & Eccleſiam, adde Martyres ſanctiſſimos damnare, quibuſcunque calumniis & convitiis onerare, pro hæreticis, & quodcunque illis pejus dici poteſt, traducere, id eſt, quorum unicum ſtudium eſt contendere, dominari, damnare: cum his uti pacem inire *ἀδύνατον*, ita & de pace loqui, fruſtaneum arbitror. Verùm quibus alia ſedet mens, & ſpiritus pacis ac concordiæ molliora & meliora ſuggerit conſilia, quamvis inter ſuos numero adeo exiguo, ut fermè digitis computari queant (quales habeo Melanthonem, Paulum Eberum, *Melanthonis repertorium* ſuo tempore dictum, Palladium, Pelargum, Donawerum, Calixtum &c.) cum iſtis (dico) tam facile nobis conveniet, ut cum aliis nunquam. Unde ſimul apparet, quam difficile ſit ſyncretiſmi opus, quam inconſtans, tenueque, cum aliquibus eorum, longe pauciſſimis, & à dominante turbâ oppreſſis, vel initum, vel repetendum, quouſque non aut à meliori parte major, aut Principum & Magiſtratus authoritate, qui præ Eccleſiaſticis ſuis ſapiant, aut denique à populo germanæ probitati dedito (niſi hi & illi à Miniſtris ſubjugentur & rapiantur) reliquorum intemperies debito modo coërceatur, & emendetur. Namque moderatiores illos alii pro ſciſmaticis nunc habent. Ut videlicet ſciſma eos potius novum molituros à ſanioribus illis, quam ſyncretiſmum nobiſcum permiſſuros, ſciamus. Calovius, in Synopſi Controverſiarum, non ſatis habet in fronte Calixtinos, poſt Calvinianos, conſtituere

ſtituere, nempe Synopſin dicit Controverſiarum potiorum, quæ Eccleſiæ Chriſti *cum hæreticis & ſciſmaticis modernis; Socinianis, Anabaptiſtis, VVeigelianis, Remonſtrantibus, Pontificiis, Calvinianis, Calixtinis, aliiſque intercedunt:* verùm & præfationem prolixam adverſus Calixtum inſtituit, quâ ei exprobat ſciſma, hæreſim, apoſtaſiam, Samaritaniſmum, atheiſmum, & quid non? ut animum à ſuis æque, ac noſtris, & expetitâ toties Eccleſiarum unione abhorrentem, cognoſcamus. IV. Quare neque aut omnibus ſine diſcrimine, aut aliis quam qui ſe intrametam doctrinæ Lutheri, & Auguſtanæ Confeſſionis; tum juxta regulas charitatis habituros oſtendunt, neque *prodige* offerendam fraternitatem, præſertim poſt toties eluſam noſtram benevolentiam, & obfirmatos inde obſtinatius Adverſariorum animos, neque nimis *ambiendam*, nedum *extorquendam*, exiſtimo. Pacis negotia ab utrâque parte expetenda, & pari paſſu proſequenda ſunt; ſi integram velis & ſolidam, non coactam, non fucatam, aut damnoſam. Nimiâ indulgentiâ ſæpe nimium peccatur, & non probanda bonitas quæ cum detrimento ſui in indignos erogat, quibus contra auctores ipſos fœde abutuntur. Nempe hoc etiam eſt, ſanctum canibus dare, & margaritas coram porcis projicere: quod contra Chriſti præceptum, Matth. VII. 6. *Videndum eſt enim primum ne obſit benignitas*, inquit in Officiis, Cicero. Noſtri, vereor, ne erga Lutheranos paſſim fuerint æquo benigniores, atque indulgentiores. Quid effecit tandem ſuo tanto Concordiæ ambitu Bucerus, quam ut illis convitiandi, noſtris amittendi plurimas Eccleſias & Scholas, ſuamque ipſius) Argentinam, fecerit anſam? Neque noſtris probata per omnia illius lenitas fuit, & quibus immoderatius ſtudebat, Compoſitiones. Scultetus ad A. CIƆ IƆ XXX. pag. 292. *Et ſane negari non poteſt, Capitonem & Bucerum, qui jam tum nil niſi concordiam cum Luthero meditabantur, uſque adeo ambiguis*

biguis de Cænâ Domini phraſibus in Confeſsione illâ loquitur de Confeſſione quatuor Civitatum in Comitiis Auguſtanis oblatâ,*uſos fuiſſe:ut & in Helveticam,& in Saxonicam trahi illæ ſententiæ poſſint: magno Eccleſiarum illarum, Argentinenſis imprimis,malo.* Quouſque ſe adeo averſos & paci adverſos gerunt Lutherani, neſcio quo fructu pax iis identidem offeratur. Satis eſt Deo probari & hominibus,per nos non ſtare quo minus Eccleſiæ ſocientur, & ita nos ſtatuere, quod illorum huc deceat æque promtos eſſe animos atque noſtros: de cætero ſi diſcordias malint, Deo committenda cauſa, cui nihilominus placebit pacis noſtrum ſtudium,quamvis irritum, & quod iteratis obteſtationibus, & priores illis fraternitatem obtulimus, vel ſaltem commendavimus, ad ejus exemplum, qui prior dilexit nos. 1 Joann. IV. 19. Digna cenſeo VVolfgangi Muſculi verba in epiſtolâ ad Bucerum, quæ ex autographo exhibet Scultetus, ad a. CIↃ IↃXXXIII. poſtquam Lutherus emiſiſſet epiſtolam ad Senatum Francofurtenſem, in quâ Zuinglianos archidiabolos appellarat,& è ſuggeſtu repellendos, atque ditione ejiciendos dixerat, ut & hic legantur: *Hoccine ſcilicet ſilentio fovenda erat multis jam bonis deſiderata illa concordia, quam tu annos aliquot tanto labore tam fideliter parturis? Annon tandem experimur, quàm ſit arduum convenire cum eo, qui noſtram concordiam angue pejus odit, quique univerſo cupit orbi teſtatum, ſibi cum nemine minus quàm nobis, cum peſſimis videlicet hæreticis, eſſe concordia? Quid quæſo cum hoc homine facies quem quo magis ames & colas, eo majoribus videas furiis agitari? Ego mi Bucere, nihil puto nobis aliud agendum, quam, ut cum ſummâ patientiâ præſtolemur æquam divini judicii lancem, quæ procul dubio palàm faciet propediem, utra pars Chriſtianæ modeſtiæ propius acceſſerit.* V. Quod dixi, habendam quoque *loci*, & *temporis* rationem, id prudentiæ eſt accurate diſpicere, quid loca ferant, & tempora. Nam ſubinde excitaveris crabrones intempeſtivâ, quamvis dulci-

compellatione, & magnum malum tum tibi creaveris, tum aliis: abſque quo non negligenda mollia fandi tempora. Aliis locis, atque alio tempore duriores ſunt Adverſarii, jam, vel tum; iterum ad pacis conſilia nunc aut poſtea magis vel minus propenſi. Captanda hæc ſæpe magis, quam quærenda: Quod denuo, quam difficile hoc negotium ſit, ubi promiſcue & univerſaliter proponitur cum omnibus agitandum, evincit. VI. Neque adeo probo, ut multa Noſtri ſcribant *Irenica*, vel huc facientes tractatus. Non quod ſyncretiſmum improbem, aut promotum nolim, neutiquam ſane: ſed tum quia hoc nimis quam notum adverſariis, certumque omnibus, pacem nos ſuadere, adeo ut hinc opprobrii in nos cauſam vulgò ſumant; tum quod ſcriptionum hujuſmodi ſatis extet, ſive rationes adferas ad movendos animos; ſive modum præſcribas quo poſſit aut debeat iniri ſyncretiſmus, extra Colloquium, vel poſt tot jam habita hujus argumenti eaque varia, ut vana fere omnis videatur hic poni opera. Sin ſimpliciter commendandam pacem, & pacifica conſilia exiſtimes, habemus Irenicum Franc. Iunii, Oper. Tom. I. inſcriptum Mauritio, Haſſiæ Lantgravio, in Pſal. CXXII. de modo pacis, & Pſalm. CXXXIII. de illius fructu. Ne Andreæ VVilleti Meditationes dicam, in eundem Pſalm. CXXII. vel Eraſmi in Pſalm. LXXXIII. *de amabili Eccleſiæ concordiâ:* Sin Irenicum in ſpecie cum Lutheranis, extat Paræi illud, continens fere omnia ad hanc rem ſpectantia, ſeu Theologica, ſeu hiſtorica: ne & alios nominem. Præterquam quod in iſtiuſmodi ſcriptis ex nimio concordiæ ſtudio ſæpius contingat Auctores plura quam æquum ſit Adverſariis largiri, & cum diſpendio veritatis charitati incumbere, vel cogitare magis de aliis Eccleſiis, quàm ſuis, & captando aliorum gratiam, domeſticam floccifacere, aut amittere. Quum Argentinenſes Theologi Eraſmi libellum *de amabili Eccleſiæ concordiâ*, in Germanicam Linguam transfudiſſent, exemplariaque ejus per Germaniam

niam ſparſa eſſent, ægerrime tulit VVolfgangus Muſculus, qui propterea ad Bucerum, in hæc verba ſcripſit: *Diſplicet omnino inſtitutum hoc veſtrum.* Et, *anxiè timeo ne nimiâ concordiæ meditatione prolabamini, ut veritati agnitæ, prædicatæ, publicatæ, inculcatæ non admodum probè ſitis conſulturi: id quod Dominus avertat.* Tum: *Ex corde loquor, quia ſcio cui loquar: Maledicta ſit ea concordia, quæ non niſi veritatis & regni Chriſti præjudicio damnoque ſtatui poteſt. Sanctè beatus Oecolampadius in diſputatione Bergenſi admonuit, videndum, ut magis ſimus in Electorum Chriſti Eccleſiâ, quam ille tandem agniturus eſt, quàm in eâ, ubi ſalvâ conſcientiâ conſiſti non poterit.* Denique in hæc deſinit verba: *vellem tandem hujuſmodi libellis finem fieri.* Atque ad Bucerum Idem antea, quando illius inſtinctu Argentinenſes aliæque civitates Suevicæ ſubſcripſiſſent Confeſſioni Auguſtanæ, quod haud abſque præjudicio propriæ ſuæ IV Civitatum Confeſſionis factum videbatur: *Bucere*, inquit, *tu ſcribis ad nos, ſeceſſum eſſe à veſtris urbibus in Confeſſionem Saxonicam, eò quòd vera habeat, nihilque aliud videatur prætendere, quàm quod Chriſtus in ſacramento Eucharistiæ, vel corpus & ſanguis Chriſti in Cœnâ Domini diſtribuantur comedentibus, & quòd qui ſecùs docent, improbentur. Nobis verò de his verbis non tam anxiè curandum ſcio, quàm de illorum interpretatione, quâ ſcilicet Lutherani illa ponant. Atque hanc puto rationem fuiſſe, quòd huic Saxonicæ Confeſſioni in Comitiis apud noſtros habitis ſubſcribere nolueritis. Me mirum in modum movet, quomodo hodie vera ſint Saxonicæ Confeſſionis verba, cùm tùm vera non fuerint, quando, ſi vera ſunt, magno Eccleſiarum emolumento admitti poterant.* & quæ ſequuntur. Satis Irenicorum à noſtrâ parte, quibus tantum abeſt obaudiant Adverſarii, ut acerbiſſime illa inſectentur & reſpuant. Quod ſi pax ipſis cordi, nam ad eam faciendam concurrere & illi quoque, ſi non æque debent, prodeant tandem ſemel ipſi ſuis Irenicis, eaque videamus, vel ſaltem noſtra æquius, ſi non amantius,

ferant. Neque diſſimulanda ſcripta Pelargi, Donaveri, Calixti, addo & Henrici Nicolai: ſed utinam iis omnes ipſorum ſtatent, neque illa minori inſectatione & odio exciperent, quam noſtra! VII. Et quod ſi nondum velint Lutherani τὰ τῆς εἰρήνης (cum quibus Apoſtolus conjungit τὰ τῆς οἰκοδομῆς, Rom. XIV. 19. adeo nequeunt iſta divelli) quæſo omittant ſaltem *convitia*, uti multorum apud ipſos immanis hactenus adverſum nos mos eſt. Quorſum innoxios & pacificos dicteriis verberare, & aſſiduis calumniis? quorſum nomina Calvinianorum, Sacramentariorum, Swenmerorum, Fanaticorum, & neſcio quid non, in libris, & concionibus contra nos acerbe ejicere? adeone Chriſtiana res non Chriſtiane, ac ne quidem humaniter, tractari debet? Ioh. Pappus, in *Epitome Hiſtor. Eccleſ.* in Catalogo hæreticorum ponit *pag.* 956. Sacramentarios; eorumque ibidem ſcilicet varia illa cognomina, ſeu convitia Doctor explicat. VIII. Quia autem tam in cavendis maledictis, quam in amplectendâ pace officio ſuo deſunt Theologi Lutherani, conſultum, ut *Magiſtratus* eorum & Principes, quorum hic longe melior mens eſt ſuis Miniſtris, eos in ordinem redigant, & ſevere jubeant à convitiando abſtinere. Neque video aliquid boni exſpectari poſſe, priuſquam iſtud ſaltem habeatur. Fecit hoc olim Fridericus III. Elector Palatinus; Fridericus VVilhelmus, adminiſtrator Saxoniæ a. cIↄ Iↄ XCIII.. Elector Brandeburgicus pridem, a. cIↄ Iↄ CXIV. Sic & alii Ordines Euangelici, vel Eorundem Delegati in Conventu Francofurtico a. cIↄ Iↄ CXXXIV. poſt Colloquium Lipſiacum, *quod interea temporis omnis ab utrâque parte tam in docendo, quam ſcribendo Chriſtiana moderatio & lenitas uſurpanda ſit, ne ſcil. iſta animorum conjunctio & conformitas impediatur, ſed potius, quantum fieri poteſt, promoveatur.* IX. Neque à maledictis ſolùm, ſed & *malefactis* contra nos abſtinere illos oportet, id eſt, à perſequendo, ejicien-

ciendo, privando noſtros honoribus, facultatibus, locis, vitâ, ſepulturâ deniq; , etiam ne violenter auferant templa nobis, ſcholas, & locum regiminis in Magiſtratu, quod uti olim Argentorati, atque alibi, ita hodie Dantiſci, neglectâ etiam Regis auctoritate, interceſſione, minis, agunt. De hoc exiſtimo prius nos debere eſſe ſollicitos, recuperandis videlicet noſtris, quam prædicando ſyncretiſmo cum illis, qui ſe tales erga nos gerunt, & in vanum laborare. Quemadmodum Lutherus ſolebat dicere, ad propoſitas rationes conciliationis cum Pontificiis, prius ut redderent nobis Martyres noſtros; deinde de concordiâ agerent: ſic ante omnia reddant Lutherani nobis ablata, & tum de pace loquamur ac conjunctione mutuâ.

Illis præmiſſis, ſi quid ulterius *agendum*, quod ad ſyncretiſmum cum iis, qualem diximus, ſpectat, hoc non per *diſputationes* fieri debere arbitror: ſatis quippe de omni inter nos articulo, ac nimium ſatis diſputatum videri jure poteſt, ut nemo dari queat, qui non ex proſtantibus utrimque ſcriptis veritatem diſcere, ſi debite æquoque animo attendat, poſſit. Probaturque mihi ſententia Sculteti, in Curric. vitæ, pag. 45. quam in Senatu Eccleſiaſtico Heidelbergenſi ſe propoſuiſſe ait, a. cIↃ IↃ C V I I I. quando deliberabatur, quonam modo continuis triſtiſſimiſque Euangelicorum certaminibus occurri poſſet; è re Eccleſiæ fore, ſi Re-„formati deinceps ab omnibus Apologiis, antilogiis, & „quocunque nomine vocentur, eriſticis ſcriptis ab-„ſtinerent. Nihil enim dici ſcribique poſſe, quod non „pridem dictum ſcriptumque ſit. Extare Eccleſiarum „noſtrarum Confeſſiones, & Confeſſionum Declara-„tiones, quæ hominem veritatis indagandæ cupidum, „abunde ſatis inſtruere poſſint. Neque *Colloquia* iterum vel Synodos ſuadeo, ut alii, in quibus hâc de re diſceptetur, aut agatur, niſi tam facile ſit talem conſtituere Synodum, iſtorumque virorum, quales hic requirantur,

tur, ac optare & delineare. Vel enim particularem velis, vel univerſalem, id eſt, ex omnibus utrimque Eccleſiis, aut Eccleſiarum conſenſu ac delegatione conſtantem, vel aliquibus? hæc (meo judicio) rebus quotidie in pejus vergentibus, & divortio ſe indies magis dilatante, non contrahente, fruſtra exſpectatur, præſertim quum ei, à Noſtris aliquando in medium propoſitæ, Lutherani tantopere & palam reluctentur. Vel ponatur talis Synodus, & quod omnium difficillimum, viri in ea aptiſſimi, probi, docti, prudentes, moderati: putaſne melius conventuros, quam jam antea aliquando convenire viſi ſunt? ego contrà vereor omnia ſecus, pejoraque: & plures productum iri quæſtiones ac diſſenſiones, & obſtinata magis judicia, & eo minus συγκαταβάσεως, quo adverſus priores Conſenſus ſemper Adverſariorum plurimi & loquuti vehementer fuerunt, & moliti quæcunque. Colloquia ejuſmodi, & Synodi, ut quidem earum præclariſſimus fructus merito exſpectari debet, ita raro benè ceciderunt, neſcio an unquam ex utriuſque voto, quod tamen deberet, ſi optatus finis ſequeretur, qui hic non diſputatio aut victoria, ſed conſenſus mutuus. Sin particularem aliquorum, & non communi omnium nomine, Synodum conſtituas, præterquam quod eædem fere redeunt difficultates, hoc inſuper eſt, quod ei accedere reliqui vel ex ſolâ pervicaciâ recuſabunt, prout hominum atque adverſariorum imprimis, probata tot inante Colloquiis indoles jam fuit. Ego quod meum, ſed tenue judicium, uti diſputationum, ita & Colloquiorum, fere ſatis arbitror eſſe, niſi tale haberi poſſit, in quo, rebus antea benè preparatis, non ad diſputationem vel majorem contentionem, ſed *ultimam*, certam, ſolennemque compoſitionem, evitatis, quas ſupra dixi, difficultatibus & periculis, conveniretur. In quem finem, preter multa à Noſtris hanc in rem propoſita, preſertim à Paræo, ut conſideretur *Delineatio pii & fructuoſi in Theologicis Colloquii,*

ab

ab Henrico Nicolai ſubjuncta ſuo Irenico, non refragor. Alioqui, quemadmodum de diſputationibus, ita & de Colloquiis dico, metuendum ne poſteriora prioribus meliora ſint, & feliciora. Quemadmodum olim Melanthon ſcripſit de Iſenacenſi Colloquio Lutheri, cum Bucero, ad Vitum Theodorum, *ego certis de cauſis malo eam rem extrahi. Nam ſi congreſſus iterum accendet diſcordiam & certamen, ut certe metuo, quid attinet properare hoc quidem tempore, voluntatibus adeo exulceratis? Et tamen ſi gravis & vera deliberatio, de hoc ipſo articulo, & de aliis quibuſdam ſperanda eſſet, maxime expeterem conventum.* Interim (ne videar obſtare rei, & ſyncretiſmo benè feriendo, quem ambabus ulnis amplector, & qualis exempli gratiâ Sendomirienſis ille., omni vi deprædico, & utilem ac neceſſarium Eccleſiis exiſtimo: ſed de modo conſultamus) proximum, ut particulares ſeu Doctores, ſeu Eccleſiæ Conſenſibus antea ſæpius feliciterque, quod ad rei ſummam, factis innitentes, non exſpectatis aliis vel Colloquiis vel Synodis, cum Lutheranis aut Eccleſiis, aut Doctoribus, vel aliis quibuſcunque pergant tractare, & ſicubi viſum coire etiam, prout rerum & Eccleſiarum hominumque utilitas ſingulis in locis videbitur poſtulare? Habentur, notique & obvii vulgo ſunt tum diſſenſus, tum conſenſus articuli; jam & ex hominibus alii aliis longius vel minus errant, & etiam conveniunt; denique aliud requirit vel permittit ſtatus hujus illiuſque Eccleſiæ: pro horum omnium debitâ conſideratione prudenter agendum, & ex charitate circumſpectâ. In diſſidio Sacramentario, nam hoc caput rei eſt, conveniri inter partes poſſe ac debere omnino ſtatuo. Hoc & exemplo vel authoritate Lutheri, & Conſenſuum aliquoties factorum, præterquam tot rationibus & argumentis, ac in hanc rem à Noſtris, Chriſtianæ charitatis, ad præceptum Magiſtri, ſemper ſtudioſiſſimis, & à Lutheranis aliquibus quandoque adducta, comprobari facile poteſt: vel inſpectis ſolùm levi operâ partis utriuſque

Confeſsionibus, ex quibus, de doctrinâ Eccleſiarum, non verò ex ſententiis vel dictis Doctorum, judicium fieri debet. Lege hunc in finem, Præfationem Syntagmati Confeſſionum, in quo juxta cum aliis Auguſtana Confeſſio, cum Saxonicâ & VVittembergenſi inſerta, nomine Eccleſiarum noſtrarum præfixam. Et Lutherus Confeſſionem Helveticam, uti ſupra vidimus, approbavit. Denique & deteſtatum eum quoque ſub finem vitæ triſtes illas contentiones, ſcimus ex Iohanne Aleſio Theologo in Academiâ Lipſienſi, qui de Luthero protulit, in Reſponſione ſuâ ad articulos Lovanienſium Ruardi Tapperi, illum profecturum in patriam, ubi & obiit, loquentem Melanthoni de diſſenſione ſacramentariâ, dixiſſe: *mi Philippe, fateor in negotio ſacramenti nimium eſſe actum*. Cumque inſtaret Philippus, ut leni aliquo ſcripto hoc emendaretur, reſpondit: *& ego quoque de hâc re ſollicite cogitavi, ſed ſic redderem totam doctrinam ſuſpectam. Itaque hoc bono Deo committam. Agite vos etiam aliquid poſt mortem meam.* Hæc multorum teſtimoniis vide confirmata, in *Admonitione Neoſtadianâ cap.* VI. *à pag.* 235. Atque pro concordiâ promovendâ ſcripſerat jam a. cIↃ IↃ XXXV. ad Argentinenſes Paſtores: *Quare viciſſim vobis, oro, perſuadeatis, tam cupide me amplecti eam concordiam, quam cupide velim mihi Dominum Ieſum Chriſtum propitium ſemper fore. Et non dubitate, quantum in me fuerit, nihil poterit à me exigi aut imperari, quod pro hâc cauſâ non ſim libenter & hilariter facturus & paſſurus.* Similiter anno ſequente, poſt Concordiam VVittembergenſem, ad eoſdem ſcripſit; atque poſtmodum ad Helvetios. Haberi ergo ex Vtriuſque partis Confeſſionibus Vnionem poſſe exiſtimo, & Eccleſiarum quandam conſenſionem: non autem probo, ut multo artificio communis aliqua cudatur *formula*, generalis & flexiloqua, uti antea aliquando factum, in quam diſſenſiones utrimque reducantur, & ſub eâ lateant; quæ agendi ratio neque ſincera ſatis, ne-

que

que ſolida, & nec ex partium uſu magis, quam veritatis. Melanthon, epiſt. ad Ioh. Hencelium, Conſulem Auguſtanum: *Non poteſt tolli diſſidium generalibus verbis.* Ad Brentium, a. cIↄ Iↄ xxxv: *maxime velim concordiam fieri ſine ullâ ſophiſticâ.* Potius conſtitutis utrimque conſenſus, diſſenſuſque ingenuè articulis, atque ſuper momento ejus habitâ deliberatione, *Unio* firmiſſime ſtabiliatur, ut quæque pars alteram ferat; quod Lutherus Conſilium Melanthoni ad Colloquium Caſſellenſe cum Bucero profecto a. cIↄ Iↄ xxxiv. dederat: *Forte ipſi conſcientiâ minimè mala altero intellectu conſtricti ſunt. Ideoque libenter illos feremus, ſi innocentes & puri ſunt, Chriſtus illos facile liberabit. Interim & ego profectò bonâ conſcientiâ altero intellectu conſtrictus ſum, niſi id forte mihi accidat, ut memetipſum non agnoſcam. Itidem igitur me quoque tolerent, ſicuti in meam ſententiam deſcendere nequeunt.* Vel omiſſo quæſtionis articulo, eoque relicto *ſuſpenſo*, maneatur in *confeſſis* utrimque, & docendis explicandiſque iis, in quibus uſus Cœnæ ſalutaris ſitus, quæque ad; ſalutem & ædificationem haberi ſatis ſit. Quemadmodum Suevi, in Syngrammate ſuo, Oecolampadio reſpondebant: *Optime Oecolampadi, planè nobis perſuaſum eſt, te facile pro agnatâ tibi modeſtiâ, imò pro Chriſtiano candore, paſſurum, ut tantiſper de pane & vino cœnæ dominicæ à tuâ opinione diſſentiamus, dum Dominus tibi & nobis τὸ αὐτὸ φρονεῖν dederit.* Ad quæ in Iudicio ſuo adducta, Calixtus ſubjungit: *Si eâ mente vel hodie eſſemus, tranquillitati Eccleſiæ, & concordiæ Chriſtianorum conſuleretur.* Vel maneatur in loquutionibus, à Scripturâ probatis, juxta eundem: *Satius autem fuerit in diſputationibus, præſertim contra diſſentientes, ne offendantur illi aut turbentur, ſimpliciter loqui & locutionibus uti, quibus utitur ſcriptura, nempe hoc quod accipimus & manducamus, quum benedictus panis ſumitur & comeditur, eſt corpus Chriſti: Item panis eſt communicatio corporis Chriſti.* Atque eximia hunc in finem eſt regula ab Henrico

Nicolai, Gedanenſi Theologo, in Irenico ſuo, ſcripto a. cIↃ IↃ xlv. *Quæ differentiæ Religionum ex modo proponendi ortæ ſunt, eæ facile tolli poterunt, ſi modi proponendi immutentur, & pro tricoſis ac ambiguis aperti & ambiguitatibus vacui determinatique ſenſus ſubſtituantur, illique maximè ad modos loquendi in Scripturâ uſurpatos revocentur, illi bene in ſenſu Spiritus Sancti nativo ac genuino inquirantur, conſtituantur, in iſtis ut certiſſimis & tutiſſimis quieſcatur, ac reliqui in tricas aut contentiones & exagationes deducentes reſecentur. Sic panem in Cœnâ eſſe ipſum Corpus Chriſti ſub accidentibus panis externis, quantitate, figurâ, colore, ſapore, eſſentialiter tranſubſtantiatum, & ſub ac cum iſto pane uno indiviſoque comedendi actu ipſam Corporis Chriſti ſubſtantiam ore manducandam eſſe, modi proponendi humani ſunt. Pro illis modus Scripturæ adhibeatur, Panis, quem frangimus, vel hujus panis in Cœnâ fractio, diſtributio, & ſumptio, eſt Corporis Chriſti communicatio, 1 Cor. 10. Senſus ejus à Spiritu Sancto intentus ſtudioſè inquiratur, & in eo, ut certo ac immoto, ſiſtatur, & via ad conſenſum producendum paratior erit. Quicquid de humanis proponendi modis fuerit, ſive illi ad rem fuerint, ſive à re receſſerint.* Quod in exemplo tranſſubſtantiationis proponit, de conſubſtantiatione, vel ſententiâ Lutheranâ capiatur, uti æque facile poteſt, & confecta res eſt. Cujus ejuſdem Auctoris volo hanc in rem egregia quoque notari quæ habet ejuſdem *Irenici ſive de Differentiis religionum conciliandis Comment.* §. 5. 10. 11. 12. Vbi quærit: *Annon Scriptura alio modo & verbis de re aliqua loquatur, Vt in ejus verbis ſiſti debeat, & verba hominum tanquam tricoſa, noxia, & à ſalutari Verborum forma abducentia, rejici debeant, vel ſuſpendi?* § 14. *Annon fundamentum rei & ſubſtantia Chriſtianæ fidei in ſimplicitate teneri poſſit, etiamſi tandem de ſpecialibus iſtis determinationibus ſimplex Chriſtianus non aliquid ſciat, & explicatas aut propoſitas ſatis capere non valeat. Sic panem Cœnæ communicationem Corporis Chriſti in uſu eſſe, fundamentum Cœnæ eſt.*

An

An tranſſubſtantiatione, conſubſtantiatione, vel ſubſtantiali panis & Corporis conjunctione, ſigni ad ſignatum relatione, analogicâ repræſentatione, Symbolicâ figuratione, expreſſione, aliâvè ratione ſit, ad varias & Scholaſticas determinationes pertinet, & à ſimplicibus Chriſtianis intelligi non poteſt, ſed ad Scholarum diſceptata relinquendum & referendum eſt. Et omninò firmiter conſtituendum eſt, quid, quantum, & quale, ad ipſam fidei Chriſtianæ ſubſtantiam ac fundamentalem neceſſitatem pertineat, & in eo, ut conſenſus fidelium procuretur, imprimis laborandum. Suaſit illud olim etiam Melanthon Electori Palatino Friderico.

III. *Secundò, remotis contentioſis, prodeſt reliquos de unâ formâ verborum convenire. Et in hâc controverſiâ optimum eſſet, retinere verba Pauli: Panis, quem frangimus, κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος. Et copioſè de fructu Cœnæ dicendum eſt, ut invitentur homines ad amorem hujus pignoris, & crebrum uſum. Et vocabulum, κοινωνία, declarandum eſt. Non dicit, mutari naturam panis, ut Papiſtæ dicunt. Non dicit, ut Bremenſes, panem eſſe ſubſtantiale corpus Chriſti. Non dicit, ut Heshuſius, panem eſſe verum corpus Chriſti: ſed eſſe κοινωνίαν, id eſt, hoc, quo fit conſociatio cum corpore Chriſti: quæ fit in uſu, & quidem non ſine cogitatione.* Nullo verò modo probare poſſum ut ad formulam aliquam Conſenſus mutui quaſi conglutinandam tradatur Adverſariis, Chriſti corpus in Cœnâ vere & ſubſtantialiter præſens dici, in quibus aliqui plus nimium quandoque luxuriarunt, vel indulſerunt. Cum Martyre & ſentio, & loquor, qui quam accuratus hâc in parte fuerit in Colloquio Poſſiaceno, alibi dixi. Cujus etiam vide epiſtolam, inter epiſtolas Zanchii, pag. 404. ad Ioh. Sturmium, Argentinenſis Scholæ Rectorem, ubi inter alia ſe declarat: *Cum poſtea rogor: An in Eccleſiâ Cœnam ſine corpore & ſanguine Chriſti haberi exiſtimem? Reſp. Si de eâ præſentiâ loquamur, quam corporalem, realem, atque ſubſtantialem vocant: corpus & ſanguinem Chriſti abeſſe fateor: neque, ſi adeſſent, plus utili-*

tatis,

tatis, commodi, aut emolumenti nobis adferrent: quam inde hauriamus, dum in cælis manent procul à nobis disjuncta. Eadem tamen dico adeſſe fidelibus in Cœnâ, præſentiâ fidei; cujus vis & facultas eſt, ut ea efficiat reddatque præſentia ſpiritualiter, quæ locorum ſpacio longè admodum ſunt abjuncta. Deinde caro & ſanguis Christi nobis præſentia ſunt ſpiritu, gratiâ, & meritis, & aliis admirabilibus fructibus, qui divinitus per ea in nos derivantur, quemadmodum Sol dicitur nobis adeſſe præſens per lucem, radios, & bonos influxus, quos inde percipimus. Neque enim aut ſubſtantiam corporis Chriſti præſentem, aut oraliter manducari, aut ab indignis ſumi, dicendum ſed plane, & ingenue id quod res, corpus ejus ſubſtantialiter in cœlo præſens, hic ejus ut morte fracti fieri ἀνάμνησιν, & per fidem, quæ πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, ſpiritualiter, præſentiſſime, ac vividiſſime paſci illius fruitione ſolos pios. Præſentem Chriſtum in Cœnâ uti omnes fatemur, ita dixiſſe hic ſuffecerit. Tum aliud eſt, vere & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum in Cœnâ; quod utique verum, & ſic nonnullos loquutos video: aliud, ejus corpus præſens eſſe. Vel etiam, verè & ſubſtantialiter Chriſti corpus accipi in cœnâ, & diſtribui, ſacramentaliter videlicet: aliud, ibi per ſe, vel ſeipſo vere & ſubſtantialiter præſens eſſe. Optime quod ad hanc rem dictum fuit ab antiquis, in Noſtro hoc Belgio, VValdenſibus, in ſuâ Confeſſione, vel Catechiſmo (quod egregium antiquitatis noſtræ monumentum ſuæ Hiſtoriæ Belgicæ inſeruit, cui & eo nomine omnes multum debemus, Cl. Boxhornius, pag. 36.) interrogantes, nam ipſa ponam, ob venerationem ſuam, verba: Vra. *VVat ontfangt gy in den broede? Outfangt gy niet het lijff en bloet Ieſu Chriſti?* Antw. **Neen ik voor waer, ick en geloof alſoe niet, als meenig doelende menſche doet. Want inden nachtmael en ontfank ick noch vleſch, noch bloet lichamelicken, maer broot en wijn; welcke broot gebroecken ende den**

wijn gedroncken ſijnde, gelijck alſt den Heere geordineert heeft, ſoe worden wy te gelijcke door den H. Geeſt, ende 't geloove, ende onſer herten opheffinge ten hemel, deelachtich des lighaems ende bloet Chriſti, welke gebroecken ende uytgeſtort is geweeſt voer ons. En metten broede ende wijne ontfange ick oick die weldaden, die gecomen ſijn door het breecken ſijner lichaem ende uytſtorten ſins bloets aen den Cruyce voer mijne ſonden. Talis placet ingenuitas, & ſincera mentis explicatio. Ludere amphibologiis, & in generalibus, tandem nec illis placet, in quorum etiam gratiam ſic egiſſe viſus es. Vnde nec Luthero uſquequaque probabatur Buceri ſtudium, ut eruperit poſtremo in hæc verba: *ſpermologus eſt, nil niſi conciliationes quærens & tractans, ſed apud me conciliationes ipſius nihil amplius habebunt loci* &c. quando nempe Bucerus in Articulis Reformationis Colonienſis a. cIↄIↄxl1v. omiſiſſet mentionem corporalis Chriſti in Cœnâ præſentiæ. Calixtus, in ſuo Iudicio, de Bucerianâ conciliandi ratione: *Ponebat autem fundamentum conciliationis in ambiguis formulis, quas una pars de manducatione figuratâ, ſive ſpirituali, & præſentiâ tali, ſine quali manducationem iſtam ſpiritualem per fidem non peragi ſtatuebant: Altera verò de propriâ & orali manducatione & verâ præſentiâ corporis (nempe corporis in prædicamento ſubſtantiæ) acciperet: Vt ita ſi ad verba obiter attenderetur, ſpecietenus convenirent, aut ſaltem convenire crederentur, ſive mera verba ſpectantibus & de ſenſu non ſollicitis, convenire apparerent, etiamſi reapſe & ſententiis non convenirent. Qualis conciliandi ratio à Luthero & pleriſque aliis prudentibus utrinſque partis merito rejecta fuit & improbata.* Et pag. 141. *Rectius autem fuerit utramque partem ſimpliciter & ingenuè, quod ſentit, profiteri, quam alteram alteri ambiguis loquendi formulis imponere. Qualem concionandi rationem inierunt olim Philippus & Bucerus, nempe ut ſcriberentur formulæ, quarum verba*

bia utraque pars amplecteretur, ſed ſingula ſuo ſenſu acciperent & interpretarentur. Quem conatum, quamvis ex pio eoque ingenti concordiæ deſiderio & ſtudio profectum, nulla ſucceſſus felicitas excepit. Malumus, ut diximus, utramque partem animi ſenſa ſyncerè & citra fucum exponere. Et etiamſi diſcrepent, nihilominus odia & inimicitias & conviciendi & damnandi libidinem ponere, & mutuam Chriſtianam charitatem, ut Chriſtianos decet, fovere & exercere, donec re inter eruditos erudite & placide diſcuſſâ & agitata, Deus pleniorem & perfectiorem conſenſum largiatur. Ad quæ quid dici poſſit, equidem non video. Quæ quanto meliora ſanioraque eo ſunt, quod Theologi Darmſtadini, coram Erneſto Lantgravio apoſtatâ, quorum & Calixto negotium fuit, haud ſemel, præcedenti anno dixerunt: Reformatos in doctrinâ fundamentales errores habere, & æternam ſalutem deſtruentes: magno cum Principis, aliorumque ſcandalo. Certe ille iis ſcripſit d. VI. Decemb. CIↃIↃCLI. ſe miratum fuiſſe quod non Lutherani æque Reformatos ad communionem admitterent, ac hi illos, uti fit præſertim in Galliâ, quum utriſque tam neceſſaria ſit concordia. Hæc ejus verba: *Reformati quidem in controverſiis cum Lutheranis nullos his fundamentales errores impingunt, ita ut abſque opinionis abjuratione quam de S. Euchariſtiâ habent (prout ex Charentonicâ Synodo id liquet) eos ad communionem admittant. Unde nobis quoque perſuaſum erat, pura Lutheranorum confeſſioni addictos, idem facturos, ſtudio præſertim concordiæ tantoperè utriſque neceſſariæ.* Eant nunc, qui nihilominus diſcordias inter nos volunt, ſciantque uno ordine haberi Pontificiis Lutheranos, ac Reformatos, idque etiam illis mirum eſſe, quod nos adeo diſſentimus. Quare ut tandem quoque contrahamus fuſius dicta, quoſdam ponemus articulos, quibus tuto hactenus convenire poſſimus, & duritiem aliorum averſari, magis conſcientiæ & paci litare, quotquot optimi. 1. Uti de ſententiæ alicujus *veritate*, ex *Scripturâ*;

ita

ita de Eccleſiæ alicujus *ſententiâ*, ex *confeſſionibus* judicandum: non ex privati alicujus, vel Doctoris dictis, aut ſcriptis. II. Omnes Confeſſiones Eccleſiarum, quæ *Syntagmati Confeſſionum*, publico Eccleſiarum nomine confecto, inſertæ, ubi & Auguſtana, & Helvetica, una cum aliis, pro Orthodoxis habendæ. III. Ac proinde inter illas omnes Eccleſias, earum Miniſtros, & membra *fraternitas* oportet intercedat, & communio. IV. Cui rei, cuicunque iſtarum Confeſſionum & Eccleſiarum ſocio, pro conſcientiâ & officio, quidquid alii ſecus, incumbendum; & qua *privatim*, qua *publicè* annitendum, ut pro iſto, quo eum Deus collocavit loco & gradu, pacem & communionem foveat ac conſervet; & quævis damna ac præjudicia avertat & caveat, pro fraternæ charitatis regulâ. V. Servatâ tamen cuique ſententiæ ſuæ Confeſſionis, & Eccleſiæ *diverſitate* illâ, quâ de doctrinæ *momento* concordes (quę de doctrinæ *veritate*, & *momento* diſtinctio probè ſemper obſervanda), de *veritate* alterutrius ſententiæ fas ſit conferre & diſputare, alioſque ad ſuam ſententiam perducere, ſed amicabili ubique & fraterno modo, in Scholis plus, in Eccleſiâ pro concione parcius, at parciſſime libris. Hæc, quamvis non coaliſo palam & ubique vulnere, à ſingulis præſtari poſſunt, & non exſpectatâ communi aut univerſali Eccleſiarum utrarumque combinatione, à ſingulis erga ſingulos, ſeu hominum vulgo; ſeu Doctoribus, & Eccleſiis particularibus erga alios, nixi argumentis exempliſque ſupra poſitis, obſervari. Atque hæc dicta ſunto de noſtro cum Lutheranis ſyncretiſmo, in quo ubi omnia à noſtrâ quidem parte egerimus, at prudenter quoque, quæ ad pacem pertinent, totum Deo committendum negotium eſt, cui quando non placet ad Iudam convertere Iſraëlem, ſed hic amat in devia abire, ferendum eſt, & acquieſcendum in eo quod bonis ſemper conſiliis, exempliſque præiverimus. Vult ſæpe Deus ob arcanas con-

filii ſui rationes, & ſuorum exercitationem, ſeorſim habitare duas illas tribus, neque convenire ut antea, & eorundem ſacrorum ut quidem oportet, haberi antiquam & conſtantem communionem. Vbi quando pro reducendis fratribus, in medium conſuluerimus, atque haud ſegniter, καὶ μὴ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, licebit ſecuris eſſe, & bonæ conſcientiæ teſtimonio tutis, poſtremo & concludere præſtantiſſimis Zuinglii verbis, quibus is ſuam ad M. Lutherum Exegeſin Euchariſtiæ, (namque hic ſi uſpiam neceſſe eſt bene cognitam habere negotii hujus hiſtoriam Eccleſiaſticam totam, & ad eam paſſim recurrere, abſque quâ parum egeris, noſque ideo crebriores in eâ adducenda hic fuimus): *Satis ſit oro diſſenſum, ſatis tumultuatum, ſatis ſævitum. Orire gratiſſime Lucifer, protinus juſtitiæ ſol emica. Cum enim contenditur, negligitur ſanctimonia, quam unice à nobis requiris. Vides ut à contentione nunquam redeamus meliores: eſt enim carnis opus, à qua nemo regredi citra maculam poteſt. Contra qui ab ea ſunt alieni, nunquam non fuerunt optimi. Ab ego igitur nos abſtine, ut nervos omnes quos alioqui ad certandum intendimus, ad virtutis opus accingamus.* Hoc & Apoſtoli monitum eſt II Tim. II. 22. *Sectare juſtitiam, fidem, charitatem, pacem, cum iis qui invocant Dominum ex puro corde.*

Sequuntur reliquæ cum Lutheranis, poſt ſacramentariam de S. Cœnâ, controverſiæ: ubi primum conſideranda ea de perſonâ Chriſti, ex priori illa nata. Nam quum velint Lutherani, in S. Cœnâ adeſſe non modo Chriſtum, de quo nulla diſputatio, ſed Chriſti ſubſtantiale *corpus*; de ejus *præſentiâ* ita cœptum diſputari, ut prior illa huic cedere viſa fuerit, & quaſi tranſlata belli ſede totum fermè prælium in hoc verſari, quod eſt de reali corporis Chriſti præſentiâ. Quo enim modo hic corpus Chriſti? quum corpus omne ex ſui naturâ certo aliquo loco adſit; & Chriſti corpus adſcenderit

deſit in cœlos. Vel enim per deſcenſum, atque in loca frequentatæ duntaxat, Cœnæ, vel in omnia, ubique; aut ſi non per deſcenſum, tum ex prævia iſti omni loco exiſtentia contingat illa omnipræſentia, oportet. Sed quomodo jam adſcendit, atque in cœlis ſedere dicitur? Hic Lutherus, videns ſe in arctum cogi, eligendum alterutrum vidit, aut multipræſentiam Chriſti, multis in locis, vid. S. Cœnæ; aut omnipræſentiam corporis in omnibus locis, ſine diſcrimine ſtatuendam. atque adhuc varie nonnunquam de utroque loqui Lutheranos videas. Iam in fervore contentionis, preſſus ab Adverſario, ad opinionem ubiquitatis confugit Lutherus, aliquando omiſit, ſolis inſtitutionis Cœnæ verbis adhærens, atque ex iis ſequi preſentiam corporis Chriſti arbitratus, modum quo fieret, in medio reliquit: quo pacto ſe expediunt inter Lutheranos quotquot ubiquitatem non admittunt, vel rejiciunt. Et quemadmodum ſententiam ſuam de conſubſtantiatione corporis Chriſti in Cœnâ, miſſâ tranſſubſtantiatione, Lutherus à Cardinale Alliacenſi ſumſit; ita Vbiquitatis commentum debetur Iacobo Fabro Stapulenſi; ejuſque apud Lutheranos in canonem relatio auctoribus formulæ Bergenſis.

Iterum, arreptâ corporis Chriſti *omnipræſentiâ*, quam jactare facilius, quam exponere & declarare, alia difficultas ſurrexit omnium maxima, quâ ratione hanc haberet humana natura, cum ſit proprietas divinæ? Vbi tum proprietates in Deo divellere ab ejus naturâ, tum inter ſe, res merito viſa horrenda, & quæ ſuo præjudicio ſatis argueret, theſes illas, in quarum ſubſidium hoc advocaretur, pudendas, falſas, & improbandas eſſe. Sed quemadmodum ii, quibus ſemel depoſita frons, nihil ultra reformidant peccare; ita qui errori ſuo pertinaciam addunt, ſubruere omnia malunt, quam illum deponere, nihilque iis tam durum ſonat vel abſurdum, quod priori commento ſta-

tuminando non aſſumant. Ergo admiſerunt Lutherani, proprietates divinæ naturæ in Chriſto communicatas eſſe humanæ, neque tamen omnes, ſed aliquas, præſertim ubiquitatem, in cujus gratiam illud excogitatum fuerat; ſed & præter eam, omniſcientiam quoque, & omnipotentiam, atque adorabilitatem. Quod quomodo naturas in Chriſto duas, earumque proprietates ſalvas relinquat, & à damnato utrimque Eutychianiſmo diſtet, quomodoque factum, an vi unionis duarum naturarum, an exaltationis & glorificationis in naturâ humanâ, ipſi necdum explicare potuerunt. Vide Frider. VVendolini nuperas *Exercitationes Theologicas, adverſus Ioh. Gerhardi exercit.* XLVII. Hanc quæſtionem ego ſecundo loco pono, ideo quod ex priori orta, cujus habenda in his diſputationibus potior ratio, quam abſque illo, ordinis locorum communium, ubi hæc illam præcederet. Atque in hâc quæſtione non Nos ſolum, ſed & Pontificios adverſarios habent, quamvis inter ſe conveniant, corpus Chriſti in Cœnâ præſens eſſe: ſed id Pontificii non ex aliquâ corporis Chriſti ubiquitate, nedum proprietatum divinarum cum humanâ naturâ communicatione, ſed ſimplici corporis multipræſentiâ per voluntatem Dei, derivandum cenſent. Vbique apparet, in cœno Papali manſiſſe Lutheranos; atque ex eo longius purgatiuſque ſe proripuiſſe Reformatos.

Vivente Luthero nunquam quæſtio mota ſuper dogmate *Prædeſtinationis*, neque in diſputationibus, vel Colloquiis aliquid de illo dictum aut ſcriptum, adeo nullâ hâc in parte cum Luthero fuit diſſenſio, ſed eandem quam is ſententiam, ſequuti Noſtri fuerunt, quod etiamnum ex ejus ſcriptis oſtendi poteſt, initiſque Conſenſibus. Et tamen hodie ejus diſcipuli tantas ferè ſuper hoc articulo, ac aliis, turbas cient. Quod argumento eſt, quàm à Præceptoris ſui ſententiâ diſ-

ceſſe-

ceſſerint.& materias quęſtionum per hodiernos Docto-res variare immenſum, atque mutari præter priſtinum ipſarum ſtatum. Controverſia de Prædeſtinatione producta, & diſputari cœpta primum Argentorati, inter Marbachium, & Zanchium, a. cIↃ IↃ lx I. & lx I I. inde palam in Colloquio Mompelgartenſi a. cIↃIↃlxxxv I. à Iacobo Andreâ, contra Bezam: atque inde pro articulo diſſenſus haud minimo habita fuit. Cujus inſtituti Colloquii cauſas magis politicas, quam Eccleſiaſticas, ex Dan. Toſſano, narrat eximius rerum Reformatarum hiſtoricus, Scultetus, in Curriculó, ſive Hiſtoriâ vitæ ſuæ, pag. 28. nempe quod ſe præſente Toſſanus Pezelio in cauſas illius Colloquii inquirenti retulerit, politicas fuiſſe, non Theologicas, tam à parte Gallorum Mompelgarti exulantium, quam Friderici Principis, Comitis Mompelgartenſis. Gallos enim exules ideo Bezam vocaſſe, quod ſperarent, ſi placide cum Iacobo de controverſis, inter Gallos & VVirtembergicos, capitibus conferret, ſe deinceps Principe uſuros benigniore, & forte etiam Ducem VVirtembergicum futurum noſtrum. Principem Fridericum autem primis ætatis annis à Iacobo in Vbiquitariâ doctrinâ informatum, poſtea P. Beutrichii ſuaſu Bernam & Genevam profectum, ibi Bezæ lectionum & concionum auditorem fuiſſe, & aliquando libere dixiſſe: ich habe viel zu Genff und Schweitz geſehen / davon mir nichts geſagt worden / aber wenig davon *D. Iacobus* geſagt hat / hoc eſt; *Genevæ & in Helvetia vidi multa, de quibus nihil, pauca eorum, de quibus ſæpe audivi ex D. Iacobo.* Eundemque ab eo tempore humaniorem erga Gallos fuiſſe, atque ideo exules ſuſcepiſſe. Cum autem ei ſuggeſtum fuiſſet, Ducem VVirtembergicum prole maſcula carere, & Auſtriacos vix laturos illum ſucceſſorem, ſi Hugonotarum partibus faveret, eſſe illum jam ſuſpectum, & quod Genevæ fuiſſet, & quod Gallos exules foveret, his adductum cau-

ſis conſenſiſſe in colloquium Bezæ cum Iacobo, non tam ut veritati conſuleret, quam ut ſe de Calviniſmo purgaret. Prædeſtinationem autem defendunt Lutherani, ex fide prævisâ, & generalem in Deo omnes homines ſalvandi voluntatem, inde & redemtionem, atque gratiam univerſalem: quarum opinionum jam ſemina jacta in *Libro Concordiæ*, c.XI. *de æternâ Prædeſtinatione, & electione Dei*. Quamvis in doctrinâ de libero arbitrio ab antiquâ & Catholicâ Eccleſiæ ſententiâ, quam norunt & noſtram eſſe, nolint videri diſſentire. Neque etiam diſſenſit Lutherus, uti oſtendit ejus liber *de ſervo arbitrio*, contra Eraſmum, quem non retractatum ab Auctore fuiſſe Noſtri in Diſput. cum hodiernis Lutheranis oſtendunt, interque alios Marcus Fridericus VVendelinus, in præfatione Exercitationum Theologicarum, adverſus Iohannem Gerhardi: quod, niſi declinarent à ſemitâ antiquâ hodierni, probare quid attineret? Et nullum librorum ſuorum majoris ſemper Lutherus fecit, voluitque pro genuino haberi, ac iſtum, & Catechiſmum majorem: quemadmodum ad Capitonem ſcripſit a. cIↃ IↃ XXXVII. Neque duriores apud Noſtrum quemquam loquutionum modi occurrunt, quam apud Lutherum deprehendes: qui adverſus eaſdem calumnias neceſſe habuit reſpondere pro doctrinâ, qualibus noſtra eadem à Lutheranis infamari ſolet, ut de Deo auctore peccati, de diſtinctione duplicis Dei voluntatis occultæ & revelatæ: quod ex ejus ad Antverpienſes ſcriptâ epiſtolâ, *Tom.* II. *epiſt. pag.* 281: perſpici poteſt. Nulla quidem hac in parte diſcrepantia obſervata fuit inter Lutherum ac Noſtros, in Conſenſu Marpurgenſi a. cIↃ IↃ XXIX. ubi tamen articulus ſextus de hoc doctrinæ articulo verba facit. In Confeſſione Auguſtanâ, art. XVIII. orthodoxe loquuntur. Melanthon in Loc. Comm. & apud Pezelium, *Argum. & Reſp. part.* II. Chemnitius, in *Loc. Comm.* Iac. Heerbrandus, paſſim omnes damnant hic Pelagianos, atque etjam

jam Synergiſtas; & Pontificios nobiſcum egregie refellunt, Chemnitius, in Exam. Conc. Tridentini, Ioh. Gerhardi, *Loc. Comm. de lib. arbitrio*, *pag.* 398. *& Conſeſſ. Catholic. Tom.* IV. *pag.* 536. neque diſtinctam hoc in articulo, quod alioqui gnaviter ſolent, præter illa quæ ad locum de Prædeſtinatione faciunt, annotant cum Calviniſtis (quomodo loquuntur) controverſiam, non Chemnitius, Luc. Oſiander, Mentzerus, Ioh. Gerhardi, neque ipſe adeo maledicentiſſimus Henr. Eckhardi. Et tamen non uſquequaque videntur cum Luthero ſuo, ac communi noſtrâ doctrinâ conſentire aliqui, concedentes, in homine poteſtatem *non reſiſtendi* verbo Dei, natura eſſe poſſe. Cujus quamvis æque ac aliorum, ubi minori ſpecie quæſtiones multiplicant, poſſent facere ex ipſorum methodo diſtinctam quoque controverſiam, omittere tamen eos ſtudioſe arbitror, quia nimis palam à Lutheri, & Catholicâ Eccleſiæ doctrinâ, ſuâque Confeſſione diſſentire, & ad Pelagianiſmum deflectere deprehenderentur. Et illud, non reſiſtere, à nobis oriri; inde ſequi Spiritus operationem, & efficientiam fidei, videtur ſtatuere Oſiander, in Enchiridio Controv. cap. VIII. qu. II. *Quando igitur obedienter, & debitâ diligentiâ audimus verbum, neque Spiritui ſancto reſiſtimus, tum non nos, ſed Spiritus ſanctus, opus ſuum in nobis inchoat, & fidem excitat. Et ſic, non ex nobis, ſed ex Spiritu ſancto provenit fides: quam non nos, ſed Spiritus ille in nobis excitat.* Quum autem in omnibus hominibus à naturæ perverſitate, & peccandi voluptate ſit ſacrorum repugnantia & contemtus (Ægid. Hunnius, in tractatu de libero arbitrio, pag. 80. *Æquales etiam ſunt reſpectu naturalis illius contemtus, quo animalis homo natura faſtidire ſolet verbum Dei, ſtultitia ſiquidem eſt illi, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter dijudicatur.* Faſtidium naturale, & naturaliter ingenitum appellat, pag. 86. 89.) quomodo (dico) quum hoc nobis ingenitum ſit, naturæ viribus

ſuperari faſtidium, contemtus, & reſiſtentia poteſt? cum & *ad deponendam naturæ pravitatem nobiſcum naſcentem*, nullæ nobis ſuperſint vires? uti benè loquitur Ioh. Gerhardi *Loc. Commun. Tom*, II. *fol.* 444. Ægid. Hunnius tractatu jam dicto, pag. 40. inquit: Deus per ſpiritum ſuum, hominem *ex nolente ac repugnante volentem, conſentientem, & obedientem* efficit. Neque diſſimulanda diſtinctio, quam dat *pag.* 46. de duplici velle, eique oppoſito duplici nolle, quorum prius ſit *pædagogicum*, circa externam miniſterii obedientiam; alterum *internum*, deſcriptum obedientiâ fidei & aſſenſione cordis: & illud quidem in noſtrarum virium poteſtate ſitum vult, non autem hoc. Pagina verò 60. etiam interna hominum non renatorum arbitrio adjungit, qualia, affectum non contradicendi, propoſitum non blaſphemandi, non calumniandi. Quibus conferri poteſt ejusdem Diſp. XXXI. & XXXII. in Volumine Theſium ipſius. Si verò accipiamus, quod in Tractatus illius initio ſtatim dicit: *quod in divinis & ſpiritualibus rebus nullum ſit arbitrium humanæ voluntatis, ſed res de ſolo titulo; eſt id in noſtris Eccleſiis extra dubitationem poſitum*, quodque pag. 10. *in his, inquam, ne modiculum quidem illud de quo Eraſmus diſputat, ſupereſt homini ſuis viribus relicto; ſed ſunt hæc unius ac ſolius Spiritus ſancti virtuti & operationi in ſolidum adſcribenda*: tum nullus hic controverſiæ articulus. Atque, in illis etiam diſcrepantia inter Lutheranorum, & Remonſtrantium ſententia ſita; unde diverſa utrorumque ad noſtram Eccleſiam ratio. Sed ex iſto fundamento, ſi res extra affectus introſpiciatur, nulla deberet inter Lutheranos, ac nos eſſe ſuper dogmate Prædeſtinationis diſſenſio. Nam poſito contra Pelagianos, Pontificios, & Synergiſtas themate, non per noſtras aut vires, aut concurſum eſſe quod convertimur, ſed ex ſolâ & merâ ſpiritus divini gratiâ atque operatione, ſequitur, converti nullos niſi per gratiam illam poſſe, & ſolâ hâc datâ homines converti.

verti. Iam non omnes convertuntur,ſed aliqui: his ergo gratia illa contingit. Numquid non aliis quoque eandem converſionis gratiam dare Deus poſſet, modo vellet? omnino: non dat autem: quare nec vult dare. Hoc verò quod in tempore facit, & quomodo facit, ſic facere decrevit ab æterno: nota enim ei opera ſua à ſæculo: quarè prædeſtinavit Deus dare illis ſuam converſionis gratiam, non item aliis, ac proinde etiam ſalutem, nam hęc ſolius converſionis adjunctum conſequens eſt. Patet igitur, non omnium æque ſalutem Deum generali aliquâ voluntate velle vel prædeſtinatione: neque redemtionem eſſe univerſalem; nec gratiam; uti neque ſalutem: quæ omnia paris ſunt latitudinis & extenſionis: ſed uti his, & non aliis gratiam ſalutaris converſionis & exhibet Deus, & vult, ita iiſdem & Chriſtum redemtorem voluiſſe docendum quoque eſt ſolis, atque ſalutem. Adeo totum negotium vertitur in dogmate de gratiâ & libero arbitrio, quo benè aſſerto, in reliquis vera nequit eſſe controverſia, & niſi Lutheranus ſibi, neque concatenatæ huic veritati obloqui poteſt. De quo videri poteſt Iohannis Lampadii Bremenſis *Prodromus concordiæ euangelicæ*, ubi de prædeſtinatione, libero arbitrio, annexiſque agitur capitibus, & ex ipſis Lutheranis oſtenditur, utriuſque partis ſuper illis conſenſus, quodque novatores nullam exinde fovendi ſciſmatis cauſam habeant. Diſtinguitque Auctor, quod non fruſtra obſervemus, inter Lutheranos Euangelicos, & Vbiquitiſtas Pſeudo-Lutheranos. pag. 3. *eoque hoc fine ſuſcipiam, ut palam faciam non differre hâc in parte Reformatos ab Euangelicis Lutheranis, ſed tantum ab Vbiquitiſtis Pſeudo-Lutheranis, quorum Cadmæam fraternitatem obtinere non anxie laborant.* Etenim diſtinguendum inter Lutheranos ſemper diximus.

Super *perſeverantiâ Sanctorum* nullam unquam litem Noſtris movit aut Lutherus, aut Melanthon, aut

quis alius veteranorum iſtius familiæ Theologorum. Vnde forte aliter verba Confeſſionis Auguſtanæ art. XII. quo damnatur in fine error aliquis Anabaptiſtarum, qui dicerent, juſtificatos Spiritum S. non poſſe amittere, accipienda eſſe quam hodierni volunt, conjicere licet: eo magis, quo nec illa ſententia Anabaptiſtarum eſt, ſed contraria, juſtificatos quidem amittere Spiritum Sanctum. vel ponendum hoc inter illa, de quibus conqueri Melanthon ſolitus, quod in tantâ anguſtiâ Confeſſionem illam adornaſſet, ut ſi poſtmodum conſcribenda fuiſſet, accuratiore ſtudio illam limaſſet. Adde Noſtrorum in hunc articulum exegeſes, Altingii, Crocii, aliorum. Super eo diſputationem, poſt vexationes & turbas à Marbachio datas in Scholâ Argentinenſi, iniit Jacobus Andreas, in Colloquio Mompelgartenſi, cum Bezâ. Ægidius Hunnius, in Volumine Theſium, Diſput. xxx. hâc de re diſputat, ut quæſtione Theologicâ; aliter ac de quæſtionibus fidei.

Et ab illo Mompelgartenſi Colloquio, vel Jacobo Andreâ, reliquarum de baptiſmo, & *ceremoniis* ritibuſque nonnullis quæſtionum diſputationes cœptæ: de quibus non ut contenderent, ſed componerent magis erant antea omnes ſolliciti:tanguntque aut adminiſtrationem Sacramentorum, baptiſmi, & Cœnæ; aut templa, & cultum publicum: talia, ut diſciplinæ quidem Eccleſiaſticæ, non tamen religionis diverſitatem indicent; atque ab Adverſariis magis ex praxi defendantur pleraque, quam neceſſitate. Vnde in Synodo Poſnanienſi a. cIↄ Iↄ lxx. die xx. Maji, quâ conſenſus Sendomirienſis ante menſem factus confirmabatur art. XVIII. benè ſtatuerunt Auguſtanæ Confeſſionis, & Bohemicæ Fratres: *Ceremonias & ritus Papiſticos ſenſim auferendos, & omnino rejiciendos eſſe cenſemus, ut Exorciſmum, imagines idololatricas, Sanctorum reliquias, uſum ſuperſtitioſum candelarum, Conſecrationem herbarum,* *vexilla,*

vexilla, cruces aureas & argenteas, ac his ſimilia: ne per illa verbum Dei profanetur, & ne Antichriſto patrocinari videamur. Atque in hiſtoriâ Concordiæ VVittembergenſis, quam Argentinenſibus ſuis tradidit Bucerus, de Pomerano refert, quum ſuper illis cæremoniis cum eo conferret, ita ſibi reſponſum, quod non multum illa moraretur, quin ſolere ſe S. Cœnam ſæpius ſine candelis, veſtimentorum pompis, & elevationis ritu, fortaſſis aliquanto etiam ſimplicius quam apud nos fiat, in ſuis Eccleſiis celebrare. Hæc ità Bucerus, in tractatu dicto, inter Scripta ejus Anglicana, pag. 658.

Quod ad noſtras cum Lutheranis ſpectat *diſputationes*: quemadmodum Adverſarii in fingendis & faciendis controverſiis ſtrenui ſunt, ita in diſputando moleſti, prolixi, obtuſi, paſſim quoque acerbi & maleloqui. Non video adeo neceſſum eſſe multos libros ſcribere, quum eorum ſatis magna ſit copia: minus probo perſonales impugnationes, tam familiare illis vitium, ut vix ii etiam, qui præ aliis moderati, & erga nos propenſi videntur, eo abſtinere queant, quin paſſim Calvinianos nominent, & quodcunque iſtius generis convitium. Matthias Hoë, VVittembergenſis Theologus, neutiquam inter optimos numerandus, in libello *de Diſputationibus Theologicis*, dum docet ſcilicet, quomodò inſtituendæ ſint, paſſim ut Sacramentarios nos acerbiſſimè exagitat. Lepidum nempe boni diſputatoris exemplum. Acturus tu aliquando cum illis, diutior ſis in exponendo controverſiæ ſtatu; ut Adverſarii ſe expediant: tum ad diſputationem accede, & in formâ, ſyllogiſtice, uti ad Andream Iacobi in Colloquio Mompelgartenſi clamabat aliquotiès D. Beza, *fac ſyllogiſmum*: id eſt, diſputare oportet perſpicue, & amice, uti inter illos, quorum unitæ aliquando partes & Eccleſiæ fuerunt, & ſi forte iterum, vel alicubi uniendæ. Ideoque & hoc probe obſervandum, ut ſententiam ſuam quam hodie tenent Adverſarii, non ſolum conen-

tur nobis probare veram, ſed illam quoque eſſe Lutheri, & Confeſſionis Auguſtanæ: contrà nobis id agendum, ut in omnibus oſtendamus conſenſum doctrinæ noſtræ cum Luthero, & Auguſtanâ Confeſſione, vel quomodo ſe mutuo tolerarint olim diſſidentes. Quod egregie & diligenter oſtendit in libro Belgico Henricus Alutarius: *ſpeculum dictorum Lutheranorum*. Adeo qui in hiſce controverſiis aliquid cum fructu præſtiturus ſit, oportet æque bonum eſſe, ſaltem quod ad res Reformationis primas, hiſtoricum, ac Theologum, & tam ſcire quid actum dictumque olim, quam quod jam agendum vel diſputandum ſit. Libros conſulere oportet, *Confeſſionem Auguſtanam*, *Concordiam Bergenſem*: & Controverſiarum tractatores, miſſis prolixioribus, habes Lucæ Oſiandri F. *Enchiridium*; Mentzeri *Exegeſim Auguſtanæ Confeſſionis*, cui reſponderunt Altingius, & Crocius; Henrici Eckhardi *Faſciculum Controverſiarum*, hoc ſolo nomine commendandum, quod quæcunque adverſum Nos comminiſci iniquiores poſſunt, una cum ſuis argumentis, comprehendat, ut ridiculum ſit, quod in libri titulo ait, illum continere quæſtiones *fere* omnes, quæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos & Calvinianos diſceptantur. Imo vel leviter librum inſpicienti apparebit non meliorem ei quadrare titulum, quam farraginem calumniarum: & Auctorem perpetuo hoc agere. I. Vt Calvinianis, quomodo loquitur, impingat falſo, quæ nunquam ſtatuunt. II. Vnius Doctoris ſententiam imponat toti Eccleſiæ, atque omnium faciat communem. III. Quodque peſſimum, Doctoris etiam à noſtris Eccleſiis reprobati, puta Vorſtii. IV. Et non diſtinguat opinionem alicujus, vel ſententiam problematicam, à doctrinâ Eccleſiaſticâ. V. Ex Logomachiis faciat quæſtiones, & controverſias. VI. Exceptiones & inſtantias ponat, pro quæſtionibus principalibus. VII. Atque ut numerum librumque augeret in quo ſolo ſudavit, eaſdem

eaſdem aliquoties repetit controverſias. Quæ omnia librum perluſtranti, mox liquebunt: quem proinde eo loco habendum cenſeo, quo dixi. Legendum etiam, ex multis Colloquiis, *Mompelgartenſe*, in quo prima multarum rerum, egregiaque habetur diſputatio. Tum *Admonitio Neoſtadiana*, quem librum ut in Belgicum Noſtri converterent, cenſuit merito Synodus Medioburgenſis a. cIↄ Iↄ lxxx I. addendique Scriptores polemici Controverſiarum Lutheranarum. Commendo Altingium, Alutarium, qui Belgicè adverſus illos ſcripſit, uti quoque Acronius, Grevinchovius; & quibus nota lingua Germanica, conſulenda iſtorum Theologorum, hiſce in rebus verſatiſſimorum, ſcripta, inter quæ Heidelbergenſium Treuhertzige Ermahnung &c. Chriſtophori Pezelii, *Hiſtorica narratio de Cœnâ*, quæ etiam Belgice legitur.

Varia Lutherani inter ſe à primis temporibus habuerunt ſciſmata, de quibus ex parte diximus: omnium catalogum exhibent Micrælius, in *Syntagmate hiſtorico*, *lib.* III. & Iohannes Pappus, in *Epitome hiſtor. Eccleſiaſtica*. Qualia *Antinomorum*, authore Ioh. Agricolâ Iſlebio, ad anno cIↄ Iↄ xxxvIII. *Interimiſtarum*, ex libro Interim: authoribus Iulio Pflug, Michaële Sidonio; & Iohanne illo Agricolâ confecto a. cIↄ Iↄ xlvII: qui controverſias religionis inter Proteſtantes & Pontificios moderabatur, & cui inhæreri uſque ad determinationem generalis Concilii volebat quidem Cæſar, ſed ei neutra pars aſſenſit. Inter Lutheranos alii aliis librum illum magis probabant, vel improbabant. Et quia varia in illo tum circa doctrinam, tum ritus animadvertebantur; de operibus ad ſalutem neceſſariis; de hominis ad ſui converſionem cooperatione & ſynergiâ; de ritibus & cæremoniis; nata hinc tria fere apud Lutheranos ſciſmata, Primum *Majoriſtarum* dictum, motum ab Amsdorfio, docente, opera bona dicenda eſſe non neceſſaria ad ſalutem, potius pernitioſa. Alterum

terum *Synergiſtarum*, partes ducente Victorino Strigelio, ſeque ex Philippi Melanthonis lib. *Corp. Doctrinæ* potiſſimum tutante. Tertium *Adiaphoriſtarum*, ritus Papiſticos, de quibus litigabatur, dicentium indifferentes eſſe. Liteſque & contentiones adeo exundarunt, ut quamvis ſatagente illas componere Saxoniæ Electore Auguſto, in Colloquio Altemburgico a. cIↃ IↃ lxIII. inter Theologos Miſnicos, & Thuringicos, quorum illi pro Interimiſtis erant, hi contra ii, & productâ in vanum diſputatione de uno juſtificationis articulo per quinque integros menſes, re infectâ tandem diſceſſum ſit. Adverſus conſilia & conatus interimiſticos egregie quidem ſe geſſit Andreas Oſiander, atque potius loco cedere & Noribergam relinquere voluit, quam illis ſe adjungere, ſed idem in Academiam Regiomontanam Boruſſiæ admiſſus ad profeſſionem Theologicam, alia movere cœpit, non minus mala, ſciſmatique occaſionem dedit, docens ad a. cIↃ IↃ lI. juſtificari nos juſtitiâ Chriſti, ut Dei, quæ eadem ſit Patris, Filii, & Spiritus Sancti eſſentialis. Cui dum ſe oppoſuit Hebrææ, in eâdem prius Academiâ linguæ Profeſſor, Franc. Stankarus, Italus Mantuanus, inde Francofurtum ad Oderam commigratus, ex adverſâ parte alium errorem cudit, de Chriſto ſecundum ſolam humanam naturam mediatore. Quorum illud *Oſiandriſmus* dictus; hoc *Stancariſmus*. Qualis vir Oſiander fuerit; quamque nil ab indole ſuâ alienum commiſerit, turbans ſuis vanis perverſiſque dogmatis (nam etiam alia præter hoc, quod diximus, tenebat, uti Chriſtum, quamvis non peccaſſemus, nihilominus tamen incarnandum fuiſſe, at non crucifigendum, quia nimirum ad ejus imaginem hominem creatum exponebat) Eccleſiam, Calvinus ad Melanthonem ſignificavit, epiſt. a. cIↃ IↃ lII. *Quòd ſe Oſiander nobis ſubduxit, imò non ſine violento impetu ſe proripuit, non mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es, ex eo eſſe ferarum genere, quæ nunquam cicurantur:*

&

& ego ſemper inter noſtra dedecora eum numeravi. Quo certè die mihi primùm viſus eſt, profanum hominis ingenium, & fœdos mores ſum deteſtatus. Quoties ſuave, ac generoſum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces, Ego ſum qui ſum: Item, hic eſt Filius Dei vivi: quæ manifeſta Dei ludibria proderent. Quò magis ſæpe miratus ſum veſtrâ omnium indulgentiâ talem belluam foveri. Præcipuè verò, quum locum in præfatione quâdam tuâ legerem (ubi poſt VVormacienſe inſaniæ ſpecimen pluſquam liberaliter abs te laudatur) obſtupui. Sed faceſſat ille, quem alieniſſimum à nobis eſſe expedit. Iſtiuſque deliria Calvinus idem graviter refellit, *Iuſtitut, lib.* III. *cap.* XI. Vide de eodem Melanthonem, *in Conſiliis part.* II. *pag.* 155. 208. 253. 306. Pezelium, *part.* V. *Reſp. Theolog. pag.* 117. Conradum Schluſſelburgium; in *Catalogo hæreticorum lib.* VI. ubi; quæ Nic. Gallus, Ioh. VVigandus, aliique, adverſus eundem attulerunt, habes. Fuit Oſiander vir alicujus ingenii, animique, ſed audacis, ambitioſi, turbidi, vitæ non ſatis ordinatæ & ſobriæ. Vivendi ejus morem deſcripſit, *Enarrat. Euangel. part.* IV. Melanthon: Oſiander ita ſibi abrupit vitam. Solebat „incumbere ſtudiis circa horam nonam noctis, & con„tinuabat ea ad primam vel ſecundam uſque. Sæpe eum „conveni, cùm eſſemus Auguſtæ in conventu. Mane „ſurgebat, quando erat cibus appoſitus ad menſam: „deſcendebat de ſcalis, & geſtabat caligas repoſitas in „brachiis. Solebam dicere ad eum: Domine Andrea, Ihr „hettet die ſuppen ſchier verſchlaffen: reſpondebat: Ich „weiß die zeit wolzutreffen; & hilariter prandebat ac bi„bebat: ut Melancholici ſunt voraces. Poſtea ibat de„ambulatum unam vel alteram horam: tertia vel quar„ta hora legebat vel ſcribebat aliquid: poſtea cœnabat: „& circa horam noctis nonam iterùm ad ſtudia redibat. „Factus eſt tandem hydropicus: id tribuo illi conſuetu„dini. Quando venit in Pruſſiam, voluit etiam certare „cum aulicis bibendo: ſicut poterat largiter bibere: e-

„rat enim robuſtus vir. Atque quia ſibi metuebat à leprâ, collo auream catenam, ne illâ inficeretur, geſtaſſe ſcribunt: Opinionem ſuam de juſtificatione per juſtitiam Dei eſſentialem, à multo tempore preſſerat. In Colloquio Marpurgenſi a. cIↃ IↃ xxix. cui nomine Norimbergenſium interfuit, habita à Luthero concione de noſtrâ coram Deo juſtitiâ, eundem quem Lutherus paulo ante, textum ſumſit, & explicuit adeo duris noviſque loquendi rationibus, tantâque grandiloquentiâ de juſtitiâ noſtrâ diſſeruit, ut hinc monſtri aliquid alere eum omnes animadverterent, & Lutherus, *ſe faſtuoſum ſpiritum improbare*, palam teſtaretur. Adfuit etiam Comitiis Auguſtanis, quando iis offerretur Confeſſio a. cIↃ IↃ xxx. Noribergâ in Boruſſiam accitus fuit, ab Alberto Marchione Brandeburgico, & ſummo Boruſſiæ Magiſtro: ubi docebant in recenti Academiâ Regiomontanâ Frid. Staphylus, factus poſtea apoſtata, Georgius Venetus, Stankarus. Sententiam ſic proponebat Oſiander: *nos ſolâ eſſentiali Dei juſtitiâ juſtos eſſe, eſſentiali ejus vitâ vivere, & victuros eſſe, eſſentiali ipſius gloriâ glorificari, eſſentiali illius charitate ad diligendum Deum & proximum propter ipſum inflammari, & graviſſimè errare omnes, qui putent aliâ re, quam ſolo uno & vivo Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto nos poſſe juſtificari, vivificari, glorificari: & glacie frigidiora docere, qui doceant, nos tantùm propter remiſſionem peccatorum reputari juſtos, & non etiam propter juſtitiam Chriſti, eſſentialem & divinam, per fidem in nobis habitantis.* Præcipue ſe ei oppoſuit, in Miniſterio verbi Collega Ioach. Morlinus, quem ipſe ut exceperit, hæc ejus epiſtola ad Morlinum probat: *Inflixiſti mihi hodie in concione tuâ non modò acerbum, verùm etiam ſceleratum vulnus. Nemo enim aliter intellexit: accedunt literæ tuæ, neſcio an indoctiores, an furioſiores. Verùm ut intelligas quàm me terrueris, audi. Ego mihi vehementer gratulor, quod te inimicum habeam apertum potius, quàm amicum incertum.*

Age-

Agerem aliter tecum, ſed literæ tuæ adimunt mihi ſpem amicitiæ, concordiæ, & tuæ reſipiſcentiæ. Itaque reſpondebo tibi, non ut tu vis, neque quomodo tu vis, ſed quando, & ut mihi commodum videbitur: & oſtendam tibi, Deo adjuvante, coram totius Europæ Eccleſiâ, aliud eſſe doctum, aliud Doctorem VVittembergenſem, qui oblitus Filii Dei, juravit ſe non diſceſſurum à confeſſione Auguſtanâ, cum omnis homo ſit mendax, nec excipiatur Philippus. Hæc memori mente repono 19. *April.* 1551. In medio certamine, præter omnem exſpectationem, interemptus eſt paroxyſmo epileptico, Regiomonti.a. cIↄ Iↄ lII. die xvII. Octob. Poſt vero obitum pro eo pugnam continuarunt Funccius, (qui non parvam ei in Commentariorum Chronologicorum fine attexit laudationem, quippe gener ejus erat) Sciurus, & alii, uſque ad a. cIↄ Iↄ lxvI. quo ſopita lis fuit, Funccio, præcipuo Oſiandriſmi propugnatore, ob turbas in Boruſſiâ datas, quod Ducem ſuaſiſſet, ut inde ſe cum filio unico, propter inſidias ſcilicet Conſiliariorum ſuorum, proriperet, una cum duobus aliis Conſiliariis politicis capite multato, Regiomonti, in foro publico anno cIↄ Iↄ lxvI. die xxvIII. Octobris. Franciſcus Stankarus] etiam in Academiâ Cracovienſi Hebrææ linguæ Profeſſor fuit, atque in carcerem conjectus ob dogmata Euangelica, ſed liberatus induſtriâ famuli ſui Georgii Nigri, conciſo in longas faſcias linteo, quibus dimittebatur. Ejus opinio magnas in Eccleſiis Polonicis, ſub primis earum initiis, turbas dedit, conſultique ſuper ea Melanthon, Calvinus, Martyr, Zanchius, Beza, alii, qui eam ſolide confutarunt, & Tigurini Theologi, in epiſt. ad Eccleſias Polonicas, ſubjecta hiſtoricæ narrationi Iohannis Vtenhovii, de peregrinatione exulum Anglorum. Variis Polonicarum Eccleſiarum Synodis agitatum ejus damnatumque dogma, a. cIↄ Iↄ lIv. & cIↄ Iↄ lIx. uſque dum a. cIↄ Iↄ lxxIv. eo Stobniciæ mortuo, illud ſimul vivere deſiit. Referunt, ante obitum reſipuiſſe, vel

ſaltem

ſaltem, propter pacem Eccleſiæ, litem omiſiſſe, ac depoſuiſſe. Auctor Hiſtor. Eccleſ. Sclavon. *lib.* I. *pag.* 83. 125. & *lib.* II. *pag.* 228. Filium habuit Franciſcum Stancarum, miniſterio functum in Eccleſia Oxenſi, ab a. cIↄ Iↄ xc ix. uſque ad a. cIↄ Iↄ c xxI. quo obiit, de quo Idem hiſtoricus agit, *lib.* III. *pag.* 414. De Matthæo Flacio Illyrico ſupra diximus: hic præter impetum & violentiam adverſus bonum virum Phil. Melanthonem. atque furores Amsdorfii quos ſectabatur, bona opera non neceſſaria ad ſalutem, ſed pernitioſa dicentis, alterius ſciſmatis *Flacianorum* auctor extitit a. cIↄ Iↄ lxI. in Conſeſſu Vinarienſi diſputans cum Victorino Strigelio, ſuper negotio peccati originalis, quod hic extenuabat, ille autem plus æquo extendebat, & aſſerebat eſſe *ſubſtantiam*: quod multi in eo exagitarunt, præſertim Lipſienſes, & VVittembergenſes Theologi, quorum Cenſuram in librum ejus *Clavis ſcripturæ* exhibet in ſuâ Epitome hiſtoricâ Pappus. Atque liber Concordię Bergenſis eandem opinionem improbavit: quæ cum Cyriaco Spangenberger, qui poſt Flacium, illa acerrime tutatus fuit, tandem etiam intercidit. Aliud *Schiſma excitavit Formula Concordiæ*, inquit Micrælius, in Catalogo Sciſmatum Lutheranorum pag. 529. quum ei alii ſubſcribere parati eſſent, alii verò recuſarent. Inter illos inepte Helmſtadienſes, & quidem quaſi alterius Sciſmatis auctores recenſet. *Samuël Huberus*, in Acad. VVittembergenſi Profeſſor Theologus ad a. cIↄ Iↄ lxIII. docuit prædeſtinationem univerſalem: cui errori ſe multi tum inter Lutheranos, tum Noſtros, oppoſuerunt. Alia Lutheranorum vel ſciſmata, vel quæſtiones vexatas, quomodo appellat in Diſput a. cIↄ Iↄ c xx. d. xxI. Ianuar. Balthaſar Meiſnerus, nihil attinet pluribus perſequi. Controverſias autem, quæ cùm Lutheranis ſunt, ad hæc revocavi capita.

1. Num Chriſti corpus & ſanguis verè & ſubſtantialiter

aliter in S. Cœnâ præſens ſit, ita ut oraliter ibi, atque ab infidelibus etiam, ſumatur? *Neg.*

II. Num humana Chriſti natura ſit ubique præſens, idque ex communicatis ſibi realiter divinæ naturæ proprietatibus, nempe omnipræſentiâ, omniſcientiâ, omnipotentiâ, & adorabilitate? *Neg.*

III. Num generali voluntate Deus velit omnium hominum ſalutem: atque inde Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit vel ſatisfecerit; atque hinc univerſalis omnibus ad converſionem offeratur gratia: adeoque Deus ex prævisâ fide, vel infidelitate homines prædeſtinarit? *Neg.*

IV. Num verè fideles & ſanctificati quidem etiam plene deficiant à fide, & à Dei gratiâ in totum excidant? *Neg.*

V. Num baptiſmus regenerationem & fidem conferat tamquam ordinarium medium huic fini, & ad ſalutem neceſſarium ſit, ſupra neceſſitatem mandati: adeoque in caſu neceſſitatis, etiam privatis & mulieribus baptizare liceat? *Neg.*

VI. Num in baptiſmo rectè adhibeatur exorciſmus? *Neg.*

VII. Num privata Confeſſio & abſolutio in Eccleſiis ſit retinenda? *Neg.*

VIII. Num ad celebrationem S. Cœnæ devotiorem cereos accendere: Miniſtrum albâ veſte indui: altaria, & aureos calices adhibere: non frangere panem cibarium; ſed placentulis uti orbiculariis: atque communicantibus non in manus ſymbola tradere; ſed in os ingerere: & ægroto S. Cœnam ſeparatim ac privatim adminiſtrare, conveniat? *Neg.*

IX. Num ad mentionem nominis Ieſu geniculandum, vel detegendum ſit caput? *Neg.*

X. Num in templis habendæ imagines; & in ſacris cœtibus, cantiones Latinæ, contentus harmonici, vel organa Muſica? *Neg.*

Liber Decimus

DE

BROWNISTIS. &c.

BRowniſtarum, ſive Separatiſtarum origo, ſecta, nomen. Articuli illorum non impugnant Eccleſiarum noſtrarum doctrinam, ſed regimen, & diſciplinam, præſertim priſcæ Anglicanæ. Quare alias moverunt olim controverſias; alias hodie. Quædam carpunt, quæ Nos etiam non probamus. Cætera quæ habent, talia non ſunt quin ſciſmatis eos redarguant, & temerariæ ab Eccleſiâ Reformatâ ſeparationis. Breviter rationes, quas prætendunt, examinantur: & ſimul retunduntur aliis. Quæſtiones reliquæ, de Poteſtate eccleſiaſticâ; Presbyteris; Presbyterio, Claſſibus, & Synodis. De Independentiſmo. De Eccleſiæ particularis amplitudine. De templis olim idololatricis; ſimiliter de reditibus, & ſtipendio Miniſtrorum verbii, confirmatione matrimonii eccleſiaſticâ; formulis precum. Appendix, de Antinomis.

TEmpore Reginæ Elizabethæ in Angliâ pullulavit Secta quæ *Browniſtarum* dicta, inchoata à *Roberto* quodam *Boltono*, qui primus ſegreges ab Eccleſiâ Anglicanâ, ob diſcrimen regiminis diſciplinæque, egit cœtus: at poſtea errorum convictus & temerarii ſciſmatis, publicam in primario Londini templo fecit palinodiam; neque ita adhuc tranquillus animo, ſed variis agitatus conſcientiæ inquietantis morſibus, poſtremùm deſperatione, vitam ſibi infælici ſuſpendio ademit. Quare non multum in hoc chorago ſequaces ejus

jus gloriæ quod ponerent, unquam habuere: agnoſcunt autem illum talem, & ſeparati Cœtus ſeniorem fuiſſe, recantaſſe etiam, vitamque laqueo ſibi finiviſſe.

Sequutus *Robertus Browne*, à quo Brouwniſtarum nomen, primùm Ludimagiſter in Southwarke, dein Verbi miniſter Iſlingtoni, prope Londinum, qui partibus Separatiſtarum ſe adjungens, unà cum ſuo grege a. cIↄ Iↄ lxxx. ex Angliâ transfretavit Mediobùrgum Selandorum; ubi obortâ inter ipſos gravi diſſenſione, pars pleraque ad Anabaptiſtas deflexit: ipſe Brown Angliam repetiit, recantatoque errore, ab Epiſcopis beneficium impetravit, in quo, & reliquâ vitâ, tum ſævitiæ erga uxorem, quam ſe verberare ajebat, non ut uxorem, ſed ut peſſimam vetulam, tum injuſtitiæ erga Capellanum ſuum, quam ob cauſam & carcere concluſus diu; denique variorum ſcandalorum reus actus fuit. Quæ agnoſcentes ſui, id eſt, ſeparationis ſectatores, inde ægre adeo ferunt ab ipſo denominari, ut quem in Ægyptum regreſſum, & à Deo deſertum, quia eum ipſe prior deſeruerat, ſcribunt. Ioh. Robinſonus, lib. Anglico (nam quia Anglicè proſtant, neque noti aliter libri ſunt, ſuis ipſos titulis deſignare neceſſum habemus) *juſtification of Separation, againſt Rich. Bernard. pag.* 50.

Henricus Barrow, à quo nomen Barrowiſtarum (ſcias diſtincta eſſe Browniſtarum, & Barrowiſtarum nomina) vehementiſſimus & virulentiſſimus fuit Eccleſiarum noſtrarum detractor & adverſarius, qui cœtui ſuo alieniſſimos & adverſiſſimos contra nos infudit ſpiritus: quod, qui eximie adverſus illos ſcripſit, Richardus Bernardus, planum fecit, cum in libro *The Separatiſts ſciſme p.* 22. & 70. tum alio, *The errours of Barrow confuted.* Tandem hic, poſt ſexennalem incarcerationem, unà cum ſocio *Iohanne Greenwood*, ſub Elizabethâ, regno ejus a. xxxvi. Chriſti a. cIↄ Iↄ xciii. in ſuſpendium actus fuit: *by the evill advice of the cruell Prelates about her ma-*

lo conſilio crudelium Prælatorum juxta eam, ſcribit Robertus Baylie, Glaſcovenſis, lib. *à Diſſuaſive from the errours of the time pag.* 14. Vnde duos illos Barrow & Greenwodum pro Martyribus Secta ipſorum reputat, & veneratur. Illorum exemplo territi quotquot in Angliâ ſupererant iſtius familiæ, aufugiebant; veneruntque Amſteldamum, ductore *Franciſco Iohnſono*: à quo tempore ibi conſederunt. Cum Iohnſono, Amſteldami, ejuſdem ſectæ erat *Henricus Ainſwortth*: qui Confeſſionem ediderunt a. cIↃ IↃ c I I. Sed Iohnſono, viro admodum contentioſo, neque cum Fratre primùm Georgio, tum nec cum Parente benè conveniebat, quem utrumque etiam excommunicavit. Deinde inter Iohnſonum, atque Ainſwortum obortâ lite, in duas partes ſciſſa ſecta fuit, quæ ſe mutuò excommunicabant: & Iohnſonus, cum ſuis, Emdam conceſſit, ubi cum ejus morte Congregatio ſoluta fuit & evanuit. Ainſwortus in Hiberniam trajecit, nonnulloſque ibi reliquit diſcipulos, brevi reverſus Amſteldamum. Poſt cujus mortem Cœtus Amſteldamenſium Browniſtarum parum abfuit quin in fumum abiiſſet, diuque carens Rectoribus, tandem poſt multas contentiones accepit *Iohannem Canu*, qui, turbata Sectis Anglia, & non admiſſis modo, ſed plurimum quoque ibi pollentibus Browniſtis, faſtidita exili paupereque turba ſua Amſteldamenſi, in Angliam tranſvolavit, locumque invaſit alium, Cœtu Amſteldamenſi relicto, ſuo cum interitu luctante.

Vti Browne, cum ſuis, Medioburgum; Iohnſonus Amſteldamum; ita *Iohannes Smith* Leidam ex Angliâ appulit, fundavitque Congregatiunculam Separatiſtarum, ſive Browniſtarum: ſed cum antiquioribus ejuſdem ſectæ non diu concors, quos idololatriæ accuſabat, quod tum in concione ad volumen Bibliorum, tum inter cantandum, Pſalterium reſpicerent, etiam Antichriſtianiſmi in regimine Eccleſiæ, quod Paſtoribus

ad

adjungerent alios Doctores, & Rectores, quæ humani commenti dicebat; tandem ad Anabaptiſtas defecit: & quemadmodum antea non cum Browniſtis, ita nec tunc cùm Anabaptiſtis, quibuſcunque etiam immixtus, faciebat, cui non tot variæ Anabaptiſtarum ſectæ ſatis adhuc erant, niſi & novæ formam ſuo exemplo præbuiſſet, rebaptizatus non ſolum, ſed & ſeipſum baptizans, unde *Sebaptiſta* dici meruit.

Optimus inter illos fuit, de quo poſtremùm dicendus, *Iohannes Robinſonus*, quoque Leidenſium Separatiſtarum Miniſter, vir ſupra reliquos probus, atque eruditus, qui initio quidem adventus ſui ex Angliâ in Hollandiam, varios pro ſeparatione ab Eccleſiâ Anglicanâ & noſtrâ, illiuſque juſtificatione ſcripſit tractatus, ſed poſtea crebris Ameſii, & Parkeri litteris & collationibus admonitus, melius ſapere didicit, & de reducendo ſuo ad Eccleſiam Cœtu, à quâ ſe ſecreverat, ſerio deliberare incæpit, concedens ſuis ſaltem communicare Eccleſiæ noſtræ verbo, & precibus, quà publicis, quà privatis: ſuper quo ſcripſit librum, *of Communion private, and publike.* Atque non ſpem ſolùm fecerat, de plenâ reſtaurandâ communione, in Sacramentis etiam, ac diſciplina, niſi immaturâ morte fuiſſet præventus; ſed, poſt obitum ejus, obortâ in Cætu contentione & ſciſmate, ſuper communione cum Eccleſiâ Anglicanâ in auditione verbi, D. Robinſoni vidua, liberi, reliquique propinqui & amici in communionem Eccleſiæ noſtræ recepti fuerunt. Vir ille gratus noſtris, dum vixit, fuit, & Theologis Leidenſibus familiaris ac honoratus. Apologiam edidit ſuo, & Eccleſiæ ſuæ nomine a. cIↃ IↃ c xix. quæ legitur Latinè, & Anglicè, recuſa pridem a. cIↃ IↃ c xl iv. digna quæ à Theologis omnibus ſeriò expendatur. Multa quippe continet & obſervat haud adeo contemnenda. Scripſit præterea Robinſonus varia contra Arminianos: frequens quippe & acer erat Epiſcopii in Academiâ adverſarius & Opponens. Contra

Anabaptiſtas item: & Obſervationes divinas, ac morales, Anglicè: Denique *Independentiſmi*, de quo poſtea plura, is ipſe auctor extitit.

Anglicana Eccleſia ab initio Reformationis, in regimine & diſciplinâ, hierarchico epiſcoporum ordine, & ceremoniis præ aliis gravata, plurimis paſſim ſcandalum dedit, & conquerendi contendiq; materiam. Qui retenta ibidem multi exiſtimant, ex primorum in Angliâ reformatorum cum Proteſtantibus Germaniæ magis, quam Galliæ, ubi illa non ita probata, ac illic, convenientiâ & commercio: accedente formâ regiminis politici Monarchica, cui Epiſcopalis in Eccleſia familiari admodum nexu ſe accommodat. Reſtiterunt illis in Angliâ vulgo, quibus alia, vel Genevenſis, aut poſt eam Scoticanæ Eccleſiæ probata ſimplicitas. Sed hoc diſcrimine, quod optimi illa ordinis Epiſcopalis, & cæremoniarum reprehendenda quidem cenſerent ac reformanda, ſed non propterea deſerendam Eccleſiæ, ubi obtinebant, ut in Anglicanâ, communionem; ſufficere, ſi hâc retentâ, illis ſe non conformarent, unde dicti paſſim *Non-Conformiſtæ*, ad diſtinctionem illorum, qui iſta regiminis & diſciplinæ probabant etiam, obſervabantque. Alii pauciores hanc diſſenſionem tanti faciebant, ut propterea deſerendam Eccleſiæ, quæ illis laborabat, communionem cenſerent, iique erant qui dicebantur *Separatiſtæ*, ſeu *Browniſtæ*. Hinc magna ubique requirebatur cautela & prudentia incedendi rectâ inter Epiſcopales ab unâ, atque Browniſtas ab alterâ parte, ne vel illis accederetur in probandis ſcandalis, vel in nimium illis improbandis aut fugienda deteſtandaque ideo omni Eccleſiæ Anglicanæ communione, Sciſmaticis. Quo enim nomine appellare eos oporteat, incertum. Browniſtæ appellari, vel ob tetrum Roberti Browni facinus, omnino reſpuunt. Vnde Iohannes Robinſonus, in Apologiæ ſuæ titulo inquit: *eque contumelioſe ac communiter dictorum Browniſtarum, ſive Barrowiſtarum.* Nec hoc

hoc, nec illo nomine compellari amant. Confeſſionem primam quam ediderunt a. cIↄ Iↄ xcv i. extatque Anglicè, Latinè, & Belgicè, cujuſque Apologiam ſcripſerunt ad Doctores Oxonienſes a. cIↄIↄxcv i i i. ſe Anglos in Belgio exulantes vocant: *Confeſſio fidei Anglorum quorundam in Belgio exulantium.* Niſi quod majori forte cum ipſorum veniâ dixeris Separatiſtas, vel ſeparatos, aut ſeparantes ſe, פרשים, unde vocatos Phariſæos nonnulli (an bene, jam non dico) opinantur. Certè integros ſcribunt libros cum hoc titulo: *juſtification of Separation*: & Eccleſias ſuas, eccleſias ſeparationis nun cupant. Iohannes Smit, *the churches of ſeparation.* Ergo illos, nam aliqua nota diſcernendi, Separatiſtas nominemus. Solò Robinſono excepto, eoque circa extrema vitæ ſuæ, omnes magnâ vehementiâ contenderunt, cum Eccleſiis noſtris, Anglicis præſertim, non tenendam communionem eſſe. Quod ſi vel de Anglicanis verum fuiſſet, Epiſcopali ordine, & cæremoniarum onere gravidis, non de hodiernis tamen, non de Noſtris Belgicis, illorum vacuis, dici unquam potuit. Et cur tamen ab his, niſi & iſtis quoque, adhucdum ſe ſegregant? Nos ab Anglis continuo Miniſtros accipimus, viciſſimque iis damus, & in ejuſdem Eccleſiæ communionem homines utrimque recipimus: cur ab utriſque ſe ſeparant, & diverſos etiamnum cœtus agunt, diverſam communionem? Olim ſcripſit inter illos Franciſcus Iohnſonus peculiarem hoc titulo, ſed anglicè, librum: *illicitum eſſe ullam cum hodierno Eccleſiæ Anglicanæ miniſterio vel audire vel habere communionem.* Interdicens ſuis etiam communione verbi, & precum in Eccleſiis Anglicanis; ut *cultu ſuperſtitioſo & vano*, quomodo de modo precandi per formulas dixit, in libro contra Giffordum, cui titulum fecit ludicrum, *more worke for Prieſts*, Ioh. Greenwood, *Chriſti fidus*, uti additur, *Martyr.* Sed quid hæc ad illos, qui ſe formulis non alligant; aut ad præſens Anglicanæ Eccleſiæ Miniſte-

niſterium, amoto diu ordine hierarchico? aut quid ad noſtras Eccleſias, à quibus tamen ſeorſim etiam hodie ſacra ſua illi inſtituunt? Mitior ſemper Robinſonus, qui in Apol. cap. ult. *quandam* ſe feciſſe ab Eccleſiâ Anglicanâ ſeceſſionem ſcribit: quam ipſam etjam, ſiquidem ſupervixiſſet, correxiſſet forte totam. Nam quod ad doctrinam, exſerte fatetur, nihil ſe in Confeſſionibus noſtris carpere; & reliqui non Confeſſionis doctrinam in diſputationibus adoriuntur, ſed Eccleſiarum noſtrarum regimen, & diſciplinam. Illis ſe quidem ſubſcripturum teſtatus Robinſonus fuit, & convenire ſibi haud gravate cum noſtris, quibus & communionem libens impertiretur: *profitemur coram Deo & hominibus, adeo nobis convenire cum Eccleſiis reformatis Belgicis in re religionis, ut omnibus & ſingulis earundem Eccleſiarum fidei articulis, prout habentur in Harmoniâ Confeſſionum fidei, parati ſimus ſubſcribere.* Deinde, *quo jure quâve injuriâ, nos (quibus multo magis in re fidei & religionis convenit cum Eccleſiis Belgicis reformatis, quam plurimis ex eis Eccleſiis, quarum Confeſſiones tanquam Chriſtianæ conjunctionis ſymbola, omnibus inſpiciendæ proponuntur) ab hoc charitatis vinculo, aut conjunctionis conſortio excludi poſſimus?* Ac poſtea: *de Eccleſiis reformatis quid aliud dicam? eas pro veris & genuinis Chriſti Eccleſiis habemus cum eiſdem in ſacris Dei communionem profitemur, & quantum in nobis eſt, colimus, conciones publicas ab illarum paſtoribus habitas ex noſtris, qui norunt linguam Belgicam, frequentant, ſacram cœnam earum membris, ſi qua forte noſtro cœtui interſint nobis cognita, participamus: malis illarum ſeriò ingemiſcimus; eiſque à Deo ſanctam, firmamque pacem ex animo precamur.* Hæc in præfatione ſuæ Apologiæ. Vnde & *Fratres* nos appellat, *Apol. c.* VI. Adeo bene iſti viro cum Noſtris conveniebat, & quam largiri ſe noſtris lubenter communionem ſcribit, eam ut accepiſſet tandem etiam cum ſuis à Noſtris, & in noſtris Eccleſiis haud levis ſpes erat.

Quam-

Quamvis in nonnullis à Noſtris, diſcrepare ſe, conſtare etiam voluerit: *nec placere omnia, quæ in* Noſtris Eccleſiis *geruntur, ſi non publico inſtituto (quo non videntur obtinere) conſenſu tamen fere unanimi, & conſuetudine uniformi.*

Hinc quæſtiones Browniſticæ prudenter diſtinguendæ. Aliæ enim ſunt de rebus, quas iiſcum *non probamus*; aut de quibus nolimus *contendere*; nedum *ſcindere* Eccleſiæ communionem: quas moverunt aut adverſus Eccleſiam *Anglicanam*: aut etiam *Noſtram*. Quæ adverſus Anglicanam, ut hinc initium turbarum ſciſmatiſque fuit, concernebant aut *ordinem* Eccleſiaſticorum hierarchicum; aut *Liturgiam* & modum cultus ſacri. Ibi, quod Epiſcopos habebant Angli, & Archiepiſcopos, Suffraganeos, Diaconos, Archidiaconos, & reliquam Cleri hierarchico-Papalis turbam. Præterea improbabant quoque quod perſonæ *Eccleſiaſticæ politica* tractarent munera & negotia. Iam in cultu divino primum *Ceremonias* reſpuebant; tum librum uſitatum *Communium precum*, variis Papatus lemmatis ac ſuperſtitionibus refertum. Sed hæc omnia jam ſublata, iiſque purgata Anglicana Eccleſia eſt, quibus alii non minus obſtiterunt ſemper ac illi: quique propterea ſi ab Anglicanâ Eccleſiâ, quare ab Anglo-Belgicâ, & noſtris aliiſque Eccleſiis, ſeceſſerunt? Deinde, quæ in aliis, præter Anglicanam, Eccleſiis Reformatis reprehendunt, talia ſunt, ac jam dixi. De libris *apocryphis* in Eccleſiâ non legendis, quod proferunt, agnoſcimus. Neque id apud nos obtinet. De Confeſſionis noſtræ articulo ſexto inquit Robinſonus, ſe toti Confeſſioni lubenter velle ſubſcribere, *modo unius particula (ejuſdemque non maximi momenti) in Artic. 6. de ſcripturâ, candida & ſibi conſtans adhibeatur interpretatio. Scopus Articuli eſt (ut ex margine conſtat) diſtinguere inter libros Canonicos, & Apocryphos, quos vocant: de quibus tamen Apocryphis creditur, & affirmatur, quod legi in Eccleſiâ poſſint. Hoc ſi intelligatur de privatâ eorum per Eccleſiæ*

membra lectione, libenter annuimus: ſin verò de publicâ, paſtorali, & Eccleſiaſticâ, aliter ſentimus, neque ſuſtinemus ullos alios libros apud nos ad tantum dignitatis culmen in Eccleſiâ vehi, quàm qui à Sanctis Dei hominibus actis à Spiritu Sancto exarati ſunt. Nam quod dicitur, Apocrypha legi etiam in Eccleſiâ poſſe, non autem debere, hoc non alium ſenſum habet, quam quem ipſe ponit. Quod verò ſoliti fuerint in volumine Biblico apocryphi libri, inter Veteris, ac Novi Teſtamenti libros compingi; loco iis æquè convenienti, *quàm Turcæ alicui leproſo & captivo inter duos præſtantiſſimos Europæ Principes*, inquit Robinſonus, correctum jam, cum novâ verſione Belgicâ, adeoque in ultimum locum, etiam poſt Pſalterium, Catecheſin, Confeſſionem & Liturgiam rejecti illi libri ſunt. Niſi quod illud de Apocryphis in Eccleſiâ non legendis, aut ad precum formulas quis trahat, ut apocryphas quoque, quemadmodum Ioh. Greenwood, in ſuo hujus argumenti libro, adverſus Giffordum, *pag.* 29. ſive contra Catechiſmi explicationem, ut Ainſwort, apud Pagetum, *Arrow againſt the Browniſtes pag.* 46. quod tum aliud, & diverſum erit. Nam neque Catechiſmum libris Scripturæ æquamus, ſed ex iis tradimus tractamuſque eum & non aliter; atque formulas precum noſtras, non divinas habemus aut canonicas, ſed perinde ac conciones quas facimus, quaſque etiam pro rerum uſu variamus. Quæ quâ cautela apud Nos obſerventur, vide ex Ameſio, *Caſ. Conſc. lib.* IV. *cap.* XXVI. *quæſt.* I. §. II. *& Cap.* XVII. *quæſt.* IV. *&* V. quippe cui Browniſtica gravamina vel dogmata erant perſpectiſſima, ad quæ habitâ ratione perplura apud eum dicta occurrunt, tum in libro *Medullæ*, tum *Caſuum*; quæ niſi hinc, benè quis intelligat vel explicet. Vnde edidit idem quoque accuratum libellum *Puritaniſmi Anglicani* auctore Bradshaw.

Deinde quod de nominibus *dierum idololatricis* in meliora commutandis Browniſtæ diſputant, facilè omnes

appro-

approbamus: & quis non malit, ut feriam potius diceremus, quemadmodum in antiquâ Eccleſiâ, vel diem primum, ſecundum, tertium, quàm Solis, Lunæ, Martis &c.? modò uſus accederet. Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi. Ex quo etiam video ipſos Brownistas, præter doctrinæ ſuæ propoſitum, ſubinde ſic loqui. Nam quum Henricus Barrow tribus ante mortem, vel (uti dicunt) Martyrium diebus ſcripſerit ex carcere, ad Comitiſſam aliquam, non Aprilis, ſed quarti menſis uſurpato nomine: illi, qui Apologiam adverſus Oxonienſes compoſuerunt, ſcribunt illam epiſtolam datam fuiſſe menſis Aprilis quarto vel quinto die. Tantus eſt ille trium litterarum, quod dici ſolet, tyrannus mos. In Martyrologio Anabaptiſtico, ad à. cIↄ Iↄ l I I I. lego epiſtolam cujuſdam Iuſti Kint, ubi inter alia ſic loquitur: *ſcies, quod ego die, quem in Babele Sancti Thomæ vocant* &c. Vt antiquiora conſulamus. In Concilio Narbonenſi can. xv. dicunt, diem quintam feriam, qui & dicitur Iovis: *Ad nos pervenit, quoſdam de populis Catholicæ fidei, execrabili ritu diem quintam feriam, qui & dicitur Iovis, excolere, & operationem non facere.* Audi Auguſtinum, de hoc egregie diſſerentem, in Pſalm. xcIII. quæ haud pigebit deſcribere: *Quare ergo talem habet titulum, in quarta ſabbati? Vna ſabbati, dies dominicus eſt: ſecunda ſabbati, ſecunda feria, quem ſeculares diem Lunæ vocant: Tertia ſabbati, tertia feria, quem diem illi Martis vocant. Quarta ergo ſabbatorum quarta feria, qui Mercurii dies dicitur à Paganis & à multis Chriſtianis: ſed nolumus ut dicant; atque utinam corrigantur, ut non dicant. Sic enim habent linguam ſuam, quâ utantur. Non enim & in omnibus gentibus iſta dicuntur. Multæ gentes aliæ atque alia aliter vocant. Melius ergo de ore Chriſtiano ritus loquendi eccleſiaſticus procedit. Tamen ſi quem forte conſuetudo traxerit, ut illud exeat ex ore quod improbat corde, intelligat illos omnes de quorum omnibus appellata ſunt ſydera, homines fuiſſe: nec ex eo eſſe cœpiſſe*

ſta ſydera in cœlo, ex quo illi eſſe cœperunt. Euſebius Emyſſenus, homil. XI. de Paſcha: *mortifera idolatriæ conſuetudo in tantum homines occæcaverat, ut Solis, Lunæ, Martis atque Mercurii, Iovis, Veneris, Saturni, & diverſis elementorum, ac dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent.* Quin à Paganiſmo hæc veniant, forte ab Ægyptiis, nemini obſcurum: nomina vero menſium noſtrorum Numam habere auctorem, Plutarchus teſtis eſt. Philaſtrius Brixienſis, in Catalogo Hæreticorum, & hanc ponit cap. CXI. *quæ dicit nomina dierum, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, Saturni, à Deo hac ita poſita ab origine mundi, non hominum vanâ præſumptione nuncupata, cum à primâ origine uſque ad græcos Reges, & Hermem fallaciſſimum illum, qui hæc nomina vaniſſima, & frivola mentiendo auſus eſt nuncupare, ſi quærere volueris invenies multum fluxiſſe temporis, & ſic paganos, id eſt, græcos hæc nomina poſuiſſe: cum hæc nomina etiam ſecundum ſeptem ſtellas dixerint hominum generationem conſiſtere, ut ille ipſe delirans hoc definit: Dierum enim numerus primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, à Deo eſt appellatus, non in hâc vanitate nuncupationis turpiſſimæ initio enunciatus, aut traditus.* Imo ſupra Ægyptios licet adſcendere, & denominationem dierum planetariam arceſſere ab antiquis Sabæis, ſeu Chaldæis, quod ex auctore Arabico Said Vaheb docet Hottingerus, in *Hiſtoriâ Orientali*, lib. I. *cap.* VIII. *pag.* 177. ubi Auctoris illius locum adducit, de Sabæis ſic loquentem: *diem primum ſacrum faciunt Soli: ſecundum Lunæ: tertium Marti: diem quartum Mercurio: diem quintum Iovi: diem ſextum (congregationis) Veneri, cujus nomen eſt Beltha; diem ſeptimum Saturno.* Iſtæ vetuſtatis eſt hæc dierum nomenclatura, indeque tantam vim in uſu apud Græcos, Romanos, & quaſvis paſſim Gentes accepit, ex antiquiſſimâ Gentilium aſtrologiâ, non demum ex civili aliquo, ſeu publico inſtituto: de quo vide Seldenum,

num, *lib.* III. *de Iure Natur. Hebraor. cap.* xx. *&c.* Sylveſtro Papæ vulgò adſcribunt, quod dierum nominationem Ethnicam Solis, Lunæ &c. mutarit in aliam feriarum primæ, ſecundæ &c. quodque id fecerit rogatu Conſtantini Imperatoris: verum haud ita eſt. Nam etiam ante Sylveſtri tempora, ut poſt, ſimplex illa vel dierum, vel feriarum, aut ſabbathorum nominatio in Eccleſiâ obtinuit. Tertullianus, lib. de Iejunio, contra Pſychicos, quos appellat: *proinde nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant, quartæ feriæ, & ſextæ.* quas eodem libro appellat quoque quartam & ſextam ſabbathi. Τετράδα, πέμπτην, quartam, quintam, ſextam legimus apud Iuſtinum, & alios, quæ vertunt vulgò feriam; ſive reſpectu habito ad primam anni Eccleſiaſtici, à Paſchate incipientis hebdomadam, quâ ſeptem dies habebantur feriati, ut Scaliger exiſtimat: ſive ſimplici diei intellectu, feriâ, id eſt, die. Sed quoque apud Iuſtinum, Clementem, & alios occurrunt nomina dierum planetaria, nimirum ut vulgata. Ille in Apologiâ deſcribens morem concionum: *die ſolis*, inquit, *omnes convenimus*.. Clemens, Stromat. lib. VII. *novit ipſe jejunii quidem ænigmata horum dierum*, τῆς τετράδος, καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω. ἐπιφημίζονται γὰρ, ἡ μὲν, Ἑρμοῦ, ἡ δὲ, Ἀφροδίτης. *quarti inquam, & ſexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic verò Veneris.* Vt aliam conſtet fuiſſe nominationem ſacram, *& Eccleſiaſticam*; aliam *vulgarem*, & profanam. Veteres, ad exemplum Iudæorum, dicebant diem hunc, vel illum ſabbathi. Iudæorum Doctores aliqui vel iſtis Legis verbis *memento diei ſabbati* ſignificatum volunt, ut hinc potius dies, quam à veteri & communi Gentilium uſu à Planetis denominarentur. Sic Rabbi Iſaac, & Abarbanel, apud Seldenum, de Iure Hebr. lib. III. cap. XIX. לאחריני, *non numerabis more, quo numerare ſolent alii; ſed numerabis per nomen ſabbati.* Quin adeo ab illis abhorrent Iudæi, ut nec in Aſtronomicis ſuis libris, aut Calendariis ferant

ſigna.

ſignaturas planetarum vulgares ☉ ☾ ♓ aut ♈ ♉ ♄ ♃ Schickhardus, in Prooemio Tarich, ſeu de Regibus Perſiæ, pag. 34. Tertullianus *paraſceven* nominat, lib. IV. contra Marcionem. Hieronymus, in Epitaphio Paulæ: *dormivit ſancta & beata Paula, ſeptimo Kalendarum Februarium, tertia ſabbathi, poſt ſolis occubitum.* Et Auguſtinus, epiſt. CXVIII, ad Ianuarium, ſabbatum, & dominicum, & quintam ſabbati appellat. Pleniſſimè Hieronymus, ad Hedibiam, quæſt. IV. *Vna ſabbati dies dominica intelligenda eſt: quia omnis hebdomada in Sabbatum, & in primam, & ſecundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & ſextam ſabbati dividitur: quam ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant.* Quam loco illius dierum menſiumque nomenclaturæ Ethnicæ approbare nemo non poteſt. Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, in Cod. de Feriis, lib. VII. *In eâdem obſervatione numeramus & dies ſolis, quos Dominicos ritè dixere majores.* Conſtantinum, opinor, reſpiciunt, qui τὴν κυρίαν, κυριακὴν, σωτήριον ἡμέραν appellat. ἣν καὶ φωτὸς εἶναι καὶ ἡλίου ἐπώνυμον συμβαίνει. Euſeb. *lib.* IV. *de vitâ Conſtantini, cap.* XVIII. XIX. Et Sozomenus, *lib.* I. *cap.* VIII. Neque video, quare non poſſint nomina illa dierum vel menſium planetaria, ethnica, & idololatrica mutari, facile etiam, ut in uſu Eccleſiaſtico, ita & civili, ut dicatur & dies, & menſis, primus, ſecundus, tertius, & ſic porro; vel ſumtâ ex anni tempeſtatibus denominatione: quemadmodum Carolus M. Germanos inſtituit, de quo Krantzius, Saxon. lib. II. cap. VIII. *Menſibus ad propriam linguam nomina impoſuit, qui ante id tempus apud Germanos partim Latinis, partim barbaris nominibus enunciabantur. Et Ianuarium quidem appellavit* Wintermaen *Februarium,* Horningh: *Martium,* Lentmaen: *Aprilem,* Oſtermaen: *Majum,* Winnemaen: *Iunium,* Brack-maen: *Iulium* Heumaen: *Auguſtum* Arnemaen: *Septembrem,* Wynmaen: *Octobrem,* Harveſtmaen: *Novem-*

vembrem, Zoremaen/*Decembrem*, Heiligmaen. Quod quidni etiam in nominibus dierum refigendis tentari, obſervarique poſſet? Polydorus Virgilius, de Invent. lib. VI. cap. V. *Profectò pudendum eſt, ſimulque dolendum, quod non antehàc data ſint iſtis diebus Chriſtiana nomina, ne dii Gentium inter nos, tam memorabile monumentum haberent.* Similiter cenſet Zanchius, *de Operibus Creat. part.* II. lib. VI. *ſ.* VI. Quomodo Arabes, Turcæ, ac Perſæ dies ſuos aliis quàm Planetarum nominibus deſignant, primum, ſecundum, tertium, & ſic porro appellantes. Turcæ primum, quem nos ſolis diem, mercatus; alterum, poſtmercatus diem, tertium Salli; inde quartum, quintum, Giuma, ſeu feſtum diem, & congregationis, nam hunc, (quem nos vulgo Venerem dicimus) illi ſacrum habent; ſextum denique vocant poſtgiuma, ſive poſt-feſtum. Et Græci hodierni primum diem dicunt Dominicum, inde δευτέραν, τρίτην &c. ſextam ἑκτην ſeu παρασκευὴν, tum σάββατον ſive ἑβδόμην. Cruſius, in *Annot. ad Turco-Græciam, pag.* 53. Quid obſtat, quod non etiam Chriſtiani, omiſſa idololatricâ appellatione, dies ſuos nominent inoffenſis, ſi non ſacratis, vocabulis, prout viſum fuerit expedire? Agnoſco interim, magnam uſus vim eſſe, eoque ſolo praxim excuſari potius, quam probari poſſe, ut illa uſurpemus, *quæ nobis ut dicamus converſatio extorquet*, quemadmodum hâc in re loquitur Tertullianus, lib. *de idololatriâ*. Thomas Campanella, lib. *de Monarchiâ Hiſpaniæ cap.* X. Monarcham ſuum inſtruit, ut curet ita ordinari menſes, ac dies, ut ſingulis menſibus ſingula nomina Apoſtolorum, & ſeptem hebdomadæ diebus ſeptem ſacramentorum nomina (loquitur pro ſenſu Eccleſiæ ſuæ) attribuantur. *Nam revera*, inquit, *incolæ novi mundi, quando vident in converſationibus Chriſtianis menſes & dies Gentilium in uſu eſſe, in admirationem rapiuntur.* Non dico quod recta futura eſſet mutatio talis, ac Campanella pro-

proponit, imo perverſam ajo: ſed quod is, quod alii, nominibus Gentilibus offenſi, non nunc ſolum, *ſed* & olim, uti in tranſcurſu oſtendi, ita mutationem laudandam cenſemus omnes, nihilque hic Brownistis vel Separatiſtis adverſum Nos ſupereſſe quæſtionis, quidem adverſus inveteratum pravumque uſum una cum aliis.

Similiter *de diei Dominicæ ſanctificatione* fruſtra eſt, quod inter articulos diſſenſus id proponunt, uti fit in Apol. contra Doct. Oxonienſes, *theſ.* XI. quum quod hic peccatur à Noſtris, uti ab aliis, non probemus, non doceamus, ſed contra clamemus ſanctificandum diem eſſe, & hanc Eccleſiæ doctrinæque noſtræ manifeſtam eſſe ſententiam, omnibus ſatis conſpicuum, Robinſono etiam *Apol. c.* VII.

Neque quod de *feſtorum*, ſeu dierum aliquorum apud nos obſervatione, ut Paſchatis, Pentecoſtis, Nativitatis, Eccleſiis noſtris objici debet, quaſi aut dierum ſanctitatem venerarentur aliquam, aut etiam ſimplex iſtorum obſervantia probaretur omnium ſententiis, aut praxi: præſertim in Eccleſiis Belgicis, ubi ex judicio Synodi Dordracenæ anno cIↄ Iↄlxxiv. art. III. abrogata illa fuerunt, decretumque Dominico ſolo contentos eſſe nos oportere. Vbi iterum uſitata praxis Noſtros in aliam conſuetudinem impulit, teſtatos interim, optandum eſſe, ut libertas ſex diebus operandi, & ſanctificandi ſolius Dominicæ in Eccleſiâ ſervata fuiſſet. Synodus Dordrac. a. cIↄ Iↄ lxxviii. art. lxxv. Idem contra feſta uſitata conſtitutum Genevæ anno cIↄ Iↄ l. de quo Beza, in vitâ Calvini; *Alterum decretum, ut in proximum diem referretur Nataliùm D. celebratio, nec ulli alii feſti dies eſſent, præter ſeptimum quemque quem Dominicum vocamus.* Et Calvinus, epiſt. ad Hallerum, a. cIↄ Iↄ li. inter alia teſtatur, ſe ignorante illam mutationem factam, ſed quam non adeo ægre ferat: *ego tametſi neque ſuaſor neque impulſor fui; ſic tamen accidiſſe*

non

non moleſte fero. namque initio omnia feſta eliminata fuiſſe, ſcribit: *Priusquam urbem unquam ingrederer, nullæ prorſus erant feriæ præter diem Dominicum.* Idem epiſt. ad Mompelgardenſes a. cIɔ Iɔ xl I I I. *In feſtis non recipiendis cuperem vos eſſe conſtantiores.* Ad Menſonem Poppium a. cIɔIɔl IX. *Optandum quidem eſt ut præter diem Dominicum pauci retineantur dies feſti: nam ut tollantur è medio ſuperſtitionum reliquiæ, ſemper ad hoc vitium plus æquo propenſi erunt homines.* Neque Eccleſia Scotica à primordio Reformationis feſta retinuit, quæ παρείσαχθη anno cIɔ Iɔ c XVIII. à Synodo Perthenſi. Vt neque propter cauſam feſtorum, Eccleſias Reformatas culpare aut repudiare debuerint Brovvniſtæ, quæ ipſa multæ quoque Eccleſiæ cum Reformatione aboleverunt, aliæ neſcio quâ conſuetudinis neceſſitate retinuerunt, aut abolita primum denuò admiſerunt.

Minus eſt, quod de *gradibus Academicis*, ut Papalibus, & de *ſtudio profanorum* & Ethnicorum Scriptorum in Scholis, objiciunt Adverſarii, *Apol. contra Oxonienſes theſ.* lxx. de quibus quis contendendum admodum putet, nedum in Eccleſiâ, & ubi agitur, de ſeparatione ab Eccleſiâ inſtituenda, vel ſequenda? Scimus, quæ de legendis Gentilium libris olim ſcripſit Baſilius; & quod in Concilio Carthaginenſi IV. can. XVI. cautum: *Epiſcopus Gentilium libros non legat:* quodque ex Hieronymo in epiſt. ad Epheſ. adducitur à Gratiano quoque I. diſt. XXXVII. *Legant epiſcopi & presbyteri, qui filios ſuos* (adeo maritati tum erant) *ſecularibus erudiunt litteris, & faciunt illos comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare, de Eccleſiaſticis ſumtibus forſitan eruditos.* Novimus quæ hâc in parte pueris & ſcholis obſervanda præcipiuntur, etiam de reformatione Gentiliſmi ex ſcholis Chriſtianorum, à Ludovico Vive, aliiſque pridem monita, majori jure & ratione ac Socrates apud Platonem è ſuâ Republicâ eliminatas voluit obſcœ-

nas & falſas fabulas. Sed quis noſtrum illis refragatur? quis improbat, quis prohibet? imo ubi non tum Magiſtratuum, tum Eccleſiarum in hoc incumbit ſtudium, ut cum litteris vero imbuatur Chriſtianiſmo & pietate juventus noſtra? adeo nihil hic quod nobiſcum contendanti ſupereſt. Illudque de gradibus Academicis levius eſt, quam ut in cenſum veniat: quos ipſos nemo noſtrum ut rem religionis, ſed mere ſcholarem habet, multique aut negligunt, aut contemnunt. Melanthon, de illis ita ſcripſit, quæ & ſupra ex eodem attuli, *ille adoleſcens quiſquis eſt, ſi non habet certam conditionem, meo judicio rectius faciet, ſi non properabit ad gradum. Titulus aliquid habet oneris. Vides meum exemplum: nemo me perpellere potuit ut illum quamlibet honorificum titulum Doctoris mihi decerni ſinerem. Nec ego gradus illos parviſacio: ſed ideo quia judico eſſe magna onera & neceſſaria reip. verecunde petendos eſſe, & conferendos, ſentio.* Zuinglius, in Reſponſ. ad Ioh. Bugenhag. Pomerani epiſtolam, Oper. Tom. II. pag. 257. *Rides etiam me magnum Theologum, qui tam abeſt ut Theologi nomen unquam ambiverim, ut nonnunquam cum faſtidio legam hoſce titulos, Doctor aut Profeſſor Theologiæ, in iſtorum libris, qui fortaſſe Theologi ſunt.* Ita eſt, ſub illis titulis ſæpe magna fovetur ambitio. Quin compellationem reverendi, vel reverentiæ refugit Zuinglius, Tom. I. ad Valentinum Comparem, pag. 229. qui Din wirde ei dixerat: *eſt verò, quod in te merito reprehendam, quod nimirum nimis ambitioſo titulo me aggravas, dum me non meo nomine, ſed dignitatis titulo alloqueris.* Verùm amoto *ambitionis* vitio, in uſurpandis illis titulis, & *ſuperſtitionis* Papalis in conferendis, nihil hic video, ob quod contendi debeat: titulis conſideratis, quemadmodum Capito loquebatur lib. IV. epiſt. Oecolampadii, diſcriminis loco, in Scholis, *ut ſtudioſi ab ignavis diſcernantur, & exercitati tyronibus præferantur, ac ſtimulum habeant gloriæ honeſtiſſimæ.* Admittimus, ſed Scholæ magis habitá conſidera-

deratione, pro docendi promovendique uſitata methodo/,quam noſtri: quo pacto Bucerus, in Cantabrigienſi Angliæ Academiâ admiſit, non petiit, ſe in ordinem & nomen Doctorum adſciſci, nullo addito, quod quidem diſtinctè poſtulârat, publico ritu, vel uſitatâ initiandi cæremoniâ; ubi oratione à ſe ad promotionem recitatâ, de uſu illorum titulorum diſſeruit, quæ extat inter Scripta ejus Anglicana, fol. 1184. adde & 871. Eadem fuit ratio VValdenſium, & Fratrum in Bohemiâ, improbantium gradus docendi & promovendi in Vniverſitatibus, authoritate Papali obſervatos, etiam geſticulatoriam inſignium collationem; de quibus Clar. Vir Joachimus Camerarius, in Hiſtoricâ Narrat. de Eccleſiis Fratrum in Bohemiâ & Moraviâ, pag. 107. *Quod ſi qui etiam locuti ſunt contemtius de illis ineptiis actionum & verborum nugis, quæ conferendo inſignia uſurparentur, quis non ignoverit paulo prudentior, gravitatis indignationi? Quin etiam, ſi idem nunc quoquè ab aliquo (quocunque ſane) fiat, fortaſſe non immerito fieri, exiſtimandum ſit. Vix enim in tantâ luce intelligentiæ & liberalis inſtitutionis, optimarumque diſciplinarum copiâ, effugere poteſt obſoleta jocularium obſervationum uſurpatio urbanorum dicta & ſeveriorum ſtomachum. Eratque ea quoque emendari melius, ut ubique peccata orta corrigerentur, & invecta abſurditates removerentur: quibus adhuc locum relinqui apud eos, à quibus veluti jugum excuſſum eſt Papalis dominatus, & rejecta impietatis & perverſitatis alia onera, quam poteſt habere comprobationem vel omnino excuſationem?* Id vero quod Browniſtæ objiciunt, quod retinemus Scholares titulos, paris eſt commatis cum eo quod ab alterâ parte nobis impingunt Lutherani, quod illos cupiamus abolitos. Etenim ſuper eo quæſtionem quoque movit Henr. Eckhardus, in *Faſciculo Controverſ. Calvinian.* cap. ult. Adeo quod omnibus undiquaque ſatisfaciat, vix fruſtra ſperes. Denique & Luthero idem objiciunt Pon-

tificii, Gretſerus in *Luthero Academico, cap.* III. quod omnes gradus Academicos ſuſtulerit. Quod autem Caroloſtadio paſſim iſtam ſententiam objiciant Lutherani, vereor an verum ſit, quum ſolius Lutheri nitatur teſtimonio, quem iniquiorem erga illum fuiſſe, & multa non bene de eo interpretatum, novimus, utcunque ſuo Magiſtro & promotore: nam Caroloſtadius Theol. Doctor in recenti Academiâ VVittembergenſi, Lutherum Doctorem creavit a. cIↃ IↃ XII. Refert in vitâ Caroloſtadii Melchior Adamus, ex Iohannis Sturmii Anti-Pappo IV. pag. 20. quod Caroloſtadius Simoni Grynæo controverſiam moverit, circa annum trigeſimum octavum, poſtulans ab eo, ut ſi Theologiam publice docere vellet, Theologum ſe Doctorem creari pateretur. Ad quam controverſiam componendam miſſi fuerint Baſileam à Senatu Argentinenſi, Capito, Bucerus, & ipſe Sturmius. Forte Caroloſtadius ante diſceſſum ſuum VVittembergâ a. cIↃ IↃ XXII. quo tempore promovebat Doctores VVeſtermannum, & Goſchalcum Crapium, & dixiſſe ferunt, ſe nullum poſtea promoturum; movit nonnulla, de titulorum iſtorum aliquo abuſu, quæ adverſus titulos in ſe poſtea expoſita de ipſo fuerint. Quæ omnia haud tanti, ut propterea contentio in Scholis, nedum in Eccleſiis, minime ſeceſſio, inſtituatur. De quibus uſurpandis videmus motam à primis Reformationis initiis diſputationem. Tomo primo Declamat. Melanthonis à Doctore Iona habita oratio extat, *de gradibus in Theologiâ.* Tomo tertio, Iohannis Bugenhagii, ſuper eâdem materiâ. Pezelius, part. VII. Argum. & Reſponſ. Melanth. pag. 265. ſingulatim agit, *de gradibus honorum in Academiis.* Confer & Iohannem Gerhardi, Loc. Commun. *Tom.* VI. *de Miniſt. Eccleſiaſt. ſect.* XI. Bradshaw, *Engliſch Puritaniſme pag.* 19. Alium librum, *à Guide unto Sion, pag.* 21.

Verùm his miſſis, accedamus ad veras inter Nos atque

que Adverſarios Separatiſtas quæſtiones, quorum ſpectanda nobis eſt tum *veritas*, tum *momentum*, ut conſtet, an quid tam grave tantique ponderis inter Nos & illos diſſidium ſit, quod patrocinari illorum ſciſmati queat. Nam utcunque vera eſſent multâ ex parte quæ adverſus Nos objiciunt; tanta inſuper ut ſint, ut omnino ſcindi & diſſolvi Eccleſiæ unio debeat, probare opus: quod præ illo longe eſt difficilius. Sed apices omnes (nam de apiculis fere contendunt) rectè intuenti liquebit, quam longe & hic & ibi errent, à veritate æque, ac Eccleſiâ.

☞ Primum enim, quod quidem maximi videtur momenti, eſt de orthodoxiâ & *veritate Eccleſiæ Anglicanæ*, qualis fuit, dum ſeceſſionem ab eâ inſtituerunt: ajunt, non fuiſſe veram, ac propterea deſerendam Eccleſiam. Sed benè diſtinguenda verum; & perfectum, ſeu ut Eccleſia aliqua ſit *imperfecta*, vel non *vera*: quemadmodum vere fidelis, pius, adde doctus, diligens, namque in omnibus hoc diſcrimen obtinet, eſt, qui non tamen perfectus in illis, ſed & multas magnaſque imperfectiones admixtas habet. Quare ut detur, variis nævis infectam fuiſſe Anglicanam Eccleſiam, hoc tamen argumento nondum effecerunt, vel nullatenus pro verâ habendam fuiſſe Eccleſiam, vel deſerendam. Audiamus etiam, breviterque, quæ pro ſe adferunt. Dicunt, in primâ Eccleſiæ collectione, ſub Elizabethâ Reginâ, homines non rite inſtructos, converſoſque fuiſſe, neque præeunte ſolemni confeſſione & fœdere cum Deo, admiſſos, ſed vi fere & authoritate Regiâ ac politicâ, quaſi ad ſonum tympani, promiſcue quoſvis, Papiſtas etiam, improbos, atheos in Eccleſiam actos congregatoſque, unde Anglicana illa conflata ſit, quæ proinde nequeat vera eſſe. Reſpondeo, κατὰ συγχώρησιν, detur verum eſſe quod de primâ Eccleſiæ Anglicanæ collectione dicunt, nullo tamen modo ſequitur, vel omnes tali tempeſtate improbos, & non mul-

tificii, Gretſerus in *Luthero Academico*, *cap*. III. quod omnes gradus Academicos ſuſtulerit. Quod autem Caroloſtadio paſſim iſtam ſententiam objiciant Lutherani, vereor an verum ſit, quum ſolius Lutheri nitatur teſtimonio, quem iniquiorem erga illum fuiſſe, & multa non bene de eo interpretatum, novimus, utcunque ſuo Magiſtro & promotore: nam Caroloſtadius Theol. Doctor in recenti Academiâ VVittembergenſi, Lutherum Doctorem creavit a. cIↄ Iↄ XII. Refert in vitâ Caroloſtadii Melchior Adamus, ex Iohannis Sturmii Anti-Pappo IV. pag. 20. quod Caroloſtadius Simoni Grynæo controverſiam moverit, circa annum trigeſimum octavum, poſtulans ab eo, ut ſi Theologiam publice docere vellet, Theologum ſe Doctorem creari pateretur. Ad quam controverſiam componendam miſſi fuerint Baſileam à Senatu Argentinenſi, Capito, Bucerus, & ipſe Sturmius. Forte Caroloſtadius ante diſceſſum ſuum VVittembergâ a. cIↄ Iↄ XXII. quo tempore promovebat Doctores VVeſtermannum, & Gotſchalcum Crapium, & dixiſſe ferunt, ſe nullum poſtea promoturum; movit nonnulla, de titulorum iſtorum aliquo abuſu, quæ adverſus titulos in ſe poſtea expoſita de ipſo fuerint. Quæ omnia haud tanti, ut propterea contentio in Scholis, nedum in Eccleſiis, minime ſeceſſio, inſtituatur. De quibus uſurpandis videmus motam à primis Reformationis initiis diſputationem. Tomo primo Declamat. Melanthonis à Doctore Iona habita oratio extat, *de gradibus in Theologiâ*. Tomo tertio, Iohannis Bugenhagii, ſuper eâdem materiâ. Pezelius, part. VII. Argum. & Reſponſ. Melanth. pag. 265. ſingulatim agit, *de gradibus honorum in Academiis*. Confer & Iohannem Gerhardi, Loc. Commun. *Tom*. VI. *de Miniſt. Eccleſiaſt. ſect*. XI. Bradshaw, *Engliſch Puritaniſme pag*. 19. Alium librum, *à Guide unto Sion, pag*. 21.

Verùm his miſſis, accedamus ad veras inter Nos atque

que Adverſarios Separatiſtis quæſtiones, quorum ſpectanda nobis eſt tum *veritas*, tum *momentum*, ut conſtet, an quid tam grave tantique ponderis inter Nos & illos diſſidium ſit, quod patrocinari illorum ſciſmati queat. Nam utcunque vera eſſent multâ ex parte quæ adverſus Nos objiciunt; tanta inſuper ut ſint, ut omnino ſcindi & diſſolvi Eccleſiæ unio debeat, probare opus: quod prae illo longe eſt difficilius. Sed apices omnes (nam de apiculis fere contendunt) rectè intuenti liquebit, quam longe & hic & ibi errent, à veritate æque, ac Eccleſiâ.

Primum enim, quod quidem maximi videtur momenti, eſt de orthodoxiâ & *veritate Eccleſiæ Anglicanæ*, qualis fuit, dum ſeceſſionem ab eâ inſtituerunt: ajunt, non fuiſſe veram, ac propterea deſerendam Eccleſiam. Sed benè diſtinguenda verum, & perfectum, ſeu ut Eccleſia aliqua ſit *imperfecta*, vel non *vera*: quemadmodum vere fidelis, pius, adde doctus, diligens, namque in omnibus hoc diſcrimen obtinet, eſt, qui non tamen perfectus in illis, ſed & multas magnaſque imperfectiones admixtas habet. Quare ut detur, variis nævis infectam fuiſſe Anglicanam Eccleſiam, hoc tamen argumento nondum effecerunt, vel nullatenus pro verâ habendam fuiſſe Eccleſiam, vel deſerendam. Audiamus etiam, breviterque, quæ pro ſe adferunt. Dicunt, in primâ Eccleſiæ collectione, ſub Elizabethâ Reginâ, homines non rite inſtructos, converſoſque fuiſſe, neque præeunte ſolemni confeſſione & fœdere cum Deo, admiſſos, ſed vi fere & authoritate Regiâ ac politicâ, quaſi ad ſonum tympani, promiſcue quoſvis, Papiſtas etiam, improbos, atheos in Eccleſiam actos congregatoſque, unde Anglicana illa conflata ſit, quæ proinde nequeat vera eſſe. Reſpondeo, κατ' συγχώρησιν, detur verum eſſe quod de primâ Eccleſiæ Anglicanæ collectione dicunt, nullo tamen modo ſequitur, vel omnes tali tempeſtate improbos, & non mul-

tos etiam inter illos pios fuiſſe (neque enim puto, illos hoc negaturos, non de Martyribus, qui ſub Henrico,& Mariâ plures in iſthoc regno), vel omnes improbos manſiſſe, ſemperque omnes tales, etiam dum Adverſarii cum illâ Eccleſiâ communicare noluerunt, perduraſſe. Annon, uti in politiâ, ſic quoque in Eccleſiâ, vitium facile committitur in primâ conſtitutione, vel reformatione, quod deinde ſucceſſu temporis corrigitur & emendatur? Vel quemadmodum vitium poſtmodum accedens non officit toti ſemper Eccleſiæ, ita nec quod ſub initio forte accidit. Sed & vitia illiuſmodi *facti* ſunt, non *doctrinæ*, non illa ſi quæ intercurrerunt, probavit Eccleſia, neque docuit: quare non magis ea, quam alia, quam perpetua, & communia iſti Eccleſiæ cum aliis, nec ipſam eximo Separatiſticam, peccata Anglicanæ objici poſſunt. At neque rem ita ſe habere, ut illi jactant, cum Eccleſiæ Anglicanæ primordiis, certum eſt. Habuit Eccleſia illa jam ſub Eduardo juvene, ne ſuperiora dicam tempora, Doctores,& Miniſtros, indigenas, exteroſque, qui illis, & ſequentibus Mariæ, uſque ad Elizabetham, temporibus, docendo, inſtruendo, convertendo homines ſtrenuiſſime laborarunt; quorumque operam ita benedixit Deus, ut florentem ſub ipſis perſequutionibus, magnam Eccleſiam, multoſque ſanctiſſimos Martyres, ante Elizabetham dederit, irrefragabilia veræ & orthodoxæ Eccleſiæ argumenta. Quod ſi vel in ſolis Martyrum Anglorum inſtemus exemplis, intoleranda merito videbuntur illorum, hominum præjudicia illam Eccleſiam condemnantium, & non habentium pro verâ. Sumamus ipſam Elizabetham, tantum non Martyrem quoque, & quotquot cum iſtorum temporum felicitate dati ſeu redditi Eccleſiæ fuerunt; quis tam improbus, qui vel illam, vel alios, aut non benè converſos, aut non vere fideles aſſerere auſit? Sed vi & mandato Edictorum Regiorum multi in Eccleſiam coacti fuerunt. Num

omnes

omnes ita? num plerique? nulli aliâ viâ, & vi verbi? ut nuſpiam fuerit vera Eccleſia, verum miniſterium, fideles veri? imo nemo vi adactus fuit, ut religionem amplecteretur. Quod ſi authoritate regiâ in ſubſidium veniente Eccleſiæ, conata fuerit Regina juvare tum reformationem, tum ejus incrementum, hocne vitio verti poteſt vel debet? annon Regiam & politicam poteſtatem ancillari Chriſto ejuſque regno promovendo, & ſe hâc ratione ſacrare Deo, oportet? Vide, quæ ſacrorum Principum ſequuta hâc in re exempla Regina fuerit, II. Chron. XV. 13. & XXXIII. 16. & XXXIV. 32. 33. Vel peccarint etiam immodico zelo politici, luere hocne Eccleſia tenetur, & toti ei exprobrandum? Num ſemper & ubique ita egit, & nuſpiam, nunquam aliter Elizabetha regina? num & alii Principes? num omnes per totam Angliam? ut à totâ Anglicanâ Eccleſiâ, & perpetuò ſe ſegregare debuerint ſoli Browniſtæ? vel quid hoc ad Anglicanas, & Belgicas, aliaſve Eccleſias tranſmarinas, ante tempora Elizabethæ etiam collectas, vel ad noſtras ab exulibus ſub Marianâ perſecutione Anglo-Belgis fundatas, ut ab omnibus ſe ſemper ſegreges facere illi voluerint? Sed omiſſa fuit publici & nationalis fœderis cum Deo, poſt converſionem & reformationem à Papatu, ſolemnitas, qualis in Veteri populo, ad ejuſmodi negotia, fieri ſolita. Neque hoc omnino verum. Aliter factum in Coventrienſi, Northamtonenſi, aliiſque diœceſibus, ubi confœderationis iſtiuſmodi habitam rationem ſcribunt. Verùm probandum prius eſſet, explicite & exſerte debere ab omnibus Eccleſiis vel membris præſtari tale fœdus, antequam pro veris haberi poſſent, & non ſufficere ad hoc, fœdus implicitum, ſubſtantiale, virtuale, tacitum quandoque, & per varios actus officiaque communionis Eccleſiaſticæ erga Deum & homines comprobatum. Cæteroqui ſolemnitatem ejuſmodi publici fœderis non rejicimus, gravi nempe

eam invitante occaſione, ad exemplum Joſuæ, Aſæ, Joaſi, Ioſiæ, Nehemiæ, de quibus in ſacris: quale Reſpublica & Eccleſia Genevenſis, a. cIↄ Iↄ xxxv I I. præeunte in ſacramentum publico Senatus Scribâ; Regnum & Eccleſia Scotica a. cIↄ Iↄ lxxx. præeunte Iacobo Rege, cum ſuâ familiâ; & nuper Angli, Scoti, Hibernique famoſo fœdere inierunt a. cIↄ Iↄ c xxxv I I I. Sed ut non habeatur vera Eccleſia, ad quam explicata, publica, ac generalis ejuſmodi fœderis Confeſſio non præceſſerit, haud admittendum. Præſertim quum ante ſacramentorum adminiſtrationem à ſingulis fœdus cum Deo, & quidquid eo comprehendi vel exigi poteſt, iniri renovarique, ex Eccleſiæ Reformatæ diſciplinâ, ſoleat. Vide de illis Rob. Parkerum, *lib.* I I I. *Polit. Eccleſ. cap.* XV I. Gisbertum Voetium, *de Eccleſ. Inſtitutâ & viſib. Diſp.* IV. V. Guilj. Apollonium, *Conſiderat. Controverſ. Anglic. cap.* I I. Denique, niſi hæc objectio neglecti ſolemnis fœderis Separatiſtis ſit modo prætextus & mera πρόφασις, quum neque poſt nuper dictum fœdus nationale ab omnibus Anglis, neglecto diuturniori ſciſmate, reverſi ad Eccleſiam ocyus fuerint; cur ab illo etiam tempore ſe ſeparatos geſſerunt ab Eccleſiæ Anglicanæ, vel aliarum Reformatarum communione? Sed hoc eſt ingenium, hæc indolès Sciſmaticorum, ludere prætextibus. Vti Donatiſtæ olim, Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi ordinationem cauſabantur, quaſi à Traditoribus ſacrorum Scripturæ Codicum factam, proinde illegitimam, & hinc falſam Eccleſiam, cui ejuſmodi Epiſcopi darentur, quamvis ſæpe convicti haud vera eſſe in Cæcilianum & Catholicos jactatâ crimina, pertinaci tamen diſſenſione in ſciſmate perſeverandum, in ſuâ ſolum parte Eccleſiam hætere, cenſuerunt. Adeo quidquid illis dici olim potuit, in noſtros quoque homines quadrare comperiemus.

Huc pertinent quæ eâdem temeritate diſputant no-

ſtri Adverſarii ſuper *toleratis* in Eccleſiâ *peccatoribus*, vel de illâ propter eoſdem *deſerendâ*, aut de non *communicando* cum alienis peccatis, quod non putant evadi, quando cum iſtâ Eccleſiâ communionem colimus, quæ improbos tolerat, vel eos non ſtatim à ſe ejicit, atque excommunicat. Reſpondemus, neutiquam quidem nos negare, quin non alii quam veri pii & fideles Eccleſiam debeant ingredi, atque conſtituere; quod etiam nullos alios Eccleſia pro ſuis agnoſcere debeat, ac recipere, vel in ſuam admittere communionem; ſed ea quemadmodum de occultis non judicat, ſed in externâ profeſſione acquieſcit, non quaſi nil ultra à ſuis exigat, ſed quod judicio ſuo de hominibus non ulterius penetret, ita quod pijs ſe immiſceant paſſim alii, neque eccleſiæ pervicaciter exprobrandum, neque ideo neceſſe cum pravis aliorum operibus communicare, vel communionem eccleſiaſticam floccipendere aut abrumpere. Robinſonus id agnoſcit, cap. ult. Apologiæ, quando dicit, *non adeo inepti nos ſumus, vel inſani potius, ut in eâdem* Eccleſiâ *ſanctitatem (quoad alios) aliam, quam externam & viſibilem deſideremus.* Aliud eſt quales intus, vel quales extus, quales coram Deo, aut coram hominibus deprehendamur: & quis ſtatus Eccleſiæ, hominumque in eâ eſſe debeat, vel ſit, aut eſſe, per communem conditionis imbecillitatem, hic poſſit. Occurrit in Eccleſiæ areâ non triticum ſolum, ſed palea, lignum & ſtipula, probi permixti improbis: ob quos, quamvis iis offendamur, non ideo exire Eccleſiâ, niſi & mundo quoque, poſſumus. Non tamen hæc ita proponimus, quaſi aut non neceſſe dicamus ſanctos eſſe omnes in Eccleſiâ debere, aut malos ſtudio vel lubenti animo ac licentioſe tolerandos eſſe, vel quaſi ſatis eſſet habere modo externam fidei profeſſionem, & non internæ etiam virtutes requirantur, vel non iſtæ exigendæ quoque & reſpiciendæ Rectoribus Eccleſiarum in admittendis ad S. communionem hominibus

ſint, *quaſi ad verum & legitimum Eccleſiæ viſibilis membrum conſtituendum ſufficeret, ut quis ore Chriſtum confiteatur, licet Satanam operibus referat*, verba ſunt Robinſoni; vel quaſi vellemus, *ſanctitatem quandam plane ſcenicam Dei Eccleſiis obtrudere:* ſed ne, quando de ſingulorum, in Eccleſiam admittendorum verâ fide & converſiòne per certa ſigna convicti non ſumus, ideo ab Eccleſia faciendam ſeparationem putemus: de quo hic proprie quæri, non de qualitate membrorum Eccleſiæ, bene cenſuit Rob. Baylie. Poſito, Eccleſiam ſuo deeſſe officio, & valde multos irrepere improbos hypocritas, committi ſcandala, tolerari etiam indignos, an ideo ſtatim ſeceſſionem facies, rumpeſque omnem cum Eccleſiâ communionem? non committendum arbitror, dum modo non docentur probanturque ſcandala, nec ipſa illa deſidioſa tolerantia, vel diſciplinæ neglectus laudatur, ſed carpitur palam, eatenus in doctrinâ & in obſervantiâ, Chriſti apud illam Eccleſiam commorantis haberi adhuc indicia exiſtimo. Quantumcunque corrupta in pluribus quæ diſciplinam, quæ mores, quæ doctrinam quoque ipſam concernebant, eſſet Eccleſia Corinthiaca, non tâmen ab eâ ſeceſſionem commendabat Apoſtolus, quin improbavit etiam quod inter illos eſſent qui ſciſmata facerent. Vti bene Auguſtinus inquit, epiſt. xlviii. ad Vincentium: *Non enim propter malos boni deſerendi, ſed propter bonos mali tolerandi ſunt, ſicut toleraverunt Prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem ſacramentorum illius populi relinquebant.* Vide Parkerum, *Polit. Eccleſ.* lib. I. cap. XIII. XIV. & lib. III. *cap.* XVI. qui tertius liber, neſcio an bonâ fide, certe malè integer omiſſus eſt in editione nuperâ a. CIↃ IↃ XXXVIII. quæ modo duos ejus libros continet, quum tres ſint: quare monitos hic omnes volo, ut ſequantur editionem a. CIↃ IↃ CXVI. ubi tres libri, & tertius quidem major duobus prioribus extat. tractans de Eccleſiâ. Non ergo ſtatim deſerendam Eccleſiæ communio-

munio·

munionem, vel propter aliquem in Eccleſiâ publice ac pertinaciter peccantem, quique non excommunicetur, ita contaminari totam Eccleſiam, ut nemo cum eâ in ullo ſacro officio communicare queat, arbitramur: præſertim *non accedente Eccleſiæ malitiâ deſperatâ*, uti Robinſonus bene monet. Donatiſtarum olim vox erat, quod in communione ſacramenti mali contaminarent bonos: quæ nunc iiſdem verbis docent Brovvniſtæ. Jam vero nec probant, talem Eccleſiæ Anglicanæ ſtatum fuiſſe, uti ſubſumere debent, quo tempore ſeceſſionem ab eâ fecerunt, illamque continuarunt: nedum tales fuiſſe omnes Reformatos: ut, ad ſummum, ſi nimium ipſis infecta viſa fuiſſet Anglicana, ad aliam puriorem, nec facto ſciſmate, tranſire potuiſſent, niſi temerarium judicium conſtituiſſent ſequi, præ ædificatione animarum ſuarum, aut Eccleſiæ: quod plane eſt Donatiſticum, & Anabaptiſticum. Vnde eundem ipſorum errorem refutatum videre licet in Enchiridio Controverſ. Anabapt. Oſiandri, *cap.* VI. *qu.* I. & III. Et contra Brovvniſtas quidem, apud Robertum Abbotum, lib. *a Triall of our Church Forſakers pag.* 99. 101. *&c.* Richardum Bernardum, *Separatiſts Schiſme, pag.* 103. alioque in defenſionem illius libri ſcripto, *Plaine Evidences*, contra Joh. Smit, & Ainſvvortum, *pag.* 164. 204. 231. Rutherfurtum, lib. Anglico, *pro presbyterio Scoticano; cap.* IX. & X. Bayllie, *The errours of time, ch.* II. Qui & alium adverſus Anabaptiſtas librum ſcripſit, apto titulo: *Anabaptiſmus fons Independentiſmi, Browniſmi, Antinomiſmi, & Familiſmi*, Anglicè. Apollonium, Conſiderat. Controv. cap. I. Spanhemium, *epiſt. ad Buchananum, Quæſt.* I. Denique adverſus illos omnes, ſeu Donatiſtas, ſeu Anabaptiſtas, ſeu Brovvniſtas & recte Auguſtana Confeſſio, art. VIII. *Cum autem in hâc vitâ admixti ſint Eccleſiæ multi mali & hypocritæ, qui tamen ſocietatem habent externorum ſignorum cum Eccleſiâ, licet uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtran-*

niſtrantur juxta vocem Chriſti, Sedent Scribæ & Phariſæi in Cathedrâ Moiſi, &c. Et Sacramenta & verbum Dei propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant licere populo uti miniſterio malorum in Eccleſiâ, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

Alteram cauſam ſciſmatis ab Eccleſiâ Anglicanâ prætendunt Separatiſtæ, præter illam ex primâ ejus collectione, à ſtatu Eccleſiæ deformato per Papalis Antichriſtianiſmi reliquias, ordinem *Epiſcopalem*, & hierarchicum; *Liturgiam*, & librum precum; *Ceremonias* &c. Hoc argumentum ubique latè deducunt. In Præfat. ad Confeſſ. a. cIↄ Iↄ xcvi. & Confeſſ. art. xxix. xxx. xxxi. xxxii. In Apologiâ Ainſvvorti; Robinſoni, cap. ult. Ainſvvort, contra Pagetum, & alibi ſæpius. Sed jam ante huic reſponſum. Illa, utcunque probanda non ſint, haud tamen neceſſarium facere & juſtum à totâ Anglicanâ; & ſi vel hoc, non ab aliis omnibus Reformatis Eccleſiis, quæ illis caruerunt, ſciſma: non ab hodiernâ Anglicanâ, quæ illis expurgata, à quâ tamen Sciſma, in noſtris ſaltem regionibus, continuant.

Objiciunt loca plura, quibus malum omne jubemur cavere, & ſecernere nos à peccatoribus, exire è Babylone, &c. 1. Theſſ. v. 22. 1 Cor. vi. 9. 17. 18. Ierem. li. 6. Mich. ii. 10. Apoc. xviii. 4. ii. Cor. vi. 17. Act. ii. 40. Verum eſt, quod ab omni peccato abſtinere debeamus, ſed hoc non dicitur, ab omni peccatore nos longum abire, vel ab Eccleſiâ alicubi peccante, aut peccatoribus in Eccleſia degentibus, debere, alioqui & mundo exeundum foret. 1 Cor. v. 10. Neque quicunque ſtatim errores vitiaque in Eccleſiam admiſſa, eam deſerendam clamant. Sed primo quidem conſtare debet, vitia non ſolum ibi eſſe, ſed & *doceri*, ac probari; *erroreſque doctrinæ* foveri *capitales* ſeu fundamen-

damen-

damentum fidei & religionis convellentes; tum *univerſaliter*, id eſt à totâ univerſim Eccleſiâ, non ab uno forte aliove Cœtu; & accedere indeclinabilem *perſequutionem* in optimos quoſque, quibus haud liceat tutis tali loco eſſe, aut Deo in puritate conſcientiæ ſervire. Quæ omnia in Eccleſiam Anglicanam, & Reformatas alias dicere Separatiſtæ noſtri non ſuſtinebunt. Vnde quam male agant, diffamando Matrem ſuam Eccleſiam, apparet.

Quinimo variis argumentis oſtendi poteſt, & pro *verâ* habendam Eccleſiam Anglicanam, à quâ ſeceſſerunt; & temerarium illo u n fuiſſe *ſciſma*. Illud, quia quæ Eccleſia *doctrinam* fidei ſervat integram, eſtque, quomodo eccleſiam deſcribit Apoſtolus, columna & firmamentum veritatis, 1 Tim. III. 15. ædificata ſupra fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, Epheſ. II. 20. pro falsâ haberi nequit. Robinſonus, Apolog. cap. ult. *Quanto magis Anglicanæ in quâ, profligatis plurimis maximiſque erroribus Pontificiis, veritas Euangelica (quoad ſumma capita) tanto ſtudio, Zeloque à plurimis piis & doctis viris annunciatur.* Deinde, in quâ Eccleſiâ iſte *fructus* doctrinæ cernitur, ut progignat quotidie veros fideles, ſanctos, quin & Confeſſores, Martyres innumeros, quis falſam auſit dicere, & non honoret magis tum doctrinæ, & efficaciæ ejus, tum fideliufh, Martyrumque ratione, prout decet? Quoniam ibi ſint *doctores* πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. Epheſ. IV. 11. 12. ac de eâ Eccleſia dicere liceat: *adſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacobi, ut nos doceat de viis ſuis, atque ambulemus in ejus ſemitis.* Ieſa. II. 2. 3. Robinſonus: *de perſonis eorum Dominus proprius judicabit, cui ſtant, aut cadunt. Fuere ex iſto ordine qui temporibus noſtris Marianis, veritatis Euangelicæ Confeſſionem vitâ ſuæ prætulerunt: Spero & ex illorum ſucceſſoribus ſupereſſe, qui ſi eadem inſtaret tempeſtas (quod Deus avertat) & eidem veritati agnitæ idem teſtimo-*

ſtimonium, eodem precio, perhiberent. Tertio, nemo in ſe deſcendens, & qui procul ſit ab iniquo judicandi affectu, inficiari poterit, ſe in Eccleſiâ Anglicana certa deprehendere *unionis* hominum cum Chriſto & inter ſe, quod vere fidelium & piorum eſt, documenta. Robinſonus iterum: *fidem ſalvificam, & veram pietatem multorum cordibus in Eccleſia Anglicana, per Evangelii prædicationem & ingenerari & foveri abſit ut vel negemus nos, vel non eo nomine ingentes gratias Deo optimo maximo, & noſtrorum ipſorum, & aliorum reſpectu debitas fateamur.* Adde quod ab omnibus Reformatis Eccleſiis, quarum hic judicium audiendum eſt, ubi agitur de agnoſcendâ, vel repudianda ſorore Eccleſiâ, Anglicanâ ſemper pro vera agnita fuerit: & nunquam propter aliqua ἐγκλήματα perſonarum, vel regiminis, à communione reliquarum ſegregata. Benè Auguſtinus dixit, epiſt. xlviii. *Neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter piſces malos rumpimus retia Domini.* Denique in Eccleſiâ Anglicanâ ſemper plurimi ſuperfuerunt, qui ordini hierarchico & cæremoniis conſtanter ſunt obloquuti, ut nihil neceſſe, propter illa, eam totam deſerere, & communionem ejus condemnare, in quibus corrigendis intra ipſam Eccleſiam ſemper ſedulo, majorique longe cum fructu, quam à Separatiſtis ἔξωθεν, laboratum fuit. Quomodo jam ſuum probabunt ſciſma, namque revera fuit, quum nec illa quæ ſeceſſioni ſuæ prætendunt, ſufficientem vel neceſſariam cauſam ſegregandi ab Eccleſia præbeant, neque quamvis in Eccleſia Anglicana ſcandala fuerint ea, omnibus aliis Reformatis, Scoticis, Gallicis, Belgicis objici potuere, cum quibus ſaltem retinere communionem, & non ab omnibus ſeorſim ire maximo cum ſcandalo, debuiſſent. Detur, aliquid fuiſſe quò minus in Eccleſia Anglicâ benè morari potuerint, vel illud de ordine epiſcopali, & rituum ac cæremoniarum Papalium tale tantumque fuiſſe, ut reprobanda Eccleſia, quæ illa tenet,

net, fuerit, quid aliæ Reformatæ Eccleſiæ meruerunt, quod non iis acceſſerint? vel an illa tanta, quæ contra noſtrarum Eccleſiarum in Belgio ſtatum ac regimen habuerunt, in primo ſuorum appulſu, ut neque noſtræ potuerint veræ eſſe, nec fuerint adeundæ? De Brovvniſtis prima agitata apud nos conſilia in Synodo Alcmar. anno cIↃ IↃ xc ix. inde Amſtel. a. cIↃ IↃ c I. ubi pro Sciſmaticis declarati, eò quod ſe fruſtra ab Anglicanâ non ſolum, ſed & aliis Eccleſiis ſegregaſſent, prætendentes videlicet I. ſtatum Amſteldamenſis Eccleſiæ valde eſſe confuſum α. quia nunquam poſſet ſimul uno in loco convenire tota Eccleſia, β. neque ſatis bene ſanctificaretur dies Dominicus. γ. nec unquam poſſent certi eſſe de præſentiâ membrorum. δ. denique nec poſſent publici actus ſive excommunicationis; ſive alii exerceri. II. quia ſcilicet Noſtri ad baptiſmum admitterent, quorum parentes non eſſent membra Eccleſiæ, neque dignam ſatis curam gererent baptizatorum. III. propter formulas precandi, quibus uterentur. IV. quia non obſervarent præceptum Chriſti, Matth. XVIII. 15. 16. 17. V. quod divinum cultum exercerent in templis Antichriſtianis. VI. quia non eo modo ſuſtentarentur Eccleſiarum miniſtri, ac Chriſtus & Apoſtoli ordinarint 1. Cor. IX. 1[illegible] II. propter mutationem presbyteriorum apud Nos annuam, qui juxta ipſos debeant eſſe perpetui. VIII. quia matrimonium confirmarent Noſtri in Eccleſiâ, ac ſi eſſet actus Eccleſiaſticus. IX. quia novo cenſuræ uterentur modo, ſuſpenſione videlicet, quam Chriſtus non inſtituerit. Matth. XVIII. 19. X. quod dies aliquos feſtos ſervarent, ut nativitatis Chriſti, reſurrectionis, adſcenſionis &c. Has decem rationes dabant, quare non ab Anglicanâ ſolum, ſed & noſtrâ Eccleſiâ divorterent, (quas ex Fr. Iohnſoni *Articulis, ag. the French & Dutch Church*, reponit in Apol.I ſuâ adverſus Brovvniſtas, Anglicè, Ioſephus Hallus) omnes profectò frivolas, quarum aliquæ

non

non ſatis verè allatæ, aliquæ non probandæ, vel nullius pretii ponderiſque, ſaltem non ad inſtituendum & fovendum ſciſma. Magna certe & prægnans tam jure ſuo, quam extremâ neceſſitate debet eſſe cauſa faciendæ ab Eccleſiâ ſeceſſionis: quæ non apud noſtros homines occurrit. *Deus nobis imperavit congregationem, ſibi ſervavit ſeparationem*, inquit Auguſtinus. Vbi ergo Deus ſeparationem nec mandat, nec probat: væ homini, qui quæ Deus juncta voluit, divellit. Prodeant ipſorum Adverſariorum de Eccleſiis noſtris judicia ac teſtimonia, luculenta nonnunquam & honorifica, de Anglicanâ etiam, quando in eâ fatentur veram vigere doctrinam & religionem; de Reformatis aliis, quas pro veris videntur habere; præſertim Belgicâ noſtra, quam ſæpe non parum deprædicant: quod ergo poſt hæc ſeceſſioni ipſorum ab illis omnibus proferri patrocinium poterit, vel argumentum? De Eccleſiâ quidem Anglicanâ ſic ipſe inter illos loquitur Henricus Barrovv, à quo nomen & ſectam trahunt, in epiſtolâ ad Nobilem Comitiſſam, paulo ante ſuum ſupplicium ſcripta, quæ Brovvniſtarum Apologiæ inſeritur, contra Doctores Oxonienſes: *ad tertiam accuſationem reſpondi, me libenter amplecti & credere communem fidem in hiſce regionibus receptam & agnitam, ut omninò ſanctam ac puram.* Atque in aliâ ejus epiſtolâ, quæ ibidem quoque adſertur: *annon nos deprædicavimus fidem Martyrum Anglicorum, beatoſque illos æſtimavimus, utcunque falſa officia, & multam corruptionem in cultu divino exercerent*? Ioh. Robinſonus, in Apolog. cap. XII. *Neque à noſtrum quopiam in confeſſione fidei ſuæ requiritur, ut vel unica vocula, Eccleſiæ Anglicanæ aut renunciet, aut refragetur.* Deinde: *Convenit nobis (quatenus Eccleſiis reformatis Belgicis, & aliis) cum Eccleſiâ Anglicanâ in Articulis fidei & religionis Chriſtianæ capitibus, hujus Eccleſiæ nomine conſcriptis, prout habentur in Harmoniâ Confeſſionum fidei. Si per Eccleſiam intelligat*

Ca-

Catholicam Eccleſiam, per univerſum terrarum orbem ſparſum & diſſeminatam, libenter agnoſcimus, ejuſdem partem eximiam, eamque viſibilem & conſpicuam, in Angliâ reperiri: quarum etiam communionem in omnibus religionis actibus licitis in ſe, & rite ordinatis (noſtro judicio) ſanctè profitemur, & colimus. Ibidem: *Quod non ita tamen intelligi velim, ac ſi vel perſonas Epiſcoporum, vel authoritatem, quà potiuntur civilem in rebus vel civilibus, vel etiam Eccleſiaſticis, omnino averſemur. De perſonis eorum Dominus proprius judicabit, cui ſtant, aut cadunt. Fuere ex iſto ordine qui temporibus noſtris Marianis, veritatis Euangelicæ Confeſſionem vitâ ſuæ prætulerunt: Spero & ex illorum ſucceſſoribus ſupe, eſſe, qui ſi eadem inſtaret tempeſtas (quod Deus avertat) & eidem veritati agnitæ idem teſtimonium, eodem precio, perhiberent.* Vide, ut honorificè loquatur de ipsâ Eccleſiâ Anglicanâ, quam aliàs cum Babylone conferunt, falſam dicunt Eccleſiam, falſumque ejus, quem exercet, & ſuperſtitioſum cultum. De Reformatis Eccleſiis aliis & in genere, non minus etiam reverenter. Præfat. ad Confeſſ. An. cIↄ Iↄ xcvi. *pag.* 18. exemplaris Belgici; vel Anglici *pag.* 7. approbant Eccleſiarum Reformatarum doctrinam, inque eandem ſibi convenire cum Confeſſionibus Belgicâ, Scoticâ, Germanicâ, Gallicâ, Helveticâ, aliarumque orthodoxarum Eccleſiarum, Syntagmate Confeſſionum contentis, palam atteſtantur. Ioh. Robinſonus, Apol. præfat. pag. 7. *De Eccleſiis reformatis quid aliud dicam? Eas pro veris, & genuinis Chriſti Eccleſiis habemus: cum eiſdem in ſacris Dei communionem profitemur, & quantum in nobis eſt, colimus: conciones publicas ab illarum paſtoribus habitas ex noſtris, qui norunt linguam Belgicam, frequentant. Sacram cœnam earum membris, ſiqua fortè noſtro cœtui interſint nobis cognita, participamus: malis illarum ſeriò ingemiſcimus; eiſque à Deo ſanctam, firmamque pacem ex animo precamur.* Ainſwortus, contra Pagetum, *agnoſcimus Reformatas Eccleſias (viſis earum Confeſ-*

ſionibus) eſſe veras Eccleſias, & fratres noſtros in Domino. apud Pagetum, *Arrow againſt the Browniſtes pag.* 45. Iam verò de Belgicis noſtris, & qui inter illos optimus, Ioh. Robinſonus, Apol. præf. *Profitemur coram Deo & hominibus, adeo nobis convenire cum Eccleſiis reformatis Belgicis in re religionis, ut omnibus, & ſingulis earundem Eccleſiarum fidei Articulis, prout habentur in Harmoniâ Confeſſionum fidei, parati ſimus ſubſcribere:* Et, *Vt redeam quo velim. Quum (ut ex præfatione patet) Eccleſiarum Belgicarum propoſitum ſit, in Confeſſione ſuâ conſcribenda, rationem reddere ſpei, quæ in illis eſt, & apertè ſententiam ſuam aperire in re fidei; ut & in Harmoniâ confeſſionum edenda, conjunctionis illius, quæ illis arctiſſima eſt cum ſanctis Dei, & verè Catholica Eccleſia. cumque ſingulis ejus ſanctis, & ſanis membris, omnes homines conſcios facere, quo jure, quâve injuriâ, nos (quibus multo magis in re fidei, & religionis convenit cum Eccleſiis Belgicis reformatis, quàm plurimis ex eis Eccleſiis, quarum confeſſiones tanquam Chriſtianæ conjunctionis ſymbola, omnibus inſpiciendæ proponuntur) ab hoc charitatis vinculo, aut conjunctionis conſortio excludi poſſumus?* Hinc nos perpetuò *Fratres* appellat. De diſſenſionibus inter nos atque illos idem Robinſonus, Apol. præf. ſatis tenuiter loquitur, & ſuos ſolùm *paulo aliter* ſentientes, atque ab orbitâ noſtra *parùm* deflectentes dicit; & de nobis ibidem, *licet idem quod nos ferè ſentiant in omnibus.* atque, *an fratres de quibus immerito ſiniſtram opinionem concipiunt.* De ſciſmate, & ſeparatione ſuâ, quam imprudenter fecerunt, Robinſonus *ſeceſſionem quandam* illos feciſſe ait, cap. XII. atque in fine, quod non ſit illis *animus ad ſciſmata propenſus.* Quid ergo eſt, quod ab illis Eccleſiis, quas adeo probant, & commendant, ſeceſſionem fecerunt temerariam & ſcandaloſam? pro quâ quando coguntur loqui, videas homines in maximas redigi anguſtias, illubenterque ad ejus apologiam provocari, pro quâ nihil rationum, plura verò in contra-

tratium ſuppetunt. Super quo Separationis articulo lege, præter alios, qui contra Browniſtas, hoc ex profeſſo tractant, Rich. Bernard *The Separatiſts Schiſme:* ejuſque defenſionem alio libro, *Plaine Evidences*, contra Ainſvvortum, & Ioh. Smir. Roberti Abboti *Triall of our Church forſakers.* Iohn Ball, adverſus duos tractatus Ioh. Canni, unum quem inſcripſit, *de neceſſitate ſeparationis ab Eccleſiâ Anglicanâ*; alterum, quem oppoſuit Robinſono, & probare anniſus fuit, non licere audire Anglicanæ Eccleſiæ Miniſtros. Ioh. Halli Apol.contra Brovvniſtas, Anglicè.

Id quod hactenus de ſciſmate Brovvniſtarum ab Eccleſiâ tum Anglicanâ, tum noſtrâ diximus, manifeſtum fit ex ſingulis, quas movent, controverſiis, inſpectâ probè illarum natura. Quippe omnes concernunt Eccleſiæ regimen, diſciplinam, & conſtitutionem externam. Primò quærunt, de *poteſtate Eccleſiaſticâ regiminis*, ubi reſideat? Dicimus nos, penes Rectores, ſeu presbyteros Eccleſiæ, quà docentes, quà regentes: illi, penes totam Eccleſiam, etiam plebem. Eccleſia conſideratur, vel ut *unum* corpus in ſe, abſque diſcrimine eorum qui in illo corpore; vel cum hoc *diſcrimine*, quod eſt inter *Rectores*, & *plebem*. Etiam *poteſtas* Eccleſiæ in ſe conſideratur præcisè; vel diſtinctè poteſtas *regiminis*. Illius ſubjectum ponendum eſt corpus Eccleſiæ, in genere; hujus, quia jam fit diſtinctio, non plebs, ſed Rectores ſoli. Obſervatâ diviſione Eccleſiæ in presbyteros, & plebem, poteſtas Eccleſiaſtici regiminis non penes utroſque, non penes plebem eſt, nec à plebe derivatur in Presbyteros, quamvis cum plebis conſenſu electio presbyterorum à presbyteris fiat in Eccleſiâ conſtitutâ, ſed electio à quocunque procedat, non confert electo proprie loquendo poteſtatem eccleſiaſtici regiminis, niſi per deſignationem tantum perſonæ aptæ, cui immediate Chriſtus poteſtatem illam confert, nemo alius. Quemadmodum in electione

Regis, Senatus populuſque deſignant, eligunt perſonam ἄξιον, in quam non ab illis revolvitur poteſtas regia, utique quam ipſi non habent, ſed à ſolo Deo; unde & Dei gratiâ regnare dicuntur. Vel, uti in generatione hominis, parentes corpus ſuppeditant, & ſubjectum oſtendunt quaſi, cui Deus vi communis ſuæ providentiæ animam indat, quæ non ab utroque parente vel ex fœtu corporeo exſuſcitatur, ſed ſolum Deum auctorem habet: ita quoque hic, Eccleſia deſignat perſonam regimini ſuo aptam ſibi viſam: non autem à plebe, ab infra adſcendendo, aut à presbyteris eligentibus devolvitur poteſtas regiminis in electum, vel ordinatum, ſed à Deo, à Chriſto ſola dependet, oritur, confertur. Circa hanc quidem rem verſatur poteſtas totius Eccleſiæ: nempe eſt poteſtas aliqua, quæ non propriè eſt regiminis, tota autem eccleſia ſubjectum eſt totius ſuę poteſtatis: ſed poteſtatem illam diſtribuendo, ſecernenda etiam in Eccleſiâ ejus diverſa ſubjecta ſunt, ut poteſtatem regiminis habeant presbyteri, poteſtatem conſentiendi, approbandi, vel improbandi in multis, plebs. Nam & plebis in præcipuis Eccleſiaſticæ poteſtatis actibus ſeu officiis ſuæ non contemnendæ partes ſunt, in electione paſtorum, ſeniorum, Diaconorum, excommunicatione &c. unde illud in veteri Eccleſiâ vulgare, *cum conſenſu plebis*. Quâ de re videnda elegans diſſertatio Davidis Blondelli, *de jure plebis in Regimine Eccleſiaſtico*. Ius igitur ſeu poteſtas & exercitium regendi Eccleſiam, non penes plebem eſt, uti Brovvniſtæ exiſtimant; ſed penes Rectores Eccleſiæ ſolos. Poteſtas Eccleſiæ præciſe conſiderata, non cum additione hujus aut illius rei, vel regiminis, vel aſſenſus, apud totam eſt Eccleſiam. Quemadmodum poteſtas animæ eſt in totâ animâ, ſed poteſtas videntis animæ vel viſionis (per viſionem corpus regitur) in ſolis oculis; uti ratiocinationis in capite. Ita poteſtas Eccleſiæ eſt in Eccleſiâ; ſed regentis, in iis qui Eccleſiæ

oculi

oculi dicuntur & vigiles, id eſt, Rectoribus. Iſte Brovvniſtarum hoc in loco error eſt, quod plebi etiam aſſignant jus, poteſtatem, exercitium, & partes regiminis Eccleſiaſtici. Idemque aliquando in Eccleſiis Gallicis ſub a. cIↄ Iↄ lxx i. molitus fuit Ioh. Morellius Miniſter Pariſienſis, à Bezâ, & Sadeele ſolidè refutatus. Vide Bezam *epiſt.* lxviii. *& Comment. Relig. in Gall. part.* iv. *pag.* 19. Atque de quæſtione illâ Brovvniſtarum, Baylium, *The Errours of time, cb.* ix. Ioh. Collings, *Vindiciæ Miniſterii Evangelici*, Anglicè. Iohn. Ferriby, *The Lawfull Preacher.* Voetium, *Diſp.* iii. & iv. *de poteſtate & polit. Eccleſ.* Apollonium, *Conſiderat. Controv. Anglic. cap.* iii. *&* iv. Spanhemium, *epiſt. Claſſ.* ii. *qu.* ii.

Sequitur diſputatio *de Presbyterio Eccleſiaſtico.* Vbi hoc quidem nobiſcum agnoſcunt, presbyteria juris divini eſſe. Robinſon, *Apol. pag.* 21. Sed tum in *presbyteris* noſtris, tum *presbyteriis* carpunt. i. quod illi non ſunt omnes διδακτικοί. Quippe cenſent, omnes in ordinem Rectorum Eccleſiæ cooptatos illis donis inſtructos eſſe oportere, ut poſſint non domatim ſolùm, & in privato aliquo conclavi, vel conſiſtorio, ſed publice etiam in Eccleſiâ docere, pro publici ſui muneris ratione. ¡Vtcunque etiam obſervent diſcrimen inter presbyteros docentes, & regentes. Illud tamen ut valeant etiam Rectores, quâcunque in neceſſitate, vel uſu, abſente paſtore vel mortuo, aliove caſu, decere arbitrantur. ii. Volunt, omnes Presbyteros debere eſſe perpetuos, non annuos, vel temporarios. Iam verò ut tales ſint, vel perpetui, quemadmodum etiam in noſtris Eccleſiis alicubi: & ut quam optimis donis inſtructi ſeniores, adeo ut quoque docere poſſint, nemo invidebit; ſed ut ſoli tales, neque alii eſſe debeant, & in Eccleſiâ doceant quoque publice, uti needum probatum, ita diſcrimen, quod tamen agnoſcere videntur nobiſcum, inter Presbyteros docentes ac regentes ali-

quantum obſcuat. Bucanus, Inſtit. Theol. loc. xl i i. *Quod verò, loquitur de Senioribus Eccleſiæ, illis ſpatium non perpetuum, ſed vel annuum, vel longius præſcribatur, idcirco fit, 1. Quòd plerique munus iſtud ultrò, ut nunc ſunt tempora, recuſant. 2. Quòd expediat interdum eos mutari. 3. Quòd Eccleſiæ intereſt, ad Eccleſiaſticam tyrannidem vitandam: ut aliqui etiam ex plebe norint, quid in Conſiſtoriis & Eccleſiaſticâ jurifdictione geratur, & quàm rectè leges de iis rebus poſitæ obſerventur. De quibus Ambroſius in 1. ad Timoth. 5. 1. Et Synagoga, & poſtea Eccleſia ſeniores ex populo habuit, ſine quorum conſilio nihil agebatur in Eccleſiâ. Quod quâ diligentiâ obſoleverit, neſcio, niſi forte Doctorum deſidiâ, aut magis ſuperbiâ, dum ſoli volunt aliquid videri.* Auctor Altaris Damaſceni, cap. xi i. pag. 927. *Sed hæc infelicitas horum temporum, quod non ubique ſunt perpetui, licet in pleriſque apud nos Eccleſiis ſint, & ubi perpetui ſunt, bona & opes Eccleſiæ non in publicum ærarium Eccleſiæ colligantur, ſed ab Aulicis, magiſtratibus, aliiſque ordinis inferioris diripiantur. Poſſe Seniores, præſertim temporarios, de jure ſuo remittere in tantâ ærarii publici anguſtiâ, & honorarium ſuum condonare quis dubitat?* Atque antea de Seniorum, ſeu perpetuorum, ſeu temporariorum ſtipendio dixerat, in explicatione loci Apoſtolici, 1. Tim. v. 17. *Etſi igitur non accipiunt in Reformatis Eccleſiis ſtipendia ſeniores, non ſequitur tamen non eſſe illos ſeniores in Eccleſiâ Apoſtolicâ inſtitutos. Si quæſieris an debeatur eis ſubſidium ſuſtentationis: Reſpondeo, honorarium debetur, & præmium quoddam propter opus ipſorum, nam operarius eſt dignus mercede ſuâ, plenum etiam & integrum ſuſtentationis ſubſidium, ſi vel quis dono gubernationis præditus præ aliis ad iſtud munus provectus fuerit, quia neceſſariam ejus adminiſtrationem Eccleſia judicat, & non habeat, unde ſe & familiam ſuſtentare poſſet, vel ſi quis ad inopiam poſtea redactus fuerit. De perpetuis potiſſimum loquor, non de temporariis, quibus honorarium durante adminiſtratione debetur, non tamen*

ſub

ſubſidium integrum ſuſtentationis, ſi ad egeſtatem redacti fuerint, debetur ex juſtitiâ, hoc eſt propter opus ipſorum, ſed cum non futuri in opere, ex charitate. Perpetuis debetur honorarium ex juſtitiâ & propter opus ipſorum, in caſu neceſſitatis, id eſt inopiæ vel egeſtatis etiam integrum & plenum ſuſtentationis ſubſidium debetur ex juſtitiâ propter opus ipſorum.
III. Presbyteria, id eſt, Senatum & negotia presbyterii non in conclavi aliquo vel ſecretario Eccleſiæ haberi, ſed in facie Eccleſiæ, eaque tota inſpectante, volunt Browniſtæ. Quod jam etiam diſcrimen presbyterorum ac plebis tollere videtur, & magnam non poteſt non inducere & fovere confuſionem, atque varias abſurditates. Hoc autem ſequitur, ex priori illo fundamento, de poteſtate Eccleſiaſticâ penes plebem reſidua.

Gravior, quique majores & diuturniores turbas Eccleſiæ, Anglicanæ præſertim, dedit, eſt quem vulgo appellamus, *Independentiſmus*, à Browniſtis ortus, inde ab aliis, qui de cætero Browniſtis non aſſociati, arreptus defenſuſque magna vi ingeniorum, fuit, deinde contentionum ſeditionumque; in Novâ Angliâ primùm, & Belgio, ubi ejus auctores exulabant, hodiè potiſſimum in ipſa Anglicanâ Eccleſiâ, & Republicâ. Primus ejus parens habetur Iohannes Robinſonus, de quo aliquoties diximus, qui & rem, & vocem poſuit Apolog. cap. 5. *cætus particularis* (*rectè inſtitutus & ordinatus*) *tota integra, & perfecta Eccleſia ex ſuis partibus conſtans immediatè & independenter, quoad alias Eccleſias*) *ſub ſolo Chriſto*. & ante hæc Apologia Browniſtarum contra Doctores Oxonienſes th. IX. Claſſes, earumque regimen poſuit inter regulas regiminis Papiſtici: *ne Eccleſia regatur ex regulis Papiſticis, foris, Claſſibus*. Benè obſervandum, in modo ſtatuendi & explicandi Independentiſmi diverſos eſſe Browniſtas, & inter illos qui à Browniſtis in aliis, in hoc quoque à Nobis, quos Presbyteriales vulgò vocant, diſſentiunt: quamvis in quam plurimis quotidie magis magiſque illis accedant:
 de

de quo vide Baylie *cap*. VI. *The errours of time.* Sed nos, reliquis particularibus miſſis, ſolum Independentiſmum exponemus, in quo conveniunt. Vbi primo loco ſciendum, nolle eos, quos vulgo tales, diſtinctionis ergò vocant, Independentes dici, uti neque cum Brownistis cenſeri, quorum ſcopulos, ſeparationis nempe ab Eccleſiâ, ſe diligentiſſime vitare ſemper voluiſſe, teſtantur initio in Apologiâ quam ediderunt, vel *Apologeticâ narratione*, uti titulus habet, *Miniſtrorum quorundam, antea exulum, nunc verò membrorum Synodi Theologorum*, Anglicè: ſubſcripta à *Thomâ Goodwin, Nye, Simpſon, Burroughs, Bridge*, præcipuis controverſiæ auctoribus, & patronis. Interim dum ſe Independentes nominari conqueruntur, mirum imo deteſtandum omni modo eſt, quod nos in Apologiâ audent appellare Calvinianos: quod nomen quantâ ignominiâ nobis ab heterodoxis tribui ſoleat, illos latere non poteſt. Ne de nomine *Presbyterialium* dicam, eò minus diſtinctivum, quò ipſi quoque presbyteria habent & probant, tantummodo ſe impugnare ajunt *combinatum claſſico-Presbyteriale regimen.* Credo, quod appellari malint *Congregationales*, quemadmodum pro poteſtate particularium Congregationum totum eſt quod diſputant, & Eccleſias ſuas vocant Congregationales, uti Ioh. Cottonus libri ſui titulum fecit: *The way of Congregationall Churches cleared.* Pauci numero initio fuerunt qui ab hiſce partibus ſtabant, ſed ſedulo ſemper allaborarunt, ut Primores & Proceres regni occuparent atque ad ſe allicerent, quâ viâ, quod numero defuit, dignitate & momento Patronorum exæquatum, indeque vis & pondus ſectæ acceſſit. Robinſonus ſcripſit Apologiam ſuam, in quâ fundamentum poſuit Independentiſmi anno CIↃ IↃ C XIX. verum Cœtus ejus, cui Leidæ præerat, quamque ad ſuam illam regulam gubernabat, valde exiguus ſecum ferè interiit. Ex eo tamen aliqui mare trajicientes in Americam, quò & multi

multi hinc inde Angli ducebant colonias, & novam formabant Angliam, in Neo-Plemmudâ Cœtum Independentem (uti dicitur) erexerunt, circa annum cIↄ Iↄ c xxx. Cui a. cIↄ Iↄ c xxxv. accedens ex Angliâ, cum innumeris aliis pulſus perſequutione Epiſcoporum, Cottonus, horrore ordinis Epiſcopalis, qui ſibi omnia, reliquæ Eccleſiæ nihil concedebant, ex adverſo in aliud extremum prolapſi, omnia Eccleſiæ, & plebi, abſque vinculo, in quo aliam timebant iterum tyrannidem, aliarum Eccleſiarum, concedebant. Cottonus iſte primum in Angliâ alterius longe ſententiæ fuerat, unde & plurimorum errorum hæreſiumque reus, maximus ordinis vel *ἀταξίας* iſtius quaquaverſum promotor extitit; atque ad ſe ex Angliâ attraxit Thomam Goodwin, alioſque, quos ſuis opinionibus diligenter imbuit; habuitque ſecum, quemadmodum Montanus olim Maximillam, Hutchinſonam, de quâ varia & prodigioſa referunt. In Belgio noſtro Eccleſia Anglica, Roterodamenſis hactenus fuerat ſub ordine presbyteriali, cum noſtrâ Belgicâ, uſque ad adventum Hugonis Petri, qui Cottoni, ut creditur, litteris ex novâ Angliâ inſtructus, illam formavit ad typum Independentiſmi, ſed quam ipſe non diu poſt deſeruit, atque confluxit quoque in Novam Angliam. Sequuti eum in Botterodamenſi Cœtu Bridges, Simſon, & VVard, ex Angliâ: qui primum renuntiantes ordinationi Anglicanæ, ex quâ hactenus miniſterio functi fuerant, & in privatorum cenſum redacti, poſtea à Cœtu in Miniſtros electi fuerunt, atque ordinati. Bridgo ordinante VVardum, tum VVardo illum. Verùm oborta mox gravis diſſenſio inter Simſonem, & Bridgum, propter exercitium prophetandi, ad morem Browniſtarum, quod hic improbabat & impediebat, alter verò urgebat: unde ſciſſâ in duas partes Eccleſia, atque cœtum proprium erexit Simſon, adverſus Bridges. Deinde VVardum Bridgi Collegam faſtidire Cœtus in-

cipiens', non quievit, uſque dum ſuâ privatâ, nam reclamabat Collega', authoritate miniſterio exuiſſet. Quæ res ſcandalum cauſata, vicinos ejuſdem familiæ Arnhemienſes movit, ut ſe interponerent, atque Roterodamum mittentes miniſtros duos Goodwinum, ac Nye, cum duobus Senioribus, adſcito ad ſe Bridgo, cum ſuorum nonnullis, conſtituerunt illam Synodi formam, quam prolixe in Apologiâ narrant, commendantque ſupra alias Synodos omnes, Videlicet, quum ſatis temerè depoſuiſſet Miniſtrum ſuum Cœtus Roterodamenſis, vel ejus major factio; tum vi legis inter Chriſtianos communis de cavendo ſcandalo, tum iſtius de non communicando cum aliorum peccatis (neutiquam authoritate ullâ, vel poteſtate) tenebatur (inquiunt in Apologeticâ Narratione) Cœtus vel eccleſia ſe ſubmittere plenario atque aperto examini proximarum Eccleſiarum, iſto ſuo facto graviter offenſarum: quin in caſu impœnitentiæ vel pertinaciæ potuiſſent offenſæ Eccleſiæ adverſus eam pronunciare ſententiam *non-communionis* cum eâ, aliiſque Eccleſiis idem ſignificare, ut cum illâ non communicarent uſque ad teſtatam debitam reſipiſcentiam, non dicunt, excommunicationem: quod bene notandum, quia hæc notat poteſtatem, quam negant ullam ſupra particularem Eccleſiam vel congregationem dari aut conſtitui poſſe: atque in eo cardo controverſiæ ab illis collocatur: ſed non communiodem pronunciare, parium eſt, eorumque quorum intereſt communionem ſervare, aut minus. Quare ita hoc in negotio perrexerunt, & ſic agendum cenſent in ſimili caſu, ubi res aliqua Synodum expoſcit, quam admittunt quidem, ſed non certam aut ſtatam, quia iterum poteſtatis hoc, aut obligationis vel ſervitutis, aut inferioritatis erga ſuperiores videtur: ſed occaſionatam, & pro cauſæ ratione arbitrariam. Arnhemienſis Cœtus ſcripſit ad Roterodamenſem, ſignificans datum ſcandalum, ex temerariâ Miniſtri oppreſſione & depo-

ſitio-

ſitione, quare ab iis petit paterentur in nomine Chriſti, & pro vindicando ejus honore, atque in ſolatium oppreſſi Miniſtri, cauſæ examen coram reliquis ſuæ nationis Eccleſiis, vel quibuſcunque aliis hoc ipſorum facto offenſis, inſtitui; utque ſe ſubjicerent (ita loquuntur, *to ſubject them ſelves*) integræ totius negotii actorumque omnium reviſioni atque examini. Quod ubi conceſſiſſent promto lubentique animo, & adveniſſent Arnhemo ii, quos ſupra diximus, inſtitutuſque conventus fuiſſet, præmiſſâ adhortatione, quæ eo ſpectabat ut docerent, ſingularem aliquam & particularem Eccleſiam, quæ ſibi datam exiſtimat à Chriſto judicandi eos qui ejuſdem ſecum corporis ac ſocietatis poteſtatem, non debere ſibi arrogare exemtionem à reddendâ ratione, vel à cenſurâ aliorum (*an exemtion from giving account, or being cenſurable by any other*) ſive Magiſtratus ſupra, ſive proximarum Eccleſiarum juxta ſe. Tam longe (dicunt) à mente noſtrâ aberat independens illa libertas, quæ nobis vulgo impingitur; etiam tum quando minima nobis à regno Anglicano dependentia, vel revertendi eò ſpes videbatur reliqua. Hic autem ſucceſſus atque exitus Synodi illius fuit, ut, habita aliquot dierum cauſæ cognitione, auditiſque & examinatis variis teſtibus, quomodo in Curiâ aliquâ ubi vel maxime authoritate res agitur, deſiderari poſſet, Cœtus qui offenderat, palam errorem ſuum agnoverit, & Miniſtrum, confeſſum etiam in quo forte ipſe peccarat, reſtituerit in priſtinum ſuum locum, indictoque ſolemni jejunio, ſe coram Deo ac hominibus propter peccatum illud ſuum humiliarit. Verùm quod ad diviſos Cœtus Simſonis, & Bridgi, interceſſit tandem authoritas publica Magiſtratus, eoſque unire iterum coëgit. Maximas autem per horum hominum opiniones & factiones, turbas ſenſit, atque etiamnum experitur Anglia, poſtquam hinc inde eò certatim confluxerunt: ubi ſciſsâ

& di

& dilaceratâ miſerè Eccleſiâ & Republicâ, interim omnis generis hæreſes, errores, ſectæ; multiplicant, & dominantur vaga licentia, cum magno veritatis, pietatis, & ordinis præjudicio, ac ruina. Hoc Anglorum peccatum fuit, quod eliminato Epiſcopatu, non ſtatim paratum habuerunt ordinem, ad quem Eccleſiæ regerentur, ſed fluctuantes, ſub tantâ tamque diuturnâ *ἀταξίᾳ* flagrantibus diſſenſionibus ſiverunt illas jactari huc uſque miſerum in modum & proculcari. Quod eo magis deplorandum, quo non adeo gravis ſuper Independentiſmo diſſenſio primùm viſa, quin aut ferri & tolerari, aut componi, vel in eandem ſententiam regiminis Eccleſiaſtici perduci poſſe diſſentientes, crederetur. Quid enim hoc eſt, propter aliquem in regimine Eccleſiaſtico, eumque non ſummum articulum, regimen non tantum, ſed Eccleſiam ipſam indignè luere? Non de Epiſcopatu agitur admittendo, non de Senioribus repellendis; agnoſcitur regimen Eccleſiæ habendum, & per presbyteros tum docentes, tum regentes: *plerumque exilii noſtri tempore habuimus tres Seniores in quâlibet congregatione, quibus etiam eramus ſubjecti*, ſcribunt in Apologiâ, p. 14. Quid jam illud eſt obſecro, de quo tantopere contendunt? Non id ſpectat adeo Eccleſiam inſtituendam, acquidem conjungendam cum aliis: vel nec hoc proprie, nam Synodos Eccleſiarum admittunt ipſi etiam, celebrantque; ſed *dependentiam*, vel potius *combinationem* Eccleſiarum in Synodos; & harum *authoritatem* in illas. Hi duo axes ſunt, ſuper quibus volvitur omnis diſputatio. Exiſtimant, Eccleſiam vel congregationem particularem totam ſui juris eſſe, & habere in ſe omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, ſupremam, non alteri Eccleſiæ, aut Eccleſiis, aut Eccleſiarum Deputatis vel Synodis ſubjectam, æque minus ac Epiſcopis: ideoque & conveniente Synodo, huic nullam proprie & directe in aliam Eccleſiam poteſtatem competere, quidem ut conſilio, & auxilio Eccleſiam

cleſiam juvare poſſit, vel adverſus peccantes etiam procedere cenſurâ, at non ex poteſtatis alicujus, ſeu ſuperioris vi, ſed collaterali & pari judicio, & pronunciandæ non excommunicationis, quod fit modo in inferiores (ab Eccleſiâ in membra, in quæ poteſtatem habet), ſed *non-communionis*, uti in pares. Hinc nolunt *ſtatas* Synodos, ſolummodò occaſionatas. Quidnam vero hic tanti, iterum quæro, quod magnarum contentionum & tumultuum cauſa eſſe debeat? quodque non vel tolerari, vel componi, ſi non corrigi facile poſſit? Eccleſiam particularem habere omnem poteſtatem Eccleſiaſticam in ſe, neque eam accipere à Synodo, vel ab aliis ſuperioribus, certum eſt. Pone (verbi cauſa) ut modo una particularis ſit eccleſia, vel in mundo, vel in aliquâ mundi parte, vel ut non ſint Eccleſiæ quæ ſociari in unum poſſint; aut quod aliqua cum iis ſociari nequeat: non hæc eo minus eccleſia eſt, vel mutila ideo aliquâ ſui parte, nedum eſſentiali. Jam ſociari in unum Eccleſias, & convenire in Synodos, haud improbant Adverſarii, tantum non dependere à Synodis. Et ſi bene introſpiciamus, dependentia à Synodis non congruè dicitur. Quippe haud exiſtimandum, vel ab aliis ſuperioribus aut Eccleſiis, aut Synodis habere precariam poteſtatem particularem quamque Eccleſiam, vel ſe poteſtate ſuâ exuere, quando in Synodum coit, illamque ei tradere. Neutiquam. Synodorum vel uſus vel poteſtas nihil officere poteſt aut debet Eccleſiarum particularium libertati & poteſtati, eſtque non privativa, ſed cumulativa poteſtas, eccleſiaque particularis quælibet manet ſubjectum proprium & adæquatum plenæ poteſtatis eccleſiaſticæ. Neque Synodi in alias ſub eâ comprehenſas eccleſias poteſtatem uſurpant imperantem, quæ Dominorum, & ſuperiorum eſt in inferiores ſibi ſubditos; ſed ex communi & libero Eccleſiarum conſenſu in Synodum, hæc poteſtatem habet delegatam, & auxiliarem vel miniſtrantem, Eccle-

cleſiis voluntariâ conſenſione, ob neceſſitatem ordinis & ædificationis, Synodis ſe ſubjicientibus. Uti quando in Rebus-publicis, vel alibi, ex communi æqualium conſilio Collegium erigitur, ad quod communes cauſæ devolvuntur tractandæ & definiendæ, quod in illas nullam habet poteſtatem, niſi earum arbitrio & mutuo conſenſu. Quod in circulis vel diœceſibus Eccleſiarum, quare hæ iſti, illæ alteri Synodo ſe adjungant & ſubmittant, apparet. Non eſt ergo proprie hæc Eccleſiarum ad Synodum relatio, *dependentia* dicenda, neque commodo mihi vocabulo *Independentiſmi* vel denotata controverſia, vel hominum ſecta videtur: nam benè dici poteſt, Eccleſiam particularem eſſe independentem ab aliâ, vel à Synodis, aut hominibus; pendere autem à ſolo Chriſto: ſubmiſſio potius appellanda fuerat, ut quæ venit ex communi conſenſu Eccleſiarum ſe illi ordini, ad ædificationem & bene eſſe Eccleſiæ, ſubjicientium. A quâ nomenclaturâ ipſos non admodum alienos futuros, & molliori verbo rem non malam facilius perſuaſum ipſis iri confidimus, quum in Apologiâ dicentes audiverimus, ſuis ſe Senioribus ſubjectionem præſtare, & Synodi Roterodamenſis ſententiæ ſubjectionem à Roterodamenſi cœtu poſtulatam, teneri Eccleſiam ſe ſubmittere aliorum judicio & cenſuræ &c. quæ facilius mihi videntur concilianda cum ſententiâ noſtrâ, quam cum nomine dependentiæ (quo offenduntur) vel poteſtatis uſurpatæ à Synodo in Eccleſias. Verùm quid eſt quod adeo oſtendere eos poſſit, ſi Synodorum poteſtate ita explicatâ, & limitatâ, aliquam iis tribuamus? Cenſuram ſtringere in contumacem, pronunciare non-communionem, quid vel ab excommunicatione adeo diſtat, vel ab uſurpatâ poteſtate? Illa non-communio paſſive conſiderata, quid differt ab excommunicatione? qui extra Sanctorum communionem ponitur, annon idem eſt quod excommunicatus? vel eccleſia ſic damnata non-communione, annon

pote-

poteſtatem aliquam ſentit adverſus ſe exercitam? Ajunt, illa eſſe remedia efficacia, *powerfull & effectuall meanes:* quomodo abſque omni poteſtate? Sed improbare ſe dicunt, Synodorum *authoritativam poteſtatem eccleſiaſticam*. Certè magis videntur mihi verba horrere, quam rem. Vbi Eccleſia ſe ſubmittit judicio, cenſuræ, ſententiæ non-communionis, annon ſe ſubjicit poteſtati? Vel coëuntes in Synodum Miniſtri ac Seniores, annon ſervant poteſtatem ſuam eccleſiaſticam, quam ſemper habent ex ordinatione & functione miniſterii, jamque eò magis quò ab Eccleſiis ſuis ad Synodum deputantur? vel an amittunt poteſtatem ſuam, eamque ante Synodum deponunt? quo quid abſurdius dici poteſt? Si ergo poteſtatem ſuam eccleſiaſticam retinent ii qui Synodum conſtituunt, quomodo eam quaſi vel vacuam vel vanam ſine viribus imaginamur? Et non in alias Eccleſias Synodus pronunciat, quam ſuas, id eſt, quæ ibi per Legatos ſuos conveniunt, communeſque cauſas ei ſubjiciunt, omnino per voluntariam & mutuam ſubmiſſionem, neque in alienam ſegetem falcem ſuam immittit Synodus, ſed combinata Eccleſiarum poteſtas in earundem eccleſiarum bonum invigilat una, & communiter proſpicit. Siquidem nolint dici poteſtatem & authoritatem, ex quâ Synodus ſua agat; quid illud tanti refert, ut non res retineri, & conjunctio eccleſiarum animorumque poſſit? dummodo idem, vel fere idem curetur, quo id cunque nomine fiat, poteſtatis, an conſilii, an utriuſque, vix litigandum videtur. Quod gloriantur in Apologiâ, ſe ſuâ methodo & viâ æquè, ſi non melius, negotia in Synodis ſuis tractare ac abſolvere, quam nos in noſtris; faciant, unaque incumbant in tranquillitatem & ædificationem Eccleſiarum mutuam. Iam de ſtatis Synodis quod regerunt, exiſtimo eos, ſi permittantur aliquandiu ſuâ incedere regulâ, poteſtatem Synodorum propediem magis agnituros, & propter crebra magna-

que

que variarum Eccleſiarum negotias ipsâ duce experientiâ, ad ſtatas Synodos recurſuros, atque antiquam & Catholicam Eccleſiæ Chriſtianæ praxim de Synodis, earum poteſtate, & ſtatis vicibus, haud difficulter probaturos. Præſertim metus amittendarum Synodorum, quando non habentur ſtatæ, firmatæque, docere illos deberet, quam adverſus Eccleſiæ commoda hic tumultuentur. Quidquid ſit, non oportuit ob levidenſe negotium tantas concitare turbas: nec tanti referret forſitan illis hâc in parte indultum nonnihil fuiſſe, toleratamque infirmitatem, donec ipſos uſus & experientia refelliſſet potiùs, quàm contentio. Quemadmodum a. cIↄ Iↄ c xl iv. die xiii. Septembris conclusum in Parlamento, ut Deputati utriuſque domus, unà cum Delegatis Eccleſiæ Scoticanæ, & Synodi Londinenſis, diſpicerent de compoſitione & unione Controverſiæ in Synodo agitatæ, ſuper Eccleſiaſtico regimine: vel ſin minus hoc obtineri poſſet, inquirerent in modum, quo teneræ conſcientiæ, quæ ſe in omnibus nequeunt ſubjicere eidem regulæ ſtabiliendæ, poſſent tolerari juxta Dei verbum, ad publicam tranquillitatem, & Synodi progreſſus non diutius illis contentionibus inhibendos. Ad quod variis inſtitutis collationibus, die iv. Decemb. a. cIↄ Iↄ c xlv. Diſſentientes fratres (ſic paſſim appellati) conſenſum ſuum teſtati in Confeſſione fidei cum Eccleſiis Reformatis, quas pro veris amplectuntur, & variarum ſententiarum deſperantes compoſitionem petebant tolerari: quod alii non concedendum rati, variis ſcriptis diu certarunt coram Deputatis Parlamenti, & Synodi, nullo tandem eventu. Iterumque a. cIↄ Iↄ c xlvii. Diſſentientes Fratres, coram Parlamento diſputarunt ſuper tribus Propoſitionibus Synodi: quarum prima concernebat regimen Presbyteriale; altera, ſubordinationem congregationum; tertia, poteſtatem particularis Cœtus in ordinando. De illo Synodi propoſitio erat; quod

Scri-

„Scriptura declarat, plures particulares congregatio-
„nes poſſe eſſe ſub uno regimine Presbyteriali. De iſto
„Congregationes Synodicæ variorum generum ſunt,
„Provinciales, Nationales, & Oecumenicæ. Dein,
„licet, ac cum verbo Dei congruit, ut ſit ſubordina-
„tio Conventuum, Congregationalis, Claſſici, Pro-
„vincialis, & Nationalis, ad regimen Eccleſiæ. Deni-
„que hæc erat propoſitio tertia: omnino requiritur, ne
„ſingularis Congregatio, quæ apte aſſociari poteſt, ſi-
„bi arroget omnem & ſolam poteſtatem ordinationis.
Has propoſitiones rationibus variis à Synodo confir-
matas, Diſſentientes fratres aliis impugnabant, atque
ad priores reſpondebant. Quod ſemel iterumque aliis
inſtantiis & reſponſionibus tum ab hâc, tum ab illâ par-
te reciprocatum, quę diſtinctis ſcriptis comprehenſa, o-
mnia juſſu Parlamenti edita fuerunt, atq; ad annum al-
terumq; protracta: unde factum, ut quo plus diſputatum,
eo longius diſceſſum, & quo contentionis plus, eo mali
diviſioniſque plus datum fuerit. Facit horum, meique
mentionem, ſed honorificam ſatis, quo nomine & grati-
as publice dico, V. C. Ludovicus Molinęus, Hiſtoriarum
Profeſſor Oxonienſis, in Paręneſi, c. XXII. ubi primum
de me teſtatus, quod *nemo hactenus presbyterianorum aqui-
or fuit in fratres; nec, quod alii, ut facit Amyraldus, vertit fra-
tres in hominum monſtra aut contumeliis proſcindit, ſed tanto
candore, tantâque animi lenitate conatur reducere in viam
ſuam, ut vix eſt ut non ametur etiam ab illis quos non pervi-
cerit & perſuaſerit.* tum mea examinans, aliquot ponit
Concluſiones, in quibus nec probamus omnia, neque
etiam improbamus. Nam quod primum inquit, fratres
quidem negare Eccleſiam particularem ad conſociatio-
nem ejuſdem diſciplinæ cum aliis obſtringi, præcepto
divino, attamen nec eam repudiare cum ſororibus Ec-
cleſiis, in eâdem fide conſpirantibus: bene eſt, modo
conjunctio habeatur & colatur, ſi non ex jure divino,
omnibuſque univerſaliter & diſerte præſcripto, at Ec-

cleſiaſtico, & pro bono, pace atque *συνταξία* Eccleſiarum mutuâ. Præſertim quum addat, Eccleſiam particularem teneri reddendis rationibus viarum ſuarum Synodo, aut alteri particulari Eccleſiæ. Deinde agnoſcit conventus Synodorum eſſe de jure divino: ſed negat, Synodum quamcunque aut Ecclſieam particularem habere in alias ſeu Eccleſias, ſeu Synodos judiciariam authoritatem & poteſtatem: non omnem, aut qualemcumque, fateor, non à ſe & ſuâ ſponte, & jure quodam ſuperioritatis proprio in Eccleſias quaſi inferiores, & poteſtatem ſuam ab aliis ſeu Eccleſiis ſeu cœtibus mendicantes, ſed liberâ duntaxat conſociatione, & non ſui adeo, quam negotiorum quorundam, difficilium aut ad plures ſpectantium, ſubmiſſione mutuâ, obtinere Synodos poteſtatem, quâ pollent, arbitramur, non privativam Eccleſiarum, ſed cumulativam. Nedum ut Eccleſia alia in aliam poteſtatem ullam ex ſe habeat, aut imperium. Quod vel primus apud nos dicit ordinis Eccleſiaſtici articulus; *Nulla Eccleſia in aliam, nullus Verbi Miniſter, Senior, Diaconus nullus in alterum dominium exercebit, verùm unuſquiſque ab omni dominandi cavebit ſibi ſuſpicione & illicio.* Synodus Nationalis Emdana, a. cIↃ IↃ lxxi. art. i. Quod repetitum confirmatumque Synodo Dordracenâ a. cIↃ IↃ cxix. Ordinis Eccleſiaſtici canone lxxxiv. Verùm quod Vir. Cl. poſtmodum addit, uti aliis, id eſt, civilibus hominum ordinibus, foris, atque ſocietatibus; ita Eccleſiis quoque, Conſiſtoriis, Claſſibus, & Synodis authoritatem ſuam eſſe totam & poteſtatem regendi à Magiſtratu civili, id non admittimus, exiſtimantes, Eccleſiam per ſe corpus eſſe aut ſocietatem, diſtinctam à civili, & alterius plane generis, ut non ſit imperium in imperio; ſed cui auctor fundatorque Chriſtus, de requiſitis ad eſſentiam & integritatem, ſive ad eſſe ejus & bene eſſe, abunde proſpexerit, ſive ſub Magiſtratu aliquando inimico, aut nullo acturæ, ſive favente. De quo non eſt

ut

ut impræſens diſputemus; uti nec de foris Eccleſiaſticis, quot, aut quibus, certe non citra neceſſitatem multiplicandis. Scripta ſuper Controverſiis Diſſentientium fratrum, quos vulgo Independentes vocant, extant varia, quæque ad manus noſtras venere præcipua quidem, *Syons prerogative Royal*, oſtendens quod quælibet particularis Congregatio eſt independens; *is an independant body, not ſtanding under any other eccleſiaſticall authoritie out of it ſelfe*. Independentium, qui ſic appellantur, *Apologia*, cum *Antapologiâ* Thomæ Edwardi, quâ illam refutavit. *Rationes* per Diſſentientes fratres oblatæ *adverſus Propoſitiones concernentes Regimen Preſbyteriale*, *cum Reſponſionibus Synodi ad illas*, Anglice: ubi diſputatur de rebus in controverſia. *Papers for accommodation* anno cIↄIↄcxliv. in quibus de componendis, aut uniendis, vel tolerandis diſſenſionibus & diſſentientibus hinc inde actum. *A ſurvey of the ſumme of Church diſcipline*, duobus libris, quorum primum ſcripſit Tho. Hooker; alterum Joh. Cotton, pro ordine Eccleſiarum Congregationalium in Novâ Angliâ. Adverſus illos Rob. Baylie, lib. *à Diſſuaſive from the Errours of the time*, *ch.* III. IV. V. VI. X. *Ius divinum Regiminis Eccleſiaſtici*, pro Regimine presbyteriali, per Miniſtros Londinenſes, Anglicè. *A vindication of the Presbyteriall government*, per Miniſtros Synodi Provincialis Londinenſis a. cIↄIↄcxlix. Sam. Rutherfurd, lib. *The due right of presbyteries*: aliique ejuſdem tractatus. Ioh. Paget, *A defence of Church government*, adverſus Ainſwortum, Davenportium, & Cannum, de poteſtate presbyterii, Claſſium, & Synodorum. Samuel Bolton, *The Arraignement of Errour*, *à pag.* 268. *&c.* imprimis *à pag.* 349. ubi de compoſitione controverſiarum egregiè diſſertat. Cui fini facit etiam Iohn Brinſley, *The Arraignement of the preſent Schiſm of new ſeparation in Old England.* Ex Noſtris, Voetius, Diſp. *de Claſſibus*, *&* *Synodis*. *De Ec-*

cleſiâ viſibili, & inſtitutâ. Apollonius (adverſus quem inter Anglos ſcripſit Nortonus) *Conſider. Controv. cap.* VI. Spanhemius, *epiſt. Claſſ.* III.

Regrediendo ad theſes Browniſtarum, quamvis eaſdem ut plurimum ſequantur Diſſidentes fratres, ſeu Congregationales, aut quocunque nomine appellare eos placeat, an Independentium, quod aliqui inter ipſos non admodum refugiunt? offert, inter primas ſe ea, quâ de *amplitudine* Eccleſiæ *particularis* quæritur: an non alia ejus menſura capienda ſit, quàm à loco, ut Eccleſia particularis ſit, quę commodè uno in loco tota convenire, atque ab uno paſtore doceri queat; vel, quæ ſuo ambitu non plura complectatur membra, quam quæ in unum locum ſimul coire poſſint? ita ut totidem in unâ aliquâ urbe cenſendæ ſint eccleſiæ particulares, quot ejuſmodi congregationes: vel non potius, ab unitate Synedrii particularis Eccleſia æſtimanda ſit, quamvis variis locis convenire cogatur, nec uno ob multitudinem ſuam poſſit, ita ut habeat pro copiâ membrorum paſtores, locaque apta & copioſa, regatur autem ſimul ab uno Synedrio, quod ex pluribus Paſtoribus conſtet, unà cum Senioribus? Browniſtæ, atque Independentes prius illud volunt. Apologia Browniſtarum, *theſ.* VIII. Robinſonus, *c.* I. Confer Ameſium, *Medull. Theolog. c.* I. *lib.* I. *cap.* XXXIX. §. 18. 19. Parkerum, *Lib.* III. *Polit. Eccleſ. cap.* XVII. *p.* 189. Diſſentientes Fratres, adverſus III Propoſitionem, *de regimine Presbyteriali:* quâ Synodus dixerat, plures particulares Congregationes poſſe eſſe ſub uno regimine presbyteriali, idque oſtenderat exemplo Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, atque Epheſinæ, ubi proculdubio plures fuerint Cœtus, at ſub uno presbyterio cenſita una particularis Eccleſia. Certe modo caveatur, ut pro numero fidelium Eccleſia habeat ſufficientes Paſtores, & ædes ſacris Conventibus aptas, nihil video] quare non etiam ſub uno Presbyterio illæ congregationes regantur, habeanturque

que

que pro unâ particulari Eccleſiâ, quam ut totidem conſtituantur Eccleſiæ, ac Cœtus, quot ab uno forte Paſtore adminiſtrari poſſunt. Illud ad majorem facit Eccleſiæ, & miniſterii unionem, concordiam, atque ædificationem. Vide Voetium, *diſp.* 11. *de Eccleſ. Inſtit.* Apollonium, *Controv. Anglic. c.* 111. Spanhemium *epiſt. p.* 23.

Atque etiam ſuper loco ſacrorum Conventuum cum Browniſtis ſupereſt controverſia, de *templis Papiſticis*, aut ad gentilem idololatriam olim uſurpatis, an ad cultum ſacrum inibi peragendum adhiberi queant? Negant Browniſtæ, & deſtrui loca illa jubent, redituſque in uſus tantum profanos impendi, ac civiles. Browniſtarum Confeſſ. *theſ.* XXXIX. & Apolog. contra Oxon. *theſ.* XII. Robinſonus, *cap.* IX. Neque id de templis ſolum, ſed & *campanis*, aliiſque utenſilibus & apparatu omni idololatrico, ac ſuperſtitioſo intelligunt. Ex adverſo quum juxta Apoſtolum, idolum nihil ſit, 1 Cor. VIII. 4. illum iſtorum uſum idololatricum nil curantes, proindeque locum æſtimantes communem, naturalem & civilem, quemadmodum Robinſonus etiam diſtinguit; nihil impedit, quare non ut alium quemvis, ita & illa loca ad cultum peragendum aptemus. Neque enim vel diſtinctum de diruendis præceptum nobis datum; neque idololatria characterem iis imprimit indelebilem, quin purgari, & ſic in quoſvis uſus impendi poſſint. Quemadmodum cum fanis Gentilium Veteres Chriſtianos egiſſe, & Theodoſium Alexandrinum ſcimus Bacchi templum in Chriſtianum commutaſſe, & ſtatuas in templi utenſilia uſuſque pauperum convertiſſe. In Angliâ ſtatuit Gregorius epiſcopus Romanus, ſcribens Mellito Abbati, ut eſt apud Bedam, Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. XXX. *quod fana idolorum deſtrui in eâdem gente minime debeant; ſed ipſa quæ in eis ſunt idola deſtruantur, aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ componantur. Quia*

ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt ut à cultu dæmonum in obſequia veri Dei debeant commutari, ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens ac adorans, ad loca quæ conſuevit familiarius concurrat. Cæterum de controverſiâ iſtâ Browniſticâ, vide Pagetum, adverſus Ainſwortum, *Arrow againſt the Browniſts pag.* 19. & 130. Eandem contra Anabaptiſtas tractat Oſiander, in *Enchiridio cap.* VI. *Coroll.* 11. Conatuſque fuit Iacobus Andreas in Colloquio Mompelgartenſi hâc etiam ſuper re controverſiam movere, pag. 380. *An in iis templis vera Euangelii prædicatio, & Sacramentorum uſus celebrari poſſit, in quibus Pontificii ſuam Idololatriam exercuerunt: an verò penitus evertenda, demolienda, & nova extruenda ſint?* Iterùm, pag. 390. *Quæritur autem: An propter Idololatriam, quæ paſſim in Templis Papiſticis exercetur, ipſa Templa & altaria Imaginibus, ſacris hiſtoriis minimè Idololatricis exornata, & diſpenſationi corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiâ deſtinata, diruenda?* Sed fruſtra. Nam uti Beza benè reſpondit: *De Templorum demolitione in illis tumultibus bellicis facta, nemo noſtrum omnia probavit, quæ cavere & avertere non potuimus.* Iterumque pag. 394. *Aliud eſt everſio templorum, quam minimè probamus, quàm manifeſtorum Idolorum ſublatio, quibus vel nunc abuſi fuerint homines, vel probabile eſt non poſſe non abuti.* Et: *Rectè docetur templorum everſio minimè eſſe neceſſaria, nec temere probanda.* Idem Browniſtæ ſtatuunt de *reditibus Eccleſiaſticis.* Quin aboleri bona omnia Papalia, quæ alias modò eſcam & allectamentum Papalium ſervari videntur: & impendi volunt in uſus politicos, neque ex illis ſuſtentari Miniſtros debere, uti neque ex decimis (quas Judaicas appellant), ſed ex voluntariâ collectâ Eccleſiæ. Apolog. contra Oxon. theſ. VII.

Carpunt itidem in Eccleſiis noſtris ac miniſterio, quod

quod in Eccleſiâ à Miniſtris *matrimonium confirmatur*, quaſi eſſet res Eccleſiaſtica, & ſacra, cum ſit politica & communis. Quin matrimonium tale in ſe ſit, haud ignoramus: verùm ut confirmatio & benedictio ejus ſanctè quoque peragatur in Eccleſiâ, quid adeo impedit, præſertim quando non ut neceſſarium habetur ad eſſentiam vel matrimonii ſpectans, vel miniſterii; ſed ex uſu antiquo, & majoris vel ſanctioris cautelæ ergo & benedictionis? Sic apud Veteres obſervatum. Tertullianus, lib. II. ad Vxorem: *Vnde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, pater pro rato habet?* Ambroſius, epiſt. lxx. *Nam cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?* Poſſidonius, in vitá Auguſtini cap. XXVII. memorat, cum ab Ambroſio hoc tenuiſſe inter alia, ne uxorem cuiquam unquam poſceret, cauſam dabat, ne conjugati forte jurgarent, *& eum maledicerent, per quem conjuncti eſſent. Sed plane ad hoc ſibi jam illis conſentientibus petitum intereſſe debere affirmabat ſacerdotem, ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur.* Mos antiquiſſimus eſt, ut benedictio Conjugii, à ſacerdote, uti loquuntur Veteres, fiat in Eccleſiâ. Sic in decretis Paparum, Euariſti, & Hormiſdæ, adde Soteris apud Platinam, legitur. In Concilio Carthaginenſi IV. cap. XIII. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus vel paranymphis offerantur in Eccleſiâ Sacerdoti: qui cum acceperint benedictionem, eâdem nocte pro reverentiâ benedictionis in virginitate permaneant.* Vide II. Decret. Gratiani cap. XXX. qu. V. Atque ita ſervatum ab antiquo in Eccleſiâ, ut conjugium confirmarent Miniſtri, eique ſolemniter benedicerent: tum ad obvianda clandeſtina matrimonia. Hinc inter canones Iohannis Metropolitæ, in Rerum Moſcoviticarum Commen-

tario refert Sigiſmundus Baro Herberſteinii: *Matrimonium non niſi publice in Eccleſiis contrahatur.* In Papali Eccleſiâ in exceſſum abeunt, docentque, debere in Eccleſiâ confirmari matrimonium, ſcilicet quia pro ſacramento habetur: at male. Ex alterâ parte Browniſtæ peccant, dicentes, non poſſe vel non debere in Eccleſiâ conſecrari omnino. Iterum male. Nos medium tenemus, & in Eccleſiâ à Miniſtro poſſe convenienter confirmari matrimonium, non tamen ex ullá neceſſitate debere, docemus: nam à politico Magiſtratu confirmatum matrimonium probamus æque. Lutherani ulterius, etiam privatim domi confirmata matrimonia haud improbant: uti ex epiſtolâ Iac. Reneccii ad Schluſſelburgium, quæ inter hujus epiſtolas ultima eſt, videre licet. Lubet adſcribere verba Doctiſſimi Auctoris Altaris Damaſceni, Didoclavii, ut titulus habet, revera Davidis Calderwodi, pag. 866. *Cœtum etiam frequentiorem probamus, non tamen cœtum publicum totius Eccleſiæ particularis neceſſariò adeſſe debere exiſtimamus, & apud nos ſæpius ſolent celebrare matrimonia extra ſacra & publicum conventum totius Eccleſiæ. Nam non eſt actio iſta merè Eccleſiaſtica, quæ deſideret præſentiam totius cœtus particularis illius Eccleſiæ cujus perſonæ contrahentes ſunt membra, ſicut adminiſtratio ſacramentorum. Eſt contractus civilis, ſed divinus etiam, quia intervenit Dei authoritas, id eſt, inſtitutum, quo ſtatuit vinculum hujus contractus non temere diſſolvendum aut violandum, non tamen ſequitur non niſi Eccleſiæ interventu celebrandum, niſi velimus quæcunque Deus inſtituit, etiamſi non ad uſum ſacrum, in Eccleſiâ celebranda. Non excludimus præſentiam totius Eccleſiæ, imo nec infidelium, aut quorumvis qui adeſſe cupiunt, ſicut in portis civitatum omnibus acceſſum patuiſſe non dubium eſt, ſed neceſſariam eſſe ejus præſentiam negaremus. Sufficere exiſtimo ſi frequentior ſit cœtus in loco publico, modo non relinquatur cujuſvis arbitrio hunc numerum definire. Tempus, locum, cœtum, legibus definiri oportet propter in-*

com-

commoda & pericula quæ ex clandeſtinis matrimoniis emergere poſſunt. Miniſtri benedictionem tamen non ſpernimus. Non eſt de eſſentiâ contractus præſentia & benedictio miniſtri. Sic & apud Nos diverſimodè, aut præſente Eccleſia fit, aut dimiſſâ, Matrimonii conſecratio. Conferſis Ameſium, *Caſ. Conſc. lib.* v. *cap.* xxxvi. Bucani *Inſtitut. Theol. loc.* xii. *pag.* 1N. Bellarminus, *de Matrimonio, lib.* I. *cap.* xxxii. ſpecialem inde cupit facere controverſiam, quod Noſtrorum quidam videntur cauſas matrimoniales ad politicum forum rejicere, & non ad Eccleſiaſticum. Verùm æquè fruſtra ac ab aliâ parte Brovvniſtæ nobis intentant aliam litem ac diſputationem. Apolog. contra Oxonienſes *theſ.* vi. & Robinſonus, *cap.* vi. Quo loco ubi de hoc, uti & de aliis in præcedentibus articulis, egiſſet, bene ſubjungit: *Atque hæc ſunt in quibus ab Eccleſiis Belgicis diſſentimus, quæ ut nec tantilla ſunt, quæ negligi debeant ab iis quibus nihil è Domini Chriſti ſacroſive ore, ſive ſpiritu prodiens minutum cenſetur, ita nec tanta, ut fraternæ charitatis & communionis vinculum abrumpant.* Denique ita rem hanc jam determinavit Directorium Cultus publici in Angliâ, c. de confirmatione matrimonii: *Quamvis matrimonium non eſt ſacramentum, neque Eccleſiæ Dei proprium. ſed commune generi humano, & cujus Reip. quovis in ſtatu intereſt; tamen quia qui conjugium ineunt, in Domino hoc faciunt, atque in tali ſtatu ad ingreſſum præcipue opus habent inſtructione directionis, atque admonitione ex Dei verbo, atque divinâ in nobis benedictione, conſultum judicamus, ut matrimonium confirmetur à legitimo Verbi miniſtro, qui illos ſimul moneat, atque apprecetur benedictionem.*

Præterea diſputant Brovvniſtæ ſuper *formulis*, an adhibere aliquas in precibus liceat, adeoque an *orationem Dominicam* ipſam, de quâ idem intelligunt, an non? Haud licere contendunt, ſive alias quaſvis formulas ſumamus, ſive orationem Dominicam. Imo exiſtimant

Antichriſtianum eſſe, & ſuperſtitioſum: datamque à Chriſto orationem Dominicam, non ut precandi eſſet formula, quâ utamur, ſed ut pro exemplari ſolùm inſerviret, doceretque quomodo & quâ methodo precationes noſtras componere & inſtituere debeamus. Apolog. ad Oxonienſes, *theſ.* IX. Robinſonus, *cap.* III. Greenvvood, ipſorum Martyr, peculiari hujus argumenti libello, adverſus Giffordum, ludicro titulo: *More work for prieſts.* Cauſataque hæc illorum opinio ex libro Communium precum, in Eccleſiâ Anglicanâ olim uſitato, cui ſubſcribere anno cIɔ Iɔ lxxI. recuſârunt. Verùm uti in aliis articulis, ita in hoc peccant, non quod licere putant arbitrariâ ratione & abſque formulis precari, quod utique agnoſcimus; ſed quod exiſtiment, aliter non licere. Nos nequaquam formularum neceſſitatem urgemus, neque doctrinâ, neque praxi: tantum de jure quæritur, num liceat abſque peccato illis quoque uti. Interim ut ſpiritum precum exeramus & exerceamus, atque adſueſcamus pro rerum & temporum ratione liberas ex animo preces formare ac fundere, omnino conſultum: ſed quod ſi non liceat formulas, præcipue in gratiam rudium atque imperitiorum, tum etiam conſenſus teſtandi cauſâ, adhibere, necdum videre poſſumus. Quâ ratione Calvinus ſcripſit ad Prorectorem Angliæ a. cIɔ Iɔ xlvI. *Quod ad formulam precum & rituum Eccleſiaſticorum, valdè probo, ut certa illa extet, à quâ paſtoribus diſcedere in functione ſua non liceat, tam ut conſulatur quorundam ſimplicitati & imperitiæ, quam ut certius ita conſtet omnium inter ſe Eccleſiarum conſenſus. Poſtremò etiam ut obviam eatur deſultoriæ quorundam levitati qui novationes quaſdam affectant. uti eò pertinere catechiſmum ipſum antè oſtendi. Sic igitur ſtatum eſſe catechiſmum oportet, ſacramentorum adminiſtrationem, publicam item precum formulam. Sed non hoc eò pertinet ut iſtius politici ordinis in Eccleſiâ occaſione, vigor ille nativus prædicationis Euangelii ullo modo conſeneſcat.* &c.

&c. Neque improbaſſe Calvinum liberam precationum, pro rerum ſtatu, ex animo potius, quam libro, formandarum rationem, vel ſuo exemplo docuit, quando poſt Prælectiones ſuas, paſſim alias & novas precationes facit, uti ex ejus in Iezechiëlem, & Prophetas minores Commentario apparet. Scilicet hoc eſt, quod Tertullianus dixit, in Apolog. *ſine monitore, quia de pectore oramus.* Nec *debere* nos formulas ſequi, neque *non licere* iis uti, ſed *poſſe* citra vitium adhibere, & cum fructu etiam ſervare aliquando, aſſerimus. Harmonia Synodorum Belgicarum, digeſta pèr S. R. edita à Feſto Hommio, cap. XI. §. II. ita habet. *Miniſter preces vel dictante Spiritu, vel certa ſibi propoſita formula concipiet.* Conſule Ameſium, *Caſ. Conſc. lib.* IV. *cap.* XVII. Balduinum, *Caſ. Conſc. lib.* II. *cap.* VII. *caſ.* XIII. Profeſſores Leidenſes, Synopſi Pur. Theol. *Diſp.* XXXXVI. *theſ.* XXXIII. XXXIV. Richard Bernard, *The Errours of Barrow confuted, pag.* 191. Rheterfurd, *pro Presbyterio Scoticano*, Anglicè, pag. 326. Rob. Abbot, *à Triall of our Churchforſakers pag.* 209. 214. Apollonium, *cap.* VII. Calderwood, in eximio opere Altaris Damaſceni, cap. X. pag. 613. adverſus Liturgiam Anglicanam diſputans, quæ propoſito precum libro libertatem precandi tollebat, aſtringebatque ad præſcriptas formas: *habemus quidem nos*, inquit, in *Eccleſiâ noſtrâ* Scoticâ *Agendas, & ordinem in ſacris celebrandis ſervandum, ſed nemo alligatur precibus aut exhortationibus liturgia noſtra, proponuntur tantùm ut paradigmata, quibus precum aut exhortationum materia & forma quoad ſubſtantialia indicantur, non ut eiſdem verbis adſtringantur miniſtri. Totos ego tredecim annos, quibus functus ſum miniſterio, ſive in ſacramentis, ſive in aliis ſacris celebrandis, exhortationibus aut precibus quæ extant in Agenda noſtra, nunquam uſus ſum. Sic etiam alii complures; & omnibus etiam liberum eſt idem facere.* Et poſtea: *Nec tamen adeo rigidus ſum, ut rudioribus privatim oraturis hæc admini-*

nicu-

nicula, nempe præſcriptas verborum formulas omnino denegem, ſi ſimul doceantur ſic memoriæ infigere, ut poſſint affectui accommodare, & ſic affectus verba præcedere poſſet; & ipſi ad perfectiora tendere, nec in rudimentis iſta forma hærere. Socrates in hiſtoriâ teſtatus fuit, lib. v. cap. xxi. *In omnibus ubique regionibus non poteris reperire duas Eccleſias, quæ orando plane conſentiant.* Adeo non certæ, eædem vel communes precum ubique obſervatæ formulæ, ſed agnita hâc in re Eccleſiarum libertas ſemper fuit. Confeſſio Helvetica poſterior, cap. xxiii. *Neque oportet preces publicas, quoad formam & tempus, in omnibus Eccleſiis eſſe pares. Libertate enim ſuâ utantur Eccleſiæ qualibet.* Iam etiam in Eccleſiâ Anglicanâ *Directorium cultus publici*, authoritate Parlamenti conſtitutum a. cIↄ Iↄ c xlv. nullas precum formulas continet, ſolùm modum, methodum, & orandi regulas. Et *orationem Dominicam* non eſſe ſolum exemplar faciendarum precationum, verùm formulam quoque, precationis pro prece dicendam, præterquam verba Chriſti, in ejus commendationem prolata, *ſic igitur orate*, Matth. vi. 9. *& quando oratis, dicite*, Luc. xi. 2. ipſa forma, quâ propoſita, arguit: nam formulam orationis principium ejus, & finis, totuſque contextus ſignificant. Accedit uſus, & praxis Eccleſiæ Chriſtianæ, eâ oratione ſemper uſæ. Tertullianus, de orat. *Deus ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata ſuo privilegio aſcendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Antea, in hâc oratione *breviarium totius Evangelii* comprehendi, dixerat. Cyprianus, de orat. Dominic. *Quæ enim poteſt magis ſpiritualis eſſe oratio, quam quæ à Chriſto nobis data eſt, à quo nobis & Spiritus ſanctus miſſus eſt? quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui eſt veritas, de ejus ore prolata eſt?* & quæ ſequuntur. Auguſtinus, epiſt. lix. explicans differentiam, quæ

eſt

eſt 1 Tim. II. 1. inter precationes, orationes &c. *precationes* vult eſſe, *quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud, quod eſt Domini menſa, incipiat benedici.* Deinde, *orationes* dici, *cum benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur: quam totam petitionem fere omnis Eccleſia*, inquit, *Dominicâ oratione concludit.* Obſerva, Auguſtinum dicere, *cum benedicitur, & ſanctificatur* ſacramentum, orationem Dominicam conjunctim cum illâ petitione dici, uti quoque Gregorius, lib. VII. epiſt. lxIV. *orationem verò Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem, oblationis hoſtiam conſecrarent.* Vide, ad hanc orationem ſimpliciter fieri conſecrationem, non verò poſt & ſuper jam conſecratum panem demùm orationem dici, quomodo illa Gregorii verba trahit & explicat Baronius, *Annal. Tom.* VIII, *Anno* DXCIX. *num.* XX. Auguſtinus, Serm. lxxxIII. de diverſis: *poſt orationem Dominicam quam accepiſtis & reddidiſtis, dicitur pax vobiſcum.* Idem, ſerm. ccxv. de Tempore: *Symbolum vel orationem Dominicam & ipſi tenete, & filiis veſtris oſtendite. Nam neſcio quâ fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in ſymbolo vel oratione dominicâ orare diſſimulat.* Chryſoſthomus, orat. in Eutropium: *aut quomodo hoc cœtu ſoluto, ſacramenta contrectabitis, & precationem illam dicetis, quâ rogare jubemur, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſi à debitore veſtro pœnam exigatis?* Atque huc ſpectat argumentum illud, quo Orthodoxi pugnabant adverſus Pelagianos, eorumque præſumtam perfectionem, ex oratione Dominicâ, quæ jubet dicere: *remitte nobis debita noſtra.* Ter in die orationem Dominicam recitare jubet Auctor *Conſtit. lib.* VII. *cap.* XXV. Et in Concilio Toletano IV. can. IX. carpuntur, qui non quotidie, ſed Dominicâ ſolum die, orationem illam proferebant: *Nonnulli ſacerdotum in Hiſpaniâ reperiun-*

tur

tur qui dominicam orationem, quam Salvator noſter docuit & præcepit, non quotidie, ſed tantum die dominicâ dicunt. Attamen, quia quotidiana oratio eſt, quotidie quoque ut detur, dici oportet. Lutherus Tom. v. in Catechiſmo majori, ad Orationis Dominicæ explicationem, inde argumentum precandi petit, quod quomodo orare debemus, formulam præſcripſit Dominus: *Præter hæc etiam hoc ipſo ad orandum non mediocriter pelliciendi & pertrahendi eſſemus, quod Deus juxta præceptum & promiſſionem etiam antevortit nos, ipſe verba ac modum orandi nobis præſcribens, ac velut præmanſum in os inſerens, quomodo & quid nos orare oporteat.* Non tamen hæc ita capienda, quaſi vel nullam aliam liceret Deo facere orationem, præter Dominicam; vel illa ſola dicenda ſemper & repetenda ad quoſvis caſus eſſet, quod Pontificiorum vitium eſt, ſuum *Pater noſter* ad quævis garrientium; vel quaſi ſola Deo grata eſſet illa precatio, aut nulla conſtaret, cui ea non ſubjungeretur. Vide Ameſium, *Caſ. Conſc. lib.* IV. *cap.* XVII. cujus ſententiam diſcuſſit in *Theologiâ Caſuum Conſc.* Germanice, Andreas Keſlerus *cap.* XI. Sed agnito in Dominicâ oratione precationum faciendarum exemplari optimo, vel idea, poteſt & ipſa rite pro prece adhiberi; quod & Robinſonus concedit: *non dubito, quin rite & pie uſurpari poſſit in precando Deum, hæc ipſa verborum formula: modò abſit opinio partim neceſſaria, quâ ſe aſtringi putant ſuperſtitioſi homines voculis, & ſyllabis: partim perfectionis, quâ plurimi exiſtimant, ſe tum demum perfectè precatos fuiſſe, quando hanc formulam conceptis verbis recitarunt.* Apolog. cap. III. Neque ego hoc jeci fundamentum repudiatæ vobiſcum communionis, inquit Ainſvvortus, loquens de uſu orationis Dominicæ: apud Pagetum *pag.* 63. *&c.* Auguſtinus, epiſt. CXXI. ad Probam: *Et ſi per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras: quantum exiſtimo nihil invenies quod non iſta dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum*

eſt

eſt aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, ſed non eſſe debet liberum alia dicere.

Abſurdum verò quod ad hæc de formulis etiam trahunt uſum *Catechiſmorum*, quos propter eandem cauſam explodunt; & *ſymbolum*, quod Apoſtolicum vulgo dicitur, ſaltem catholicum eſt: nempe quia formulæ quædam ſint, quas in cultu, vel in religionis officiis obſervamus. Quæ omnia eliminanda cenſent, ut apocrypha, tenendumque ſolum & unicum Dei verbum. Propter eandem cauſam illorum aliqui abſtinent à *Pſalterio*, in formam metricam redacto. Alibi factum, ut abolito cantandi in Eccleſiâ ritu ac conſuetudine, unus ſingulari videlicet ad hoc dono inſtructus cantaret, quod ei ſuggeſſiſſet Spiritus, audientibus reliquis. Alibi, ſive apud Brovvniſtas, ſive Independentes, in totum cantionis Eccleſiaſticæ praxis omittitur, quaſi ceremoniale aliquid, aut pædagogicum, vel Papale ſonans, ac referens.

Et quis recenſeat omnia, quæ illi homines, aut illorum aliqui pro ſingularitate & pervicaciâ ſuâ contra communem & antiquum Eccleſiæ morem aut obſervant, aut omittunt, de *agapis*, de *oſculo charitatis* &c? de quibus Thomas Edvvardi, in *Antapologiâ* contra Independentes; & peculiari libro tit. *Gangrana*, & ex eo potiſſimum, Bayllie, Honorius Reggius, & libellus Belgicus *Tumultuum Anglicorum*.

Poſtremo diſputant Brovvniſtę ſuper *baptiſmo* impertiendo infanti, cujus neuter parens ſit membrum, & in communione Eccleſiæ: id quod neutiquam faciendum exiſtimant. Apolog. ad Oxonienſ. *theſ.* x. Robinſonus, Apol. *cap.* 11. Lib. *A Guide unto Sion.pag.* 41. Nos ſacramentum uti minime profanandum novimus, neque niſi confœderatis Chriſti applicandum, ita ut infantes ex Chriſtianis parentibus natos & oblatos Eccleſiæ, arceamus propter parentum proximorum negligentiam, & quia hi non ſint membra Eccleſiæ, in com-

communione S. Cœnæ, impetrare à nobis non poſſumus, neque probare, ut quis ſibi arroget judicium Dei, de fœderis ſui gratiâ aut amplitudine definiendi, aut ab eo alios amovendi & ſecludendi. atque exiſtimamus, in dubiis promiores nos debere eſſe ad judicandum de aliis clementiùs, quam ſeveriùs. Ita Calvinus, in epiſt. ad Ioh. Knoxum, a. cIↄ Iↄ LIX. epiſt. pag. 322. *ubicunque non intercidit, vel exſtincta fuit Chriſtianiſmi profeſſio, fraudantur jure ſuo infantes, ſi à communi ſymbolo arceantur.* lege, ſi placet, integram epiſtolam. Antea ad Farellum, a. cIↄ Iↄ LIII. de baptizando infante parentum Papiſticorum, ſed quem avia offerebat: *quam Dominus gratiam ſuam in multas ætates extendat, eam aſtringere non eſt noſtrum. Et certe locum hic habet vulgaris regula: favores eſſe ampliandos.* Adde Bezam, *epiſt.* X. Zanchium, in IV. *Præcept. fol.* 743. Confer, quæ hac ſuper re diſputat Ioh. Forbeſius, *Inſtruct. Hiſtorico Theolog. lib.* X. *cap.* X. ſub finem. Maccovius, Theol. Polemica cap. XXI. qu. III. *Si illi tantum baptizandi qui ſunt in fœdere: Ergo liberi excommunicatorum non ſunt baptizandi. Verum prius, Ergo. Reſp. Non tantum ratio habenda parentum, ſed & avorum & proavorum.* Similiter Ampſingius, *de Pædobaptiſmo, pag.* 219. Robertus Puppius, *de Pædobaptiſmo, pag.* 64. Rhetersfurd, *pro presbyterio Scoticano, cap.* XII. Abbotus, *of Church-forſakers, pag.* 55. Appollonius, *cap.* V. *qu.* IV.

Turbatâ ſupra modum Angliâ, inter varias hæreſes, errores, atque deliria, quæ eam exagitant & diſcerpunt, quum haud minimam partem faciat etiam *Antinomiſmus*, de hoc impræſentiarum nonnihil addere inſtituti ratio poſcere videtur. Ac primùm *Antinomorum*, ſive qui legi morali, ejuſque in religione uſui variis modis obloquuti ſemper fuere, tres in Eccleſiâ conſtituimus periodos. Primam tempore Patrum, in primitivâ Eccleſiâ; alteram, tempore Reformationis; tertiam hodie, præcipue in Angliâ. Prima fuit *tempore*

Pa-

Patrum, Auguſtini, & aliorum. Quippe in libro de Hæreſibus cap. l IV. in deſcribenda hæreſi Aëtianorum, diſcipulique ejus Eunomii, (qui tempore Epiphanii, id eſt, circa a. CCCXC. adhuc ſuperfuit. uti hic ſcribit *lib.* III. *contra Hæreſ. tom.* I. in fine) *fertur etiam* inquit, *uſque adeo fuiſſe bonis moribus inimicus, ut aſſeveraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet peccatorum perpetratio, ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.* In quod abuſos fuiſſe loco Ioannis XVII. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant &c.* ſcribit in Annotationibus ſuis; ad illum Auguſtini locum, Lamb. Danæus: qui ibidem addit, hoc antiquum dogma fuiſſe Severianorum. Alios *Adverſarios legis* & Prophetarum nominavit Auguſtinus, nempe qui ſcripta eorum everterent. Tomo ſexto operum illius duo libri extant, contra Adverſarium legis & Prophetarum: cujus inſcriptionis rationem dans in ipſo primi libri veſtibulo, ſic ſcribit: *Librum quem miſiſtis fratres dilectiſſimi, neſcio cujus heretici, inventum ſicut ſcripſiſtis, in platea maritimâ, cum venalis codex ipſe ferretur, & concurrentibus turbis periculoſâ curioſitate & delectatione legeretur, ut quanto poſſem compendio reſpondeam, prius quæſivi cujuſnam eſſet Autoris. Non enim ſoli Manichæi legem prophetaſque condemnant, ſed & Marcioniſtæ, & alii nonnulli, quorum ſecta non ita innotuerunt populis Chriſtianis.* Iſte autem ſuus adverſarius, libri illius anonymi auctor, perpetuo adverſus fidem & veritatem Scripturarum Propheticarum diſputat. Vnde Auguſtin. lib. II. *Iam nunc ea diſcutienda ſunt, quæ iſte de novi Teſtamenti libris ſuffragari ſibi arbitratur adverſus propheticas literas, tanquam eas apoſtoli Chriſti ſuâ ſententiâ condemnaverint. Quod ergo prophanas & aniles fabulas, & genealogias infinitas appellaſſe Apoſtolum exiſtimat divina eloquia legis & prophetarum &c.* Adverſus quæ egregium & ſedulum vindicem ſe Auguſtinus præbuit. Legem Dei Manichæi, & Marcionitæ rejiciebant: & hoc quoque

Severiani. Similiter de Eunomianis, Epiphanius. Verùm non id hic ſpectamus, quod Scripturæ legis ſe quidam opponunt, illam falſam aſſerendo; quod improbiſſimum: ſed quod Scripturæ totius veritatem divinitatemque agnoſcentes, de uſu legis, quem ſub Novo jam Teſtamento habeat, contendunt.

Lex autem, vel *libros legis* notat, illam Scripturæ partem, quæ Moſi tribuitur; vel in genere *tabulam præceptorum* Moſaicorum: quæ varia, uti notum, & vel moralia ſunt, vel cæremonialia, vel judicialia: aut denique ſolam primam illam præceptorum partem *moralem*: quo ſenſu in præſenti diſquiſitione legis vocem accipimus.

Altera periodus Antinomorum fuit tempore *Reformationis*, quando *Iohannes Agricola* Iſlebius, in Scholâ Iſlebiâ Theologiæ Lector, ad a. cIɔ Iɔ xxxv I I I. docere cœpit, legem ſub Euangelio prædicandam non eſſe, nec imo Decalogum, neque ejus concione præparandos, concutiendos aut emolliendos hominum animos, videlicet ſub gratiâ nunc, non ſub pædagogiâ & terrore legis conſtitutis: ſolummodo annunciandum Euangelium eſſe, credendumque vel ſi meretrix, ſi ſcortator, adulter ſis &c. te in viâ ſalutis eſſe, modo Chriſtum teneas: quidem cavenda peccata, & juſtitiæ operandum, verùm non ex concione vel præcepto legis, ſed ex libertate ſpiritus Chriſti, & Euangelii id faciendum, & peccatis non obſtantibus applicandam ſibi Chriſtum, ejuſque promiſſiones eſſe. Apud Lutherum, Tom. I. Oper Latin. extant Antinomi cujuſdam (opinor Agricolæ) poſitiones, I. *Pœnitentia docenda eſt non ex Decalogo, aut ullâ lege Moſis, ſed ex violatione filii per Euangelium.* 6. *Ex concionibus Pauli & Barnabæ ſatis manifeſtum eſt, non eſſe opus Lege ad ullam partem juſtificationis.* 13. *Quare pro conſervandâ puritate doctrinæ, reſiſtendum eſt iis, qui docent, Euangelium non prædicandum, niſi animis prius quaſſatis & contritis*

tritis per legem. 14. *Qui enim affingunt verbis Chriſti improprium ſermonem, & dicunt primum Legem, deinde Evangelium docendum eſſe, hi ſunt verborum Chriſti contortores, non enim conſiſtunt in ſimplicitate verborum Chriſti.* Poſtea tanquam impuros articulos rejicit 1. *In Viſitatione Saxonicâ, Quia Chriſtus mandat prædicandum eſſe pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in ſuo nomine, Ergo docendus eſt Decalogus.* 3. *In Galat. dicit Lutherus, Legis proprium officium eſſe, ut eo facilius agnoſcat Chriſtum. Tales loci multi ſunt in eodem commentario, quos ut erroneos improbamus, ut puritas doctrinæ conſervari poſſit.* Adducuntur poſtea & alii articuli Antinomici, de quibus addubito, an omnes bene Auctoribus ſuis attribuantur, vel eorum mentem exprimant, ut primus à *Lex non eſt digna, ut vocetur verbum Dei.* tum ultimi, quibus reprehenditur dictum Petri II.Pet.I.*Certam facientes vocationem veſtram per bona opera.* Denique 12. Als baldt du gedenckſt / So und ſo ſolt es in der Chriſtenheit zugehen/es ſolten feine / erbare / züchtige / heilige/ keuſche Leute ſein/ So haſtu des Euangelii ſchon gefeilet cap.6. Luc. Quæ neque cum præcedentibus poſitionibus, neque cum modeſtia & probitate Theologi, vel Chriſtiani hominis convenire videntur. Cæteras theſes illis communiter adſcribi videmus: 1. Biſtu ein Hure / Bube / Ehebrecher / oder ſonſt ein Sunder / Gleubſtu / ſo biſtu im wege der ſeligkeit. 3. Wenn du mitten in der ſünden ſteckeſt und biſt auffs höchſte / Gleubſtu/ſo biſtu mitten in der ſeligheit. 4 Decalogus gehöret auff das Rathaus / nicht auff den Predigſtuel. 5. Alle die mit Moſe umbgehen / müſſen zum Teuffel fahren / An galgen mit Moſe. 6. Wir ſollen nicht die Menſchen bereiten zum Euangelio durch die predigt des Geſetzes / Gott mus es thun / das werck iſt ſeyn. Lutherus illis poſitionibus & articulis oppoſuit diſputationes quinq;, eodem anno: ſextam a. clɔIɔxl. quibus Antinomorum deliria egregie perſtrinxit & confutavit.

Subindicabimus breviter fontes errorum, quibus oſtenſis facile ſit illos redarguere 1. Aliud eſt *legis* divinæ *Scriptura* & verbum; aliud *lex* moralis (de quâ im-

præſentiarum) ipſa. Vtcunque non eſſet hodie ejus uſus ſub N. Teſt. qui fuit olim; haud tamen negari poteſt, ſimiliter ac de lege cæremoniali, & judiciali, eam tamen vocandam eſſe verbum Dei. II. *Pœnitentia*, etiam peccatum, cujus illa eſt, in ſuâ latitudine poni debet & *tranſgreſsionum legalium*, & *Euangelicarum*: quis enim negare poſſit, utrumque peccatum, & pœnitendum eſſe? III. Vti ſub *V.T.* non adverſus *legis* ſolùm doctrinam, ſed & *Euangelii* (utraque enim viguit, quod Antinomi non diffitebuntur, qui dicunt, legem tantum arguere peccata,& valere ad damnationem, Theſi 16. quare & per doctrinam Euangelii ſalvatos Patres); ita *ſub Novo* jam, & contra Euangelium peccatur, & legem. IV. Diſtinguenda ſunt, doctrina *legis*, & doctrina *juſtificationis*. V. Iterum, *doctrina* juſtificationis, & *juſtificatio* ipſa. VI. Aliud, quod ad juſtificationem requiritur *formaliter*, aliud quod *antecedenter*, quod *conſequenter*. Ad juſtificationem, videlicet ejus materiam, nihil facit præter juſtitiam Chriſti: cui non obſtat vel quod juſtificationis paſſivæ in animo debitam acceptionem antecedit *humiliatio*, & quamvis non tempore, at ordine naturæ eam ſequitur *obſervantia* & bona opera. VII. Lex proprie *debitum* urget, oſtenditque *peccatum*: Euangelium *gratiam*, & *remiſsionem* peccatorum. Iuvat huc adſcribere Theſes aliquot Lutheri, rem optime declarantes, ex primâ ejus contra Antinomos Diſputatione. 30. *Quare prior docendus eſt Adam (id eſt, peccatum & mors) qui forma eſt futuri Chriſti, poſtea docendi.* 31. *Peccatum vero & mors, non per verbum gratiæ & ſolacii, ſed per Legem neceſſe eſt oſtendi.* 32. *Experientia eſt, quod Adam prius arguitur Legis tranſgreſſor, poſt per Semen Mulieris promiſſum erigitur &c.* 33. *Et David prius Lege per Natan occiditur, dicentem, Tu es ille &c. Pòſt Euangelio ſervatur dicente, Non morieris &c.* 34. *Paulus Lege proſtratus audit, Quid me perſequeris? Pòſt Euangelio vivificatur, Surge &c.* 35.

Et

Et ipſe Mar. 1. *Pœnitemini & credite Euangelio, appropinquavit enim regnum Dei.* 36. *Iterum oportuit in nomine ejus prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* 37. *Sic & Spiritus primo arguit mundum de peccato, ut fidem doceat in Chriſtum, id eſt, remiſſionem peccatorum.* 38. *Paulus Epiſtola ad Romanos hanc Methodum ſervat, ut prius doceat omnes eſſe peccatores, juſtificandos per Chriſtum.* VIII. *Lex* & *Euangelium* aliquando *opponuntur*, videlicet ſi illa conetur hominem juſtificare, id eſt, ſi homo per illam juſtificari quærat; *ſubordinate* conſideratur lex ad Euangelium, ſi illa modo declaret, per ſe neminem juſtificari poſſe: atque hoc modo inter utrumque tam bene, ac priori modo neutiquam, convenit. IX. Non prædicanda eſt *Lex ſola*, abſque Euangelio, vel ſola ante Euangelium, ſed cum Euangelio. X. Ad utriuſque prædicationem relinquitur *Spiritui* libera *operatio*, quo ordine velit apud hominum animos ſeu legem urgere, ſeu Euangelium, quoſque convenienter huic, aut illi in homine actus producere primum, aut deinceps. XI. Spiritus divini gratia & operatio non datur *per legis prædicationem*, vel non hæc ejus ad nos vehiculum eſt; ſed Euangelium. Gal. III. 2. quamvis ſemel datus, tum legis prædicationem, tum alia plura reddat apud nos efficacia & fructuoſa. XII. Euangelium ſtricte & præciſe ſumtum non habet præcepta, ſolas promiſſiones: præcepta vero quæ etiam docere videtur & urgere, proprie & in ſe conſiderata ſunt præcepta à lege, ſed determinantur in Euangelio ad ſingularem ejus materiam: id eſt, pœnitentia, fides, reſipiſcentia, obedientia præcipiuntur in lege, ſed in Chriſtum credere, converti ad eum, huic obedire docenti obedientiam legi præſtandam eſſe, Euangelium aperit: ſed nil hic novorum à lege præceptorum eſt (neque enim Chriſtus ut novus à Moſe habendus eſt legiſlator, vel qui perfectiorem legem tulerit, aut alia ſuperaddiderit legi,

quæ perfecta in genere præceptorum & morum ſatis eſt) tantummodo præceptorum legalium ad hanc materiam & objectum applicatio: & hâc ratione peccata dicuntur Euangelica, quatenus tum non tranſgrediuntur ſolùm legem, ſed incurrunt etiam in benignam & ſalutarem iſtorum applicationem in Euangelio, id eſt, adverſus Euangelium quoque. Ergo præcepta proprie non habet Euangelium *formaliter*, & quaſi alia à lege: tantummodo ejus præcepta dicuntur determinative, vel *applicative*. Duo declinandi ſunt circa præcepta in Euangelio commemorata ſcopuli: tùm ne illa Euangelio, quaſi ſua, aliaque & nova à lege, attribuamus; quod eſſet Euangelium in legem commutare, & Chriſtum in novum legiſlatorem. Tum ne illa à doctrinâ Euangelii nimium removeamus, quaſi non hujus loci quoque eſſet, præcepta prædicare: utrumque ſatis pernitioſum. XIII. Euang. *non* facit *nova* præcepta; ſed *confirmat* moralia *vetera*, eaque corroborat novis argumentis, ut de diligendo Deo, proximo &c. XIV. Quare niſi ſub Novo quoque Teſt. lex obtineat, nulla erunt hodie præcepta, quibus teneamur, vel quæ docere & urgere oporteat: aut hæc ſi quæ ſint, ea legis oportet eſſe. Quod Antinomos eo magis ſtringit argumentum, quo ut extollere videantur Euangelium, legem tollunt. Haud tamen credibile, quod volent Euangelium commutare in legem; aut illi ſua facere præcepta, vel alteram ex eo legem, aut priori majorem. XV. Diſtinguenda probe ſemper *juſtificatio*, & *ſanctificatio*: etiam *juſtitia*, quâ juſtificamur, & *ſanctitas* ad quam ſanctificamur: hic legis uſus eſt, ut normam & regulam præſtet, juxta quam ſanctitas dirigenda; ibi, ut doceat, non ſuâ vi juſtificari nunc hominem poſſe; utque eum dejiciat ab opinione & præſumtione juſtificationis legalis. Lutherus bene, in Diſput. II. Antinomica theſ. 9. *Et nihil docendum, cogitandum in re juſtificationis, niſi ſolum verbum gratiæ*

in

in Chriſto exhibita. 10. *Ex his autem non ſequitur, Legem eſſe abolendam, & è concionibus Eccleſiæ tollendam.* 11. *Quin eo magis eſt neceſſe eam doceri & urgeri, quod non eſt neceſſaria, ſed impoſſibilis ad juſtificationem.* 12. *Vt homo ſuperbus & de viribus ſuis præſumens erudiatur, ſeſe per Legem non poſſe juſtificari.* 13. *Nam peccatum & mors eo maxime monſtranda ſunt, non quod neceſſaria ſint ad vitam innocentem.* 14. *Sed ut homo agnoſcat ſuam injuſtitiam & perditionem, & ita humilietur.* 15, *Si peccatum ignoretur, præſumitur falſa innocentia, ſicut in Gentibus, & poſt in Pelagianis cernitur.* 16. *Si mors ignoretur, præſumitur, hanc vitam eſſe vitam & nullam in futuro aliam.* 17. *Cum verò non niſi Lex utrumque doceat, ſatis claret, Legem eſſe maxime neceſſariam & utilem.* XVI. Aliud eſt, neceſſitatem bonorum operum ponere ad *juſtificationem*; aliud ad *ſalutem*. XVII. Tum ad ſalutem *promerendam*; vel adipiſcendam & *poſſidendam*. Non ad illud opera faciunt, ſed ad hoc. XVIII. Neutiquam ponenda operum præſentia neceſſaria in actu juſtificationis; neque dicendum, hoc ſequi ex doctrinâ de neceſſitate bonorum, quod adverſus Ioachi. Morlinum bene tenuit Paul. Crellius, in Propoſitionibus VVitemb. a. cIↄ Iↄ lxx. Aliud eſt bona opera conſiderare ad *juſtificationem*, ad *fidem*, ad *ſalutem*; nullum illic locum habent; iſthic adjuncta ſunt, conſeq.; hic antecedentia XIX. Vnde aliud eſt, aſſerere fidem non *eſſe* abſque operibus: & tamen *juſtificare* abſque operibus, XX. Ordine naturæ fides eſt *ante* bona opera: tempore, *cum* bonis operibus. XXI. Quemadmodum Pontificii in eo errant, quod *juſtificationem* & *ſanctificationem* confundunt, ita in hoc Antinomi, quod legis uſum in hâc, & illâ non melius diſtinguant, & quia non juſtificat vel etiam non ſanctificat lex, quod in dirigendâ ſanctitate nullum uſum præbere eam aſſerant. XXII. Namque, non tantum inter juſtificationem diſtinguendum, & ſanctificationem; verum etiam inter

ſanctificationem, & *ſanctitatem*. Lex non ſanctificat nos, ſed quidem ſanctitatem noſtram regulat. XXIII. Aliud eſt *principium* ſanctitatis, vel obedientiæ; aliud iſtius *regula*; illud Spiritus Chriſti, hoc lex eſt. XXIV. Aliud eſt, *ſub* lege eſſe; vel *ſecundum* eam vivere. XXV. Lex ex veteri fœdere tantum hominibus *præſcribitur*: ex Novo, cordibus etiam *inſcribitur*. Hebr. VIII. 10. XXVI. Aliud eſt, legem ſervare *legaliter*; aliud *Euangelice*. XXVII. Aliâ ratione lex docetur apud *Pontificios*; aliâ ratione apud *Reformatos*. Ibi neutro loco bene, neque in negotio juſtificationis, neque ſanctificationis. Haud verò, quia illi graviter hâc in re errant, ſequitur, aut legis nullum uſum rectum eſſe, aut eum non doceri apud nos. XXVIII. Igitur male Antinomi dixerunt, legem non docendam aut prædicandam ſub Euangelio, inter Chriſtianos eſſe, vel quaſi non abſque præjudicio gratuitæ juſtificationis haberi ejus uſus legitimus poſſit, eam totam ex omni religionis ambitu eliminare.

Adverſus quam hypotheſim hæc perpendere argumenta licet. I. quod *lex* in ſe *bona*, divina, & *perfecta* eſt, nullam habens ἀθέτησιν, qualem lex cæremonialis: quare ergo aboleatur? perfectionem legis teſtatur Scriptura. Pſal. XIX. & CXIX. eamque omnimodam defendimus tum adverſus Pontificios, tum Socinianos: & quod lex non abrogetur, niſi propter imperfectionem ſuam, docet Apoſtolus, Heb. VII. 18. 19. & VIII. 7. quod in morali non habet locum. Quæ autem ἀσθένεια: vel quod ἀδύνατον ei adſcribitur, Rom. VIII. 3. non legis eſt, ſed, quomodo ibidem exponitur, noſtri, non valentium per noſtram impotentiam eam implere, quare nec per eam juſtificari. II. *Chriſtus*, & *Apoſtoli* in N. T. legem docuerunt, & confirmarunt. Matth. V. 17. &c. & XIX. 17. 18. & XXVIII. 20. Act. II. 37. 38. & XX. 21. & XXVI. 17. 18. 20. Rom. III. 31. & VI. 6. 18. 19. & VII. 22. & VIII. 1. 12. & XIII. 8. I.

Cor.

Cor. vi. 11. Heb. vi. 1. & xii. 14. Iac. ii. 10. 11. Gal. v. 14. adde Malach. iv. 4. ergo ſub N. T illa non prætereunda vel negligenda eſt. iii. *Nihil* continet lex quod *adverſetur* ullis N. T. vel religionis Chriſtianæ articulis; imo tota multum illis inſervit: ergo tenenda. iv. neceſſaria eſt regula *bonorum operũ*, quę nulla eſt præter eam; vel ergo non neceſſariò facienda bona opera, docendaque, aut non juxta certum Dei præſcriptum, vel pro eo non admitti lex Dei debet. Deinde, ut virtus, ita nec peccatum ullum haberi poterit, legem ſi tollamus. Rom. iii. 20. quę omnia, nullam videlicet boni maliq; regulam eſſe, Chriſtianæ religioni eo magis adverſantur, quo omnem religionem radicitus evertunt. v. Quorſum lex moralis abrogabitur, ejuſque doctrina, quum *naturalis* maneat, quæ cum illa eſt eadem? imo quam non poteſt hæc deleri unquam, ita nec illa debet, hujus typus & certiſſima tabula. vi. Summarium legis eſt *amor*, ſive erga Deum, ſive homines. Ille autem quia in N. T. quam maxime vigere, etiam doceri debet, nulla ejus perfectior tabula, quam lex. Rom. xiii. 8. Gal. v. 14. Iac. ii. 10. 11. vii. Sub N. T. & hujus prædicatione quia ſemper degunt etiam homines *improbi*, & pii multam partem adhuc peccato obnoxii ſunt, propterea ſaltem, nec ipſis forte reluctaturis Adverſariis, doctrina legis requiri videtur. Lutherus, Diſp. iii. th. 35. *Vt nulla unquam ſit audita vel futura frons impudentior, quam iſtorum, qui Legem tollendam eſſe docent.* 36. *Scilicet miſeros homines pudet docere & facere, quod ipſe Dominus & fecit & docuit.* Vnde in Præfat. Comment. ad Galat. de horum hominum ſecta dixit: *quam ego minime omnium prævidiſſem aut ſperaſſem.* Quod vero pro opinione Antinomorum adferri argumentum vel quæ ratio poſſit, non ſcio, quæ non ex præmiſſis facile ſolvi ac explicari queat. Auctor illorum dogmatum Agricola, Lutheri conterraneus fuit, & Theologiam docuit in Scholâ Iſlebiâ. Comitiiſque Augusta-

nis unà cum Melanthone interfuit, a. cIↃ IↃ xxx. atque ſubſcripſit Auguſtanæ confeſſioni, à quâ primum in deliria Antinomica; inde ad partes Pontificias defecit: auctorque unà cum Iulio Pflugg, & Michaële Sidonio fuit libri Interim: unde eximiis donis locupletati, à Carolo, & Ferdinando fratre, hic epiſcopatu Merſburgenſi, iſte Naumburgenſi, ille dono quo præſtanti alio, dicterio locum dederunt, chriſma ab ipſis & oleum Pontificium defenſa fuiſſe, quò diſcederent unctiores. Obiit Agricola Berolini, ubi Electori Brandeburgico à Sacris erat Pontificiis, a. cIↃ IↃ lxvi. Ab Antinomicis opinionibus Lutherus eum abduxiſſe videbatur, quando ad publicam illarum recantationem eum egit in Academiâ VVittembergenſi; quievitque quoad uſque Lutherus in vivis fuit: verùm hoc mortuo, ad priſtinas ſordes rediit, & ulteriores.

Ejuſdem ferè commatis fuit Nicolaus Amsdorfius, qui Lutherum comitatus primo ad Colloquium VVormatienſe a. cIↃ IↃ xxi, Magdeburgenſium primus concionator fuit; poſtea, amoto Iulio Pflugg, Naumburgenſis Epiſcopus; quem tamen locum, ſextum poſt annum, cedere iterum Pfluggio, à Carolo Cæſare juſſus fuit, & Magdeburgum remeare, ad a. cIↃ IↃ li. Hic adverſus Georgium Majorem (qui Magdeburgenſis Scholæ Rector, poſt Caſparum Crucigerum, VVittembergam evocatum, ſecundus fuit, poſteaque etiam Profeſſor Theol. VVittembergæ) defendentem, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria, impotentius ſe opponens, inſanam theſim aſtruxit: *bona opera ad ſalutem eſſe noxia & pernitioſa.* Iam ante Lutherus quoque, Diſput. IV. contra Antinomos theſ. 8. dixerat: *Summa, lex non eſt utilis nec neceſſaria ad juſtificationem, neque ad ulla bona opera, multo minus ad ſalutem.* Bene quidem non ad merendam ſalutem, omninò verò ad meritam per Chriſtum nobis adeundam, & occupandam. Quemadmodum reſpondit Melanthoni, ad

quæſt.

quæſt. *Utrum hæc propoſitio ſit vera : juſtitia operum neceſſaria eſt ad ſalutem? Non, quod operentur, ſeu impetrent ſalutem, ſed quod fidei impetranti præſentes ſeu coram ſint : ego neceſſario adero ad ſalutem meam.* Conſil. Theol. Melanth. part. 1. pag. 243. Conati quidem fuerunt Adverſarii Majoris Amsdorfius, & Matthias Flacius Illyricus heterodoxam illi, in articulo de juſtificatione ſententiam affricare ; ſed ex factâ ab eo declaratione patuit, meram fuiſſe τὴν ἀμιλείαν τῆ αἰϑολκῆς, quæ Adverſarios primum adverſus ipſum, tum quoque adverſus rectam & probam docendi rationem egit, dicentes inſanientium in morem, bona opera ad ſalutem eſſe pernitioſa. Etiam bonum virum Philippum Melanthonem illi, quos diximus, turbones hâc contentione vexârunt : unde hic quidem, bona opera eſſe neceſſaria, quatenus vid. creatura rationalis Deo ſemper debet obedientiam, non verò ad ſalutem eſſe neceſſaria, dicere ſuſtinuit. Quæ in parte 11. Conſ. Theologicorum Melanthonis videri poſſunt. Major quoque diſerte teſtatus fuit, ſe in gratiam illorum, quos forte offenderat ſua propoſitio, lubenter eâ abſtenturum. Flacius, in articulis reconciliatoriis cum Melanthone, ann. cIↄ Iↄ lvii. art. iii. *Ideoque tollatur corruptela de neceſſitate operum ad ſalutem, cum conjunctis.* Tantum Clamatores poſſunt, ubi incidunt in viros honeſtos & probos, id eſt, ſe longe meliores. Tandem autem Liber Concordiæ, ann. cIↄ Iↄ lxxvii. finem his contentionibus impoſuit, &, *de tertio legis uſu*, docuit : quum lex Dei propter tres cauſas data ſit, Primo, ut externa quædam diſciplina conſervetur, & feri atque intractabiles homines, quaſi repagulis quibuſdam coërceantur. Secundo, ut per legem homines ad agnitionem ſuorum peccatorum adducantur. Tertio, ut homines jam renati, quibus tamen omnibus multum adhuc carnis adhæret, eam ipſam ob cauſam certam aliquam regulam habeant,

„habeant, ad quam totam ſuam vitam formare poſſint „& debeant, &c. pernitioſum & falſum dogma eſſe illorum, qui dicebant legem impiis & infidelibus tantum, & non agentibus pœnitentiam, non vero renatis & piis proponendam atque inculcandam, neque ejus obſervantiam apud hos urgendam eſſe. Primum illum legis uſum appellant pœdagogicum; alterum ſpiritualem; tertium renatorum proprium. Quos uſus bene diſpoſitos eſſe, non dico. Dicerem conſulendum Conradum Schluſſelburgium, *Tom.* VII. *Catal. Hæreticorum*, quo toto tomo de Majoriſtis agit, niſi prolixe nimis ineptientem Scriptorem vererer commendare, qui paſſim impia & blaſpema Majori, pro more ſuæ diſputationis impingit.

Tertia periodus Antinomorum hodie eſt in *Angliâ*: quorum anteſignani præcipui habentur Iohannes Eatonus, Tobias Criſpus, Iohannes Saltmarsh. Huic ſe oppoſuit Thomas Gattakerus: & adverſus Antinomos in genere ſcripſit & ex profeſſo Samuel Rhutherfurd; quos & alio libro refutavit, *Chriſt dying*: Antonius Burges; Ioh. Biſco, alii. Antinomorum themata, vel dogmatum ipſorum capita carptim referunt Honorius Reggius, ſive Clariſſ. vir & Collega Georgius Hornius, in Comment. *de Statu Eccleſiarum in Angliâ*; & libellus Belgicus, *de Turbis Anglican.* Verùm mallem, ut ipſi potius qui ita dicuntur Antinomi, per aliquot diſtinctas & perſpicuas theſes explicuiſſent mentem ſuam, oppoſitam communi & uſitatæ hactenus in Eccleſiâ doctrinæ, de uſu legis. Namque video, dum ex integris ipſorum diſſertationibus, libellis & concionibus theſes conficiuntur per Scriptores Adverſarios magis, quam per Auctores ipſos, nonnunquam haud ſatis feliciter illorum ſenſus capi & exprimi, & tum hinc, tum inde multa quidem dici, at ſæpe vix intelligi, vel non peti τὸ κρινόμενον. Pervolvi Tobiæ Criſpi, Doct. Theologi, & magni illorum patroni, tres libros pro

iſtâ cauſâ ſcriptos, quorum titulum fecit, *Chriſt alone exalted.* Quippe hoc ſpectare videntur illi homines, non malo animo, ut magis Chriſti ſolius gloria appareat, dejicere præter Chriſtum omnia, & opera hominum, diſpoſitiones, & conditiones, fiduciam & reclinationem in operibus qualemcunque, & quæ legi alias tribuuntur, ea ſoli Chriſto vindicare. Antinomos, Libertinos præſertim, appellari ſe ægre patiuntur, potius dici amant *Aſſertores liberæ gratiæ:* ſic Saltmarsh adverſus Gattakerum loquitur. Vnde illorum aſſidui clamores, librorumque tituli, *free grace, libera gratia*, Certe in hoc argumento explicando non omnino fruſtra ſunt, modo quæpiam, quæ cum hoc bene queunt conſiſtere, prudentius diſtinxiſſent, conciliaſſent, aut etiam admiſiſſent. Atque ubi limites illis ſui probe aſſignantur, aliorumque articulorum bene ſalvatur veritas, multa illius argumenti egregia apud ipſos occurrere & in quibus à communi ſententiâ plus methodi ſæpe, quam doctrinæ ratione diſcrepant, certum mihi videtur. Tres præcipui (meo judicio) articuli, in quibus exponendis à nobis abeunt: Chriſti *redemtio*; ejus ad nos *applicatio*; vitæ *obedientia*, an aut quomodo juxta legem inſtituenda.

Redemtionem docent aliquam *univerſalem*. Male. Atqui id faciunt, ut certos homines reddant de Chriſto ſuo ſalvatore, non ex conditione aliquâ, quam apud ſe hi præ illis deprehendant, fidei videlicet, (quippe vel nomen conditionum in toto ſalutis negotio horrent; liberam gratiam, id eſt, ex ipſorum mente, ab omni conditione immunem perpetuo inculcantes) ſed ex omnium æquâ portione in Chriſti ſatisfactione univerſali. Vt nihil homines ad ſui ſecuritatem agere neceſſe ſit, quàm ad ſe derivare & applicare λύτρον ac redemtionem in Chriſto factam, *ad modum actionis vel doni univerſaliter exhibiti & diſtributi. Quare dicendum vobis* (inquit Tob.Criſpus, vol. 1. Serm. VII. pag. 163.) *non eſſe meliorem viam cognoſcendi veſtram in Chriſto portio-*

tio-

tionem, quam ex generali oblatione, concludere abſolute, quod veſter ſit, atque ita, abſque ullâ aliâ re, accipere ipſum, ut oblatum vobis in verbo: atque hæc ejus acceptio ſub generali exhibitione, eſt ſumma ſecuritas, quod Chriſtus ſit veſter. Ejuſdem volum. pag. 296. ex I. Ioan. II. 2. & II. Cor. V. 15. colligit *univerſalitatem redemtionis omnium particularium perſonarum in mundo*, quamvis non omnes fiant reconciliationis iſtius participes. Verùm hæc de univerſali redemtione Chriſti non conveniunt cum veritate: uti adverſus Remonſtrantes, aliosque abunde probatum, quæ hic repetere nihil neceſſe. Deinde nil opus erat, ut hunc errorem ſuæ theſi adoptarent, quam abſque eo etiam poſſent explicare. Nempe ut, poſitâ particulari redemtione, qui eam ſibi applicaret (de modo, quo hoc jubeant fieri, nihil dico), hinc ſtatueret ſibi partem in Chriſto eſſe, ſolâ ejus rei promiſſione, non conditione ullâ ſuâ fretus. Denique eo convenientius loquerentur, quo applicationem redemtionis ad animam fieri docerent ex ſolo Dei dono & actione ſingulari, non ex hominis viribus aut *συνεργίᾳ* aliquâ. Quinimo particularem hominum electionem ſtatuentes particularem quoque redemtionem (ſunt enim paris ubique latitudinis & extenſionis) docere debuerant, non univerſalem.

Mirum verò merito videatur, quod in redemtione noſtrûm peragendâ, Chriſtum dicunt non tuliſſe ſolùm noſtrorum peccatorum pœnas & reatum, ſed *peccata* ipſa ei impoſita fuiſſe. Pro quo Auctor ille, Vol. II. Serm. in Ieſa. LIII. 6. tum ex iſto loco, tum aliis argumentis, prolixe per tres integros Sermones, II. III. & IV. diſputat. Pag. 74. *Deus non ſolum inflixit Chriſto demeritum peccati, eum propterea vulnerando, verùm etiam iniquitatem ipſam ei impoſuit, intelligo iniquitatem ipſorum.* Quibus poſtremis verbis videtur vel obloqui priori ſententiæ de univerſalitate redemtionis (quam tamen etiam alii ſcribunt ab ipſis tradi); vel illa

intel-

intellexerit de generalitate electorum; vel duplicem fingat redemtionem, generalem, & particularem, quod omnino abſurdum. Sed illud de impoſitis Chriſto peccatis noſtris, non ſolis eorum pœnis, præterquam quod impoſſibile, quia peccatum eſt actio tranſiens, quæ poſtquam abiit non reproducitur, nec realiter imponitur vadi, non etiam neceſſarium, quia ſufficit, ut reatus imputetur, pro quo ſolvendo & expiando luit. Neque unquam aliter intelligitur, quando quis ſolvere & ſatisfacere, vel *ἀντίλυτρον* dare pro alio, dicitur. Scias autem illos docere, portata à Chriſto ipſa etiam peccata noſtra fuiſſe, ut eo melius tollerent àb homine dolorem de peccatis, quem impugnant, quatenus Chriſtum illa tuliſſe, proque iis doluiſſe, aſſerunt. Samuel Richardſonus, qui pro Tobiâ Criſpo defenſionem ſcripſit, adverſus Stephanum Geree, lib. *Divine Conſolation. pag.* 260. verba II. Cor. v. 21. *fecit ipſum peccatum*, de peccato ipſo, & non de ſolo reatu exponit, quaſi iniquum ſit, hunc imponere alicui, abſque illo: ipſe tamen part. III. libri, pag. 1. 2. explicans Apoc. 1. 5. *lavit nos à peccatis noſtris*, non de peccato, vel ejus macula, ſed de reatu, & maledictione accipit. Doctrinam inde formans hanc: *quod Chriſtus Ieſus morte ſuâ crucis, ſuos plene liberavit, à peccato, hoc eſt*, inquit, *à pœnâ peccati æternâ, ita plene ac ſi ipſi nunquam peccaſſent.*

Quæſtio ab iis mota eſt ſuper *juſtificatione* noſtrâ, quando facta, aut fiat. Docent, juſtificationem electorum factam in morte & ſatisfactione Chriſti, non fieri actu quando quis credit, ſed tum quidem illam apud animum credentis manifeſtari. Super quo multum contendit Richardſonus: ſed quod levi negotio componi poteſt, diſtinguendo juſtificationem *activam*, & *paſſivam*: illa eſt actio Dei juſtificantis; hæc iſtius terminatio & applicatio ad conſcientiam fidelium. Illa facta eſt cum Chriſti ſatisfactione; hæc fit tum quando quis actu credit. Hæc revera illius eſt manifeſtatio; ſed

quia

quia juſtificare in ſuâ plenitudine connotat terminationem ad juſtificatum vel juſtificandum, ita non eſt ea ſola manifeſtatio, neque negandum quin iſta manifeſtatio etiam juſtificatio dicenda ſit. Et hoc ſenſu juſtificatio paſſim in Scripturâ accipitur, & in epiſtolis Paulinis, ubi fidei adſcribitur. Quia hic de tempore vel momento juſtificationis agitur, licet ea ſic interpungere: juſtificatio *deſtinata* eſt ab omni æternitate, in decreto Prædeſtinationis; *promiſſa*, mox poſt lapſum; *facta* in Chriſti morte, & reſurrectione (conjungenda etenim hæc ſunt Rom. VIII. 34.) ibi à Chriſto merita, hîc à Deo declarata, & ratihabita; *applicatur*, intimatur, manifeſtatur apud animum, ad fidem; *conſummabitur* denique glorioſum in modum, tempore ultimi, atque univerſalis judicii.

Nihil autem difficilius, quam illorum, de quibus agimus, & Antinomi vulgo audiunt in Angliâ, mentem bene explicare circa *applicationem* redemtionis, & Chriſti. Vulgo *præparationes* & diſpoſitiones traduntur in homine eſſe aliquæ ante converſionem & fidem, ab omnibus fermè Theologis Anglis: *dolor* & *pœnitentia* de peccato, ex lege potiſſimum excitata, quæ præcedat fidem & unionem noſtram cum Chriſto: *fidem* eſſe conditionem Novi fœderis: hæc omnia verò illi tollunt & impugnant. Ajunt, gratiam omnimode liberam eſſe, nulli conditioni adſtrictam, & applicationem ejus fieri ad hominem nullâ qualitate bonâ præditum, quâ gratiam aut Chriſtum demereatur, vel fidentius accipiat. Chriſtum, tempore quo Deus ſe & Filium ſuum vult revelare in nobis, accedere ad homines nulla vel qualitate meliori aut conditione præparatos, ſed improbos uſquequaque & peſſimos, quibus, ex electione videlicet quotquot ſunt, & ſpiritum & fidem & omnia communicat. Ajunt, non dolendum, non angendum animo propter peccata eſſe; neque hæc debere antecedere tamquam diſpoſitiones ad recipiendum

dum Chriſtum. Et ſic quoque fidem non eſſe conditionem Novi fœderis, neque per eam, ceu inſtrumentum nos Chriſti fieri participes & juſtificari: ſed per illam tantùm animo manifeſtari reconciliationem & juſtificationem olim in Chriſti morte factam. Non attendi hic noſtrum accipere, ſolummodò Dei dare. Quem in finem *Vol.* I. *Serm.* VII. *pag.* 150. hoc utitur ſimili: ut quum quis pauperem miſerumque omni ex parte hominem videt, nec veſtitum, nec clamantem, cui & manus & loquela deſint vel ad accipiendam vel ad implorandam opem, te nihilominus miſerebit ejus, eique poteris benefacere: ita Deus ſuâ propriâ bonitate motus, nobis exhibet & adaptat Chriſtum, ceu veſtem, ſuis ipſe manibus quaſi, nobis nec man bus ad accipiendum, vel voce ad orandum præditis, neque ulla re à noſtrâ parte antecedente, quæ Deum aut demereatur, aut hominem ad illa accipienda melius diſponat. Diſtinctionem adhibet duplicis *receptionis* Chriſti, *paſſivæ*, & *activæ*: illa quaſi abſque manibus, hæc fit cum illis. Illa eſt quando reluctanti homini Deus Chriſtum ſuum immittit, ut Medicus ægro quantumvis abnuenti, adhibita potentiori vi, quá ei os adaperiat, potionem infundit, quam novit ſalutarem eſſe: quò adducit Ierem. XXXI. 18. 19. Ad quam primam receptionem ſequitur, quod mox homo incipit agnoſcere Chriſtum, æſtimare, amplecti, amare, & perpetuò in eo vivere, juxtaque ductum & ſpiritum ejus ſe totum componere, quæ eſt receptio Chriſti *activa*, ubi pro amico, & fratre, & Salvatore agnitus, quam poteſt arctiſſime recipitur. Deinde diſtinguit, Chriſtum *dari* nobis, vel *manifeſtari* datum: dari, ante ullam in nobis qualificationem vel conditionem, qui omnem probam qualitatem ſecum fert, atque in homine primus, ſoluſque operatur: manifeſtatur (inquit) poſt fidem. Non eſt ſine fide ejus manifeſtatio; quidem datio. Hæc nullâ re, neque infidelitate præpeditur,

quam tollit: illa, durante infidelitate, neque niſi poſt fidem, haberi non poteſt. Deus in datione Chriſti ad „ animam (diſtinctâ à manifeſtatione) facit copiam „ Chriſti in animâ, quam Chriſtus occupat ante ullam „ omnimodam qualificationem in eâ exiſtentem: tra- „ diturque hic Chriſtus, in novum fœdus. Quare in- „ trat, & juſtificat hominem ante ullam in eo produ- „ ctam qualificationem. Exprimo mentem illorum, cum quibus agimus, quorum etiam verba, quantum licet, retineo. Quod Chriſtus ante omnem qualitatem, & ad eam primò in hominibus efficiendam traditur, exponunt ex Ieſa. lx I. 1. 2. 3. ubi Chriſtus miſſus dicitur ad religandos confractos corde, & aperiendos oculos cœcorum &c. Cumque ad illud poſſet objici, ergo contritionem cordis antecedere Chriſti adventum in corda. Reſpondent, diſtinguendo *fractionem* cordis, ab ejus *ſenſu*; quemadmodum in bonis, alicujus turbatæ res ſunt & fractæ quaſi; deinde collatis omnibus rationibus & libris id ipſe videt ſentitque. Ajunt, illam cordium fractionem eſſe in omnibus ante Chriſtum, id eſt, inopes eſſe ac miſeros; cujus ſenſum non accipiant niſi à Chriſto, & per eum demum ſibi ſecum unitum. Iezech. xxxvi. 26. Chriſtus frangit illorum corda gratioſe, tum etiam religat. Contritio cordis, & quæ „ hinc oriuntur, ex Chriſto jam præſente, ejuſque ſpi- „ ritu fluunt. Zach. xii. 10. non ad eum accipiendum „ quaſi gratæ & acceptabiles qualitates, vel conditio- „ nes antecedunt. Sic & fides ipſa, non ante acceſſum „ Chriſti in animâ exiſtit, ſed poſt eum, & ex eo. Vn- „ de Chriſtus auctor fidei dicitur. Heb. xii. 2. & dona „ accepiſſe pro rebellibus. Pſalm. lxviii. 18: Epheſ. „ iv. 8. & caput eſſe Eccleſiæ, atque initium, & in o- „ mnibus primum. Col. 1. 18. qui primus datur nobis „ in rebus ſalutis, ante quaſcunque alias, quarum ni- „ hil in nobis locum habere poteſt, antequam cum a- „ nimâ actualiter unitus ſit. Neque aliunde jnchoare

hic

„ hic oportet,non ab inhærente noſtrâ juſtitiâ, vel qua-
„ lificationibus, precibus, lachrymis, humiliatione,
„ dolore, reformatione, aut univerſali obedientiâ, ſed
„ miſſis omnibus, à ſolo Chriſto. Quemadmodum
„ vacuâ antliâ fruſtra laboremus aquam educere,
„ ſed eam primò infundimus aliunde, & ſic aquam ex-
„ trahimus: ita Chriſtum primò immitti in animas, an-
„ tequam inde aliquid ſalutare produci queat. Neque
„ primò Chriſtus fidem animæ inſerit, ad quam tum
„ demum quaſi ab eâ attractus, accedat; ſed ipſe prior
„ accedit una cum dono fidei, quam animæ præſens
intromittit. *Vol.* III, *ſerm.* XI. Iterum *Vol.* I. *Serm.*
XIV. *pag.* 317. non imaginari debes, inquit Criſpus,
noſtram motionem vel noſtrum venire ad Chriſtum eſ-
ſe primum mobile, quod Chriſtum moveat ad nos ve-
nire, ſed vice verſa Chriſti ad nos adventus prior cauſa
eſt acceſſus ad eum noſtri, acti agimus. Epheſ. II. 1.
Neque cogitandum, nos aptos eſſe, vel debere eſſe,
ut ad Chriſtum venire poſſimus vel liceat: neque enim
„ Chriſtus aptitudinem ullam noſtram reſpicit, abſque
„ quâ nos non admittat in ſui communionem, ſed aptos
„ facit ad eam communionem, ad quam nos deſtinat.
„ *Serm.* XI. *pag.* 288. liberum donum eſt abſque con-
„ ditione, neque conditionem urget in anteceſſum, ſed
„ ſua donat Deus in Chriſto citra reſpectum conditio-
„ nis ullius: neque fides noſtra, vel obedientia con-
„ ditio donorum Dei ſunt, *Serm.* VII. *pag.* 125. nulla
„ ab hominis parte requiritur conditio in fœdere novo,
„ totum negotium ſoli Deo incumbit, neque ulla
„ pars ab homine, pro participatione beneficiorum
„ ejus, adimplenda prius. Heb. VIII. 10. Iezech.
„ XXXVI. 25. alioqui (inquit) Chriſtus non eſſet purum
„ merumque donum; quod ut ſit, nihil ab homine ex-
„ ſpectare vel accipere, ratione Chriſti hominibus im-
„ partiendi, Deus vult. *Conſequuntur* omnia fœdus no-
„ vum, ut ejus fructus & effecta, non verò *antecedunt.*

Deinde etiam diſtinguit, aliud eſſe facere aliquid *reſpe-ctu fœderis*, tamquam ejus conditionem, quod fruſtra habet; vel reſpectu *officii*, Deo tam libere nobiſcum contrahentis, debiti. Adde & *Serm*. VII. *ſeq*. Ex quibus intelligendum, quod dicit *Serm*. III. *pag*. 49. „Chriſtus eſt libera via ebrioſo, lenoni, ſcorto, inimi-„co ejus, æque ac homini piiſſimo. Verùm ne ſiniſtre „capiatis, haud eſt Chriſtus illis libera via ſic in eo *am-„bulandi*, & in peccatis illis continuandi, nam nemi-„nem, ad quem accedit, in ejuſmodi relinquit ſordi-„bus, verùm *accedendi* ad eum poteſtas æque eſt vili-„ſimis in mundo peccatoribus, ac cuipiam hominum. „Qui Chriſtum qualiſcunque accipit, ei Chriſtus ad „Patrem via eſt, etiam dum improbus eſt, & nondum „emendatus, atque partem ſuam in Chriſto poteſt re-„putare æque ac quando eſt juſtus. Deus nihil ſpectat „in homine, vel ab eo requirit, ut eum participem Chriſti faciat. Dicere, Chriſtum eſſe donum, ſed ſub conditione, videtur ſibi contradictio.

Explicanda ad illorum mentem duo imprimis ſunt, ratio *fœderis* gratuiti; tum *fidei*, quam hæc ad illud habeat. In quo utroque, à modo docendi communi haud parum diſcedunt. Primo *fœdus* agnoſcunt duplex, *ope-rum*; & alterum *gratiæ* in Chriſto: hoc iterum duplex, vel *ſacerdotale* ſub V. Teſtamento; vel prout à *Chriſto* jam adminiſtratur ſub Novo. Neque unius fœderis diverſam œconomiam, ſed diverſa dicunt fœdera. In quo nec cum veritate ſatis, neque ſecum conveniunt. Nam enumerantes differentias utriuſque, quas in tribus ponunt I. in eo, quod Chriſti fœdus illo melius ſit, ratione *remiſſionis* peccatorum: *α*. ibi non omnis „generis peccatorum, uti hic. *β*. & conditiones ejus im-„pertiendæ ibi poſt varias ſacrorum & ſacrificiorum „conditiones. *γ*. & gradatim ac ſucceſſive per ſacrifi-„cia, non ita ſemel εἰς τὸ παντελές concedebatur, uti „hic II. diſcrimen conſtituunt ratione *pacis* conſcien-

tiæ.

„tiæ. III. *libertatis* à pœnâ, ac irâ Dei: quorum ſubſtantiam quidem fatentur ſub illo fœdere fuiſſe, ſed graduum magnum diſcrimen inter hoc illudque. Quorſum itaque duplex fœdus, & non unius potius dicunt duplicem adminiſtrationem? namque hâc ratione ſatis bene explicari, quod duo fœdera Apoſtolus nominat Heb. VIII. & IX. poteſt. *Vol* II. *Serm.* II. *&* XI. Atque hinc exiſtimo, Richardſonum, *part.* I. *Divin. Conſolat. pag.* 328. negare, quod Circumciſio in ſe fuerit ſignum fœderis gratiæ. Adverſus quod diſputat Vaſavor Powel, l. *Chriſt, & Moſes excellency, pag.* 43. Criſpus *Vol.* I. *Serm.* VI. Fœdus novum omni à noſtrâ parte *conditione* liberum dicit; contra ac fatetur cætera omnia Dei fœdera eſſe, quę nituntur ſtipulatione conditionum ab utrâque parte præſtandarum. hic ſecus, ubi à nullâ noſtrâ conditione ait pendere, fœdus ut firmum ſit, vel irritum. Quia nempe hoc fœdus eſt merum liberæ gratiæ donum: quod alias, inquit, non foret, ſi conditionem ſtipularetur Deus aut exigeret. Quidquid à fœderato requiritur, hoc omne Deus ipſe efficit, eique confert, atque id vi fœderis, inquit *Tom.* III. *Serm.* II.

Quod ad *fidem*, negant eam fœderis, aut juſtificationis noſtræ conditionem eſſe: juſtificationem inquiunt, contingere homini, dum impiobus eſt; qui poſtquam „juſtificatus eſt, incipiat credere: non fides dicenda „nos juſtificare, niſi per fidem intelligamus Chriſtum; „qui ſolus juſtificat, & juſtificat hominem antequam „credit, adeo non per fidem. Fides manifeſtat juſtifi„cationem, quam ſeipſo Chriſtus homini impartit, ea„que animæ declaratur per fidem in illum. Fides non „eſt conditio, abſque quâ nec Chriſtum, neque bene„ficium ejus recipiamus; ſed manifeſtatio ejus quod „jam omnino factum, receptumque. Quò trahit lo„cum Apoſtoli Heb. XI. I. Non credimus (inquit) ut „juſtificemur, ſed credimus poſtquam & quia juſtifica„ti: non juſtificamur, non ſumus in fœdere, non de

„eo participamus per ullam conditionem à nobis præ-
„ſtitam; ſed in fœdere ſumus, & Chriſtus nos in fœ-
„dus ſuum aſſumit, abſque ullâ in nobis conditione.
„*Tom.* I. *Serm.* VI. & VII. *Tom.* II. *Serm.* XIV. Ri-
„chardſonus, adverſus Geree, *pag.* 99. Chriſtus no-
„ſter eſt, antequam habemus ullam qualificationem
„gratioſam. Criſpus, *Tom.* III. *Serm.* II. *pag.* 88.
ponit diſtinctionem inter hæc duo, ut Chriſtus primùm
noſter *ſit*, quod eſt ante ullam in nobis conditionem,
aut qualitatem; & quod *noſter eſt*, ac manet, ſeque ut
noſtrum paſſim gerit, quod Spiritus Dei in nobis effi-
caciter oſtendit per uſum præceptorum ac inſtitutorum
divinorum. *Vol.* III. *Serm.* VII. Fides dicitur juſti-
ficare *declarativè*, non aliter; quatenus juſtitiam Chri-
„ſti manifeſtam facit fidelibus. Fides, ut juſtitiam Chri-
„ſti reſpicit, non defert eam ad animam, ſed declarat
„ſolummodo ejus præſentiam in animâ, quæ fuit et-
„jam ante fidem. Homo quippe juſtificatus & recon-
„ciliatus Deo eſt, antequam credat. Ideoque fides non
„eſt inſtrumentum unionis noſtræ cum Chriſto, ſed
„fructus ex unione ejus ad nos ſequens, qui nobis
„unitus eſt antequam credimus. Quare vis fidei non in-
„telligenda eſt inſtrumentalis ad juſtificationem, ſed ad
„ejus jam factæ, ſed occultæ declarationem. Richard-
„ſonus *Tom.* III. *pag.* 67. &c. Fidei vox in Scripturâ
„eſt πολύσημος: quando dicimur juſtificari per fidem,
„fides ſignificat Chriſtum. Gal. III. 16. 19. 23. I. Jo-
„ann. IV. 9. neque credendo juſtificamur, ſed antequam
„credimus, per Chriſtum juſtificati ſumus, quando Chri-
„ſtus in cruce pro nobis mortuus fuit; quæ juſtificatio
„per Spiritum S. cordibus noſtris manifeſtatur, atque
„fide recipitur: ubi & nonnulla pro ſententiâ ſuâ pro-
fert argumenta, ſed quæ facile ſolvi poſſunt. Eundem-
que vide *pag.* 125. ejuſdem libri. Atque hæc de fide ipſo-
rum, & juſtificatione.

Antea oſtendimus, quomodo dicant, Peccata no-
ſtra

ſtra omnia, & non ſolùm eorum pœnas, à Chriſto portata fuiſſe, atque expiata: unde porrò docent, fidelem de peccatis ſuis *dolere* angique non debere, cum reſpectu ad eorum demeritum, quum hoc omne à Chriſto ſublatum ſit: quare quum cogitamus, ipſa illa à nobis in Chriſtum tranſlata fuiſſe, ac proinde nos illis vacuos; nil reliquum quod doleamus. Tum (dicunt) remiſſionis ſenſum non habere nos jam, uti olim Iſraëlitæ, ſub fœdere ſacerdotali, per interſtitia & intervalla, interventu ſacrificiorum; ſed continuum & non interruptum, prout hæc natura eſt fœderis novi ab illo diverſi, Criſp. *Vol.* III. *Serm.* III, IV. V. quod peccatum realiter in Chriſtum tranſlatum ſit. *Vol.* II. *Serm.* XIII. non „debemus dolere de peccatis, pœnitere, humiliare, „jejunare, quaſi per hæc à peccatis eſſemus purgan„di, vel per opera aliqua noſtra curandi, ut ex operi„bus & officiis noſtris remedium peccatis vel turbatæ „conſcientiæ quæramus. Omnes cultus divini partes „obeundæ ſolùm tamquam Dei inſtituta, in quibus „promiſit ſeſe nobis manifeſtaturum, atque ad eum „glorificandum. *Epiſt. Dedic. ad Vol.* III. *Vol.* I. *Serm. ult. pag.* 350. Fidelis in quodcunque grave peccatum in„ciderit, adulterium, homicidium &c. mox tamen ite„rum reſpicere in Chriſtum debet, neque exſpectare „primum ut humiliatus ſit, doleat &c. antequam ſibi „præſentem applicet conſolationem in Chriſto, ſed an„te illa ſibi æque poteſt applicare promiſſionem remiſ„ſionis, ac poſt illa, quæ præſtare quidem oportet, & „habere ſenſum peccati, & confiteri delicta, ſed non ut „per ea gratiam acquirat, ſed poſt adeptam, appli„catamque gratiam, & ex hujus ſenſu. *&* *Serm.* I. *p.* 31. „fideles propter peccata ſua timere non eſt neceſſe, ne„que oportet, quia ſcilicet ſublata & expiata ſunt per „Chriſtum. Timent quidem (inquit, cum hac diſtinctione) peccatum *committere*; non autem *de commiſſis*, quaſi aliquid detrimenti ipſis adferre poſſint. Quò adducit

cum Rom. VII. 15. 19. 24. 25. ubi Apoſtolum loqu quidem de ſe ut regenito & fideli exiſtimat, non autem ex propriâ, ut tum erat, perſonâ, ſed alicujus turbati, & præ gravitate inhærentis ſibi corruptionis valde anguſtati animi. Vti commiſſa peccata, ita neque *afflictiones*, ſecundum ipſos, ullæ metum fidelibus injicere debent, quia nil damni inde oboriri poteſt, è contra nil niſi bonum, prout afflictiones omnes fidelibus in ipſorum immittuntur bonum. *Vol.* 1. *Serm.* IX. *p.* 209. *Serm.* XI. *pag.* 264.

His ita expoſitis de Adverſariorum mente, primùm ſuper Chriſti *redemtione*, quæque eo ſpectant; tum illius *applicatione*; pergendum ad illorum ſententiam de *obedientiâ* & obſervantiâ operum, & an hic *legis* ullus uſus, tum quo *fine* opera bona facienda ſint. Primò non putandum, illos, quos vulgò vocant Antinomos, & de quibus nos agimus, bonorum operum hoſtes eſſe, vel non illa docere, qualia nonnunquam iis objiciuntur, atque nimis leviter de illis quandoque creduntur: ſed de ratione, & fine, quomodo bona opera facienda, diſceptant. Quod alii *legi* tribuunt in docendo & excitando (nam de uſu legis in condemnando tranſgreſſores, in confeſſo eſt, eum per Euangelium, apud fideles, ſublatum: *nulla enim jam condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu*), hi Chriſto vendicant, ejuſque ſpiritui; quem liberâ & ingenuâ motione hominem agere dicunt, ad ſerviendum Chriſto, & Deo, ſolo ejus & benè vivendi amore allectum: nedum ut aliquos hic ex lege terrores neceſſum ſit adhibere, vel ejus pædagogiâ ducere homines aut conſtringere. Vtuntur ad hoc vulgò Pſal. cx. 3. *erit tibi populus voluntarius*. *Vol.* 1. *Serm.* II. *p.* 31. *Serm.* IX. *p.* 191. Richardſonus. *part.* III. *p.* 17. 18. ita mentem explicat, ut omnino è re ſit ejus verba hic deſcribere: *Lex eſt ſancta, juſta, & bona, Rom.* 3. 31. *Iuſtitia legis manet, & quilibet tenetur vitam ſuam componere juxta eam; non recipimus legem, ut datam per Moſem,*

ſeris, ſed ut datam per Chriſtum; in eandem ſuis obedientiâ legem dat, licet non iiſdem conditionibus, quamvis nil agere poſsimus ad ſalutem, benè tamen aliquid agere debemus ad ejus gloriam. Ioh. 15. 8. Iuſſi ſumus conſulere diligenter bonis operibus, Tit. 3. 8. Vt quis dicat, non teneri nos obſervare decem præcepta, quæ appellatur lex moralis, decem verba, abominandum; quippe ſi non obliger obſervare ea, jam non pecco quando contra ago, neque mirum ſi tales abominandi ſint in ipſorum cordibus & vita. Concedo, liberos nos ab ejus maledictione & pœnâ, verùm non à rebus eâ contentis. Lex concernit noſtram converſationem, quamvis non ſalutem. Sitis vos ſancti in omni modo converſationis: hinc commendantur ſancti, vos qui diligitis Deum, odiſtis malum, & horretis ſocietatem illorum, qui contemnunt præcepta Dei. Ita ſi omnes loquantur, haud adeo erit (factâ commodâ interpretatione legis per Chriſtum datæ) quod reprehendatur.

Nuſpiam magis ſolliciti ſunt, nec hoc abſque ratione, quam in diſtinguendis bonorum operum *finibus*, uſibuſque, ut intra metas ſuas maneant, & ne homo illis ullatenus fidat. Ex negotio *juſtificationis*, *conſolationis*, & *ſalvationis*, jubent bona opera exceſſe omnino; illaque vel ut nimium laudentur, & ſuo nomine deprędicentur; aut in relatione ad Chriſtum efferantur, culpant. *Vol.* 1. *Serm.* 1. *pag.* 19. neque admittunt, dici viam ad regnum, utcunque non cauſa regnandi. Concedunt, eſſe officium in viâ peragendum, aut concomitantia ad cœlum, & comitari homines eo venturos, non verò viam ipſam, quæ ſolus Chriſtus. *Vol.* 1. *Serm.* IV. Richardſonus, part. III. pag. 58. *Condemnamus, nos aliquid agere ad noſtram ſalutem.* Fines, ob quos præſtanda ſint bona opera, aſſignant. I. ad teſtandam noſtram erga Deum *gratitudinem.* II. in *uſum* atque ædificationem *proximi.* III. ut in uſu & exercitio illorum *Deum*, juxta promiſſionem, quod per illa hominibus occurſurus ſit, ac ſe manifeſtaturus, *appre-*

bendamus, eoque fruamur, non verò quaſi per illa, v. g. per jejunia, precationes, & pœnitentiam Deum moveamus erga nos, aut placemus, ſed quod erga nos bene affectus Deus ſe propriâ voluntate in iſtis noſtris officiis, aut exercitiis nobis videndum præbeat & guſtandum. *Vol.* I. *Serm.* VIII. *pag.* 193. & *Serm.* IX. *pag.* 217. Non patiuntur, homines in conſolationibus, vel acquirendâ certitudine ac fiduciâ ſalutis, ad opera ſua, ad qualificationes, officia, & fructus ſanctificationis remitti, vel in examitte ſui, ad ſigna, ad notas deflectere, quam viam litigioſam & dubiam vocant, atque quantum fiduciæ operum proximiorem, tantum Chriſto ejuſque gratiæ adverſam. Vol. II. Serm. XV. *inherentes qualificationes ſunt dubia ſigna cœli*: quod per vulgaria ſigna diſcurrendo, *univerſalis obedientia, ſinceritatis*, & *amoris fraterni*, oſtenſum it. Deo tantum agnoſcit ſalutem homini certò indicantia, *Spiritum* Chriſti, atteſtando illam animis, juxta verbum Dei; & *fidem*, eam recipiendo. Serm. XVI: XVII. & Vol. II. pag. 93. Serm. I. & II. *Dei fœdus cum ſuo populo fundamentum eſt ipſorum ſecuritatis.* Richardſonus, Divin. Conſolat. pag. 243. *Ne tua conſolatio dependeat ex tuâ perſonali ſanctificatione, quia hinc non poteſt certa fluere & conſtans conſolatio. Conſolationem quærere à noſtrâ ſanctificatione, cauſa multarum turbarum in pluribus infirmis exiſtit. Sanctificationi nihil cum juſtificatione, nec cum ſalute, ut aliqua cauſa earum: Sanctificatio etiam admittit gradus, verum juſtificatio nec regulas habet, nec gradus, magiſque glorioſa eſt quam ſanctificatio. Juſtificatio noſtra oportet ut nos conſoletur. Juſtificatio non dependet ex noſtrâ apprehenſione aut receptione, ſed conſiſtit in eo quod Dominus Ieſus pro nobis fecit. Juſtificatio per Chriſtum perfecta eſt; ſed fide apprehenditur. Heb.* XI. I. *Spiritus & fides manifeſtant nobis juſtificationem noſtram, quotquot credunt ſunt juſtificati. Act.* 13. 39. *Poſſibile eſt habere* πληροφορίαν *fidei. Heb.* 10. 22. *Fides facit inne-*

fe-

fragabilem evidentiam, & quando fides occulta dubiaque eſt, neque tum juſtificatio apprehenditur, niſi fide occulta ac dubia, neque ſanctificatio eſt evidens ſed dubia. atque ita nec poteſt nobis manifeſtare noſtram juſtificationem. Ex ſanctificationis effectis eſt quod homo in quaſtionem trahit ſuam juſtificationem, quare nullum ſanctificationis effectum poteſt anima monſtrare ſuam juſtificationem: atque anima qua juſtificationem ſuam apprehendit in Chriſto, non ſolum novit eam, ſed vivit ea, ſuavibuſque ejus fruitur fructibus, pace, gaudio, robore, abſque ullâ in ſeipſo ſanctificatione. Quandoquidem Chriſtus factus eſt ſanctificatio fidelium, 1 Cor. 1. 30. quare non eâ viveret anima, diceretque, Sanctificationem habeo in Chriſto, qua perfecta eſt; mea ſæpe fallit juſtitia, verum ejus ſemper manet. Pſalm. 111.3. Quare omnem meam conſolationem accerſam à Chriſto, meâque per illum juſtificatione. Et quemadmodum non debemus inferre juſtificationem noſtram ex aliquo effecto juſtificationis, ita nec illa apprehenſio juſtificationis eſt à Deo, qua hominem abſtrahit à mediis & regulis ſanctificationis, namque dedecus eſt hominem non ambulare ſancte, juxta verbum Dei. Tit. 2. 14. Hæc prolixiora quidem, ſed digna viſa, quia non obvia, quæ ex Anglico verſa, hic, ubi de illorum, quos impræſens ad partes vocamus, ſententia, legerentur, commodiſſimè illam explicantia. Atque hoc hactenus, ad ipſorum exprimendam & explanandam mentem, ex propriis ipſorum ſcriptis, ſatis ſit. Adjungamus quoque judicium de illis noſtrum, quâ pote brevitate, & *ἐπιεικείᾳ*.

1. Permultum diſcrepant à communi docendi *methodo*. Paſſim nos docemus, in tranſitu hominis peccatoris ad ſtatum gratiæ, primum locum habere dolorem ac pœnitentiam de peccato, inde fidem, juſtificationem, hinc unionem cum Chriſto, & ſic fœdus inter Deum ac hominem: non quod temporis inter illa, ſed naturæ differentia, actuumque diverſorum obſervetur.

Illi

Illi plane contrario modo & viâ philoſophantur, & ubi nos incipimus, finiunt, atque in quo finimus, ab eo ordiuntur. Hæc magna in methodo mutatio, haud exiguam conceptuum (quamvis in re diſſenſus haud adeo multus ſit) infert varietatem. Primo fœdus iniri inter Deum, & hominem peccatorem, & uniri inde cum homine Chriſtum, juſtificatum eſſe, hinc credere, tum dolere aliquando de peccatis ut adverſus Deum adeo gratioſe juſtificantem commiſſis, id eſt, cum Evangelii, non legis intuitu, dicunt. Quæ in quibus deficiant, ex ſequentibus patebit. II. *Concedimus* interim nonnulla ab illis benè explicari, ad *gratiæ* in Chriſto abundantiam ſignificandam, & conſolationem ac fiduciam ſalutis omnem in eo fundandam, & benè doceri, quomodo, miſſo operum noſtrorum & dignitatis qualicunque reſpectu ac fiducia, oporteat in ſolum Chriſtum recumbere, extra nos. Nominatim *α.* quando negant ullas in homine, ante Chriſti gratiam, exiſtere, aut dari poſſe *præparationes* vel diſpoſitiones bonas aut ſalutares, ad recipiendum Chriſtum, ejuſque gratiam: docentes, omne bonum ab illâ gratiâ primum effici in nobis, nihil à nobis vel ex nobis produci poſſe. Tenenda hic diſtinctio; aliud ut ſit, diſpoſitiones ponere ab homine ortas & viribus ſuis præſtitas, ante & ad gratiam Chriſti; aliud, ponere diſpoſitiones ab illa Chriſti gratiâ effectas, ad gratiæ varios actus exſerendos, quæ non exiſtunt ante vel citra gratiam, ſed ex eâ, & viam ſternunt ad illius gratiæ opera edenda alia poſt alia. *β.* Quare & bene hoc docent, quomodo *initium* omnis *boni* non ſit ducendum ex nobis, ſed ex Deo & Chriſto; non nos Deum excitare, vel in eum ferri primos, & quaſi à nobis inciperet quodcunque nobis boni contingit, primò reſpiciendum hominem; ſed primas in toto religionis negotio partes Chriſto & Deo per omnia tribuendas eſſe. *γ.* Proinde nec debere homines ullis ſuis *fidere* diſpoſitionibus, qualitatibus, aut operibus, quaſi hinc

hinc Deo acceptiores & digniores eſſent; & non ex ſolo Chriſto Deo grati. III. Neque rejicimus aliquas illorum *diſtinctiones*; ut *receptione* Chriſti, & gratiæ Chriſti primùm *paſſiva*, tum *activa*. Inter *juſtificationem*, prout *facta* in Chriſto; & prout *manifeſtatur* apud animum: quamvis in hujus rei explicatione non per omnia conveniamus. Inter *dari* Chriſtum nobis, & *manifeſtari*. Et Chriſtum noſtrum *fieri*, ac noſtrum *eſſe*. IV. Ex adverſo à non benè obſervatis nonnullis diſtinctionibus, illorum errores præcipuè orti. Quales, præter jam datas, ſunt. א. quod aliud ſit, conditionem bonam eſſe *in nobis*, vel *à* nobis: utcunque hoc non ſit, illud tamen eſſe. ב. Conditio fœderis *pangendi* alia eſt; vel quod jam pactum *accipiendi*. Hic poteſt eſſe conditio, quamvis ibi non ſit. ג. Conditio poteſt eſſe in *accipiendo*, quæ non eſt in *dando*. ד. Imò donum eo majus, ſi & *rem*, & cum ea ipſam quoque *conditionem*, ad rem accipiendam neceſſariam, quis donet. Uti Deus dat nobis Chriſtum & fidem quoque, quâ eum recipimus. ה. Conditionis *præſentia* aliud, aliud ejus *dignitas*. Illa eſt, quamvis hæc nulla ſit. ו. Diſtinguimus *formam* regenerationis & novæ vitæ; tum *actus* ejus varios; neque enim omnes ſtatim ſimul exſeruntur. Quemadmodum in homine vivente, momento quidem infunditur anima, ſed quæ varios tunc & jam prodit actus, ut primùm magis vegetativos, inde ſenſitivos, tum rationales, non viceverſa, vel non omnes uno impetu, ſed ſingulos ordine, quorum hi ad illos viam diſponunt, qui ſuo tempore ſuccedunt, quamvis omnes ex unâ & indita ſemel animæ rationalis formâ. ז. Hâc ratione diſtincte conſideramus Chriſti *gratiam* in homine primùm deſcendentem; atque inde ejus *operationes*. Operatur illa quidquid in homine veri & ſalutaris boni, & formam bonæ ac ſalutaris vitæ imprimit quidem unâ actione ſemel, ſed hoc non obſtat quo minus ad ſtatum & conditionem hominis à peccato ad Deum perducen-

di,

di; primo excitet in homine actum *pœnitentiæ* de peccatis præteritis; tum *fidei*, pro eorum habendâ ſentiendâque in Chriſto remiſſione; inde *virtutes* reliquas. Quemadmodum Criſpus loquitur, *Vol.* 1. *Serm.* VI. *pag.* 136. ſubſtantiam fœderis applicari quidem fidelibus quam primum juſtificantur; ſed varios ejus fructus demum ſuo tempore in illis compleri: ita nos hic de gratiâ, ejuſque operationibus in homine loquimur. ח. Fœdus gratiæ conſideratur vel apud *Deum*, vel apud *hominem*: ibi, ut Deus ex illó fœdere homini bene facit, quamvis fœdus vel ignoranti adhuc, vel etiam contemnenti: hic, prout homo à Deo jam ad ipſum converſus, fœdus illud quoque init, eique confœderatur. ט. Nulla conditio noſtra *ante* fœdus, quidem *in* eo. י. Atque hic jam integra cum Chriſto noſtra *unio* obſervatur: ut inde diſtinguamus Chriſti primum ad nos *acceſſum*, & ejus nobiſcum unionem, quæ demùm integra concipitur, ubi eſt reciproca. כ. Chriſtus *accedit* ad nos, & *prior*, & cum *donis*; nos *accedimus* inde ad Chriſtum, cum noſtris *officiis*: quæ adeo non obſunt ejus liberæ donationi, ut ipſa Chriſti in nobis dona ſint. ל. Eſt unio Chriſti *oblata*, & *inita*: illius fides conſequens & fructus eſt, hujus concomitans. מ. *Aptitudo* in nobis *ad Chriſtum* nulla eſt; ſed quidem ex Chriſto, *ad officia*. נ. Nulla noſtra aptitudo *ante Chriſtum*; quidem aliqua *cum Chriſto*, dum accipitur. Ut non promiſcue Chriſtus ebrioſo, lenoni, homicidæ &c. proſtituendus ſit, qualis proponitur fideli. ס. Non pugnant, ut fides *declaret* nobis juſtificationem noſtram, & quoque *juſtificet*, inſtrumentaliter nempe. ע. Nam non ipſe *actus* credendi juſtificat; ut hinc temerè argutentur Adverſarii, eumque juſtitiæ Chriſti opponant: ſed *Chriſtus* fide apprehenſus. פ. Non pugnant, *libere* ex *ſpiritu* Chriſti Deo *obedire*; & ſecundum ejus *legem*. צ. Bona opera in negotio fidei oportet reſpicere ut *miniſtros*, & pediſſequos; non ut *præcurſores*. ש. Nulla verò in re illâ

ſunt

ſunt *opponenda*, vel *comparanda* Chriſto. Sub Chriſto, & ſalvo hujus honore, non verendum eſt ne nimium prædicentur. *m*. Aliud eſt, *confirmare* ſalutis certitudinem ex bonis operibus; aliud eam in illis *fundare*, id quod nullâ ratione probandum. *n*. Denique aliud, ex ſignis operum probare *virtutum*, potius quam *ſtatus* noſtri veritatem.

v. Pro hominibus in tentationibus & deſertionibus ſpiritus conſtitutis, qui nimium ad ſe, ſua opera ſemper, imperfectiones, & *ἀναισθησίας* recurrunt, non contemnenda aliquando ſunt quæ urgent Adverſarii contra iſtum hominum in ſe recurſum, & reclinationem, & pro inſtruendis, erigendis, conſolandis, lætandiſque animis (adhibitis, quos diximus, limitibus & cautelis) conferri hic ab illis nonnihil, haud diffitendum. Certe uti magnæ ſapientiæ eſt tales bene curare, ita in tractandis illis magna adhibenda prudentia: & uti homines ita afflicti peccant in tacitâ operum fiduciâ, cumque eâ ſymbolizatione, ita non ſunt in ſe retrudendi, & ſignis vel notis, aut officiis multum vexandi, verùm abigendi potius extra ſe, & in Chriſto conſtituendi. Ad quod ſuis conceptibus non pœnitendam forte præſtant illi homines operam.

Denique ut jam & Browniſtarum, & aliorum attexamus controverſias, en earum ſyllabum. Cum *Browniſtis* ergo quæritur:

I. Num Eccleſia Anglicana, & præter eam Reformatæ omnes aliæ, adeo fuerint corruptæ, ut ab iis ſecedendi cauſas ſatis juſtas & graves habuerint Angli Browniſtæ, ſive Separatiſtæ; vel, an ab ejus Eccleſiæ communione ſeparare nos oporteat, ubi de ſingulorum in eâ membrorum converſione & probitate non ſumus certi, atque convicti? *Neg.*

II. Num poteſtas gubernandi Eccleſiam ſit penes eam totam, & ſingula ejus membra? adeoque negotia omnia Eccleſiaſtica, non in ullo Conclavi, ſed publicê

ce & in facie totius Eccleſiæ, atque ab eâ tractari debeant? *Neg.*

III. Num Eccleſiæ Seniores omnes debeant eſſe perpetui, & ex officio quoque διδακτικοί: *Neg.*

IV. Num particularis quælibet Eccleſia debeat eſſe non amplior, quam quæ uno ambitu & loco ad ſacra celebranda, ſub uno Paſtore, convenire queat? *Neg.*

V. Num regimen ſingularum Eccleſiarum debeat eſſe independens, & abſtractum à communione cum Eccleſiis aliis, ac combinatione mutuâ in Congregationes Claſſicas aut Synodicas, eaſque ſtatas & ordinatas? *Neg.*

VI. Num idololatrica olim Papiſtarum templa, campanæ &c. non queant ad uſus ſacros repurgari & adhiberi: neque Miniſtri verbi ex reditibus, aut decimis, ſed ex ſolâ populi collectâ ſuſtentandi ſint? *Neg.*

VII. Num non liceat Miniſtro in Eccleſiâ conjugium confirmare & benedicere? *Neg.*

VIII. Num nullas liceat habere precandi formulas, neque adeo ipſam orationem Dominicam pro precatione uſurpare? *Neg.*

IX. Num infantes non ſint baptizandi quorum parentes proximi non ſunt membra Eccleſiæ in communione S. Cœnæ, quamvis in Eccleſiâ nati? *Neg.*

Cum *Antinomis* hæc quæruntur:

I. Num Chriſtus patiendo pro peccatis noſtris, ipſa peccata ſibi habuerit imputata, & non ſolum eorum reatum tulerit ac pœnas? *Neg.*

II. Num Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus redemtionem dederit univerſalem? *Neg.*

III. Num ante omnem bonam qualitatem in animâ à Dei gratiâ productam Chriſtus cum eâ unitus ſit dicendus & homo cum Deo fœderatus à ſuâ etiam parte, ſibique etiam peccatori improbiſſimo æque poſſit applicare omnes promiſſiones gratiæ, ac fideli? *Neg.*

IV. Num

IV. Num credat homo demum poſtquam eſt juſtificatus, & fides juſtificationem ſequatur? *Neg.*

V. Annon dolere & pœnitére de commiſſis peccatis, ex intuitu etiam tranſgreſſæ legis, & pœnæ demeritæ, indeque humiliari animo oporteat; ut quis ſe promiſſionibus Chriſti ſoletur, earumque faciat ſecurum? *Aff.*

VI. Annon fidelibus & regenitis quoque lex moralis prædicanda ſit? *Aff.*

Liber Undecimus
DE
GRÆCIS, & ORIENTALIBUS.

Græcæ Eccleſiæ olim præſtantiſſimæ & celeberrimæ. Hiſtoria diſſenſionum, & controverſiarum inter Græcos, ac Latinos. Origo illarum, & progreſſus. Eccleſiarum Sciſma, vel ſeceſſio. Unio aliquoties tentata. De Concilio Nicæno, & canone ejus VI. *ſuper primatu epiſcopi Romani. Unde prima & graviſſima quæſtio Græcorum cum Latinis. De Concilio Conſtantinopolitano, ejuſque can.* III. *& ſymbolo. De Epheſino, contra Neſtorium. Hinc de Neſtorianiſmo, & quæſtione quæ Græcas Eccleſias vehementer contuſſit, alterà. De Chalcedonenſi Concilio, & Eutychianiſmo. De Conſtantinopol.* II. *contra Theodor. Mopſveſtenum &c. De Monothelitis, & Conc. Conſtantinopolitano* III. *vel triniſexto. De Concilio Conſtantinopolitano quiniſexto habito in Trullo, variiſque eò contentis controverſiarum capitibus: de monogamia Clericorum. Canon* XXXVI. *de paritate Conſtantinopolitani epiſcopi cum Romano, de jejunio ſabbathi, de eſu ſanguinis*

ac ſuffocati. De Concilio Conſtantinopolitano VII. *adverſus cultum imaginum. De ſeptem Græcorum Synodis. De proceſſione Spiritus S. à Patre, Filioque. Leviores aliquot Græcorum cum Romanis quæſtiones. De pane S. Cœnæ azymo. Seceſſio Eccleſiarum Græcarum, à Latinâ. Tentata aliquoties unio. de Concilio Florentino. Judicium de Græcorum controverſiis. De Patriarchâ Conſtantinopolitano. De Ruſſis, & Moſcovitis. De Alexandrino Patriarchâ, & Cophtis. De Abyſſinis. De Antiocheno Patriarchâ. De Jeroſolymitano. Syri, & Melchitæ. Maronitæ. Chaldæi. Neſtoriani. Armeni. Georgiani. Græcorum Liturgiæ, & invocatio Sanctorum. Quinam illorum ſe cum Romanâ conjungunt Eccleſiâ, qui minus. De Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, præſertim Jeremiæ, & Cyrilli ſtudio erga Proteſtantes. Quid agendum hic ſit: quomodo diſputandum.*

VAriæ temporum, locorumque Eccleſiæ obſervari poſſunt periodi; & nationum reſpectu, apud quas ea diverſis temporum momentis diverſata fuit, tres quidem celebriores notari gentes debent, *Hebræi, Græci, Europæi.* Apud Hebræos prima fuit Eccleſia; ab his ad Græcos; à Græcis ad Europæos, apud quos nunc, deſertis illis, & neglectis pœne iſtis, fere tota commorari videtur. Hactenus, poſt illa quæ de Infidelibus, tribus primis libris, diximus, occupati fuimus in explicandis Eccleſiæ Europeæ rebus, & variis ſectis: ſequitur, ut quid Eccleſiæ apud Græcos ſuperſit, videamus. In initio prædicationis Apoſtolicæ, communis nationum diviſio, & in ſcriptis Apoſtolicis uſitatiſſima fuit, *Iudæorum*, & *Græcorum*. Hinc Paulinum iſtud: *Iudæo primùm, & Græco: Iudæis & Græcis.* Rom. 1. 16. & 11. 9. 10. 1. Cor. 1. 24. & x. 32. ad-

de

de Act. XIV. 1. & XVIII. 4. & XX. 21. Præter hoc, *Barbari* aliquando adjunguntur. Rom. I. 14. *Græcis & Barbaris*, Col. III. 11. non refert, in Chriſto videlicet, *Græcus & Iudæus, circumciſio & præputium: Barbarus, Schyta: ſervus, liber.* Vbi Iudæus, Græcus, & Barbarus; inter Barbaros, Schyta. Barbarorum generale nomen, quo & Iudæi, & Græci, denique & Romani, alias à ſe nationes denotarunt. Illi quemque extraneum appellant לעז, quod ſuâ non utatur linguâ. Nam modum vel vitium loquendi vox illa ſuâ origine ſignificat. Hinc Apoſtolus dixit 1. Cor. XIV. 11. ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος. Eademque ratione Græci alios à ſe omnes, Romanos quoque; & hi viciſſim illos, cæteroſque, barbaros dixerunt. Hodieque in Græciâ qui aliis correctius loquuntur, reliquos item barbaros vocant. Teſtis Simeon Cabaſilas, in litteris ad Cruſium, a. cIↃ IↃ LXXVIII. ὡς οἱ τὴν Ἑλλάδα οἰκοῦντες, καλῶς τὰ πολλὰ φθεγγόμενοι, βαρβάρους τοὺς πρὸς ἑσπέραν ἀποκεκλήκασι, τούτους βδελυττόμενοι, ὥστε πεπονθέναι τοῖς πάλαι κατὰ διάμετρον. Trium hodie ſunt ordinum Græce loquentes: quidam corruptiſſimo utuntur ſermone, vix priſcis intelligendo, quales ſunt Athenienſes. Alii μιξοβάρβαρον Græcobarbarum ſermonem habent. Denique ſunt qui aliis rectius loquuntur, ſed hi rariores, quales qui Conſtantinopolim, Theſſalonicam, Peloponeſum incolunt. Hunc ſermonem in ſcriptis Cyrilli, nuper Conſtantinopolitani epiſcopi; iſtum, in verſione Novi Teſtamenti à Maximo Calliopolitâ, in Græcum vulgarem factâ, obſervare eſt. Quæque alibi in ſcriptis eorum Eccleſiaſticis Græco-Barbara occurrunt, erudito Gloſſario explicuit Ioh. Meurſius. Inter Barbaros, *Schytas* nominat Apoſtolus: an quod ad eos, vel eorum, quocunque loco conſiſterent, aliquos perveniſſet jam Euangelium? an verbi vel exempli gratiâ illos dixit, inter Barbaros remotiſſimos, ut ita melius doceret, neminem à Chri-

 ſto,

ſto, cujuſcunque ſtatus nationiſque, ſecluſum, qui non per fidem pari in eo jure & beneficiis frueretur? Schytarum alioqúin ad ultimam Septentrionem ſitorum converſionem ad Chriſtum celebrant, quando de latitudine Eccleſiæ, & acceptæ ſalutaris prædicationis, loquuntur Patres, Tertullianus, Chryſoſthomus, Hieronymus. Ille in libro adverſ. Iudæos: *ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Schytharum &c.* Sic & Chriſtum, & Euangelium illis prædicatum, & creditum Chryſoſthomus meminit: *ubique gentium in regione Romanorum, Perſarum, Schytharum, Maurorum, Indorum, & alius orbem noſtrum.* Hieronymus, Tom. 1. epiſt. ad Lætam: *depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt pſalterium, Schythiæ frigora fervent calore fidei.* Et Tom. 11. epiſt. illâ celebri ad Euagrium, ubi de paritate Epiſcoporum agit, & horum à Presbyteris nuperâ diſtinctione: *quid enim facit exceptâ ordinatione Epiſcopus, quod presbyter non faciat? Nec altera Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes, unum Chriſtum adorant: unam obſervant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe.* Miſſis tum Barbaris, tum Iudæis, vel quomodo apud hos, aut ab his ad illos Eccleſia diſceſſerit, Græcos impræſentiarum ſpectabimus, non illos, prout initio prædicationis Euangelii erant Eccleſiæ primæ illuſtriſſimæque, à quibus aliæ fundatæ, & quorum lingua, poſt Hebræam, ſacra, & uſitata Scriptoribus divinis uniformiter fuit, etiam quum ad Romanos, ad Hebræos ſcriberent, quos in ſuis epiſtolis non Hebræâ, vel Romanâ linguâ, ſed unâ Græcâ alloquuti fuerunt; neque dubito quin & propter eandem cauſam Matthæi Euange-

gelium, & N. Teſtamenti ſcripta omnia Græce conſignata ab Auctoribus ſuis fuerint: verùm hodiernos Græcos, & quales apud eos nunc ſint Eccleſiæ, videbimus. Illos nominamus, quia in Oriente, vel Orientalibus Eccleſiis præcipui ſunt, quamvis præter illos, dicemus quoque de Cophthis, Abyſſinis, Armenis: uti de illis qui aut quatuor in Oriente Patriarchatibus ſubſunt, aut ab illis ſeorſim vivunt.

Nam quum quatuor vulgo ex antiquâ diſtributione habeantur Græcarum Eccleſiarum Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Ieroſolymitanus, (adnumeratâ Romanâ, quinque Eccleſias univerſales ſeu catholicas nominat Nilus, *lib.* 1. *Diſſenſ. Eccleſ.*) hi omnes ferè Orientis Eccleſias inter ſe diviſerunt, ſuiſque ſubdiderunt juribus. Conſtantinopolitani latiſſima ſemper fuit diœceſis, ad quam pertinuerunt Eccleſię per Græciam, Myſiam, & Bulgariam, Thraciam, VValachiam, Moldaviam, Ruſſiam, Moſcoviam, inſulas Ægæi maris, & Aſiam minorem. Ad Alexandrinum, Cophthi & Æthiopes. Ad Antiochenum Syri ſpectant. Ad Ieroſolymitanum alii. Sedes Conſtantinopolitani eſt nova Roma, ſeu Conſtantinopolis; Alexandrini, hodie Alcairum; Antiocheni, Damaſcus; Ieroſolymitani, ipſa urbs Ieruſalem. Vndecim Religionis ſectas in Oriente numerant alii, Græcos, Syros & Melchitas, Georgianos, Moſcovitas ſeu Ruſſos, Neſtorianos, Indos ſeu S. Thomæ (vulgò dictos) Chriſtianos, Iacobitas, Cophthos, Armenos, Abaſſinos, Maronitas. Quorum tres præcipui, atque ex quibus reliqui plus vel minus participant, Græci, Neſtoriani, & Iacobitæ.

Ac primo quidem oportet inquirere in cauſas & themata diſſenſionum inter Græcos ac Latinos, & juxta hiſtoriam quando quæque & quâ occaſione enata ſint, quæ magnas contentiones, inde & divulſionem Eccleſiarum fecerunt, primo res *regiminis* & diſciplinæ

Eccleſiarum, tum quoque *fidei*. Prima diſputatio fuit ſuper auctoritate, vel majoritate Epiſcoporum Orientis, vel Occidentis, nempe Conſtantinopolitani cum Romano, hoc modo orta. Erectâ à Conſtantino Imp. Conſtantinopoli, & huc translatâ Imperii ſede, Conſtantinopolis Romam æmulata, hujus paritatem ubique affectavit, & pro urbis conditione, ſimiliter quoque ejus Epiſcopus: ut mox ſimultas & diſcordia nata ſit inter utriuſque Romæ, Veteris & Novæ epiſcopos, Romanum & Conſtantinopolitanum, quorum ille parem, hic ſuperiorem ferre recuſabat: atque hoc initium contentionum inter utraſque Eccleſias, Occidentis & Orientis, Romanam & Græcas fuit, ſuper *primatu*, vel ſuprematu epiſcopi Romani. Atque *æmulari* primùm auctoritatem Romani epiſcopi, Orientales cœperunt, illamque ſuis finibus *coërcere*: quod factum in primo Concilio Nicæno; adeo à primis initiis hæc exorta. Tum paria cum Romano Orientales Conſtantinopolitano ſuo attribuere, in Concilio Conſtantinopolitano: quod confirmarunt iterum in Chalcedonenſi. Inde in aliis Synodis alia orta, & in Conſtantinopolitani quini-ſextâ Trullanâ varia imprimis adverſus Romanos controverſiarum capita, reſque tandem eo pervenit, ut *ſciſſa* in partes Eccleſiâ Orientali & Occidentali, apertum ſchiſma ſeu ſeceſſio facta fuerit: poſt quæ ſæpius quidem laboratum pro reſarciendâ *unione*, ſed fruſtra, uti in ſequentibus oſtendemus.

Quæ quo melius conſtent, ab ovo rem exponere neceſſe erit, initio facto à Concilio Nicæno, annotatis ubique iis, quæ vel *Græcorum* cum Eccleſiâ *Romanâ diſceptationes*, vel ipſorum inter ſe motas *hæreſes errorésque*, quales Neſtorianorum, Eutychianorum &c. quibus permulti ab eo tempore inter ipſos hodieque infecti, concernunt. Synodi habentur duum generum, *generales*, & *particulares*, illæ etiam Oecumenicæ dicuntur, non quod ex toto orbe collectæ, ſed propter orbem

Impe-

Imperii Romani, οἰκουμένη dici ſoliti, & quod ex Oriente Occidenteque Legati iis convenerint, ſive quod de rebus & cauſis generalis fidei decreverint; non autem quod forte à Romano epiſcopo confirmatæ. Iſtæ locales σύνοδοι τοπικαὶ dicuntur, & μερικαί: illæ οἰκουμενικαὶ, vel generales. Vnde in Synodo Bracarenſi I. a. Iↄ lxIII. *Relecti ex Codice coram Concilio tam generalium Synodorum canones, quam localium.* Particulares nonnullæ etiam ante Nicænam generalem habitæ fuerunt, ſed in ordine & volumine Conciliorum vulgo poſt Nicænam ponuntur, dignitatis, non temporis, habitâ ratione, quâ Nicæna præcellit. Tales Carthaginenſis, ſub Cypriano; Antiochena, contra Paulum Samoſatenum; Ancyrana; & Neo-cæſarienſis; quas confirmat Synodus Conſtantinopolitana in Trullo, can. II. & Chalcedonenſis, can. I. jubet obſervari canones à Patribus conſtitutos καθ' ἑκάστην σύνοδον.

Nicænum Concilium habitum fuit, ſeculo quarto: at quo ejus anno, haud ita certum; conſulatu Paulini, & Iuliani, XIII. Kal. Iulii, ut habent Veteres inſcriptiones. Sed quis ille imperii Conſtantini annus, magis autem Chriſti, & annon ſub aliis Conſulibus celebratum, ambigitur: adeo in incerto ſunt, præcipue temporis chronologiam ſi reſpicimus, quæ olim acta leguntur. Bene quidem id cautum à Conſtantino, quod in limine Codicis Theodoſiani ſtatim occurrit, *ſi qua poſt hac edicta, ſive Conſtitutiones, ſine die & Conſule fuerint deprehenſa, autoritate careant*: unde non parum luminis hiſce obſcuritatibus infertur: ſed utinam moris tum etiam fuiſſet, quod multo demum tempore poſt incœpit, ut Chriſti annus actis ſaltem Eccleſiaſticis adſignatus fuiſſet; nam per annos Imperatorum, & Conſules omnia numerabantur; ut ita ſecurius pedem in tempore Actorum deſignando figeremus. Iam & de annis Imperatoris, & de eo ad Chriſtianam chronologiam reducendo valde laboramus. Diſputat de tem-

pore & anno habiti Nicæni Concilii Baronius in Annalibus; & hoc exemplum adfert Iohannes Lydius, vir doctiſſimus, in præfat. ad Prateolum de Conciliis, à ſe auctum, quo probet quam incerta temporum in antiquitatibus Eccleſiaſticis ſit ratio, quia ipſius Nicæni Concilii tempus quidam ad annum Chriſti referunt cccxx, quidam, ut Euſebius in Chronico, ad A. cccxxiv. quidam ad cccxxx. Alii ad cccxxxiii. ad cccxxxviii. alii. Communior tamen, eaque verior videtur ſententia, quæ conſtituit Concilii tempus in annum Chriſti cccxx. anno imperii Conſtantini xx. Indictum concilium fuit in urbe Bithyniæ Nicæâ. Fuerunt enim & aliæ Niceæ, in Galliâ, in Thraciâ. De duabus præcipue illic actum controverſiis; de Paſchate, & de doctrinâ Arii; acceſſit & tertium, quod inter particularia, & eccleſiaſticum erat, concernebatque eccleſiam Alexandrinam, ubi graves turbas Epiſcopo Alexandrino moverat aliquis Meletius, qui & cauſam dedit deciſioni in Synodo factæ, ſuper juribus Archiepiſcoporum: unde hic, tum Romani in Occidente, tum in Oriente Alexandrini, Antiocheni, & Ieroſolymitani epiſcoporum tanguntur epiſcopalia, in præſens nobis conſideranda, quia & hinc primatum ſuum Romanus, Græcis ſemper controverſum, conſtabilire conatus fuit. Athanaſius, lib. *de Synod.* duplicem Synodi hujus cauſam ponit, *Syri etenim, Cilices, Meſopotamiani in cauſa feſti claudicabant, atque una cum Iudæis Paſcha celebrabant: & jam tum Ariana hæreſis, quæ contra Eccleſiam inſurrexerat, ſuos propugnatores habebat, qui ipſum defenderent, & qui piis inſidias facerent, Euſebianos ſcilicet.* Quod de Paſchate celebrando ait, differentiam illam concernit, quâ alii decima quartâ die primi menſis aut æquinoctio verno præciſe Paſcha obſervabant, quod idem tempus & Iudæi tenent: alii verò non decimo quarto die, ſed ſequenti dominico, quo ſic magis à Iudæis viderentur diſtare, feſtum illud agebant. Diſparitas

tas illa ritus diu in Eccleſiâ fuerat, Aſianis decimam quartam tenentibus, Occidentalibus contrà, uſque dum in Concilio Nicæno paritas obſervandi eodem die Paſchatis introducta fuit. De quâ diſputatione omnino idem dico, quod Nicephorus, hiſtor. lib. XII. cap. XXXII. *mihi non rectè feciſſe videntur, qui olim de feſto hoc die tantopere diſſidentes contenderunt.* Egregiuſque hanc in rem apud Socratem locus eſt, Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. XXI. *Hoc loco, mea quidem ſententia, opportunum tempus ſe offert, pauca de Paſchate diſſerendi. Neque veteres certè, neque recentes, hi qui Iudæorum conſuetudinem imitari contendunt, ſatis juſtam cauſam, ſi quid ego judico, habuerunt, cur tantopere de hoc feſto digladiarentur: neque præterea illud cum animis conſiderarunt, quando religio Iudaica erat in Chriſtianam commutata, accuratas illas Moſaicæ legis obſervationes, & rerum futurarum figuras penitùs evanuiſſe. Cujus rei argumentum certiſſimum inde capi poteſt, quòd nulla lex à Chriſto condita, Chriſtianis fecit poteſtatem ritus Iudaicos obſervandi, imò vero contrà Apoſtolus illud planè vetuit, dum non modò circumciſionem abrogabat: verum etiam hortabatur, ut de feſtis nulla fieret diſſenſio.* Deinde: *Qui quarto decimo die menſis Paſcha celebrant, eum morem obſervandi à Ioanne Apoſtolo ipſis traditum dicunt: qui autem Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apoſtolos, conſuetudinem, quam illi tenent, ipſis reliquiſſe affirmant. Verùm nemo iſtorum omnium, teſtimonium de his rebus ſcriptis proditum proferre poteſt. Et quòd ex conſuetudine potius in ſingulis locis, quam ex ullâ aliâ cauſâ cœpta ſit feſti Paſchatis celebratio, hinc facio conjecturam, &c.* Et c. præcedente, canonem refert, in Novatianorum Angarenſi Synodo conſtitutum, quem ἀδιάφορον vocabant, docebantque, diſſenſionem de feſto Paſchatis non ſatis juſtam cauſam eſſe, cur Eccleſiæ pax dirimeretur. Cujus occaſione in diſſertationem illam de Paſchate, & varietate rituum Eccleſiaſticorum digreditur c. XXI. Neque

hanc ob cauſam bene vapulat Baronio Socrates, Annal. Tom. IV. ad a. CCCXCI. tum etiam Binio, Concil. Tom. I. pag. 538. Sed de hoc alias. Atque Arii cauſa tum quoque agitata, damnatâ ejus ſententiâ, qui Filium Dei docebat non eſſe Deum æternum, ſed ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν, κτίσμα γάρ ἐστι, καὶ ποίημα ὁ υἱὸς, οὔτε δὲ ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ πατρί ἐστιν: uti hęc & ſimilia illum, ejuſque ſocios dicere ſolitum, in epiſtolâ ſuâ ſcribit Alexander presbyter Alexandrinus. Aderant in Synodo trecenti atque octodecim epiſcopi; inter quos qui cum Ario faciebant, princeps erat Euſebius Nicomedienſis, vir callidus, & vafer: contra eos potiſſimi Alexander ille, quem dixi, & Athanaſius, Alexandrinæ Eccleſiæ tum temporis adhuc diaconus. Denique Meletium quod attinet, ejuſque cauſam, erat hic Epiſcopus Lycopolis, in Thebaide Ægypti, & quia tempore perſecutionis ſub Diocletiano, idolis ſacrificârat, à Petro Alexandrino epiſcopo de gradu motus fuerat: quod ægre ferens, præter multas in Petrum, ejuſque ſucceſſores Achillam & Alexandrum injurias, & calumnias, ſententiæ quoque ipſius inobediens & cedere nolens, ſchiſma inſtituit, alios Diaconos, epiſcopos & presbyteros, invito Alexandrino (cui ſuberat ipſe in Ægypto Epiſcopus) creans, & ordinans, quorum indiculum, ſeu breviarium à Meletio traditum Alexandro epiſcopo, refert Athanaſius, *Apol.* II. Quæ tandem cauſa ad Concilium Nicænum devoluta, Patres quidem mitius agere cum Meletio, illiſque à ſe ordinatis preſbyteris, ut in epiſtolâ Synodicâ ad Eccleſiam Alexandrinam legere eſt; ſed tamen Synodale decretum occaſione Meletianorum, turbarumquę contra Archiepiſcopum motarum, pro inviolatâ Epiſcopi Alex. in ſuas Eccleſias poteſtate edere ipſos perpulit, can. VI. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *antiqui mores obtineant, ut qui ſunt in Ægypto, Libyâ & Pentapoli, Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem.* ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ

Ῥώ-

Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν, quoniam illa eſt Romano etiam epiſcopo conſuetudo. Similiter autem & in Antiochiâ, & in aliis provinciis privilegia ſerventur Eccleſiis τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Illud autem omnino manifeſtum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani factus ſit epiſcopus, hunc magna Synodus ſtatuit non oportere eſſe epiſcopum.* Hoc contra Meletianos, eoſque à Meletio ordinatos, inſcio Metropolitano Alexandrino, Epiſcopos; uti illa, pro jure metropolico Alexandrini ſarto tectoque in poſterum conſervando. Et ſequens canon VII. de Ieroſolymitano agens: ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία. *Quoniam conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ epiſcopus honoretur, habeat ordinem honoris, Metropoli propriâ dignitate ſervatâ.* Recenſeri vides epiſcopos, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Ieroſolymitanum, eoſque appellari metropolitanos. Quæ ut intelligamus, ſciendum, primis Apoſtolorum temporibus eundem fuiſſe presbyterum & epiſcopum; poſtea autem humanâ & Eccleſiaſticâ conſtitutione diſcrimen introductum, ut epiſcopus ſupra presbyteros conſtitueretur, primùm quidem non niſi ordinis cauſâ, ratione habitâ ætatis, vel prioris aut poſterioris in miniſterio ordinationis: at deinde quoque additâ majori poteſtate & præfecturâ epiſcopis in presbyteros, præcipue ut hi ab illis ordinarentur: de quibus viri doctiſſimi jam abundanter docuerunt, Salmaſius, Blondellus, alii. Sed quæ cauſa epiſcopos ſupra presbyteros evexit, eadem ſupra Epiſcopos unum quoque primum conſtituit; nempe, uti in civitate ſupra presbyteros epiſcopus, ita ſupra plurium civitatum in unâ provinciâ epiſcopos Metropolitanus vel Archiepiſcopus, ratione habitâ civitatum, earumque dignitatis, in formandis epiſcopis, & archiepiſcopis in provinciæ metropoli. Nimium ad normam civilis regiminis conſtituta eccleſiarum regendarum ratio: *qui mos eſt cauſarum civilium, idem in negotiis Ec-*

Eccleſiaſticis obtinendum eſt.[b] Cod. Theodoſ. lib. xvi. Et ſic urbium ſplendor euſque valuit in Eccleſiaſticis quoque diſponendis, ut ſedes epiſcoporum conſtitueretur, vel tolleretur, pro urbium fortunis. Quod maximè manifeſtum in epiſcopatu Conſtantinopolitano, quando ea urbs per Conſtantinum evecta, ſimul ejus epiſcopus, ob urbis dignitatem, plures circum ſe eccleſias ſuæ poteſtati mox ſubjecit, ac depreſſit. Sic & in aliis. Vnde in Concilio Tauritanenſi, paulo poſt obitum Ambroſii celebrato, ſuper contentione inter epiſcopos Arelatenſem, & Viennenſem, uter illorum primatum obtineret, definitum can. 1. *ut qui ex eis comprobaverit ſuam civitatem eſſe metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat.* Vt ſtupendus error vel contumacia ſit Baronii, in canonem Concilii Conſtantinopolitani quintum negantis, juxta rationem civitatum, ordines illos Eccleſiaſticos compoſitos fuiſſe. Vti ſupra variarum civitatum epiſcopos Archiepiſcopus, vel primus epiſcopus, qui ratione urbis, quam incoleret eccleſia major, dicebatur Metropolitanus, ob metropolim provinciæ; ita quando ſub Conſtantino variæ in unam diœceſim reductę fuerunt provincię, ſupra Metropolitanos quoque paulo pòſt conſtituti fuerunt Primates ſuperiores, Exarchi diœceſium, ut Metropolitani exarchi provinciarum, qui peculiari nomine appellabantur Patriarchæ, vel Patriarchæ epiſcopi. Hi necdum noti concilio Niceno; Metropolitani quidem: ſed haud ita multo pòſt fundamenta iſtius quoque ordinis jacta, per mutatam provinciarum in diœceſes formam civilem, atque nomen & res Patriarcharum in Concilio Chalcedonenſi palam audita ſæculo ſequenti. Hi ergo gradus, ſed præter verbum & inſtitutionem Apoſtolorum, per viam ſecularis faſtus, ſupra presbyteros in Eccleſiam poſt ſe invicem ſurrepſere, I. Epiſcoporum. II. Metropolitanorum. III. Patriarcharum: omnia paulatim, ex conſuetudine primùm, verùm quam dein-

ceps canones confirmarunt. In Metropolitanis id maniſeſtiſſimum, de quibus in Conc. Nicæno: origo enim eorumdem petitur non aliunde, quam ex antiquâ conſuetudine, ſive de Alexandrino loquantur, ſive de Romano, ſive de Ieroſolymitano, ubivis eſt ἀρχαῖα ἔθη, συνηθὲς, παράδοσις ἀρχαῖα, neutiquam ex ſacris, vel divinâ; inſtitutione horum derivatur aut jus aut praxis. Alexandrino Epiſcopo defertur poteſtas, vel corroboratur potius, in Eccleſias Ægypti, ubi turbas dederat Meletius, & in Eccleſias Libyæ, ac Pentapolis: idque ex duplici ratione, primùm, quia ita jam antiqui mores obtinuerant. Omnium prima fuit Eccleſia Alexandrina, quæ ſpeciem diſtincti epiſcopatus ſupra presbyteros habuit; uti è contrario Africana omnium ultima. Teſtatur id de Alexandrinâ Eccleſiâ Hieronymus, in epiſt. ad Euagrium, eos *à Marco Euangeliſta, uſque ad Heraclam & Dionyſium presbyteros, ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocaſſe, quem epiſcopum nominabant.* Atque hic uti Epiſcopi, ita primò omnium Patriarchæ nomen auditum. Sed & altera ratio confirmati in diœceſi ſuâ juris illæſi Alexandrino epiſcopo, erat exemplum Epiſcopi Romani, quod apud eum quoque conſuetudo illa eſſet, ut haberet poteſtatem eccleſiarum ſibi ſubjectarum. Ergo id volunt, quemadmodum Romanus in ſuâ, ſic Alexandrinus, ſic Antiochenus in ſuis provinciis ſupremi ut ſint, & quæ jura Metropolitano Romano conſtant, eadem ut in ſuas Eccleſias ſervarent Alexandrinus, & Antiochenus. Vides id hoc canone agi, ut quieta & ſalva maneant Metropolitanis ſua ἀρχαῖα ἔθη, æque Alexandrino, æque Antiocheno, ac Romano. Par ordo iſtorum conſtituitur in ſuos inferiores; nulla vero poteſtas alicui in parem; Metropolitano in Metropolitanum. Fruſtra eſt Baronius, reliquique cum eo Papæ aſſentatores, dum aliter hunc Nicænum canonem legunt, & longè adhuc aliter interpretantur. In exordio præfigunt ea verba: *Quod*

Quod Romana Eccleſia ſemper habuit primatum. Ad quod tum ſequatur: *Tenuit autem & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem* &c. quomodo illa citavit in Conc. Chalcedonenſi Legatus Eccleſiæ Romanæ, epiſcopus Paſchaſinus; vel uti vertit Dionyſius Exiguus: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem antiquus perduret &c.* Atque ad finem canonis conjungunt ſeptimum illum de epiſcopo Æliæ, cum ſexto, ex quo unum faciunt. At parum eſſet, ſi vel illa inſcriptio aut titulus de primatu Romano præfixus eſſet canoni Nicæno, quamvis titulum nolit eſſe Cardinalis, ſed ipſius ſexti canonis verba, argumento ſane futili, & nullo, quod abſque eo exordio ſenſus reddatur planè obſcurus, ac mutilus, quod falſum. Sed nec illud alicujus momenti, ſi vel primatus Eccleſiæ Romanæ adſcriberetur: cum & idem reliquis ſit metropolitanis: primatus enim intelligitur reſpectu ſubjectorum epiſcoporum & Eccleſiarum, non reſpectu Metropolitani unius ad alterum. Et ſi vel omnino primatus intelligeretur in ordine ipſorum Metropolitanorum inter ſe, & quidem Romani ut primi ad ſecundum Alexandrinum, & tertium Antiochenum; non de eo admodum contendunt Græci. Nilus, lib. 1. de cauſis diſſenſ. Eccleſ. *neque verò illud in cauſâ eſt, quod Latini affirmant, nos nobis Primatum arrogare velle, & in ſecundis poſt Romanorum principatum nolle conſiſtere: ſimulque idcirco pacem detrectare. Neque enim unquam cum Romanâ Eccleſiâ de Primatu contendimus; neque de ſecundo loco nunc agitur.* Sed nullo pacto hinc educitur, quod ex primatu Eccleſiæ Romanæ fluat omne jus quod habet Epiſcopus Alexandrinus in ſuâ, uti ex illâ de Primatu Romano ante canonem Nicænum præfatione colligit Baronius. Nilus loco jam citato: *porro Primatus, quem Epiſcopus Romanus obtinet in alios univerſales Epiſcopos, non eſt æqualis ei quem obtinet unius gentis in ſubditos. Illic enim Primatus ordinis tantum eſt, & in verbis*

magis quam in rebus poſitus; cum in plurimis æqualitas ſpectetur. Primatus qui à Nicænâ Synodo in Romano, idem agnoſcitur in Alexandrino, idem in reliquis Eccleſiis majoribus: uti hæc ex canone Nicæno recitavit in Concilio Chalcedonenſi Paſchaſinus: *ſimiliter autem & qui in Antiochiâ conſtitutus eſt, & in cæteris provinciis primatus habeant Eccleſiæ civitatum ampliorum.* Latini Nicænorum canonum interpretes haud aliter legunt, & diſpungunt, ac nos, Dionyſius Exiguus, Iſidorus Mercator, ſimiliter in Iure canonico Gratianus, I. diſt. lxv. c. *Mos antiquus* & Ruffinus in hiſtoriâ lib. I. cap. VI. *ut apud Alexandriam, & in urbe Româ vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Suburbicarias eccleſias intelligit ſub urbe, ejuſque ſollicitudine, & provinciâ metropolitanâ conſtitutas: quâ de re, ſi lubet, conſule Illuſtrem Salmaſium, peculiari tractatu, adverſus Iac. Sirmondum, *Eucharisticon pro Adventoriâ, de Regionibus, & Eccleſiis Suburbicariis*, abſque auctoris nomine. & in libro *de Primatu Papæ, cap.* VII. Non auſim dicere, quod Balſamon ad can. VI. Nicænum, quatuor Patriarchas hic conſtitui, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Ieroſolymitanum: quamvis & in Arabicâ canonum lxxx. Nicænorum compilatione, edita primò per Alfonſum Piſanum, tum per Franciſcum Turrianum, utrumque Ieſuitam, ſæpius Patriarcharum fiat mentio; & can. VIII. qui reſpondet Græco ſexto, *epiſcopus Ægypti, id eſt, Patriarcha*, ſimiliter Epiſcopus Antiochię eodem canone Patriarcha dicatur, & pluribus locis. Neque ſolum ſynonymice epiſcopus Metropolitanus dicitur Patriarcha, ut quoq; ante diſtinctum Metropolitanorum atque Patriarcharum gradum, Patriarchę aliquando dicti; ſed diſtinctio etiam inter Patriarcham, ut epiſcopis & Archiepiſcopis ſuperiorem conſtituitur, ac poteſtas Patriarcharum indicatur, Archiepiſcopos atque epiſcopos ordinandi. Can. XXXIII.
de

de epiſcopo Seleuciæ appellando Catholico, *poſſit is ordinare archiepiſcopos, ſicut faciunt Patriarchæ, & non ſit injuria Patriarchæ Antiocheno, ſiquidem ipſe conſenſit poſtquam hoc ab eo Synodus petivit, ne de ſublatâ poteſtate iſtâ iraſceretur.* Eidemque, quia tenet locum Patriarchæ in Oriente, aſſignatur ſedes in Concilio, poſt epiſcopum Ieroſolymitanum ſexta. Tum can. XXXIV. & can. XLI. ſtatuitur, *ut omnes Archiepiſcopi ſemel per annum apud Patriarcham ſuum conveniant.* Adde can. XLV. de querelis Archiepiſcopi unius contra Patriarcham. & can. XLVI. de querelis unius Archiepiſcopi adverſus alium, non facilè à Patriarchâ accipiendis. Sed quod maximè Arabicorum canonum fidem elevat, (præterquam quod; toties Patriarcharum meminerint, qui titulus in ſcriptis Eccleſiaſticis, & conciliis, & litteris epiſcoporum ignotus adhuc erat, eſt, quod omnino apparet illum horum canonum vel Auctoris illorum ſcopum fuiſſe, ut Patriarchas in Oriente agnoſcat quidem, ſed Romanum epiſcopum omnibus præferat, eique poteſtatem in illos attribuat. Can. XXXIX. Archiepiſcopum inter Epiſcopos conſtituit ut fratrem; ſed Patriarcham loco Patris: *ſicque præeſt Patriarcha iis omnibus, qui ſub poteſtate ejus ſunt, ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes principes Chriſtianos & omnes populos eorum, ut qui ſit vicarius Chriſti Domini noſtri, ſuper cunctos populos & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Quod profectò nunquam dixiſſet Synodus, non accepiſſet Conſtantinus, non toleraſſent reliqui in Oriente Patriarchæ, ut omnes Romano ſubjecti fuiſſent, & quidem ex authoritate quaſi & inſtitutione Chriſti. Imo hoc rectà adverſatur canoni Nicæno ſexto genuino, ubi epiſcopi, Alexandrinus & Antiochenus Romano æquiparantur: & quæcunque ordinis vel primatus iſtius ſunt, non ex

divinâ,

divina, non ex Chriſti inſtitutione arceſſuntur, ſed ex ſolâ conſuetudine, & æmulatione aliorum. Quorſum ergo ſpectet Papiſtarum operoſa de canonibus Synodi Nicenæ maximam partem deperditis diſputatio, & pro horum Arabicorum commendatione, liquet: videlicet ut alios nobis cudant, & ſub auctoritate tam celebris & maximè venerandæ Synodi commendent canones; vel pro tranſſubſtantiatione, ſi placet; vel præcipuè quidem pro uſurpatâ Epiſcopi Romani poteſtate: illoſque accipiamus, ſi non veros, at commentitios: quâ de fraude haud ſemel convicti Romani, egregieque retuſa fuit aliquoties eorum improbitas & audacia, dum ex actis Nicænis ſuam illam poteſtatem confirmare ſatagerent. Quod experti fuere tum in Chalcedonenſi concilio, tum in Carthaginenſi ſexto, ſub Aurelio, Carthaginenſi epiſcopo, a. CCCCXIX. Quando apud Africanos nonnulli in rebus controverſis & contentioſis provocarent ultra mare ad epiſcopum Romanum, Africani non ferendum hoc rati, quæſtionem ſuper eo moverunt, agitataque res in Concilio Carthaginenſi fuit: ubi Fauſtinus Eccleſiæ Rom. Legatus, ad confirmandum hoc jus Epiſcopo Romano, provocavit ad Acta Concilii Nicæni, quibus illud Romano epiſcopo aſſignaretur: ad quod attoniti Patres, conſenſere quidem ſe non refragari, ſiquidem ita in Concilio Nicæno concluſum, lubenteſque ſe ejus auctoritati acquieturos; ſed Alippius epiſcopus Tagaſtenſis, Legatus provinciæ Numidiæ, dixit: *hoc tantum me movet, quoniam cum inſpiceremus græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, iſta ibi, neſcio quâ ratione, minime invenimus.* prudenter & cordate, neque vel Nicæni Concilii, vel Romani epiſcopi auctoritati quid detractum videri voluit: ſolùm verti in quæſtione, an illud quod Romani jactabant, illuſtriſſimæ Synodi Actis comprobaretur. Non ſolùm ex hujus ſententiâ rem decidi cupiebant, ſed permittebant frui Romanum privilegio i-

ſto, quouſque ex genuinis Nicæni Concilii Actis conſtaret, quid hâc de re eſſet. Quare mox petita ex Oriente vera Nicæni Concilii exemplaria fuerunt, ſcriptumque ad Conſtantinopolitanum epiſcopum, apud quem Concilii exemplar authenticum haberi dicebatur; etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum, ut ſua ſi quæ haberent, tranſmitterent Nicænæ Synodi exemplaria, è quibus hæc quæſtio decidi poſſet; etiam ad epiſc. Rom. Bonifacium, Zozimi ſucceſſorem ſcribunt, ut ipſe litteras ad Eccleſias Orientales adderet, eadem petentes exemplaria. Quo pacto eum non ſolùm non agnoſcebant aut ſupremum quęſtionum arbitrum, aut infallibili prę-ditum judicio, vel ſummâ & non controversâ pollere authoritate, ſed quoque tum ſibi, tum Orientalibus epiſcopis ſubjectum ſignificabant, & ab illis, ſuáque Synodo ſententiam exſpectare debere, quod non magis ejus auctoritatem concernebat, quam fidem, quæ utraque ſatis manifeſtè in dubium vocabatur. In litteris ad eum ſuis ſcribunt Carthaginenſes Patres perquam humaniter, vel eorum nomine quicunque à litteris fuit: *nullo modo nos talia, qualia commemorare jam volumus,* intelligunt provocationes tranſmarinas, de quibus diſputabatur, *vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur, ſed credimus adjuvante miſericordiâ Domini Dei noſtri, quod tuâ ſanctitate Romanæ Eccleſia præſidente, non ſumus jam iſtum typhum paſſuri, & ſervabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non diſſerentibus cuſtodiri debeant cum fraternâ charitate, quæ ſecundum ſapientiam & juſtitiam quam tibi donavit Altiſſimus, etiam ipſe perſpicis eſſe ſervanda, ſi forte aliter habent canones Nicæni concilii. Quamvis enim plurimos codices legerimus, ſed nuſquam in Nicæno concilio Latinis in codicibus legimus, quemadmodum in ſupradicto commonitorio mihi directa ſunt, ea tamen quia hic in nullo græco codice potuimus invenire, ex orientalibus Eccleſiis ubi perhibentur eadem decreta poſſe etiam authentica reperiri, magis nobis deſideramus afferri* &c. Non agno-

ſcunt

ſcunt omnia jura & veritatem in ſcrinio pectoris Romani hærere, vel cum Supremum omnium controverſiarum judicem, dum ab ipſo provocant ad alios noſcendę veritatis cauſa, idque in quęſtione quę ipſum, ejuſque authoritatem tam ſignanter petebat: quin eum jubent quoque ad eoſdem Magiſtros abire, qui verius ipſum omneſq; de cauſæ hujus certitudine eſſent inſtructuri. Vtiq; ſi in hoc ſubſtitiſſet Africanorum Patrum generoſitas, & Nicæna exemplaria vel non miſſa ex Oriente fuiſſent ad rem hanc decidendam; vel non alia ab exemplaribus Papę, vel non coacti fuiſſent omnes fraudem Romani epiſcopi detegere & propalare? Sed miſſis à Cyrillo Alexandrino, & Attico Conſtantinopolitano Nicænæ Synodi exemplaribus, impoſtura deprehenſa, & convicti falſitatis Romani fuerunt, neque alii Synodi quam xx. canones vulgò noti prodierunt, quibus non modo nulla ad Romanum epiſcopum provocatio continetur, ejuſque ne gru quidem occurrit, *in quibus tale aliquid non potuimus reperire*, ſcribunt poſtea Cæleſtino Papæ Africani; ſed omnes quæſtiones Nicæni Patres committunt Metropolitanis. Vnde Africani monere jam Romanum, ne Clericos ſuos ultra mitteret, quamvis ab aliquibus forte ultra mare ad negotia quæcunque dirimenda vocatos. Quia ſcilicet Nicæni (ſic loquuntur) *prudentiſſimè juſtiſſimèque viderunt quæcunque negotia in ſuis locis ubi orta ſunt finienda, nec unicuique providentiâ gratiam ſancti ſpiritus defuturam, quâ æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur.* Pergunt, neque enim refugimus illa deſcribere, quæ illi tanto cum zelo & animoſitate Epiſcopo Romano, ejuſque uſurpationi poſtquam *poſt exploratâ Græcorum exemplaria in iis canones à Zoſimo citatos non reperiſſent*: (ſic ipſe loquitur ad hoc Concilium Severinus Binius) repoſuerunt: *Nam ut aliqui tanquam à tuâ ſanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo conſtitutum, quia illud quod pridem per eundem coëpiſco-*

pum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde tranſmiſiſtis, in Conciliis verioribus quæ accipiuntur Nicænis à ſancto Cyrillo coëpiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex Autentico miſsis &c. *tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne famoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis, diem Domini videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Eat nunc, habeatque Roma pudorem. Falſi convicti Papæ Legati, Epiſcopi, pro causâ ſui Papæ, in adducendo canone & auctoritate magnæ Synodi Nicænæ. Quid illis amplius credas, qui palam deprehenſi falſi teſtes, & actorum publicorum, eccleſiaſticorum, in gratiam pudendæ ambitionis ſuæ, ac Romanæ tyrannidis, corruptores? Manifeſtaria res eſt, in oculis Africanæ & Orientalis Eccleſiæ fraus patuit, & expoſita coram orbe fuit vani Epiſcopi intoleranda ambitio. Hic jam habes Orientales cum Africanis unà contra Papæ Romani ſuprematum pugnantes, atque triumphum de ſuperato ejus typho & proſtituto palam reportantes. Ille, quem ſub nomine Nicænæ Synodi citarat Fauſtinus Legatus canon, eſt inter Iulii primi, ex ejus epiſtolâ de Conc. Nicæno canones, quos pro Nicęnis impudenterque falſoque venditant Romani. Quæ cum Romani epiſcopi Leonis Legatis diſputatio ſuper canonibus Nicænis fuerit in Concilio Chalcedonenſi, ſuo loco videbimus. Canone Nicæno VI. de Metropolitanis actum diximus, agnitoſque fuiſſe pro talibus Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, denique & Ieroſolymitanum. Atque ad exemplum Romani epiſcopi ſtabilitum par jus in ſuis provinciis Alexandrino, tum & Antiocheno. Can. VII. de Ieroſolymitano quidem agitur, honorque antiquus, quem jam olim habebat, ei confirmatur; ſed tamen ut propria dignitas non auferatur Metropolitano, qui erat epiſco-

piſcopus Cæſareenſis, cui ſuberat Ieroſolymitanus, & à quo ordinabatur, ut in civilibus metropolis Syriæ Palęſtinæ erat quoque Cæſarea. Verùm honor is datus Ieroſolymitano, ut honorarius eſſet Metropolitanus, atque honoraretur quaſi talis τῇ ἀκολουθίᾳ τῆς τιμῆς, atque inter Antiſtites ſederet, & cum iis ſubſcriberet, ſed nequidquam imminuta propria Metropolitani dignitate reali, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος; quam omnem tamen poſtea gnaviter arripuit, ſibique arrogavit Ieroſolymitanus, ſubjecto ſibi ſuo Metropolitano, & Palæſtinis Eccleſiis. Canon Arabicus, qui canoni VII. Nicæno reſpondet, quamvis in Arabico ſit decimus, ita habet: *quia eſt conſuetudo honorandi Epiſcopum Heliæ nomine Patriarchæ, cum eſt dignus honore, propter ſanctitatem loci, & propter probitatem ejus: præſit illi provincia, & locis ei vicinis, reddatque Archiepiſcopo ejus loci debitum honorem; & vocetur ille exarchus, id eſt, major quam Archiepiſcopus.* ex verſione Turriani: quæ paulo aliter leguntur ex editione Alph. Piſani; ſed in eundem ſenſum. Can. XXXVI. de Patriarchâ Æthiopum loquuntur, *ſub poteſtate ejus ſit, qui tenet ſedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco Patriarchæ, & appelletur Catholicus, non tamen jus habeat conſtituendi Archiepiſcopos, ut habet Patriarcha, ſiquidem non habet talem poteſtatem.* Vidimus in Synodo Nicænâ quo loco fuerint piſcopi, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus. At de Conſtantinopolitano nihil: quod haut mirum, quum nonnullis demum annis poſt habitum Concilium, quidam ſeptem dicunt, alii quinque, alii decem, quidam eodem anno, ſed poſt peractum Concilium, Conſtantinopolis à Conſtantino dedicata ſit, quæ olim Byzantium erat. Inde tum novam urbem efferre ſtuduit Conſtantinus, *& alteram Romam facere, quæ in omnibus ex æquo, ſi liceret, Veteri Romæ reſponderet*, uti loquitur ipſe Baronius, ad Ann. CCCXXX. Hactenus epiſcopus Byzantinus Heracleenſi ſuberat

Metropolitano, ab eoque ordinabatur; nam & Byzantium olim Perinthionum, ſive Heracleenſi juriſdictioni ſubjectum, ex quo à Romanis ſub Severo occupatum, & ferè dirutum fuit. Glycas, *Annal. part.* IV. Diuque poſtea obtinuit, quamvis Heracleënſis Conſtantinopolitano ſubjectus eſſet, ut tamen hic ab illo ordinaretur. Zonaras, Annal. Tom. III. in vitâ Conſtantini, Leonis Filii, Polyeuctus Patriarcha Conſtantinopolitanus παρὰ τοῦ Καισαρείας κεχειροτόνητο, *à Ceſareenſi ordinabatur*; ſed quia Heracleenſis Imperatorem offenderat, ſuo jure privabatur, ὁ γὰρ Ἡρακλείας προσκρούσας κατά τι τῷ βασιλεῖ, ἐκωλύθη τοῦ προνομίου αὐτοῦ. Erat tempore Nicæni Concilii Byzantinus epiſcopus Metrophanes, Probi prędeceſſòris Epiſcopi Frater. Pſellus, *de ſeptem Synodis*, primam in Nicæâ habitam dicit,

Et in Sacerdotii dignitate præcellente Conſtantinopoli
Ter pio & animo & ſermone Metrophane.

Verùm ipſe Metrophanes, ob ætatem, non interfuit Synodo; ſed ejus nomine presbyter ejus Alexander, cum Diacono, Paulo, qui duo deinceps ſucceſſere in ſedem epiſcopalem. Idem ille Alexander eſt, ad quem extat Alexandri, epiſc. Alexandrini de Ario, epiſtola; & quamvis non legatur ejus nomen inter eos, qui Concilio ſubſcripſerunt, ut quoque aliorum ibi deſiderantur nomina, qui egregiam operam Synodo navarunt, inter illos tamen occurrit, cum Diacono Paulo, qui decreta Synodi ad ſuas ſinguli Eccleſias perſcripſerunt, & hic ad Eccleſias Cycladum Inſularum, uti auctor eſt Gelaſius, vel Dalmatius, cujus ille ſcripta ſequutus fuit, & edidit, Cyzicenus, *de Actis Conc. Nicæni.* Quantumvis autem hoc in Concilio non contenderint inter ſe Romana Græcaque Eccleſia, ut quidem in aliis poſtmodum, attamen quia ex hoc, vel hujus canone, quem hactenus ſpectavimus, ſexto multa controverſia deinceps agitata fuit inter utramque Eccleſiam, ſuper primario diſſenſionis mutuæ articulo, de Primatu

Papæ

Papæ, & inter Generales Synodos, quam Legati Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ conſtituerunt, primum obtineat locum, de eo dicendum ante omnia fuit.

Verùm quod in Nicæno attigerunt ſolùm ſub ratione juris Metropolitici, & in parem ordinem redegerunt Metropolitanos omnes, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, id clarius deciſum in ſequenti Concilio *Conſtantinopolitano* I. ubi hujus ſedis archiepiſcopo conceſſus honor primatus poſt Romanum, ob æqualem in hoc & illo dignitatis cauſam, urbis videlicet præcellentiam. Vnde inter utrumque epiſcopum, mox & Eccleſias prima perpetuaque contentionis extitit occaſio, ſuper *Papæ Romani primatu*, quem hic ſemper ſupra omnes, Conſtantinopolitanus ſecundum juxta illum, cupiit. Habitum Conſtantinopolitanum concilium fuit ſub Theodoſio Seniore, à quo & convocatum, confirmatumque pro more fuit: unde ei ſcribunt in epiſtolâ Synodicâ Patres, dum canones mittunt; *rogamus igitur tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur concilii decretum: ut ſicuti litteris, quibus nos convocaſti, Eccleſiam honore proſequutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta ſunt, obſignes.* Conſtantinopolim convenerunt Synodi cauſa Patres centum & quinquaginta, Anno Chriſti CCCLXXXI. duplici potiſſimum de causâ, fidei iterum, & diſciplinæ, quam Macedonius, & Maximus, hic diſciplinam, ille fidem, uterque epiſcopus Conſtantinopolitanus, turbarant. Socrates, hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. VIII. *Imperator nullâ morâ interpoſita, Concilium Epiſcoporum, ipſius fidem amplectentium, convocat, quo tum fides Concilii Nicæni corroboraretur, tum Conſtantinopoli deſignaretur Epiſcopus.* Fides Nicæna ſcilicet, contra hæreſim, quæ Spiritus S. Deitatem negabat, cujus Macedonius auctor erat; deinde quia contra Gregorium Nazianzenum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ deſignatum Epiſcopum, Ægyptii Epiſcopi, Maximum, Philoſophum olim Cynicum, poſtea

ad hæreſim Apollinaris prolapſum tumultuarie intruſerant, thronus (uti loquuntur) Gregorio vindicandus erat; qui ſponte tamen paulo poſt invidiæ ſuorum ceſſit, in ejus locum communibus ſuffragiis conſtituto epiſcopo Nectario. Hoc quo melius intelligatur, ſeries Conſtantinopolitanorum epiſcoporum obiter exhibenda, à Metrophane, ſub quo habitum Concilium Nicænum modo diximus, ad hujus Synodi tempora. Poſt *Metrophanem*, epiſcopus ſucceſſit ejus presbyter, qui Concilio Nicæno interfuerat, *Alexander*, vixitque epiſcopus annis viginti tribus. Poſt Alexandrum, *Paulus*, qui de ſede ejectus per Conſtantium, x. annis præfuit. Hinc *Euſebius*, ex favore & fide ſcilicet Conſtantii Imp. Arianus, annis XII. Tum ejuſdem furfuris vir, atque deinde apertus Spiritus S. ejuſque Deitatis oppugnator, *Macedonius*, ejuſdem Eccleſiæ antea presbyter, annis. XII. unde Macedoniani hæretici dicti pneumatomachi. Tum *Eudoxius*, etiam Arianus, qui primum Germaniceæ, hinc Antiochiæ, tum Conſtantinopoli epiſcopus, annis VIII. ſub Iuliano; rurſumque Ioviano præfuit. *Demophilus* inde, quoque Arianus, annis XI. menſibus V. Succeſſit *Evagrius*, Orthodoxus; ſed in exilium actus à Valente Imp. poſtquam Eccleſiam illam rexiſſet annis quatuor. Denique *Gregorius Nazianzenus*, is, cujus cauſa, nimirum ut vel in ſede confirmaretur, vel eo ejecto, haberetur ejus loco Maximus Cynicus, ab Ægyptiis intruſus, Synodus Conſtantinopolitana habita: ubi de eo haud ſegniter diſceptatum fuit. Ac tandem, quum videret Gregorius, mortuo Meletio epiſcopo Antiocheno, qui acerrimè pro Gregorio, una cum Gregorii fratre Nyſſeno ſteterat, furere contra eum nihilo ſecius Ægyptios, ſolâ invidiâ motos, ſponte ſe abdicavit, habuitque cum in finem celebrem in Synodo ad centum & quinquaginta epiſcopos orationem, quâ dimiſſionem ſuam petiit, & obtinuit: ſubſtitutuſque in ejus locum communi-

munibus omnium ſuffragiis, adeoque concordibus, ut locus, quo hoc contingebat, *concordia* hinc nominata fuerit, *Nectarius*, vir orthodoxus & pius, ſenatorii tum ordinis. Elegantiſſima certe fuit Nazianzeni ad Patres Synodales valedictoria oratio, quâ & precatur eos: *diuturnis laboribus nos levate, ac recreate. Moveat vos hæc canicies, ſit apud vos honori noſtra peregrinatio. Alium ſubrogate, qui pro vobis vexetur, qui puris ſit manibus, qui voce ſit non ineruditâ, qui omnibus in rebus vobis obſequi, curaſque eccleſiaſticas ſimul perferre poſſit: quandoquidem tales præſertim hoc tempus flagitat. At mihi cernitis quomodo corpus etiam hoc ſe habeat, nimirum & tempore, & morbo, & labore confectum. Quid vobis timido & ignavo ſene opus eſt, atque in dies ſingulos, ut ita loquar, non corpore tantum, ſed etiam curis moriente? qui vix hæc quoque ad vos loquor. Ne Magiſtri voci fidem denegetis: neque enim unquam denegaſtis. Laſſus ſum, dum mihi toties manſuetudo crimini vertitur. Laſſus ſum, dum & cum ſermone & cum invidia, & cum hoſtibus, & cum noſtris pugno.* Ad crimina ſibi intentata deveniens, inter alia, ad hoc de non obſervata epiſcopali pompa & φαντασίᾳ, egregiè reſpondet: *quin hæc quoque fortaſſe nobis exprobraverint (jam enim exprobrarunt) quod nec menſa lauta & opipara, nec magnifica veneranda que veſte utimur, nec ſplendide in publicum prodimus, nec ad eos, à quibus convenimur, gravitatem adhibemus. Neſciebam ſcilicet nobis cum Conſulibus, & Præfectis, clariſſimiſque belli ducibus, qui tot opibus copiiſque circumfluunt, ut, quo ſua projiciant, non habeant, certamen eſſe &c.* Et de alio ſibi ſubrogando, hæc monet, omni obſervatione, & deſiſignando deſcribendoque optimo paſtore digniſſima: *quem igitur tibi ſubſtituemus? dicet aliquis. Providebit ſibi Dominus paſtorem ad præfecturam, quemadmodum ovem providit ad holocauſtum. Hoc unum requiro, ut ex eorum numero ſit, qui aliis invidiæ ſunt, non miſerationi; qui non in omnibus rebus cunctis obſequuntur, ſed qui in quibuſdam*

quoque ob recti ſtudium, in hominum offenſionem incurrunt, alterum enim in præſens jucundiſſimum eſt; alterum in poſterum utiliſſimum. Ac vos quidem orationes diſceſſui meo congruentes parate: ego autem his verbis extremum vos ſalutabo: Vale Anaſtaſia, nomen à pietatę habens &c. Templum intelligit in urbe Conſtantinopoli auguſtum, ſic dictum, quia in eo Nicænæ fidei doctrina publicè revixiſſet quaſi, poſtquam per varios Conſtantinopolitanæ eccleſiæ prædeceſſores epiſcopos Macedonium, Eudoxium, Demophilum, Arianos, diutius fuiſſet ſuppreſſa & labefactata. Et contra Maximum quidem factus à Patribus Concilii canon IV. *de Maximo Cynico, & ejus inordinatâ conſtitutione, quæ Conſtantinopoli facta eſt, placuit. Maximum neque epiſcopum fuiſſe, aut eſſe, nec qui ab eo ordinati ſunt in quocunque gradu cleri, omnibus iis, quæ ab illo facta ſunt, infirmatis.* Sic ejectus ſede, quam occuparat, Maximus fuit, & ipſe, aliique per eum conſtituti in clero, ſynodaliter depoſiti: unde etjam in catalogo Epiſcoporum Conſtantinop. non recenſetur. Contraque Ægyptios, qui ipſum, ex odio & livore in bonum Gregorium, intruſerant, editus fuit canon ſecundus, iterum de limitibus diœceſium Epiſcopalium, juxta ſtatuta Synodi Nicænæ: *Qui ſunt ſuper* ὑπὲρ διοίκησιν, vel *ultra*, ut vertit Gentianus Hervetus, *diœceſim Epiſcopi, ad eccleſias extra ſuos terminos ſitas ne accedant, neque confundant eccleſias. Sed ſecundum canones, Alexandriæ quidem Epiſcopus, quæ ſunt in Ægypto tantum adminiſtret. Orientis autem Epiſcopi Orientem ſolum gubernent: ſervatis privilegiis, quæ Antiochenæ Eccleſiæ Nicænis canonibus tributa ſunt. Et Aſianæ diœceſeos epiſcopi, Aſianam diœceſim tantum gubernent. Nec non & Ponticæ diœceſeos ea tantum quæ ad Ponticam diœceſim pertinent, & Thraciæ, quæ ſunt in Thraciâ gubernent. Non vocati autem Epiſcopi ſuper diœceſim, non accedant propter ordinationem, vel alias diſpenſationes faciendas. Servato autem ſupraſcripto de diœceſibus*

canone

canone, manifeſtum eſt, quod ea, quæ ad unamquamque provinciam pertinent, ſynodus provinciæ adminiſtret. Ita condemnati Ægyptii, qui ultra ſuam diœceſim, in Conſtantinopolitanâ Eccleſia epiſcopum conſtituerant, confirmatique canones Nicæni de ſalvis Archiepiſcoporum, ſeu Metropolitanorum, per provincias ſuas juribus: utque, ſi qua difficultas vel quæſtio ſub. oriretur, Synodus provincialis illam componeret, & decideret, cautum. Epiſcopo Alexandrino, Antiocheno, Aſianis, & Ponticæ, & Thraciæ, ſingulis ſuæ aſſignatæ ἐπαρχίαι, & diœceſes, πατριαρχίας explicat Socrates. Et epiſcopos Patriarchas appellabat jam tum in oratione ſuâ Gregorius Nazianzenus: *quid non paſſi ſumus*, inquit, ὡς πρεσβυτέρων, ἐπισκόπων, οἰκειότερον δὲ πατριαρχῶν εἰπεῖν, σφαγὰς δημοσίας; *annon publicas preſbyterorum, Epiſcoporum, aut ut proprius loquar, Patriarcharum cædes?* Atque hiſtoriæ Metrophanem appellant *Patriarcham* novæ Romæ. Et Zonaras, in Annal Tom. III. ita indigitat Metropolitanos. Verùm diſcrimen & diſtinctionem horum aperte exponit Imp. Iuſtinianus, Novell. VI. *ſanctiſſimi Patriarchæ uniuſcujuſque diæceſis, & Deo amabiles Metropolitæ, & reliqui reverendiſſimi epiſcopi atque Clerici.* Deinceps: *ſanctiſſimi ſiquidem Patriarchæ uniuſcujuſque diæceſis hæc proponant in eccleſiis ſub ſe conſtitutis; & manifeſta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quæ à nobis conſtituta ſunt. Illi quoque rurſus etiam ipſi proponant ea in Metropolitanâ ſanctiſſimâ eccleſiâ; & conſtitutis ſub ſe epiſcopi hæc manifeſta faciant. Illorum verò ſinguli in propriâ eccleſiâ hæc proponant.* Similiter in Novella VII. & XLII. atque alibi. Supra presbyteros erant Epiſcopi; ſupra Epiſcopos Metropolitani; ſupra Metropolitanos, Patriarchæ, qui & Archiepiſcopi Patriarchæ dicuntur, & œcumenici, Novell. XL. & XLI. & LXXIX, *Mennæ* ἀρχιεπισκόπῳ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ; atq; ita ſæpius. Haud ſatis fuit Patribus Conſtantinopolitanis Maximum epiſcopum exauctoraſſe, & jura Epiſco-

ſcoporum in ſuis provinciis, juxta canones Nicænos, iterum conſtituiſſe, adverſus alienæ diœceſis invaſores ὑπερορίους; ſed & pro honore ſedis Conſtantinopolitanæ fecerunt canonem III, Τὸν μέν τοι Κωνςαντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ, εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Quæ conſtitutio vehementer oculos ſemper confixit epiſcopi Romani, quod videret hic, autoritate Synodali, Conſtantinopolitanum nuper demùm emerſum ſibi æquiparari. *Conſtantinopolitanæ civitatis epiſcopus habeat privilegia honoris poſt Romanum epiſcopum, eo quod ſit ipſa nova Roma.* Benè attendenda ratio eſt, ob quam Patres hanc dignitatem Conſtantinopolitano attribuunt, videlicet ſplendor urbis; ut quia nova Roma Veteri par habebatur, ejus quoque epiſcopus Romano non cederet, æmulam enim hanc Romæ conſtituerunt Imperatores, inque omnibus parem, *Eo quod ſit ipſa nova Roma.* Indicant ſimul quod fundamentum ſit honoris, ejuſque primi in Epiſcopo Romano, prima nempe urbs: & hæc quia jam ſecunda, alterum ab eo locum obtinere debebat. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. VI. *Eccleſia urbis ConStantinopolitana, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur.* C. de privil. urbis Conſtantinop. *Urbs Conſtantinopolitana non ſolum juris Italici, ſed etiam ipſius Romæ veteris prærogativa lætatur.* Mennæ epiſcopo Conſtantinop. ſcribit Imp. Iuſtinianus in Novella lxi i. τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Dicitur paſſim Conſtantinopolis, nova Roma, & πασῶν τῶν πόλεων βασιλίς. Et Novell. cxxx i. Θεσπίζομεν κατὰ τοὺς τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων ὅρους, τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάπαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, τὸν δὲ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνςαντινουπόλεως τῆς νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἐπέχειν, μετὰ τὸν ἁγιώτατον ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, τῶν δὲ ἄλλων προτιμᾶσθαι. Romanus Papa primus eſt omnium ſacerdotum, ex Veteribus canonum Eccle-

cle-

cleſiaſticorum conſtitutionibus, quia eſt epiſcopus ſenioris Romæ: Conſtantinopolitanus, ſecundum poſt eum jubetur tenere locum, cæteriſque omnibus præponitur, quia & ipſe novæ Romæ epiſcopus eſt. Cedunt ei jam locum Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus, & reliqui: primuſque in hoc Concilio ſubſcripſit ideo Nectarius Conſtantinopolitanus; tum Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Meletius Antiochenus. In Concilio Nicæno, poſt Hoſium, ex Orientalibus ſubſcripſit primus, Provinciæ Ægypti Metropolitanus Alexandrinæ Eccleſiæ Alexander. Canonem Conſtantinopolitanum ita vertit Dionyſius Exiguus: *Veruntamen Conſtantinopolitanus epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum epiſcopum.* Significanter dixit, *honoris primatum*, πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, cumque Conſtantinopolitano deberi poſt Romanum: primatum ergo habet & Conſtantinopolitanus, habent & omnes, quibus Canones attribuunt πρεσβεῖα τῆς τιμῆς id eſt, & Alexandrinus, & Antiochenus, & omnes denique Archiepiſcopi. Diciturque primatus, non in ordine ad Coëpiſcopos, ſic enim non poſſet primatus poſt Romanum attribui Conſtantinopolitano: verùm in ordine ad ſubjectos ſibi in ſuâ provinciâ epiſcopos: & primus locus Romani epiſcopi in ordine ad Conſtantinopolitanum, qui ei ſecundus eſt, ordinem notat, non verò poteſtatem, quæ ambobus par eſt, ob parilem urbis, vel Veteris, vel Novæ rationem, & dignitatem. Scribit Theodorus Balſamon in hunc canonem, eſſe, qui præpoſitionem μετὰ *poſt* non intelligant de ſubmiſſione honoris, ſed de ratione temporis, quod primatus Conſtantinopolitano contigerit poſterius Romano. Vnde apparet, quam acriter ſuis adverſus Romanum honoribus intendant Conſtantinopolitani, & cum eo Græci alii, quamque diligenter ſuper hujus canonis ſententiâ, & primatu duarum iſtarum ſedium, inter Græcos Latinoſque controvertatur. Hinc prima

&

& perpetua inter utroſq; viguit diſputatio, Conſtantinopolitanó hoc canone ſuo epiſcopo parem attribuente dignitatem cum Romano, atque in eandem quaſi ſtateram appendente utramq; Romam. Atq; hic Conſtantinop. non tantum πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, poſt Romanum; ſed & in Chalcedonenſi Concilio ἴσα πρεσβεῖα accepit: quum tam ægre parem Romanus ferret, ac alter ſuperiorem. Multum quidem clamitant Romani adverſus hunc Concilii canonem; ſurreptitium dicentes, falſum, à Romanâ eccleſiâ nunquam receptum, ſed damnatum, & quid non? verùm quantumcunque tumultuentur, à Conſtantinop. Patribus in Concilio Generali factus canon eſt. Hoc Socrates, hoc Sozomenus teſtantur, qui canonem recitant; neque Baronius inficias it: & in Concilio Chalcedonenſi clamaverunt Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Clerici: *ea, quæ ſanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant privilegia Conſtantinopolis, ne depereant.* Novella Iuſtiniani cxxxi. in honore iſto ſedis Conſtantinopolitanæ agnoſcendo ait ſe ſequi canonum eccleſiaſticorum definitiones. Sed dicunt, canon iſte poſt Nectarii electionem ſancitus, ab iis, qui remanſerant Conſtantinopoli Epiſcopi Orientales; verba ſunt Baronii, Annal. Tom. iv. ad A. ccclxxxi. num. xxxvi. ſed unde id conſtat? quæ hujus' aſſertionis, vel conjecturæ ratio? quidve ad rem facit, ſive poſt Nectarii electionem canon conditus ſit, ſive antea? quum poſtea demum Concilio, & hiſce ejus canonibus, cum reliquis ſubſcripſerit primus Nectarius. Et electio Nectarii præſente ac conſentiente totâ Synodo facta, uti ſcribunt ad Damaſum Papam Patres Conſtantinop. *Reverendiſſimum, Deoque dilectiſſimum Nectarium in Concilio Generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio Imperatore religioſiſſimo, totius denique cleri, totiusque civitatis ſuffragiis Epiſcopum conſtituimus.* Et in Catalogo Epiſcoporum Byzantii, apud Marquardum Freherum, Iuris Græco-Roman.

Tom.

Tom. 1. lib. IV, dicitur Nectarius, qui ante electionem erat *ἀξιωματικός Magriſtratum gerens*, à Patribus el. ſimul & baptizatus, & ordinatus. Photius ait, illum nuper baptizatum, quando ad epiſcopatum promoveretur. Poſt iſtam electionem demum factus ſit hic canon, quid tum porro? at diſceſſerant jam plerique ex Synodo. Hoc autem proba: neque enim credemus, antequam valere juſsâ ratione, cogamur ſimpliciter admittere placita Romanorum, non verò ea examinare. Imo & ob hanc cauſam maximè manere debuerunt omnes, quia propter illa, quæ ſtatum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ concernebant, vocati cum primis erant. Itane abiiſſent, re non confectâ? hoc tuliſſet ſcilicet Imperator, hoc ipſe recens creatus Nectarius. Abierint etiam ante abſolutam Synodum, vel ſaltem ante firmatum hunc canonem, non tamen diſſenſerunt, nec unquam Græci hanc ob rem, vel canonem, diſſenſum ſuum aut indignationem teſtati unquam fuerunt, quin contrà eum ſemper utroque (quod ajunt) pollice comprobarunt. Ipſeque Papa Damaſus, acceptis Synodi canonibus, eos probavit. Teſtis Photius, in lib. *de ſeptem Synodis*. Neque Papiſtæ aliter agnoſcunt hanc Synodum œcumenicam, ſeu generalem, niſi ex Papæ approbatione. Nobis verò tanti non eſt, Papæ confirmatio acceſſerit, vel non: parumque referre putamus, an dicatur hæc Synodus generalis; quum, quod alioqui Generales Synodos facit, hic defuerit, nempe ex Occidentali Eccleſiâ legati: neque niſi cum vulgo, & ob celebritatem Synodi, vel quod Occidentalis quoque Eccleſia conſenſum ſuum in hanc Synodum poſtea declaravit, præcipue ob generalem fidei adverſus hæreſim definitionem, inter Generales dictas collocamus. Sed Damaſus, & Romana Eccleſia non recepit Synodum, niſi in rebus fidei contra Macedonium, alioſque hæreticos; haud in iis, quæ de regimine Eccleſiarum conſtituta ſunt. Ergo nec etiam in con-

confirmatis ab hâc Synodo canonibus Nicænis, *de terminis diœceſium*? Vel ſi hoc, quare non etiam ubi de juribus & ratione ſedis Conſtantinopolitanæ agitur? Novimus quidem ſequentibus temporibus Romanos obloquutos fruſtra fuiſſe huic Conſtantinop. canoni; ſed de Damaſo id non probabunt, ullam ab eo hic factam exceptionem. Convocarat quidem Orientales in Synodum Romæ habendam; ſed multis de cauſis, & propter itineris longinquitatem ac difficultatem, atque ob metum hæreticorum Eccleſiis orientalibus inſidiantium, ſe excuſabant in epiſtolâ Synodicâ ad Damaſum Conſtantinopolitani Patres. Nihil autem turpius ementito à Papiſtis Concilio Romano IV. ſub Damaſo habito, ejuſque canone, quo ſe eccleſia Romana ſupra cæteras omnes effert, atque Conſtantinopolitanum inter Orientis Epiſcopos ne nominat quidem. *Damaſus ſubodoratus, affectatam ab Orientalibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ patriarchalem ſedem ac dignitatem, etſi nihil hâc de re in ſuâ ad Concilium Synodicâ meminerit, canonem in Collectione Creſconianâ, & Vaticano aliiſve codicibus, poſt anathematiſmos ſupra deſcriptos extantem, edidiſſe videtur*, inquit Severinus Binius, in Notis ad hoc Concilium. Iſtud *videtur* ſane eſt falſiſſimum; neque certe ſi verum putarent Romani, adeo dubitanter de eo loquerentur. Damaſus ſic diſpoſuiſſet de epiſcopatibus Orientalium? & directe adeo contra Concilium Conſtantinopolitanum? quod tamen approbavit? cur nihil iſtius meminit in Synodicâ ad Concilium epiſtolâ? Sed benè eſt, quod ſubodoratus Damaſus fuit affectatam ab Orientalibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarchalem dignitatem, id eſt, ſententiam canonis Conſtantinopolitani: ergo non falſus, non ſubreptitius canon, cujus guſtum mox acceperit Papa Damaſus. Accipe commentitium illum Damaſi canonem: *poſt has omnes Propheticas, & Evangelicas, & Apoſtolicas, quas ſuperius depromſimus, Scripturas, quibus Eccleſia Catholica per gratiam*

tiam Dei fundata eſt; etiam intimandum putavimus, quod quamvis per orbem Catholica diffuſa Eccleſia quaſi unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Eccleſia nonnullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt: ſed & Evangelicâ voce Domini ſalvatoris noſtri Primatum obtinuit: Tu es Petrus &c. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliud hujuſmodi. Secunda autem ſedes apud Alexandriam &c. Tertia autem ſedes eſt apud Antiochiam &c. Mendaciſſima definitio, quæ dicit nonnullis Synodicis conſtitutionibus Romanæ Eccleſiæ primatum ſupra reliquas eccleſias decretum fuiſſe. Ne ulla quidem Synodus, nedum nonnullæ, quæ hunc primatum memorent, produci poſſunt. Num Nicæna? atqui iſta Romano Alexandrinum atque Antiochenum, in ſuâ diœceſi quemque pares fecit, neque ultrà diœceſes vel provincias ſuas exire, non ὑπερορίοις ἐκκλησίαις ἐπιέναι, ut explicant Conſtantinopolitani Patres ad mentem Nicænorum, permittit. An aliæ particulares & τοπικαὶ Synodi? in ne unâ quidem ſive Orientalium, ſive Occidentalium, de hoc Rom. Eccleſiæ primatu vel leviſſima ſit mentio. Quam ergo impudens eſt figmentum hujus conſtitutionis, quaſi à Damaſo formatæ, ubi Romana Eccleſia primatum dicitur habere *nonnullis Synodicis conſtitutionibus*, quem tum adhuc nec habebat, neque ei Synodi ullæ attribuerant? *Poſtea Canon ille Conſtantinopolitanus uſu quodam, & tacito Romanæ ſedis conſenſu confirmatus, & ab Innocentio* III. *renovatus fuit in Lateranenſi Concilio*, inquit Binius. Denique & ſymbolum fidei in hoc Concilio, idem cum Nicæno, niſi quod id quod in Nicæno breviter & ſimpliciter dictum fuerat: *Et in ſpiritum ſanctum*, magis pro præſenti neceſſitate, adverſus hæreſim Macedonii, explicarint: *credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum*, τὸ ἐκ τοῦ

πατρὸς ἐκπορευόμενον, qui locutus eſt per Prophetas. Additum & hoc: *Et unam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam confitemur, unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Amen.* Illud de Spiritus Sancti proceſſione, poſtea gravem inter Latinos ac Græcos contentionem movit, poſtquam Latini ſymbolo huic, inconſultis Græcis, addidiſſent, Spiritum S. procedere à *Filioque*, quomodo apud Latinos ſymbolum legitur, auctoritate Leonis Pontificis, ab Epiſcopis Hiſpanis, contra Priſcillianiſtas primum, uti dicitur, ſymbolo adjectum. De quo in ſequentibus plura. Iohannes Zonaras, *Annal. Tom.* III. ubi de Concilio Nicæno loquutus fuiſſet, *ἡ δὲ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος θεολογία, Theologia verò de Spiritu Sancto poſt in ſecundo concilio contra Macedonium congregato, eâ quæſtione agitata, adjecta eſt.* inquit. *Θεολογίαν* Patres appellant, doctrinam de Deo, vel S. Trinitate in ſe conſiderata; at in opere redemtionis, & doctrinam de Chriſto, ejuſque incarnatione, *οἰκονομίαν*. Ita Chryſoſthomus dixit de tribus Euangeliſtis, quod inſtar fulguris ſonuerint *τὴν οἰκονομίαν*; Iohannes verò tonuerit *τὴν θεολογίαν*. Et Euſebius, hiſtoriam ſuam exordiens, ſe de Chriſti Servatoris ſublimiſſimâ œconomiâ, & Theologiâ, *οἰκονομίας τε καὶ θεολογίας* initium ſermonis facre, ait.

A. CCCCXXXI. juſſu Theodoſii, & Valentiniani Impp. habitum Concilium *Epheſinum* generale, adverſus *Neſtorium*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ epiſcopum, ex presbytero Antiocheno factum, anno CCCCXXVIII. qui quia in concione ad populum aliquando dixerat: ſe eum qui ſpatiis menſtruis adoleviſſet, Deum non appellare; neque Mariam *θεοτόκον*, commoti adverſus eum alii, præcipuè Alexandrinus epiſcopus Cyrillus, & cum hoc Memnon Epheſinus, effecerunt ut in Synodo Romanâ, per Cœleſtinum epiſcopum; tum in Alexandrinâ, per Cyrillum; denique & in generali Epheſinâ

Neſto-

Neſtorius hęreſeos notatus, & depoſitus, atq; in exilium actus fuerit, ſuffecto in ejus locum Maximiano: Contendebant ejus tempore, an Maria dicenda eſſet ἀνθρωποτόκος, an θεοτόκος? Neſtorius hanc litem ut vel evitaret, vel dirimeret, dicendam ajebat χριστοτόκον. Deum autem ex ipſa natum, dicere reformidabat. Non negabat Chriſtum Deum; non duas in eo naturas; non harum in Chriſto unionem: faciliuſq; ex Synodi Actis deprehendes quę bene, quam quæ male dixerit, aut quę non benè explicari forte potuerint. Tom. I I. Act. c. V I I I. ex ſcriptis Neſtorii adducuntur aliqua, ob quæ notatus heterodoxiæ fuerit, interque ea occurrit primum, ex ejus Dogmatico, quaternione ſeptimo decimo (nam non per folia Veterum libri notabantur, ut hodie; ſed per quaterniones, qui ſignabantur, non illorum paginæ. Vnde in Actis Concilii Conſtantinopolitani V I. Act. I I I. Codicem, prę ferentem Sermonem Mennę epiſcopi Conſtant. ad Vigilium P. quintâ Synodo Conſtantinop. exhibitum, à Monothelitis falſatum fuiſſe deprehenderunt: nam cum *aperientes ac diſcernentes, invenèrunt tres quaterniones in principio libri additos, non habentes ſubnotationem numeri, qui ſecundùm conſuetudinem affigitur in quaternionibus, ſed in quarto quarternione habente primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum, & tertium, atque quartum ſubſequenter.*) Sic e. Neſtorius: *Cum divina Scriptura de Chriſti ortu, ex Mariâ Virgine, aut de ejuſdem morte aliquid dictura eſt, nuſquam Dei, ſed ſemper Chriſti, aut filii, aut Domini nomen uſurpare deprehenditur. Quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur. Et modò quidem hanc, modò verò illam, nonnunquam autem utramque ſimul inſinuat; exempli cauſa: Cùm ſacra ſcriptura Chriſti ex ſacrâ Virgine generationem nobis enarrat, non dicit: Miſit Deus Verbum ſuum Deum, ſed ait: Miſit Deus filium ſuum: Illud enim nomen accipit, quod utriuſque naturæ ſymbolum eſt. Quia enim Filius ſimul Deus, & homo eſt, ideo dicit: Miſit Deus*

filium ſuum factum ex muliere: hoc autem cùm audis, mox in nomen, quod utramque naturam denotat, & præmittitur, mentis oculos conjicis; natumque ex Mariâ Virgine, Filii quidem nomine appellas: (ſiquidem Chriſtipara Virgo Filium Dei genuit) attamen quia Filius Dei duplici natura exiſtit, non Dei Filium, ſed humanam tantum naturam peperiſſe cogites, quæ propter Filium adjunctum, filii quoque appellatione afficitur. Quod initio ait, Scripturam nuſpiam, ubi de Chriſti morte verba facit, Dei nomen uſurpare, in eo falſus fuit, quia Act. xx. 28. dicitur Deus Eccleſiam ſuo ſanguine acquiſiviſſe. & 1. Cor. 11. 8. Dominus gloriæ crucifixus. At in cæteris agnoſcere eum videmus, duas in Chriſto Ieſu naturas, & quod ſimul Deus & homo ſit, quemadmodum quoque in ſequentibus, utramque in Chriſto naturam, dualitatem naturarum, paſſim dicit. Id videtur totum declinare voluiſſe, ne diceretur Filius Dei, vel Deus à Matre genitus. Vnde ſtatim in ſequenti excerpto: *Deum ex Chriſtiparâ Virgine proceſſiſſe, id per divinam Scripturam edoctus ſum: quòd autem Deus ex ipſâ natus ſit, id nuſquam ſcriptum comperi.* Iterum: *Sacra proinde Scriptura Deum ex Chriſtiparâ Virgine genitum eſſe nuſquam affirmat, ſed Ieſum Chriſtum, ſed Filium, ſed Dominum.* Quem in finem adducens, quod Angelus dixit Ioſepho: *ſurge & accipe puerum & matrem ejus;* notat dictum, non: *ſurge & accipe Deum, & matrem ejus; ſed ſurge & accipe puerum & matrem ejus,* Ex eodem ejus libro, vel quaternione: *Sed neque impedio, ſi quis Verbum in carne extitiſſe, vel cum carne conjunctum fuiſſe, dicere voluerit. Aliud enim eſt naſci, aliud cum nato conjungi. Dicit itaque, quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, hoc eſt, Spiritus ſanctus, quod in eâ eſt, condidit. Quia ergo Patres divinarum Scripturarum peritiſſimi animadvertebant, ſi Deum Verbum, quod incarnatum dicunt, γεννηθέντα, hoc eſt, genitum dicerent; neceſſariò conſecuturum, Deum Verbum filium eſſe Spiritus ſancti, & per con-*

ſequens

ſequens, duos habere Patres: Si verò γεννηθέντα, hoc eſt, factum aſſererent, hinc rurſum inferri poſſe; Deum Verbum Spiritus ſancti creaturam eſſe: quare generationis voce rejecta, poſuerunt: Qui deſcendit propter nos, & propter noſtram ſalutem, & incarnatus eſt. At quid eſt, inquit, hoc: Et incarnatus eſt? Quidvis potiùs, quam ex divinitate in carnem verſus eſt. In carne Verbum, &. cum carne unitum, atque incarnatum, ait; non in carne factum, vel generatum, vel per carnem natum. Pergit; *Sanè Deus Verbum ante incarnationem & Filius erat, & Deus erat, & Patri conjunctus erat. At verò in noviſſimis temporibus ſervilem quoque formam aſſumpſit. Cæterùm cùm ante Filius eſſet, & Filius appellaretur; poſt carnem tamen aſſumptam ſeorſim per ſe Filii nomine appellari non debet, ne duos Filios videamur inducere. Sic quoque poſteaquàm homo illi ſemel unitus eſt, qui ab initio Filius eſt, & nunc homini indiſſociabili vinculo conjunctus eſt, quod quidem ad filiationis dignitatem attinet, diviſionem nequaquam recipit; ſecundum dignitatem dico filiationis, non ſecundum naturas. Unde quòd Deus Verbum perpetuam cum Chriſto unionem retineat, & Chriſtus quoque appellatur.* Si voluerit non ponendos in Chriſto duos Filios, quamvis duas naturas, benè hoc. Dein: *Inconfuſam igitur naturarum conjunctionem retineamus; Deum in homine confiteamur: Hominem divino quodam nexu præpotenti Deo conjunctum, una cum Deo adoremus.* Si tantum intenderit Neſtorius, deitatem Chriſti, vel divinam ejus naturam, aut ipſum Deum non poſſe dici in, vel ex Mariâ genitum, aut factum, eamque non illâ ratione θεοτόκον, ut generatio vel partus ad θεὸν, aut divinam naturam terminarit, quaſi hæc generata fuerit, bene explicari ejus dicta potuerunt: qualia hæc ejus, *Non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod in utero formatum eſt: Non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod Spiritus ſancti opera effectum eſt: Non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod in monumento conditum eſt: Alias enim*

 an-

anthropolatræ & necrolatræ, hoc eſt, hominum mortuorumque cultores eſſemus. At verò quia Deus in homine aſſumpto exiſtit, aſſumptus aſſumenti conjunctus, propter aſſumentem Deus appellatur. Sic eſt, Deus non fuit formaliter in utero factus vel genitus; ſed humanam naturam in utero factam aſſumſit. Niſi humanam non naturam, ſed *perſonam* intelligat aſſumtam: unde hominem hic paſſim dixerit! Deumque verbum ei duntaxat peculiari modo adhæſiſſe, vel *inhabitaſſe*, uti loquitur; & non perſonaliter unitum cum humanâ naturâ fuiſſe, quæ valde obſcure ejus verbis innuuntur, ſi innuuntur: nam res facti eſt, non an bene repudiata damnataque hæreſis ſit, quæ illa in Chriſto negat, docetque quod in Neſtorio rejecerunt Patres; ſed, an revera ita Neſtorius docuerit. Miror, non clariora ex ejus Scriptis producta adverſus ipſum documenta fuiſſe ? ut ad illa ſtatim abſque ulteriori diſcuſſione clamatum anathema fuerit, pronunciataque in hanc formam ſententia, die XXII Iunii, quum pridie Synodum demum inchoaſſent: *Igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per ſacram hanc Synodum eundem Neſtorium, omni prorſus Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo nihilominus Sacerdotum conſortio & cœtu alienum eſſe decernit.* Quod ducenti & ultra epiſcopi approbarunt: & poſtridie ipſi Neſtorio hoc modo ſignificatum: *Sacra Synodus juxta Religioſiſſimorum Chriſtianiſſimorumque Imperatorum noſtrorum præſcriptum, in Epheſiorum Metropoli per gratiam Dei coacta, Neſtorio novo Iudæ. Agnoſce te, propter impias conciones tuas obſtinatamque adverſum ſacros Canones contumaciam, contumacemque obſtinationem vigeſimo ſecundo menſis Iunii jam decurrentis, juxta Eccleſiaſticarum ſanctionum decreta, à ſacra Synodo exauctoratum, atque adeo ab omni Eccleſiaſticæ dignitatis gradu amotum eſſe.* Ex Cyrilli Alexandrini (cujus in hac Synodo permagna fuit authoritas, & favor, quemque religioſe admodum reli-

qui ſequebantur) Anathematiſmis XII, contra Neſtorium, quibus præcipue Patrum ſententia innixa fuit & fundata; oppoſita quæ Neſtorio adſcripta fuit dilucidius apparet. Ex primo: *Si quis non confitetur, Emmanuëlem verum Deum eſſe; adeoque ſanctam Virginem, quæ incarnatum Dei Patris Verbum ſecundùm carnem genuit, Deiparam eſſe, anathema ſit.* Tertio: *Si quis poſt naturarum unionem, ſubſiſtentias in uno Chriſto dividit (unicuique nimirum ſuam propriam aſſignans) naturaſque eâ tantùm copula connectit, quæ eſt ſecundum dignitatem, vel auctoritatem, non ea autem coitione, quæ ſit ſecundùm phyſicam unitionem, anathema ſit.* Quinto: *Si quis dicere audet, Chriſtum hominem tantùm Deiferum, non verum quoque Deum, unicumque ac naturalem Dei Filium eſſe; quatenus nimirum Dei Verbum caro factum, perinde ac unus ex nobis carni & ſanguini communicavit, anathema ſit.* Ex quibus colligas, Neſtorium duas in Chriſto perſonas, Chriſtum hominem Deiferum, eâque ratione Mariam non eſſe Θεοτόκον, exiſtimaſſe. Cyrillianis, alios XII Anathematiſmos oppoſuit Neſtorius, quibus non ſuam exponit aut vindicat ſententiam, ſed eam, quam Cyrilli & adverſariorum eſſe putabat, oppugnat, de Filii Dei in Mariâ generatione, aut mutatione, & naturæ utriuſque in eo confuſione, hinc & divinæ aut deitatis in ipſo paſſione &c. Anathem. III. *Si quis non ſecundum conjunctionem unum dixerit Chriſtum, qui eſt etiam Emmanuel ſecundum naturam, ex utrâque etiam ſubſtantiâ, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis ſuſcepti, in unâ Filii connexione, quam etiam nunc inconfuſè ſervamus, minimè confitetur, anathema ſit.* Anathem. VI. *Si quis hominem, qui in Virgine creatus eſt, hunc eſſe Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus eſt, & non magis propter unitionem eum, qui eſt naturaliter Unigenitus, Patris ingeniti appellatione confitetur eum participem factum; Jeſum quoque alterum quempiam præter Emmanuelem dicat, anathema ſit.* Et VII. *Si quis ſervi formam*

pro ſeipſo, hoc eſt, ſecundum propriæ naturæ rationem, cœlendam eſſe dixerit, & non omnium Dominam, & non potius per ſocietatem, quam beata, & ex ſe naturali Domini Unigeniti naturæ conjuncta eſt, veneratur, anathema ſit. Iſtud imprimis ſpectaſſe Neſtorium apparet, ut contendo duas in Chriſto unitas naturas, divinam ab omni mutatione, & confuſione immunem ſervaret, & diſtincta utriuſque idiomata, ſi non perſonaliter etiam diviſa, eâque ratione non genitum Filium aut Deum à Mariâ, quare neque hanc Θεοτόκον. Unde in litteris ad Cyrillum, ante habitam Synodum, ita illum affatur, ſuper ſententiâ Patrum Nicænorum: *Penitius, ſi ita videtur, illorum dicta introſpice, & plano mox ſenſu comperies, Divinum illum Patrum chorum nuſquam docuiſſe, homouſiam Divinitatem patibilem eſſe; aut, quæ Patri coæva eſt, recens natam eſſe; aut, quæ templum ſolutum exſuſcitavit, exuſcitatam eſſe.* Qualia vel ſentire Cyrillum, vel ſaltem ex ejus ſequi ſententiâ, perſuaſum habebat; quamvis temerè. Addit: *Quò idem nimirum Chriſtus patibilis ſimul & impatibilis citra fidei diſcrimen concipi queat. Illud quidem ſecundùm humanam naturam; hoc verò ſecundùm Divinam.* Et pergens: *In eo autem non injuria te laudo, quòd diſtinctionem naturarum, ſecundùm Divinitatis & humanitatis rationem, harumque in unâ duntaxat perſonâ conjunctionem prædicas; quodque Deum Verbum altero illo, qui videlicet ex muliere eſt, ortu minimè indiguiſſe aſſirmas, & quod Divinitatem tandem pati non potuiſſe, diſertè pronuncias.* diſtinctas naturas ait, & in unâ quoque perſonâ: quæ ſi ita revera ſe habent cum ſententiâ ejus, & non fuco ac dolo malo pronunciata, dicere quidem licebit, doctrinam à Synodo damnatam falſam, hæreticamque; ſed, an ea ipſa Neſtorii fuerit, dubium eſſe. Putabat Neſtorius, Cyrillianos dicentes Mariam Θεοτόκον, ſtatuere divinam Chriſti naturam à Mariâ, vel in eâ genitam, quare mutationi, & paſſioni quoque ſubjectam. Unde ita in iiſdem litteris ſe declarat:

clarat: *Vbicunque igitur Divinæ Scripturæ Dominicæ diſpenſationis mentionem faciunt, cùm incarnationem, tum ipſam quoque mortem & paſſionem non Divinæ; ſed humanæ Chriſti naturæ ſemper tribuunt. Quâpropter ſi rem diligentius conſideremus, ſacra Virgo non Deipara; ſed Chriſtipara appellanda erit. Audi quomodo Euangelia iſtuc proclament: Liber (inquiunt) generationis Ieſu Chriſti, Filii David, Filii Abraham: Atqui perſpicuum eſt, Deum Verbum non extitiſſe Davidis filium. Accipe, ſi placet alud hic teſtimonium: Iacob (ait) genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Perpende rurſum aliam Euangelii vocem, veritatem hanc diſertè confirmantem: Chriſti (inquit) generatio ſic erat, cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Ioſeph, inventa eſt habens in utero de Spiritu ſancto. Quis autem ita deſipiat, ut Vnigeniti Divinitatem Spiritus ſancti creaturam eſſe credat? Adde his illud quoque: Erat mater Ieſu ibi; rurſum: Cum Mariâ matre Ieſu; & illud: Quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; & illud: Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & illud: De Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem; & illud rurſum de ejuſdem paſſione: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum; & illud iterum; Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris; & rurſum: Chriſto carne paſſo. Denique: (hoc eſt,) non mea Divinitas, ſed (corpus meum, quod pro vobis frangitur.) Sunt alia innumera ſententiæ, quæ. Divinitatem neque nuper natam, neque corporeæ perpeſſionis capacem eſſe, mortalium generi teſtatum faciunt, ſed ipſam carnem, quæ Divinæ conjuncta eſt naturæ.* Subjungit: *Rectum proinde Euangelicæque traditioni conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus Divinitatis templum eſſe confiteamur; illudque nexu uſque adeò ſublimi, Divinoque & admirabili ipſi conjunctum eſſe ſtatuamus, uti Divina natura ea ſibi vendicet, quæ corporis alioqui ſunt propria. Verum propter eam, ſive communicationis ſive appropiationis notionem,*

nem, nativitatem, paſſionem, mortem cæteraſque carnis proprietates Divino Verbo adſcribere, id demum, mi frater, mentis eſt paganorum more verè errantis, aut certè inſani Apollinarii, & Arii aliorumque hæreticorum morbo aut alio etiam graviori laborantis. Nam qui appropriationis vocabulum ita detorquent, illos Deum Verbum lactationis participem, & ſuccedanei incrementi capacem, & ob formidinem paſſionis tempore declaratam, Angelici præſidii indigum extitiſſe, fateri oportet. Cum alii proprietates divinæ naturæ transfunderent in humanam: Neſtorius verebatur, ne per Cyrillum, proprietates humanæ imputarentur divinæ naturæ. De hoc ſimiliter ſcripſerat ad Cœleſtinum, Romanum Epiſcopum: *Multus enim etiam nobis labor hic celebratur, dum elaboramus eruere ſordidiſſimam impietatem peſſimæ opinionis Apollinarii, & Arii de Eccleſiâ Dei: neſcio enim quemadmodum quidam de Eccleſiaſticis quandam contemperationis imaginem ex Deitate & humanitate Unigeniti accipientes ægrotant ægritudine prædictorum hæreticorum, dum & corporis paſſiones audent ſuperfundere Deitati Unigeniti, & immutabilitatem Deitatis ad naturam corporis tranſiſſe confingunt; & utramque naturam, quæ per conjunctionem ſummam & inconfuſam in unâ perſonâ Unigeniti adoratur, contemperationis mutabilitate confundunt. Cæci, qui nec ſanctorum illorum Patrum expoſitionem meminerunt, apertè ad eos reclamantes: Credimus in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei incarnatum ex Spiritu ſancto & Mariâ Virgine. Hæc enim vox in nomine quod ſignificat utramque naturam, id eſt, Chriſtus eſt Deitati patris Homouſios, humanitas verò poſterioribus temporibus nata eſt ex ſanctâ Virgine, quæ propter conjunctionem Deitatis ab Angelis & hominibus ſimul colitur.* Exiſtimabat Neſtorius, ſe zelare adverſus Apollinaris hæreſim, cui valde affine judicabat, quod aliqui docebant de contemperatione deitatis & humanitatis in Chriſto: forte etiam aliqui juſto longius progreſſi fuerant, quemadmodum

ſcimus

ſcimus Eutychem, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diaconum, qui adverſus hæreſim Neſtorii ſe egregie geſſerat in Concilio Epheſino, poſtmodum in eandem confuſionis naturârum in Chriſto vertiginem prolapſum, cauſam ſui damnandi dediſſe in ſequenti generali Synodo Chalcedonenſi. Et jam tum adeo gliſcebat illa hæreſis, ut Cyrillus ipſe ad Iohannem Antiochenum ſcribere neceſſe habuerit: *Tua verò ſanctitas illorum ora comprimere dignetur, qui concretionem, vel confuſionem, vel commiſtionem Verbi Dei carne factam eſſe dicunt. Eſt namque veriſimile non defuturos, qui iſta quoque de me invulgent, taliaque me ſenſiſſe, vel docuiſſe ſpargant.* Hoc autem maxime impugnabat Neſtorius, quod forte quis aut vellet, aut videretur confundere in Chriſto naturas, & paſſiones corporis Deitati attribueret, aut Dei immutabilitatem ullo pacto infringeret. Cæterum & duas in Chriſto naturas, & homoouſion profitebatur, & illarum ſummam inconfuſamque conjunctionem, adde quoque, quod in eo maxime notandum, in unâ perſonâ. Vnde verba illa quæ pro concione dixit, quæque omnium deinceps turbarum ſcaturigo habita fuerunt: *Mariam Deiparam nemo vocato; homo enim fuit, ab homine autem Deus naſci non poteſt*, in bonum ſenſum, quamvis & malum quoque, capi potuerunt: Non poteſt ab homine Deus naſci formaliter; ſed materialiter is qui Deus, quidem. Admodum miror, non extare ipſius Neſtorii alia, in quibus ſententiam declaraverit eam, quæ in ipſo à Synodo damnata fuit, & non in ipſâ Synodo, præter Cyrilli anathematiſmos, habitas fuiſſe diſputationes, ex quibus certius & liquidius de ejus doctrinâ conſtare potuerit: nam quæ hic lecta fuerunt, Neſtorii litteræ, & Excerpta ex ejus libris, vereor ne magis juvare Neſtorium, quam damnare videamur. Verùm hoc nihil præjudicat doctrinæ in Synodo ſtabilitæ, ejuſque in repudiandâ contrariâ, vel in Neſtorio vere, vel ſaltem ſub ejus nomine (nam iſtud

fa-

factum concernit, non fidem) auctoritati, cui multum ponderis dedit Alexandrini, & Romani epiſcoporum, pro illâ confirmandâ, nomen & conſenſus. Magni nominis in Eccleſiâ fuit Neſtorius, & fervidi contra hæreticos zeli, unde dum de extero in ſedem Conſtantinopolitanam ſufficiendo, poſt obitum Siſinnii, & non ex clero Conſtantinopolitano, qualis Siſinnius, ante eum Atticus, & Arſacius fuerant, ageretur, hic, uti antea Chryſoſthomus, Antiochiâ, propter eximiam ſuam famam, & dotes accerſitus fuit, & in throno (uti loquebantur) collocatus. In primâ ſuâ concione Imperatorem hunc in modum affatus dicitur: *da mihi, ô Imperator, terram ab hæreticis liberam & puram, & ego tibi cœlum reddam. Tu mihi hæreticos extirpa, & ego tibi Perſis delendis adero.* Etiam poſtquam depoſitus fuit, inque Monaſterium S. Euprepii, in quo primùm egerat, non longe diſtans Antiochiâ, retruſus, variis interim honoribus, muneribuſque à Theodoſio auctum, ſcribit Euagrius. Damnato illo, non ideo pacata ſtatim omnia erant. Iohannes Antiochenus epiſcopus, tum quod cum Neſtorio faceret, tum quod ſe abſente damnatio ejus contigerat, ubi Epheſum venit, omnia adverſus Cyrillum, & Concilium commovere & incitare; tum ſuos quos adduxerat Clericos, tum alios, & Imperatores ipſos, cœpit. Vſque dum Imperator videns illas inter Cyrillum Alexandrinorum, & Iohannem Antiochenorum epiſcopum contentiones turbare pacem Eccleſiæ, & non parum quoque Imperii, utrumque ſolum Nicomediam, ad ineundam pacem, evocavit: quod Iohannes declinandum, & antevertendum ratus, miſſo ad Cyrillum, ſuo, ſuorumque nomine, Paulo Emiſeno, pacem cum eo iniit, & tum damnationi Neſtorii, tum electioni Maximiniani, in illius locum, conſenſit. Vnde non pauci in Orientali diœceſi, cui Antiochenus præeſt, & tunc, & deinceps Neſtorianarum partium ſectatores extitere.

Adver-

Adverſus Neſtorium hoc pacto dum diſputatum, alii ex adverſo, ne duas in Chriſto perſonas dicerent, duas in eo naturas negabant, quorum dux fuit in Eccleſiâ item Conſtantinopolitaná, quique adverſus Neſtorium valide ſe geſſerat, *Eutyches*, presbyter monachus, abbas, archimandrita apud Græcos appellatur, Papa dicitur quoque in Actis Concilii Chalcedonenſis. Hic ante unionem duas quidem naturas poſuit, ſed poſt unionem, non amplius duas in Chriſto, ſed unam, unde & nobis in humanâ naturâ conſubſtantialem negavit. Quemadmodum hæc duo doctrinæ ejus, & hæreſis capita diſtinctè annotat Flavianus epiſc. Conſtantinopolitanus, in epiſt. ad Leonem, epiſc. Romanum, cui ſcribit ſuo *Conſacerdoti*. Indeque in Concilio Pſeudo-Epheſino II. Barſumas, & omnes Ægyptii, quorum caput erat *Dioſcorus* Alexandrinus, clamabant: *qui dicit duas naturas, Neſtorianus eſt.* contrà Orientales epiſcopi: *anathema Neſtorio, & Eutychi.* Quodque Theodoſius junior adductus fuit, ut Concilium Epheſinum, & quæ in eo contra Flavianum, & Euſebium geſta, probaret, hoc ſolo motus fecit, quod perſuáſum ſibi eſſet; illos Neſtorianam hæreſim iterum moliri, & quod eandem revocare tragœdiam conarentur. Quod quoque Leo putavit, epiſcopus Romanus, in ſuis ad Eutychem litteris, inter epiſtolas ejus VI. Quod utcunque falſum, ex illo tamen occaſionem captaſſe Eutychianos, certum. Sententiam eorum ita expoſuit in Concilio Chalcedonenſi Dioſcorus, art. I. *non oportet dicere poſt adorationem duas naturas, ſed unam naturam Dei verbi incarnatam.* Ipſeque Eutyches, in Conſtantinopolitanâ Synodo act. VII. quæ in Epheſinâ lecta, & in Chalcedonenſi art. I. relecta fuere: *uſque ad hodiernum diem non dixi corpus Domini & Dei noſtri conſubſtantiale nobis. Sanctam autem virginem confiteor nobis eſſe conſubſtantialem.* Deinde: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt vero*

aduna-

adunationem, unam naturam confiteor. Quomodo autem ante adunationem, poteſt conſtare duabus naturis, & non in adunatione, atque poſt eam? Inde in Conſtantinopolitano concilio, cui Flavianus Conſtantinop. epiſc. præfuit, a. CCCCXLVIII. d. XXII. Novemb. damnatus fuit Eutyches, in hanc formam: *Lachrymantes & lugentes perfectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab eo blaſphematum, execrandum eum eſſe ab omni officio ſacerdotali, & à noſtrâ communione & primatu monaſterii. Scientibus hoc omnibus qui poſtea colloquentur ei & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipſi pœnæ excommunicationis, ſicut non recedentes ab ejus collocutione.* At in Epheſino poſteà reſtitutus, & depoſitus Flavianus: cui ſubſcripſerunt Dioſcorus epiſc. Alexandrinus; Iuvenalis, epiſcopus Ieroſolymitanus; Domnus, epiſcopus Antiochenus; Stephanus, Epheſi epiſcopus; Thalaſſus, epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, & plurimi alii. Propter quæ habitum iterum Chalcedonenſe Concilium, à Martiano Imp. indictum, primò Niceæ Bithyniæ, non in Italiâ, uti petierat Leo Romanus epiſcopus, (tantum abeſt, quod Severinus Binius, in notis ad hoc Concilium dicit, ut vel authoritate Leonis indictum à Martiano fuiſſet, vel rogatus ille, ut locum, tempus, modum celebrandi Concilii præſcriberet,) inde etiam paulo poſt tranſlatum Chalcedonem, ejuſdem provinciæ civitatem, ad VIII. Id. Octob. a. CCCCLI. Cui interfuere Anatolius: Conſtantinopolitanus (Flavianus jam obierat); Dioſcorus, Alexandrinus; Maximus, Antiochenus; Iuvenalis, Ieroſolymitanus; Quintillus, Heracleenſis epiſcopus, aliique numero ſexcenti triginta, (de quo numero confer Baronium) damnaruntque Octobris die XIII. Dioſcorum, Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, eo quod Eutychem, adverſus Flavianum, reſtituiſſet, & magnâ crudelitate pro opinione Eutychis æſtuans, tum Flavianum, tum alios quaqua-

ver-

verſum indigne fuiſſet perſequutus. Definitio verò Synodi poſt confirmata decreta Concilii Nicæni, Conſtantinopolitani, & Epheſini, duas in unâ Chriſti perſonâ naturas aſſeruit: *Chriſtum Ieſum filium, Dominum unigenitum, quem in duabus naturis inconfuſe & incommutabiliter, indiviſe, atque inſeparabiliter omnes agnoſcimus, nunquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, ſed potius utriuſque naturæ proprietate ſervata, & in unam concurrente perſonam, non in duas deductum diviſumve perſonas, ſed unum & eundem filium unigenitum, Deum verbum, Dominum Ieſum Chriſtum, confeſſa.* Atque ita in *Chalcedonenſi* Concilio damnatus *Eutychianiſmus*: qui varias in Eccleſiis Græcis, non tum ſolùm temporis, ſed deinceps dedit contentiones. Nam & Eutychiani hodie in Orientis Eccleſiis varii ſunt: quare in hoc articulo aliam cum Græcis controverſiam notare nos oportet. Cæterum in Chalcedonenſi repetitus etiam, confirmatuſque canon eſt de privilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, novæ Romæ. Quod valde pupugit Roman. Eccleſiæ præſentes Legatos, qui poſtridie de eo coram totâ Synodo conqueſti, quaſi ipſis abſentibus conſtitutus fuiſſet, & vi ab aliis extortus. Reſpondit primùm Aëtius, archidiaconus Conſtantinopolitanus, hoc pro more fieri, ut abſolutis illis, quæ ad fidem ſpectant, alia quædam neceſſaria Eccleſias concernentia pertractentur. Ad hæc etiam rogatos Romanos fuiſſe, ut manere vellent, & adeſſent tractandis, ſed ipſos recuſaſſe. Poſtea & omnes acclamarunt, non ſe coactos fuiſſe ad ſubſcribendum, & ſinguli de novo idem conteſtati fuerunt, ſe ſponte & voluntarie ſubſcripſiſſe. Nihilque morati Patres indignationem & minas Romanenſium, perſtiterunt in confirmatione canonis Conſtantinopolitanæ Synodi, de pari dignitate Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, poſt Romanam. Et ſtudio videntur exſpectaſſe finem Synodi, ne hæc res rebus fidei gravioribus, &

con-

conſenſui Eccleſiarum in rejiciendo Eutychis ac *Dioſcori* dogmate remoram injiceret. Interim nec obliviſci iſtius canonis Conſtantinopolitani debuerant, dum Act. xv, capite primo conſtituerant, ſervandos præcedentium Synodorum canones: *Regulas ſanctorum Patrum per ſingula nunc uſque concilia conſtitutas, proprium robur obtinere decrevimus*, atque canonem illum de prærogativâ Conſtantin. epiſcopi, adverſus faſtum & uſurpationes Romanas diligenter ſemper obſervandum viderunt. Tandem auditis, & Nicænæ, & Conſtantinopolitanæ Synodi canonibus, Patrumque iteratis ſuffragiis, judices dixerunt: *omnem quidem primatum & honorem præcipuum, ſecundum canones, antiquæ Romæ Deo amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari. Oportere autem ſanctiſſimum archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ, eiſdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe.* Primatus utrique attribuitur; & Romano, qui hic ſimpliciter archiepiſcopus dicitur, & Conſtantinopolitano, in ſuis videlicet æque exercendus, tantum ut ſecundo loco nominaretur Conſtantinopolitanus, pari de cætero gaudens poteſtate & jure, uti nulla in re inferior veteri nova Roma haberi volebat, ex quo urbis intuitu oriebatur dignitas illa, vel contentio ſæcularis de mutuâ dignitate. Et utcunque oggrunnirent Legati Romani, ſe ad Papam relaturos, *ut ipſe aut de ſuæ ſedis injuria, aut de canonum everſione poſſit ferre ſententiam*: nihil commoti Patres perrexerunt tamen, & *Romanorum archiepiſcopo Leoni* (neque aliter loquuntur) ſcribunt in Synodali, de geſtis ſuis, epiſtolâ, ſe confirmaſſe etiam canonem Concilii Conſtantinopolitani de hujus epiſcopi honore, cui Legati ejus vehementer fuiſſent reluctati. Vnde ſcævo ſemper obtutu illum Rom. Pontif. reſpexerunt canonem, & improbarunt, neque ideo in Codice canonum Eccleſiæ Romanæ, ubi tamen Veterum Synodorum, & Chalcedonenſes quoque canones, comparet. Liberatus, Diaconus Carthaginen-

ginenſis, in Breviario cauſæ Neſtorianæ & Eutychianæ. cap. XIII. de hiſce concilii Chalcedonenſis Actis; *& licet ſedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* Adeo hoc à primis inde temporibus magnum inter has illaſque Eccleſias extitit contentionis argumentum. Tantæ autem venerationis in Eccleſiis Orientalibus Chalcedonenſis illa Synodus, ut anniverſariam ejus colant memoriam, ad d. XVI. Iulii. Vnde & in Synodo Conſtantinopolitanâ contra Antimum, a. IↃXVIII. quando Chalcedonenſis Concilii nomen è ſacris tabulis expunctum, & Orthodoxorum Patrum deleta nomina; in eadem ſacra Diphtycha, expoſcente populo, revocata fuerunt, & per Samuelem diaconum celebritas Chalcedonenſis Synodi in diem craſtinum habenda, hoc pacto proclamata: *Notificamus veſtra charitati, quod craſtinâ die perficiemus memoriam ſanctorum Patrum noſtrorum Epiſcoporum in Chalcedonenſi metropoli congregatorum, qui una cum ſanctis Patribus Conſtantinopoli & in Epheſo congregati confirmaverint Symbolum trecentorum decem & octo Patrum in Nicæa congregatorum.* Atque hoc dictum de quatuor conciliis, primariis, aut generalibus, ita appellari ſolitis, vel quod delegati ex Eccleſiis Imperii Orientis, Occidentiſque ea conſtituerunt, vel quod in illis de primariis & generalibus fidei articulis tractatum definitumque fuit. Ineptum & ridiculum eſt, appellationis illius vim petere ex Pontificijs Romani accedente approbatione vel auctoritate; quæ nec neceſſaria, nec exſpectata, neque poſtulata, aut ſequuta in multis fuit. Sed operæ pretium eſt obſervare, quo ordine tum Diabolus per ſuas varias hæreſes præcipua fidei fundamenta labefactare conatus ſit, tum Deus eadem adverſus fruſtraneos ejus conatus in Synodis maximè illuſtribus confirmari ſtudio & zelo piiſſimorum Doctorum voluerit. Quum nihil prius habeat Chriſtiana religio quam fidem in

Deum, & in Chriſtum; & hic nihil ſupra doctrinam Trinitatis, atque admirandæ Chriſti incarnationis, convellere ibi ſtuduit Diabolus Chriſti Deitatem primùm, tum Spiritus ſancti: quare illa veritas in primo Nicæno, adverſus Arium; hæc in Conſtantinopolitano, adverſus Macedonium confirmata fuit. Deinde aſſertâ Chriſti, ut & Spiritus Sancti Deitate verâ; reliquum Diabolo videbatur, ut quum duas in Chriſto naturas dici, admittere cogeretur, illarum unionem impugnaret: quare hanc adorſus, jam divellere eam, jam ex adverſo confundere molitus fuit. Vnde Eccleſia iterum ſic unionem naturarum explicare debuit, ut non duas perſonas poneret, quod factum adverſus Neſtorium, in Epheſinâ; atque ita unam perſonam, ne tamen duas naturas negaret, adverſus Eutychem, in Synodo Chalcedonenſi. Quæ quatuor Concilia, neutiquam tamen, quod P. Gregorius fecit, & poſt eum alii, quatuor Euangeliis æquiparanda, quamvis quidem illorum doctrina ab Euangelicâ non diſcrepet, fere intra ſæculum habita. Primum Nicænum, a. ccc xxv. alterum Conſtantinopolitanum, a. ccc lxxx I. tertium Epheſinum, a. cccc xxx I. ultimum Chalcedonenſe, a. cccc l I. Atque ex illis, ut ad ſingula obſervavimus, petenda fundamenta diſſenſionum inter Eccleſias Orientales, &, Occidentales, vel adverſus Romanam, ſuper cauſa primatus Epiſcopalis; vel in negotio fidei, quod Orientales ab eâ tranſverſos egit, inque errores multifarios & diuturnos, quique hodie illos occupant, Neſtorianiſmi, & Eutychianiſmi, quorum permulti apud eos etiamnum ſectatores, quod in ſequentibus videbitur.

Sed quia adhucdum in eruendis controverſiis, quas Orientales cum aliis Eccleſiis habent, earumque fundamento & origine indagandâ verſamur, inſequendus per hiſtorias, præſertim per Concilia, fluxus temporis eſt, ut quid, quando enatum; vel agitatum diſſidium,

teneca-

teneamus. Non enim damnatis licet hæreſium Auctoribus, interquieverunt illæ, ſed alios & alios porro patronos & defenſores in Orientis Eccleſiis nactæ fuerunt. Adverſus Synodum Chalcedonenſem, pro Eutyche, ejuſque opinione, jam manifeſte, tum clam & indutis aliis atque aliis formis, multi varia deinceps moliti fuerunt. De quibus vide Breviarium Liberati, à cap. xv. deinceps. Atque ita alii Neſtorianarum partium, alii Eutychianarum, potiſſimam Orientalium Eccleſiarum partem duæ illæ hæreſes ſupra modum ſemper infeſtarunt. Monachi Armeniæ Neſtorianam ſectantur hæreſim, ſub nominibus & ſcriptis Diodori Tarſenſis, Theodori Mopſveſteni epiſcopi, & Ibæ: quæ condemnata fuerunt in Concilio *Conſtantinopolitan.* generali. v. a. Iͻ l i i i. ſuper tribus, uti dicebatur, capitulis coacto, nempe ſuper condemnatione Theodori Mopſveſteni, & epiſtolæ Ibæ Edeſſeni; atque ſcriptorum Theodoreti Cyrenſis, adverſus Cyrillum. Sed Eutychianiſmus plures ſui ramos hic ibi diffudit, ſub aliis, & aliis nominibus. Hujus enim opinionis fuerunt Dioſcorus Alexandrinus, cum Eutyche in Concilio Chalcedonenſi damnatus. Poſt hunc Petrus Moggus, quartus ab eo Alexandrinus quoque epiſcopus. Petrus Antiochenus, cognomento Gnapheus, ſive Fullo, qui poſt triſagium, quod cantabatur in Eccleſiâ, de ſuo addebat *crucifixus propter nos*, damnatus in Synodo primum Romanâ, ſub Felice i i i. a. cccc lxxx i i i. tum Conſtantinopolitanâ, ſub Acacio, ſedis ejus epiſcopo, multiſque variorum ſcriptis, & anathematiſmis, præſertim Quintiani epiſcopi duodecim, ad exemplum x i i. anathematiſmorum Cyrilli, contra Neſtorium, ſuppreſſus. Quin in Synodo Sidoniæ Paleſtinæ a. Iͻ x i i. ferme octoginta epiſcopi Eutychianarum partium, Chalcedonenſem Synodum anathemate, & Flavianum Antiochenum epiſcopum, præter alios orthodoxos, exilio multare conati fuerunt. Cum qui-

bus quantum iſto tempore negotium orthodoxis fuerit, atque Hormiſdæ Papæ inter cæteros, ex hujus epiſtolis liquet.

Acephali qui dicti (diſcrepant Scriptores, unde iis impoſitum nomen ſit. Liberatus, in Breviario, cap. IX. ita appellatos ait, quod quem ſequerentur ſuæ opinionis authorem non edicerent.) Eutychianarum quoque partium fuerunt. Ejuſque factionis erat Severus, à reſtituto Gnaphæo, tertius in ſede Antiochenâ epiſcopus: quique eum ſequuti appellati ſunt *Severiani*: cum quibus habita Collatio Conſtantinopolitana, ſub Iuſtiniano Imp. a. I϶ XXXII. quique in Concilio Conſtantinopolitano, ſub Mennâ, ejus ſedis epiſcopo, a. I϶ XXXVI. una cum Antimo Conſtantinopolitanæ ſedis, ante Mennam, invaſore, aliiſque ejuſdem cohortis, condemnatus fuit. In Syriâ latiſſimè hæreſis Eutychiana vagata fuit, ſedulò eam promovente *Iacobo* quodam Syro, (Baradeum dicit Gabriel Sionita) obſcuro admodum nulliuſque pretii homine, inde & Zanzalus, propter ſummam tenuitatem dictus, ejuſque ſequaces *Iacobitæ*, quorum magnus inde in Syriâ, atque Oriente numerus extitit, ab a. I϶ LXXV. Hi Orthodoxos nominabant Melchitas, eo quod Chalcedonenſem Synodum, & Imperatoris fidem (Melchi Syris Rex eſt) ſequerentur. Eundemque *Armeniorum* ſectæ principem facit Nicephorus, *lib.* XVIII. *cap.* LII. & LIII. Armenii quippe Iacobitæ ſunt, ſeu Eutychiani. Vtramque Armeniam, & Syriam paſſim pervagata illa hæreſis fuit. Vnde poſtea in Concilio Hiſpalenſi II. a. I϶ CLVII. cap. XII. legitur: *Duodecimâ actione ingreſſus eſt ad nos quidam ex hæreſi Acephalorum, natione Syrus (ut aſſerit ipſe) Epiſcopus, duarum in Chriſto naturarum proprietatem abnegans, & deitatem paſſibilem aſſerens.*

Sectæ *Monothelitarum*, dicentium, unam duntaxat in Chriſto eſſe voluntatem, & unam operationem Deivirilem auctores præcipui fuerunt, Sergius, & Pyrrhus, Con-

Conſtantinopolitani Epiſcopi, cum quo Pyrrho Diſputatio habita à Maximo monacho, coram Gregorio Patricio, a. Iↄ c xlv, quam Baronius ad finem Tom. VIII. Græcam, & ex verſione Franciſci Turriani Ieſuitæ latinam primus edidit. In Lateranenſi Synodo, ſub Martino I. a. Iↄ cxl II. auctores iſtius ſectæ hoc modo proponuntur, in libello Stephani, Dorenſis epiſcopi: *prius quidem Theodorus Pharanitanæ eccleſiæ quondam epiſcopus: poſtmodum autem Cyrus Alexandrinus antiſtes, item Sergius Conſtantinopolitanus, nec non ſucceſſores ejus Pyrrhus & Paulus. Hi namque Apolinaris & Severi dogmata hæreticorum renovare auſi ſunt, per hoc, quod prædicaverunt unam voluntatem & operationem divinitatis & humanitatis Chriſti dogmatizare.* Condemnati autem ſunt in illâ Lateranenſi Synodo, & *Conſtantinopolitanâ* III. *generali* VI. unde trinisſexta appellatur, ſub Conſtantino Pogonato, a. Iↄ c lxxx. ubi inter Monothelitarum patronos illos, quos diximus, conſtituitur quoque Papa antiquæ Romæ, Honorius, Actione I. & VIII. & XIII. & XV. Quod idem Balſamo ſcribit, patriarcha Antiochenus, in hanc Synodum. Et Synodus quiniſexta Trullana can. I. Monothelitica hæreſis ſurculus quidem eſt Eutychianiſmi, ſed in hoc tamen ab Eutyche diſcrepare videri vult, quod duas naturas fatetur, quamvis unam earum ſubſiſtentiam, voluntatem, & operationem. Macarius Antiochenus in Synodo Conſtantinop. VI. Act. VIII. *Nec enim carnem dicimus in Divinitatis tranſire naturam, neque iterum in naturam carnis ineffabilem Dei verbi derivari naturam, ſicut Apollinarius, Eutyches, & Severus impudenter aſſeruerunt. Nuſquam enim propter unitionem differentia naturarum evaneſcit. Salvatur autem magis proprietas utriuſque naturæ in unâ perſonâ, unâque ſubſtantiâ. Vnitum quippe eſt carni ſecundùm ſubſiſtentiam confitentes verbum, unum illum adoramus, filium unigenitum, Deum verum, Dominum omnium noſtrum Ieſum Chriſtum, in duabus naturis in-*

confusè & indiviſè cognoſcendum, non per partes ponentes, ac ſegregantes hominem & Deum, neque illum quidem operatum fuiſſe miracula, hunc verò paſſum fuiſſe, quæ humana ſunt, ſicut dividentes Theodorus & Neſtorius dicunt. quos deinceps etiam condemnant. Deinde: *Neque enim quæ divina ſunt, ſecundùm Deum: neque rurſus quæ ſunt hominis, ſecundum hominem: ſed humanatus Deus verbum, novam quandam Deivirilem operationem, & hanc totam vivificatricem demonſtrat.* Antea dixerat: *Non dico duas voluntates, aut duas operationes in incarnationis diſpenſatione domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed unam voluntatem & Deivirilem operationem.* Et poſtea, *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.*

Sequitur Synodus *quiniſexta* Conſtantinopolitana, habita ſub Iuſtiniano Iuniore Rinotmeto, ſive truncati naſi, in Trullo, id eſt, Imperialis palatii Secretario ſic dicto, a. IↃ cxcii. vocatur quiniſexta, quia quum nec quinta generalis ſub Iuſtiniano Imp. nec ſexta ſub Conſtantino, ad normam aliarum quatuor generalium Synodorum canones condidiſſent, quod quintæ ſextæque proinde defuit, hæc ſupplere viſa eſt, factis c i i i. canonibus, quare πενθέκτη à Græcis dicta fuit, & quamvis reclamantibus Latinis, pro generali habita. Vbi primùm approbatis quatuor generalibus Conciliis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, varia deinceps condita fuere, adverſus Eccleſiæ Romanæ diſciplinam & mores: ex quibus alia diſputationum inter utroſque argumenta, perpetuaque materia nata fuit. De *conjugio clericorum*, quod ſuis Græci aliquâ ratione indulgent contra ac apud Romanos fit. Illi *bigamum*, niſi reſipiſcentem, non tolerant in catalogo ſacerdotali vel clericali: neque *poſt ordinationem* conjugatum, niſi lectorem, aut cantorem: neque conjugatum,

tum, niſi ad inferiores gradus diaconatus, & presbyterii, *non epiſcopatus*; at ut nullo modo clerico haud liceat eſſe conjugato, quod Romanis viſum, improbant. Vnde expreſſe quidem Romanos in ſuis hic canonibus pungunt, atque reprehendunt. Vide Can. III. VI. XII. XIII. XLVIII. Canone XIII. dicunt: *Quoniam Romana Eccleſiæ pro canone traditum eſſe cognovimus, ut diaconi vel presbyteri, qui digni qui ordinentur exiſtimandi ſunt, profiteantur ſe non ampliùs ſuis uxoribus conjungendos, nos antiquum canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum qui ſunt in ſacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitimâ uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe à legitimâ cum uxore conſuetudine abſtenturum; ne ex eo à Deo conſtitutas & ſuâ præſentiâ benedictas nuptias injuria afficere cogamur, Euangelicâ voce exclamante, quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet: & Apoſtolo docente, Honorabiles nuptias, & torum immaculatum, & , Alligatus es uxori? ne quære ſolutionem.* Qui canon citatur quoque Gratiano 1. diſt. XXXI. Hinc ergo controverſia Græcorum cum Latinis, ſuper conjugio clericorum. Verùm & aliæ in hâc Synodo tanguntur inter utroſque controverſiæ, ut de *jejunio Sabbathi*, quo Romani etiam jejunare ſolent; Græci autem interdicunt, excepto uno Sabbatho ante Paſchali, quod appellant magnum. Hinc non ſolum rem definiunt pro ſe Græci in hâc Synodo, ſed iterum Romanos tangunt atque reprehendunt. Can. LV. *Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in ſanctis Quadrageſimæ jejuniis, in ejus Sabbathis jejunari, præter Eccleſiaſticam traditam conſequentiam: ſanctæ Synodo viſum*

 eſt,

eſt, ut in Romanorum quoque Eccleſiâ inconſultè vires habeat canon qui dicit: Si quis clericus inventus fuerit in ſancto Dominico vel Sabbatho jejunans, præter unum & ſolum, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur. adde & can. LXXXII. Præterea diſputatur hic de *eſu ſanguinis* & ſuffocati, quem Græci omnino illicitum cenſent, Romani contra. Can. LXVII. *Divina nobis ſcriptura mandavit, à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione abſtinere. Eos ergò, qui propter lautum & delicatum ventrem, cujuſcunque animalis ſanguinem arte aliqua eſculentum condiunt ac inſtruunt, ut par eſt, incuſamus ac punimus. Si quis ergò deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem clericus, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur.* Atque hæ quæſtiones in Synodo motæ agitatæque: ubi & illud de primatu Conſtantinopolitani, contra Romanum, iterum confirmatum can. XXXVI. *Renovantes quæ à ſanct.* 150. *Patribus qui in hâc Dei obſervatrice & regiâ urbe convenerunt, & ſexcentorum triginta qui Chalcedone convenere, conſtituta ſunt, decernimus ut thronus Conſtantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis ut illa magni fiat, ut qui ſit ſecundus poſt illum. Poſt quem magnæ Alexandrinorum civitatis numeratur thronus: deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ civitatis.* Ut haud mirum ſit, Romanos adeo ſtomachari, atque invehi contra iſtam Synodum, quæ quæſtiones varias determinat conrat Romanos, & authoritate generalis Synodi (rpo quali illam Græci habent) confirmat: ut ab hoc tempore intermiſſam Græcorum cum Latinâ eccleſiâ communionem Græcos ſcribere, annotet Baronius, *Annal. tom.* VIII. *ad a.* 692. Atque hinc jam numerandæ æſtimandæque ſunt Græcorum controverſiæ. *Prima* ſuper *primatu epiſcopi Romani*, à Concilio Nicæno, a. CCCXXV. Dein: ſuper oppoſito ei *paris* dignitatis epiſcopo *Conſtantinopolitano*, ab a. CCCLXXXI. in Concilio Conſtantinopolitano. Altera, quæ Græ-

ctas vexavit Eccleſias, de errore vel hæreſi *Neſtorii*, ab a. cccc xxxi. condemnatâ in Concilio Epheſino. Tertia, de hæreſi *Eutychis*, ab a. cccclı. ſeu Concilio Chalcedonenſi. Quarta, de *Monothelitarum* hæreſi, ab a. Iↄ c lxxx. ſeu Synodo Conſtantinopolitana iii. Quinta, de *Conjugio clericorum*, ab a. Iↄ c xcii. in Synodo Trullanâ, quiniſextâ. Indeque Sexta, de *jejunio abbathi*. & Septima, de *eſu ſanguinis*.

Sequuta fuit ſeculo octavo alia *de cultu imaginum*, in Concilio Conſtantinop. vii. general:, in Blachernis habito, ſeu Baſilicâ S. Mariæ, ubi a. Iↄ ccl iv. ſub Conſtant. Copronymo, à cccxxxviii. epiſcopis, per ſex menſes congregatis, religioſus imaginum cultus damnatus fuit: ejuſque Acta inſerta Concilio Nicæno ii. a. Iↄ cc lxxxvii. ſub Conſtantino, ejuſque matre Irene, quod pro cultu imaginum geſtum, Act. vi. Vnde quæſtio inter Græcos Latinoſque hæſit ſuper ſeprimâ generali Synodo, illis dicentibus, eam Conſtantinopolitanam eſſe, his Nicænam: quarum hæc probavit, quod illa rejecit, videlicet cultum imaginum. Illi Definit. xiv. dixerunt: *Si quis in formâ Dei exiſtentem Deum verbum ſervi formam in propriâ hypoſtaſi aſſumentem, & per omnia nobis ſimilem factum ſine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, veluti ſi nudus homo fuiſſet, & hoc modo ab inſeparabili & incommutabili deitate ſejungere, veluti quaternitatem inducturus in ſanctam & vivificantem Trinitatem, anathema.* Definit. xvi. *Si quis ſanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis materialibus coloribus depingere ſtudeat, cum nullum omninò uſum adferant picturæ, anathema: Vana enim eſt excogitatio, & diabolicæ inſidiationis inventio. Nonne enim ſatius fuerit illorum virtutes & virilia facta, quà nobis per ſcriptas hiſtorias tradita ſunt, veluti vivas quaſdam imagines in ſeipſo depingere, & ad eadem iſta ſeipſum Zelo iſtiuſmodi excitare, quemadmodum ſancti patres nos docuerunt*

runt? Atque pro confirmatione Synodi, tandem dicunt; *Si quis hanc noſtram ſacram univerſalem ſeptimam ſynodum non receperit, ſed eam quocunque modo calumniatus fuerit, & cum ſatisfactione omnia quæ in eâ definita ſunt doctrina à Deo afflata, non amplexus fuerit, anathema ſit à Patre, & Filio & Sancto ſpiritu, & à ſeptem ſanctis univerſalibus ſynodis*. Ita quidem tum Græci: & fervide cauſam adverſus imagines egerunt ipſorum Imperatores, de quibus in Collectione Iuris Orientalis, Bonefidius, lib. I. ſub conſtitutione Theophili: *Michaelis pater ejus edixerat ne ulli pictæ imagini, ubicunque ea eſſet, nomen Sanctus imprimeretur, quòd id nulli rei præterquam ſoli Deo congruere putabat. Leo autem, & filius ejus Copronymus, omni earum adoratione prorſus interdixerant. Theophilus autem ne pingi quidem eas coloribus conceſſit: abjecti dicens animi eſſe talium rerum admirationem, ipſamque ſolam ſpectandam eſſe veritatem.* Atque ita in Eccleſiâ tumultuatum ſuper cauſa imaginum, Concilio Conſtantinopolitano anno Iↄ ccc x I v. pro ſeptimâ Conſtantinopolitanâ Nicænam II. improbante: è contra iterum alio Conſtantinopolitano a. Iↄ ccc xl I I. cultum imaginum, ejecto Iohanne patriarchâ, alioque in ejus locum ſurrogato Methodio, revocante. Verùm deflexerunt poſtea Græci, & barbaries hanc etiam ſuperſtitionem invexit, quæ circa imagines occupatur. Vnde & loco ſeptimæ Conſtantinopolitanæ Pſeudo-Nicænam arripuerunt, magnâque in veneratione habuerunt paſſim ſeptem illas Synodos: de quibus Michaëlis Pſelli, & Photii Conſtantinopolitani extant libelli, & Photii Nomocanon Tit. I. can. I I. ibidemque Balſamo Antiochenus, & Glycas, Annal. Tom. I v. Hinc & Conſtantinopolitanus Patriarcha recens ordinatus in ſuis ſyſtaticis ſcribere ſolet, ut eſt in Iure Græco Romano Leunclavii, edito à Marq. Frehero, lib. v I. *ἀσπάζομαι τὰς ἁγίας οἰκουμενικὰς ζ συνόδους· καὶ τὰ παρ' αὐτῶν δογματισθέντα πάντα δέχομαί τε καὶ*

ἀπο-

ἀποδέχομαι. *amplector ſanctas* VII. *Synodos univerſales, & ab eis ſtatuta recipio & accepto omnia.* In Menologio autem, ad d. XVI. Iulii, quo memoriam celebrant veterum Synodorum generalium, ſeptima omittitur. Sic enim habet: *Memoria Patrum Nicænorum* CCCXVIII. *Patrum Secundæ Synodi Conſtantinop,* cl. *Tertiæ Epheſinæ* cc. *Quartæ Chalcedonenſis* Iↄ c xxx, *Quintæ*, clx. *Sextæ* clxx.

Circa illa tempora moveri cœpit quæſtio iſta famoſa de *proceſſione Spiritus Sancti* à Patre, *Filioque:* Græcis exprobrantibus Latinis, quod iſtud temere ſymbolo appoſuiſſent: agitataque primùm quæſtio fuit inter Gallos, & Græcos, in Synodo Gentiliacenſi, a. Iↄ cc lxvi. Et hæc multarum turbarum controverſia, magnis animorum agitata contentionibus, præcipuumque divortii Græcorum à Latinis argumentum ſemper extitit. Neque adeo res erat, ob quam Græci Latinos tam vehementer exagitarent, quam quod hi, illis inſciis & non auditis, Symbolo ingerere fuiſſent auſi lemma iſtud, *Filioque.* Vnde Petrus Antiochenus, in epiſtolâ ad Michaëlem Cerularium Conſtantinop. apud Baronium, Tom. XI. ad a. cIↄ lIV. *Sed malum eſt illud & malorum peſſimum, additio in ſymbolo. Si enim noſtra Euangelia eadem ſunt cum illorum Euangeliis, unde illa plura, quæ nos edocti hujuſmodi alienam additionem fecerunt?* Dein: *Illos itaque qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt, anathemate damnamus.*

Alia inſuper fuerunt, de quibus Græci contendebant cum Romanis, ſuper *pane* in S. Cœnâ adhibendo, an *fermentato*, ut Græci; an *azymo*, ut Latini? de quo Michaël Conſtantinopolitanus, & Leo, archiepiſcopus Acridiæ Bulgarorum, ſcribunt in epiſtolâ ad Iohannem Tranenſem, apud Baronium, Tom. XI. a. cIↄ lIII quaſi cum Iudæis hâc in parte Romani, & quicunque cum ipſis, facerent, in ſervandis azymis, ac ſabbathis, vel horum per quadrageſimam jejunio. Ac de azymis quidem:

dem: *Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Artus autem interpretatur elevatus & ſurſum portatus, à fermento & ſale calorem & elevationem habens: azyma autem nil diſtant à lapide ſine animâ, & luto lateris deorſum conſumta terræ, & ſicco luto comparata, quas cum amaritudinibus Moyſes comedere miſeris Iudæis ſemel in anno legem conſtituit.*

Alia leviora, ſuper *halleluja* in quadrageſima cantando, vel omittendo; quorum hoc Latini, illud Græci obſervant: de *ſacerdotum barbis*, quas Latini radunt; alunt Græci: de *annulis* epiſcoporum, quos Latini geſtant, at reprehendunt Græci, nec hi, nec illi merito tanti faciebant. Vnde Petrus Antioch. in epiſt. ad Michaëlem Cerularium: *Quicunque verè à te ſunt enumerati Romanorum errores, percurrimus: & alios quidem illorum execrandos duxi, atque vitandos, alios verò incertos, & alios prætermittendos. Quid enim noſtra intereſt, quòd illorum ſacerdotes barbam radant? quid etiam, quòd illi annulos geſtent in Symbolum contracti cum ſancta Dei Eccleſiâ connubii? Nos etenim etiam coronam in capite geſtamus.* Nec illud de azymo præcipuum diſſenſus argumentum faciunt. Iohannes Epiſcopus Citri, in Reſponſo ad Conſtantinum Cabaſilam, Dyrrhacii archiepiſcopum: *Duo ſunt manifeſta & magna, quæ inter nos & Latinos faciunt differentiam. Primum & majus, doctrina de Sancto Spiritu. Secundum autem, nec tanti momenti, azymorum oblatio*: eſt inter Reſponſa Patriarcharum, in Iure Græcorum canonico. Atque illud primum vim ſuam trahit non tam ex articuli naturâ, quam arrogatâ Papæ Romani poteſtate, quâ in ſymbolum dicitur articulum illum ingeſſiſſe. Vnde uti prima, ita graviſſima ſemper inter Græcos Latinoſque viguit contentio ſuper Papæ Romani primatu. Quod demonſtrat Nilus, archiepiſcopus Theſſalonicenſis, lib. περὶ αἰτίων διαφωνίας ἐκκλησιαστικῆς, ubi oſtendit, μὴ ἄλλο τι τὸ τῆς διαφωνίας τῶν Λατίνων ἐκκλησίας καὶ ἡμῶν μέχρι τοῦ παρόντος, ἄλλο

εἶναι,

εἶναι, non aliam diſſidii Eccleſiarum Latinarum, & Græcanicarum cauſam eſſe, quam quod Papa ejus quod controverſum eſt, cognitionem ac judicium ad Oecumenicam Synodum deferre detrectet; ſed ipſe ſolus controverſiæ Magiſter ac judex ſedere velit; reliquos vero diſcipulorum inſtar dicto audientes habere. Quod quidem ab Apoſtolorum & Patrum legibus actionibuſque eſt alienum. Reſpicit controverſiam de proceſſione Spiritus Sancti. Atque ita inpagati ſumus Græcorum quæſtiones & controverſias, aſſignato earundem tempore, & origine: patetque has eſſe, nempe ſervato temporis ordine, quo quæque enatæ, præcipuas, de *primatu epiſcopi Romani*; de *hæreſi Neſtorianâ*; *Eutychianâ*; *Monothelitica*; de *conjugio clericorum*: *jejunio ſabbathi*; *eſu ſanguinis*; *cultu imaginum*; *proceſſione Spiritus Sancti à Filio*; & *de azymis*: poſtea addita quoque quæſtio, de *igne purgatorio*, a. cIↄcclxxiv. Super quibus, iiſque præſertim quæ Romanam concernunt Eccleſiam, diſputatione aliquandiu fotâ, tandem *ſciſma* Eccleſiarum ſubſequutum fuit. Quod quomodo, & quando contigerit, ſecundo loco exponendum nobis eſt.

Quando in Oriente Imperium tenuit Michaël III. in Occidente Ludovicus II. epiſcopo urbis Romæ Nicolao I, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuit epiſcopus Ignatius; quo rejecto, ſedem, operá Michaëlis Imp. occupavit Photius a. Iↄ ccclviii. ipſe ille, cujus eſt celebris Nomocanon, ſive canonum & legum collectio uno codice per certos titulos digeſta; & *Μυριόβιβλος*, ſive *Bibliotheca*. Ignatii dipoſitionem, & Photii in ejus locum ſurrogationem ægerrimo animo tulit Nicolaus Papa: eâque de cauſâ graviter expoſtulavit apud Imp. Michaëlem, Photium ipſum, & alios, miſitque Legatos ſuos Conſtantinopolim, Radualdum Portuenſem, & Zachariam Anagninum epiſcopos, qui rem omnem perquirerent, atque ad examen & judicium ſuum referrent, interim communionem omnem

cum Photio ſedulò caverent. Quod minus obſervarunt illi, & Conſtantinopolim venientes in Synodo ccc XVIII. epiſcoporum anno Iͻ ccc lxI. conſenſerunt in Ignatii depoſitionem iteratò tum factam, & cum Photio communicarunt: eòque poſtea domum reverſi excommunicationis ſententiam incurrerunt. Hinc in Synodo Romanâ propter cauſam illam indictâ anno Iͻ ccc lxIII. Pontifex Photium excommunicare, Ignatium vero in priſtinam ſedem reponere conatus fuit. Vnde offenſis valde utrimque animis, hinc Michaëlis Imp. & Photii, inde Nicolai P. acrem Pontifici Nicolao mittit epiſtolam Imperator, exprobrans ei uſurpatam auctoritatem in Eccleſiam, vel Præſules Conſtantinopolitanos, quo nihil dici ingratius Pontifici potuit, magno faſtu illam poteſtatem ſemper ambienti, quare is in aliâ ad Imperatorem epiſtolâ tremenda minatur iſtius epiſtolæ, cæterorumque hâc in cauſâ contra Ignatium ſcriptorum Auctoribus, ni alio decreto illa revocaret Imperator, & publice traderet comburenda, *ab omni Chriſtianâ compage remotos, Apoſtolicâ ſua auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus.* Quod & repetit: *alioquin (ut jam præfati ſumus) ſic, Deo ſuvente, de cætero vigilabimus, & ſtudiis quibus poſſumus, inſiſtemus, ut inter exanimes computentur qui auctoritatem Petri non ſenſerint, immò Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint: ita ut nec iſta, quæ pernitiosè compilata ſunt defendere, ſed nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mentem volvere quis ulterius audeat.* Denique pergit ad ſe Romam vocare Ignatium, & Photium, ut coram eorum cauſa agitari & definiri poſſet, atque hâc viâ illos adigere ad agnoſcendam ſentiendamque ſuam in ipſos poteſtatem. Erat & alia cauſa quæ diſtrahebat Romanorum & Conſtantinopolitanorum animos in partes, *Bulgarorum* regio & Eccleſiæ, quas ad ſe pertinere dicebat Conſtantinopolitanus Patriarcha, ex jure imperii Oriental. quod illos comprehendebat; deinde

inde quia Græcis uterentur Sacerdotibus, unde regimen Eccleſiarum, atque ordinatio epiſcoporum ac ſacerdotum ad ſe ſpectaret: contrà Nicolaus Papa illos ſuæ ſedi ac poteſtati ſubjectos ajebat, illorumque regimen ad ſe trahebat, eo quod à ſuâ ſede Doctores & doctrinam petiiſſent. Vnde non parva diſſenſio, & turbæ: de quibus conqueritur Nicolaus, in epiſt. ad Hincmarum Rhemenſem, apud Baronium, Tom. x. ad a. IↃ lxvIII. Capita vero decem à Græcis ſibi objecta Nicolaus hæc teſtabatur, de jejunio ſabbathi, proceſſione Spiritus S. à Filio, cælibatu clericorum, de chriſmate baptizatorum quod fiat à presbyteris, de aquâ pro chriſmate uſurpandâ, de edendo caſeo vel ovis in quadrageſimâ, quod agnus tempore Paſchatis una cum corpore Chriſti ſuper altare offerretur, quod Occidentales clerici barbam raderent, & diaconi non ſuſcepto presbyteratu ad epiſcopatum tranſirent, denique libellus fidei exigeretur à Legatis ſedis Romanæ: quorum aliqua vera, alia futilia, nonnulla falſo vel à Græcis dicta, vel pro talibus à Romanis accepta fuerunt. Mortuo exin Nicolao, in ejus locum ſucceſſit Adrianus II. qui prædeceſſorem ſuum adeo per omnia ſequebatur, ut hinc Nicolaitanus palam diceretur. Hic ope Baſilii Imp. qui, interfecto ſuâ operâ Michaële, ſucceſſerat, Ignatium reſtitui priſtinum in locum, pulſo Photio, curavit in Synodo Conſtantinopolitanâ IV, quam Romani octavam univerſalem indigetant, a. IↃccc lxix. Res autem Ignatii, & Photii, tum Michaëlis & Baſilii, atque pro Ignatio, deſcripſit in hujus vitâ Nicetas Paphlagonius, qui in Tomo Conciliorum tertio Binii legitur, parte ſecundâ, in Hiſtoria Concilii Conſtantinopolitani VIII. Nullibi vero major varietas in deſignandis Conciliis quam in hoc octavo, quod vulgo œcumenicum vocant. Siquidem ita appellatur & Conſtantinopolitanum illud a. IↃccc lxi. quo Ignatius fuit depoſitus, & in locum ejus

ejus ſurrogatus Photius: tum hoc, quod ſub Baſilio & Adriano II. celebratum, pro Ignatio, contra Photium: tum aliud, in quo Photius ſedem recepit, a. IↃ ccclxxix. denique ita etiam inſcribitur Ferrarienſe, ſeu Florentinum, quod fuerit œcumenicum VIII. Græci quidem pro octavâ generali Synodo non habent illam Conſtantinopolitanam contra Photium, ſub Baſilio, & Adriano celebratam; ſed ex adverſo ſequentem anni IↃ ccclxxix. pro Photio: unde & canonem, ſub nomine octavæ Synodi producit in ſuâ Iuris collectione Gratianus. Sed & in Concilio Ferrarienſi (quod pluris eſt momenti) ſeſſ. VI. Marcus Epheſinus palam adſtruxit: *concilium illud inter generalia connumerandum non eſſe*: ſed potius ſequens concilium ſub Iohanne VIII. de quo ita: *Is deinde Ioannes aliud Concilium habuit, quod item appellavit Octavum, quod Acta ipſius Concilii, quod vos Octavum fuiſſe dicitis, improbavit, Photiumque reſtituit. In quo planè Concilio inter alia fuerat decretum, ut hac eadem Symboli additio tolleretur, quod vos non ignorare putamus. Si quidem igitur ipſius concilii Acta reprobata videntur, non eſt congruum rationi, ut de his aliqua mentio fiat, cùm alterum octavum Concilium ſequi potiùs deberemus. Propterea tempore ex eo in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ hucuſque ſolet ita celebrari: Quæcunque in ſanctos Patriarchas Ignatium & Photium ſcripta vel dicta ſunt, anathema ſunto.* Apparet hinc, Græcos illa quæ in cauſâ Ignatii & Photii olim geſta utraque ſic compoſuiſſe, ut nec in hunc, in illum dicta recipi voluerint. Verùm ad illud Garci Epheſini in Concilio Ferrarienſi Iulianus Cardinalis reſpondens, Epheſino apertè ſuccubuit, ajens; *Hoc autem metu vos libero, præſtantiſſimi Patres: nam nihil de ipſo Concilio, Octavo ſcilicet recitabitur. Sed quoniam in eo volumine nonnulla Sexti, Septimique Concilii Acta ſunt ſcripta: idcircò ea videre vellemus: nam de Octavo Concilio nobis cura non eſt.* Ob quod reſponſum quam indigne vapulet Baronio, non eſt impræſentiarum

rum animus diſcutere. Ergo Concilium Conſtantinopoli ultimum in causâ Photii anno Iↄ ccclxxix. cogit Baſilius Imp. ccclxxxv epiſcoporum, inque eo, mortuo jam Ignatio, reſtitutio Photii in ſedem epiſcopalem, præſentibus iterum Legatis Pontificiis, confirmatur: Quod etiam approbavit Iohannes Papa; tum aliis, tum ſingularibus ad ipſum Photium litteris, quæ inter epiſtolas ejus cc i. Vnde, quod ſcilicet Iohannes Papa imbelli animo hoc commiſit contra prædeceſſoris ſui, & Synodi Conſtantinopolitanæ, octavæ Latinis dictæ, ſententiam, à Photio, Eunucho ut ajunt, circumventus, fabulam de Iohanne Papiſſâ natam exiſtimat Baronius; quaſi quod hoc in negotio fœminam ſe potius, quam virum oſtendiſſet. Neque hoc ſolum egit Conſtantinopolitana ſub Photio Synodus, ut ejus reſtitutionem confirmaret, ſed & ſuperiorem octavam dictam abrogavit, & è ſymbolo particulam iſtam *Filioque*, ubi de proceſſione Spiritus Sancti, ſuſtulit, eaque etiam ratione Romanæ Eccleſiæ ſe lubens oppoſuit. Neque quod Nicolaus de Bulgaris moverat, & cujus ſpe Iohannes ſeipſum lactarat, Photius ullâ ratione concedendum putavit, ſed Bulgaros, eorumque Eccleſias ſedi Conſtantinopolitanæ ſubeſſe, non Romanæ, tenuit, atque ad Imperatorem negotium rejecit: Quin nec in eo gratificari voluit Romano epiſcopo Adriano Ignatius, utcunque ab eo valde adjutus, inque ſedem epiſcopalem priſtinam magno illius ſtudio reſtitutus. Quare de eo conqueſtus ille fuit in epiſtolâ ad Baſilium Imp. (inter epiſtolas Adriani quinta) quod ejus favore Ignatius in Bulgarum regione conſecrare præſumſiſſet antiſtitem. Sub illo *Photio* Conſtantinopolitano inchoavit divulſio Eccleſiarum Græcarum à Latinis, inque Synodo Conſtantinopolitanâ habitâ anno Iↄ ccclxxix. perquam gravia adverſus Eccleſiam Romanam, ejuſque epiſcopos Nicolaum & Adrianum conſtituta fuerunt: illaque, *omnium illorum quæ acciderant*

runt malorum originem, Græci palam aſſenſerunt. Et jam ſe mutuo de hæreſi variiſque facinoribus accuſabant Græci & Romani, atque excommunicabant alii alios. Photio Romani primam ſciſmatis cauſam attribuunt. Baronius: *primus ergo Photius aperte ſe ab Eccleſiâ Romanâ ſejunxit, qui non mediocrem anſam præbuit poſteris, ut in ſciſmate perſeverarent.*

Poſtea a. cIↃ LIIII. ſub Conſtantino Monomacho valde recruduit contentio inter Romanum epiſcopum Leonem (qui vulgo dicitur nonus), & Michaëlem Cellarium, Conſtantinopolitanum, occaſione epiſtolæ à Michaële, & Leone, archiepiſcopo Acridiæ, quæ metropolis Bulgarorum (qui unà ſtabant), ad Ioh. Tranenſem epiſcopum, ſuper notis controverſiis de azymis, jejunio ſabbathi, ſuffocatis &c. Cui reſpondit Leo, & ſignificat quam illi inclementer Romanos excepiſſent, Latinam eccleſiam palam damnando, & Latinorum apud ſe templa omnia claudendo, eorumque monaſteria auferendo; & quamvis amice, ac fraterne videretur ſcribere ad Michaëlem, mutuâque de concordiâ agere, paſſim quippe Leo illum Fratrem, & confratrem ſalutat, *chariſſime nobis & adhuc dicende in Chriſto Frater & Antiſtes Conſtantinopolitane*: tamen illam addit conditionem, quâ non potuit non graviter offendi Michaël, quem ſatis pro authoritate Romanus devovit, ſcribens ad eum (eſt inter epiſt. Leonis ſexta) *Credimus enim propter quod & loquimur atque conſtanter profitemur: Romana Eccleſia adeo non eſt ſola, vel ſicut tu putas una, ut in toto orbe terrarum quæcunque natio diſſentit ſuperbè ab eâ, non ſit jam dicenda vel habenda eccleſia aliqua, ſed omninò nulla: quin potius conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum ſchiſmaticorum, & ſynagoga Satanæ. Nam nos cum pertinacibus & in errore ſuo permanentibus pacem aliquam habere non poſſumus. Ceſſent ergo hæreſes & ſchiſmata, & diligentibus legem Dei jam non erit ſcandalum, ſed pax multa. Quicunque gloriam*

Chri-

Chriſtiano nomine, ceſſet Romanam, ſanctam & Apoſtolicam eccleſiam maledicere & laceſſere. Vnde quâ ratione pungerent & perimerent ſe mutuo, quamvis ſub blandâ pacis & fraternitatis allocutione, vel ſub tractatione mutuæ concordiæ, apparet. Legati Leonis Humbertus epiſcopus Silvæ candidæ, Fridericus Archidiaconus Cancellarius, ambo Cardinales; & Petrus Epiſcopus Amalphitanus poſtquam Conſtantinopolim veniſſent, & cum Imperatore, cum Patriarchâ, aliiſque diu egiſſent, *Patriarcham tandem Michaëlem, & Leonem Acridanum epiſcopum, omneſque illorum complices auctoritate Apoſtolicâ damnarunt*, Leo Oſtienſis, lib. II. cap. lxxxix. Ibique jam volitare hinc inde jacula anathematum, & damnare ſe mutuo Latini æque, ac Græci. Humbertus Cardinalis, Diſputationem ſuam, quam cum illis habuit, & primus edidit Baronius, in Appendice ad Tom. XI. Annalium, talibus ſpiculis infulcit, ut ejus ſufficiat audiviſſe concluſionem; *Pro quibus omnibus, & aliis, quos longum eſt ſcripto proſequi, erroribus; niſi reſipueritis, & dignè ſatisfeceritis, irrevocabile anathema hic & in futurô eritis à Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Chriſtus animam ſuam poſuit.* Acriori adhuc ſtylo diſputavit Idem, adverſus Nicetam Pectoratum, Monachum, quem & exquiſitis conſpuit in initio dicteriis: *væ tibi Sarabaita, qui nulla cœnobitali et animatus diſciplina, voluntate atque voluptate ductus propriâ contra ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam, & omnium ſanctorum Patrum Concilia horribiliter latraſti, & ſtultior aſino, frontem leonis, & murum adamantinum frangere tentâſti; In quo utique conatu non es victor erroris, ſed victus errore, nec presbyter, ſed inveteratus dierum malorum, & puer centum annorum maledictus, potiùs dicendus Epicurus, quàm monachus: nec credendus es degere in monaſterio Studii, ſed in amphitheatro aut lupanari, quo (ſicut quidam Patrum dixit) quicunque vult, intrat, & ſolvit aſinum. Qui etiam verè prænominaris Pectoratus, quoniam*

tum ſerpente antiquo ſuper pectus tuum gradieris. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur. Ejuſdemque furfuris plura ſequuntur, atque in concluſione ſic illum dimittit: *Tu verò miſerrime Niceta, donec reſipiſcas, ſis anathema ab omni Chriſti Eccleſiâ cum omnibus qui tibi acquieſcunt in tua perverſâ doctrinâ.* Vnde non mirum illos ad ſolemnem Michaëlis, aliorumque eocum ſentientium proceſſiſſe excommunicationem, neque niſi hoc primum patrato facinore, unde divortium Græcorum magis exaſperatum, diſcedere voluiſſe. Quippe a. cIↄ l i v. die xv i i. Kalend. Auguſti, in templo S. Sophiæ chartâ excommunicationis poſitâ ſuper altare præcipuum, egreſſi templo Papæ Legati, pulverem pedum ſuorum excaſſere in limine, proclamantes: videat Deus, & judicet. Atque ita ordinatis in urbe Eccleſiis Latinorum, anathemate cunctis dicto, qui deinceps ex manu Græci Romanos vituperantis, communicarent, in oſculo ſc. pacis abivere, xv. Kal. Auguſti. Charta excommunicationis ſatis erat magna, & concluſio talis: *Michaël abuſivus Patriarcha neophytus & ſolo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus peſſimis à multis diffamatus; atque cum eo Leo Acridanus Epiſcopus dictus, & Sacellarius ipſe Michaëlis Conſtantinus, qui Latinorum ſacrificium profanis conculcavit pedibus; & omnes ſequaces eorum in præfatis erroribus & præſumptionibus, ſint Anathema Maranatha cum Simoniacis, Valeſiis, Arrianis, Donatiſtis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, immò cum diabolo & angelis ejus, niſi fortè reſipuerint. Amen, Amen, Amen.* Deinde etiam alia promulgata fuit excommunicatio generalis contra omnes Romanæ ſedis adverſarios: *Quicunque Fidei ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, ejuſque ſacrificio pertinaciter contradixerit, ſit Anathema Maranatha, nec habeatur Chriſtianus Catholicus, ſed azymita hæreticus. Fiat, Fiat, Fiat.* Atque hoc pacto in nervum erupit Græcorum Latinorumque diuturna

na contentio, divulſæque à communione mutuâ eccleſiæ, pro innatâ Romanorum indole, quâ nequeunt pari cum aliis jugo incedere, vel cum aliis à diſciplinâ ſuâ alienis juxta vivere, ſed omnibus dominari affectant, & imperitare. Neque ideo ceſſerunt Græci, ſed quemadmodum intolerandam Legatorum Papæ arrogantiam notarat Michaël, in epiſt. ad Petrum Antiochenum, quod ad Imperatorem veniſſent, *gravi quidem & ſuperbo habitu, & greſſu, & ſupercilio*, ſe vero nec trivia-li ſalutatione dignatos, neque ſua capita vel modicum inclinaſſe; ita *illos omnino averſari neceſſe eſſe*, ſcribit: *Cum itaque hoc pacto vivant, & iſtiuſmodi moribus ſint educati, & quæ apertè ſint legibus vetita, & interdicta, & execrata, facere audeant; quomodo inter eos, qui Orthodoxi ſunt, collocandi ab iis, qui rectè ſentiunt, judicabuntur? Numquid equidem id ego crederem? Qui verò iſtos ita ſentientes rectè facere ſuerint arbitrati, eandem cum illis ſortiantur portionem. Nunquam enim nos ipſos æmulabimur in hâc ipſorum concordiâ & confeſſione. Neç ita, inquam, mente capti erimus, vel noſtro ſenſu privati, ut hanc ſequamur viam. Hæc verò hâc de cauſâ voluimus nos percurrere, ut ſcire valens tua beatitudo, quæ ab iſtis peragantur, non putet eos circa azyma tantum errare, quemadmodum nos etiam hucuſque putavimus: ſed cùm noverit alios præter hæc ipſorum errores, cum illis eos numeret, cum quibus digni ſunt ut connumerentur. Quod verò omnium eſt graviſſimum, & intolerabile, & eorum amentiam ſatis ſuperque declarat, illud eſt, Dicunt enim quod non acceperunt hæc, tanquam ut ab aliis edocerentur; ſed potiùs ut alios ipſi docerent: fore etiam ut perſuadeant nobis ſequi eorum dogmata. Et hoç inquiunt cum imperii poteſtate, & inverecundiâ majore.* Vides, ut par pari referat Conſtantinopolitanus Latinis, & quod nil minus tolerari potuerint Græci, quam iſtorum faſtum & impudentem arrogantiam. Petrus etiam Antiochenus, in ſuâ ad Michaëlem reſponſione, quamvis non in omnibus cum eo conveniat, pro ſummo

adverſus Romanos crimine urget, additionem ad ſymbolum, de quâ pronunciare haud veretur: *Nos itaque qui ſymbolo aliquid addunt vel auferunt, anathemate damnamus.* Hæc de ſciſmate,ſeu rupturâ & ſeceſſione Eccleſiarum Græcarum à Latinis breviter dicta ſunto. Tertio loco agendum de *unione* aliquoties inter utrolque tentatâ & agitatâ, atque quo loco res iſtæ hodie ſint, quoque ſtatu vel animo Græci erga Occidentales, ſeu *Pontificios*, ſeu *Proteſtantes*, inquirendum.

Pro conciliandis Græcis cum Latinis primò actum lego in Concilio Barenſi, a. cIↄ xcvii. cui Anſelmus Cantuarienſis interfuit, ubi & magnâ cum laude diſputavit adverſus illos,de proceſſione Spiritus Sancti à Patre: quâ occaſione poſtmodum ſcripſit epiſtolam, ſeu librum, *de proceſſione* Spiritus Sancti;itemque ad VValramum epiſcopum, *de fermentato & azymo.* Acta autem Concilii illius Barenſis interciderunt. Sed in inſtruendis & convincendis Græcis, præſertim in controverſiâ de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, prima Latinorum cum Græcis fuit opera. Quò ſpectavit Chryſolani, Mediolanenſium epiſcopi, P. Paſchalis II. ad Alexium Comnenum Legati a. cIↄ c xvi. habita oratio, quæ eſt apud Baronium, Tom. xix. quem Chryſolanum adverſâ diſputatione exceperunt Græcorum plurimi. Etiam pro uniendis cum Latinâ Eccleſiâ Græcis ſcripſit P. Innocentius III. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, a. cIↄ c xcviii. quæ eſt epiſtolarum ejus ccc liii. Deinde in aliâ ad eundem epiſtolâ rationes reddit primatus ſui, quare Eccleſia Romana dicatur univerſalis, quod perpetuum Græcis contra Romanos fuit offendiculum: minaturque Patriarcham Papa, ut *Romana Eccleſia reverentiam & obedientiam debitam* impendat, ſecus in ipſum, & Græcorum Eccleſias, pro more, proceſſurus. Habebat in urbe Conſtantinopolitanâ vicarium Sedis ſuæ Innocentius, pro Latinis ibi degentibus: poſtea Balduino Flandriæ Comite

facto Imperatore, etiam ex Latinis in Patriarcham aſſumtus fuit primus Thomas Maurocenus. Dein a. cIↄ cc xxx I P. Gregorius IX. ſcripſit prolixam epiſtolam (quæ eſt epiſt: lxv.) ad Patriarcham Conſtantinopolitanum Germanum: ſed iterum, quia primatu Romano offenſus iſte erat, in illo pertractando argumento, & ſi poſſet probando, totam epiſtolam inſumit. Idem ſaxum volvit cum Michaële Palæologo Imp. Conſtantinopolitano P. Vrbanus IV. eumque poſtea ſecutus Gregorius X. Qui hunc in finem convocavit Concilium Lugdunenſe, a. cIↄ cc lxx IV. pluſquam quingentorum epiſcoporum, ubi præter varios Principes, & Legatos, interfuerunt quoque ex Oriente tum Imperatoris, tum Patriarcharum, aliorumque Legati, actumque de tribus articulis, *ſubſidio terræ ſanctæ, & ſuper unione Græcorum, & ſuper reformatione morum*, uti illa primâ ſeſſione ipſe Gregorius propoſuit. Pertracti hic Græci in publicam cum Romanâ Eccleſiâ unionem vel ad ejus potius ſubjectionem, nam primatum ejus omni tempore ab ipſis negatum & retuſum, nunc agnoſcere coacti fuerunt, ſed non adeo ex ſenſu religionis ac fidei, quam ex metu tum Caroli Siciliæ Regis, tum Balduini Conſtantinop. Imperatoris Latini, præeunte Græcis ſuis Imp. Palæologo. Vocatus (ut id obiter dicam) ad hoc Lugdunenſe celebre concilium erat quoque Thomas Aquinas, ut contra Græcos de proceſſione Spiritus Sancti pro acumine ingenii ſui, dignâ tanto vindice quæſtione, diſputaret; at morte præventus obiit, nonis Martii, in Monaſterio Foſſæ novæ, prope Terracinam, quando menſis Maji ſeptimâ die Concilium inchoabat. Circa hæc tempora ſcripſit Nilus, Theſſalonicenſis Monachus, *de cauſis diſſenſionum*, inter Orientales atque Occidentales Eccleſias, libros duos, „oſtendens, non aliam diſſidii iſtius cauſam eſſe, quam „quod Papa ejus quod controverſum eſt cognitionem „ac judicium ad Oecumenicam Synodum deferre de-

„tractet: ſed ipſe ſolus controverſiæ magiſter ac judex „ſedere velit; reliquos vero diſcipulorum inſtar dicto „audientes habere. Quod quidem ab Apoſtolorum & „Patrum legibus actionibuſque alienum. Scripſit etiam librum, *de Igne purgatorio* Latinorum, quem multis egregiiſque argumentis explodit. Etiam Barlaam Monachus ſcripſit, contra *Papæ principatum*, libellum. Cujus nequaquam ſunt *epiſtolæ* Barlaami Hieracenſis epiſcopi, qui a. cIↄ ccc III. vixiſſe ponitur, editæ ab Henrico Caniſio Tom. VI. Antiq. Lectionum, atque de Romani epiſcopi poteſtate & authoritate, contra ac Barlaam Monachus, loquuntur, multiſque de proceſſione Spiritus Sancti à Filio: cujus etiam *Ethicam* exhibet eodem Tomo Caniſius. Quem temere confundit cum Barlaamo monacho Abrahamus Bzovius, in Continuatione Annalium Baronii, Tom. XIV. ad anno cIↄ ccc XXXII. Monachum illum appellando, quum hic epiſcopus, & alter Monachus fuerit, tum diverſiſſimæ ſententiæ circa primatum Romanum uterque, & ille Græce, hic Latine ſcripſiſſe videatur.

Poſteaquam aliquoties hinc à Latinis, inde à Græcis negotium mutuæ unionis fuiſſet propoſitum, & litteris, libris, legatis utrimque utriſque commendatum, Græcis urgentibus in frequenti, generali, liberâ Synodo rem peragi debere, in Concilo Baſileenſi, quod inchoatum quidem, a. cIↄ cccc XXXI. finitum a. cIↄ cccc XLII. in quod Legati Orientalis Imperatoris Ioſephi Palæologi, & Conſtantinopolitani Patriarchæ, Demetrius Palæologus, Iſidorus Abbas, & Iohannes Diſſipatis una convenerant, ſeſſ. XIX. a. cIↄ cccc XXXIV. VII. Id. Septembris decreverunt, rem in manus ſumendam, & junctis animis operiſque perficiendam eſſe. Vbi de urbe primò actum, in quâ Synodus pro hâc re generalis haberetur, Baſileenſibus Patribus Baſileam, & præſens Concilium urgentibus, Græcis autem Con-

Conſtantinopolim: propoſita Synodi nomine alia quoque loca fuerunt, ſin minus placeret Baſilea, nempe Calabria, Ancona, vel locus alius maritimus, Bononia, Mediolanum, aliave civitas Italiæ; vel extra Italiam, Buda in Hungariâ, in Auſtriâ Vienna, ultimo & Sabaudia; Græci verò Eugenium P. magis, quam Baſileenſe Concilium ſequuti, Ferrariam deligunt, quò aliqui etiam ex Baſileenſi concilio, hoc neglecto, ſe contulerunt. Inchoatum *Ferrarienſe* Concilium fuit a. cIↄ cccc xxxviii. d. 12. Aprilis, habitæ hic ſeſſiones xvi. translatoque inde propter peſtem Concilio Florentiam, abſolutum poſt xxv. ſeſſiones, alias Ferrariæ, reliquas Florentiæ, finiit a. cIↄ cccc xxx ix. pridie Nonas Iulii. Imperator Græcorum Iohannes Palæologus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus Ioſephus ipſi cum multis Orientalium Antiſtibus advenere, Latinis, uti promiſſum à Baſileenſi Concilio fuerat, ſumtus curantibus, magno cum honore & pompâ excepti, atque ad urbem Ferrariam, tum Concilium adducti fuerunt. Hinc quatuor elapſis menſibus, quo tempore velitationes aliquot diſputationum habitæ, prima ſeſſio incœpit die viii. menſis Octobris, ac deinceps rem aggreſſi, diſputarunt perpetuò de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, vel potius de additione illius *Filioque* ad ſymbolum: Græcis cauſatis, hinc ſciſma Eccleſiarum originem accepiſſe, quod Romani ſuo arbitrio, non exſpectato generalis concilii, & quoque Orientalis Eccleſiæ judicio, illud ſymbolo addidiſſent: præſertim quum Synodo generali tertiâ Epheſinâ, contra Neſtorium cautum fuiſſet, ne cui liceret ſymbolo quid addere, vel demere. Latini verò dicebant, illud non eſſe habendum pro additione ſymboli, ſolummodo explanatione & declaratione: neque contra veritatem aut doctrinam Eccleſiæ illo articulo quidpiam comprehendi. Græci ſciſmatis cauſam in Romanos jaciebant. Vnde Marcus Epheſinus, cujus potiſſimæ in dicendo par-

tes fuerunt, ſeſſ. III. ſic exorſus fuit: *A quarum quidem altero bono, id eſt, à mutuâ erga ſororem ſuam orientalem Eccleſiam benevolentiâ Romana Eccleſia jam defecerat, dogmaque ſibi proprium finxerat, ac ſibi perpetuò conſervaverat, quod neq; literis ſacris relictum, neque ab univerſalibus Conciliis celebratum, neque à majoribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat. Idque propterea ſolvendæ noſtræ amicitiæ cauſam, ſimultatumque noſtrarum initium, dubio procul fuiſſe conſtat.* Innuit dogma de proceſſione Spiritus Sancti, de quo ſolo per omnes ſeſſiones diſputatum. Eandemque ſciſmatis cauſam fuiſſe diſſeruit Archiepiſcopus Nicænus Beſſarion, poſtea factus Cardinalis, in Oratione, habitâ in Synodo, *pro unione.* Per longam acremq; inter partes diſputationem, re in contentionem abeunte, Græci ſeſſiones publicas deferebant: atque poſt XXV. ſive ultimam ſeſſionem, quando privatim ſolum, in ædibus Patriarchæ conveniebant, (qui ſynodo propter imbecillitatem intereſſe nequivit, ex quâ ibidem obiit) miſſis ad Eugenium Pontificem (qui præerat) Nunciis ſignificabant, *ſe nolle amplius cum Latinis diſſerere: quandoquidem diſputatio nil aliud præter contentionem maximam parit, nec non ipſi Latini in reſpondendo nunquam deficiunt, ita ut infinita fieret diſputatio, ſi cum ipſis vellent contendere.* Similiter Imperator, Iuliano Cardinali: *Dico equidem, P. amp. nos amplius vobiſcum diſputare nolle, quandoquidem verbis abundatis, ac uſu dialectices vobis venit, ut nunquam ſuaderi velitis, verum ſemper diſſerere, ad extremum autem vehementiſſimè perorare, ſtatimque conſurgere, ac ſeſſionem dimittere, ut animos auditorum ad veſtram orationem flectatis. Omiſſo igitur multiloquio, viam quâ Dei benignitate conjungi poſſimus, excogitemus.* Idemque ad Papam, ſignificans ſuorum indignationem, & quo minùs vel Latinis conſentire, vel ad hoc per ipſum cogi poſſent: *Nonnulli præſules noſtri, Latinorum petitionem credentes congruam rationi non eſſe, nolunt ei acquieſcere; difficileque eis videtur, dogma majo-*

rum

rum ſuorum tam ſubitò dimittere, cùm ſemper crediderint, Latinorum fuiſſe ſententiam, Spiritum ſanctum duas ſubſtantiales cauſas habere, proptereaque noluerint illud, Ex Filioque *ſuſcipientes nobiſcum pacem componere. Nobis ergo ne. eſſe eſt, ut patrias leges moreſque ſervemus. Ego verò qui conventui noſtro (ut paulo antè dixi) non impero, ipſum tyrannicè cogere nolo. ut quicquam præter ejus voluntatem dicat vel agat, ita ut in hoc quod à me, pater beatiſſime, petis, minimè tibi ſatisfacere valeam.* Tandem ad faciendam unionem ſtimulante hinc Imperatore, propter commodum quod Imperio ſuo proventurum ſperabat, inde Papâ ſumtus ſuos & ſtudia identidem exprobrante, Græcorum aliqui cum Romanis coëundum cenſuerunt, alii minus, & cuſtodiendas pòtius Patrum ſuorum ſanctiones ac placita, inter quos præcipuus Marcus Epheſius, qui primus à ſeſſionibus publicis abſtinuit, unaque cum eo Heracléenſis Antiſtes, Patriarchæ Alexandrini, uti ille Antiocheni, vicarius, qui proinde ſeſſ. xxv. adverſus Græcorum alios, unionem flagrantius expetentes in hunc modum verba fecit: *Num Occidentales doctores ſanctis noſtris doctoribus, ac ſynodorum patribus plures ſunt? qui quidem ſancti noſtri Spiritum ſanctum ex patre, non autem ex filio procedere, literis mandaverunt.* Quem ſermonem Epheſius excipiens prolixam habuit orationem, in peroratione autem protulit *Latinos hæreticos, nedum ſchiſmaticos eſſe, idq; Orientalem eccleſiam toleraſſe, quòd genus ipſorum majus ac fortius eſſet, proptereaque Græcos tot annos ab eis disjunctos eſſe, quòd hæretici ſunt. Dicebat igitur, ſe cum Latinis neutiquam debere conjungi. prius quàm additionem illam à ſymbolo prorſus auferant.* Hinc porro in Actis Concilii legitur: *Tum Græcorum conventus in duas partes diviſus fuit: nam altera pacem cum Latinis vehementer deſiderabat, altera verò diſſidii authoribus favens, ab eâ mirum in modum abhorrebat. Cui quoque parti Græcorum nobilium & laicorum plurimi vehementer favebant, ſingulis tamen diebus frequentes abſ-*

que

quæ Latinis conveniebant, ut quidnam agerent, Latiniſve reſponderent, inter ſe conſulerent. Attamen perſuaſi denique Græci, quod quamvis Latina Eccleſia diceret Spiritum procedere à Patre Filioque, non ſtatueret ideo duo principia, vel ex duobus principiis, cauſis & ſpirationibus Spiritum Sanctum procedere, ſed ex uno, ex Patre, per Filium, acquievere: factæque unionis litteræ, quibus teſtati, *ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quia Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unicâ ſpiratione procedit, declarantes quòd id quòd ſancti doctores & patres dicunt, ex patre per filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit.* Subſcripſeruntque tum Græci, excepto Marco Epheſino, & Latini anno cIↄ cccc xxxix. pridie Nonas Iulii. Diſputatum fuit de illo ſolum articulo, proceſſionis Spiritus, neque conceſſum Græcis alias quæſtiones ingredi; unde quum Pontifex ſedulo inſiſteret, ut eodem pacto etiam reliquas abſolverent controverſias, *de purgatorio igne, & de ſummi pontificis principatu, & de azymo & fermentato pane, de divinâ denique panis transmutatione*, reſpondebant Græci: *Nos, pater ſanctiſſime, nullam adhuc reſpondendi facultatem habemus.* Perrexerunt autem ſuo nomine atque in arenà reſpondere ad gratiam Pontificis, non vero ad ſenſum & ſententiam ſuarum Eccleſiarum: quod perfunctoriè & obiter Pontifex (neque hæc in Synodo acta, ſed privatim cum Pontifice) attamen avide arripuit, atque unionis litteris inſeruit, contra ac Græci teſtati erant, *ne de aliâ quæſtione præter illam de Spiritus ſancti proceſſione, in unionis litteris ulla mentio fieret.* Atque antea dixerant: *ſe ſine totius Orientalis Eccleſiæ authoritate quæſtionem aliam tractare non poſſe, cùm pro illâ tantum de Spiritus Sancti proceſſione Synodus convocata fuerit.* Ipſeque

que Imperator, *velim, ne à Latinis cogamur, ut ſacro ſymbolo noſtro quicquam apponamus, vel ceremoniarum aliquid in Eccleſiâ noſtrâ mutemus.* Atque ante freuquetatas Ferratiæ ſeſſiones, quando mota fuiſſet quæſtio de Purgatorio, Græci inter ſe non conveniebant, aliis cum Latinis ſe conjungentibus, aliis minus: ut jam poſtquam ita omnia Florentiæ concluſa, & in partes Latinorum ubique tranſiiſſent Græci, domum reverſi ad ſuos, haud mirandum quod minus grati acceptique fuerint, nec probatum omnibus illorum ſtudium, minime quod de purgatorio igne, & primatu Papæ Romani videbantur ſegnius conceſſiſſe. Itaque nihil minus quam ſervata unio Florentina fuit. Annalium Glycæ continuatio, pag. 599. *Redeuntes autem domum Græci, non amplius iis, quæ in Italiâ pacta conventaque fuiſſe diximus, ſtare voluerunt. Quapropter motus Rom. Pontifex, doctos quoſdam viros Byzantium miſit, ut cum Græcis in colloquium venirent, qui ſynodum in Italiâ coactam, ejuſque decreta non admittebant. Marcus enim antiſtes Epheſi, & Scholarius Græcorum doctiſſimus, ut antea, ſic ne tum quidem Latinis adſentiri volebant. Vbi ad colloquium & diſputationem ventum eſſet, nihil efficere Romani potuerunt: ſed infectâ re domum reverſi ſunt.* De eodem, Auctor Turcogræciæ, lib. 1. *Qui vero in urbe degebant Clerici, Hieromonachi, ſacerdotes, Abbates, confeſſionibus audiendis præpoſiti (Pneumatici dicti) ac cæteri, ii nolebant liturgias & ſacra cum illis, qui venerant, celebrare, aut in precibus mentionem ipſorum facere, ſed ab eis recedebant, tanquam qui pietatem (ut ita dicam) abjeciſſent. Multi ſacerdotio etjam renuntiarunt. Denique unitatem diviſio, concordiam diſcordia conſecuta eſt.* Idem de Ruthenis refert, in Rerum Moſcoviticarum Commentario, Sigiſmundus Baro: *Erat quidam Metropolitanus Ruſſiæ*, Iſidorum intelligit, quem Papa fecerat, cum Beſſarione, Cardinalem, utpote de ſe egregie in Concilio, ad reducendos

vel ſeducendos Græcos, meritos, *qui ad inſtantiam Papæ Synodum acceſſerat; ubi & Eccleſiæ erant ante; reverſus in patriam capitur, omnibus bonis ſpoliatur, atque in carceres conjicitur: ex quibus tandem evaſit.* Hanc gratiam à ſuis retulerunt Græci, & Rutheni vel Ruſſi, ex Synodo reverſi. Neque hoc mihi adeo mirum videtur, quod non majoris fructus fuerit aut Florentinum Concilium, aut compoſita ibi unio, quum Græcos conveniſſe videam actos non ſenſu religionis adeo, quam ſpe ſubſidii à Latinis hoc pacto impetrandi, pro conſervatione Imperii, & rerum ſuarum, atque in eadem tamen turpiter eluſos quoque à Papâ, quando Imperatori illud petenti reſpondit ſimpliciter, ſibi Græcorum imperium curæ futurum, neque ceſſaturum Germanos & Hungaros ad arma adverſus Turcas incitare. Quod fecit quidem, ſed pœnitendâ oppidò arte, ad perfidiam & perjurium ſtimulatis Chriſtianis; quod triſti ad Varnam clade, & ſuperatâ Conſtantinop. IV. Kal. Jul. a. cIↄ cccc lIII. tredecim ferme poſt Concilium Florentinum annis; alii ponunt annum lII. luere Chriſtiani debuerunt. Biennio ante captam urbem, ſcripſit Conſtantinop: Eccleſia ad Bohæmos, ut fidei ejuſdem ſocios, petens iiſcum uniri: *haud ſecundum illam Florentiæ unionem ſimulatam, à recto veroque conſilio abalienatam, quæ diremtio à veritate appellanda eſſet: quamobrem illam minime admiſimus, imo prorſus annihilavimus.* Facile erat Papæ, famelicos Græcos & omnium inopes ad ſe allectos alere ſuâ quaſi manu, variis promiſſis ac beneficiis demulcere, & in naſſam pertrahere, ſuoque arbitrio ſubjicere, qui Imperatorem ſperato ſubſidio, epiſcopos Cardinalitiâ dignitate, uti fecit in Beſſarione Trapezuntio, & Iſidoro Sarmatiæ antiſtite, ſibi devincire potuit. Atque illa neceſſitatis cauſa commovit paſſim Imperatores Orientis Paparum gratiam atque amicitiam ambire. Quod etiam prooemium indicat Conſtitutionis Michaelis Palæologi, in Corpo-

re juris Conſtit. penult. *Proinde tot difficultatibus circumventus Imperator, ac pæne ad deſperationem compulſus, legatos ad Papam mittit, de ineundâ Veteris & novæ Romæ eccleſiarum concordiâ, modo Caroli expeditionem averteret.* Quis, diligenter obſervans acta Florentinæ Synodi, non videt Græcos, quam acres initio erant, tam leves poſtmodum & temerarios fuiſſe ad ineundam pacem, conditionibus multum gravioribus, quam initio admiſſuri videbantur, quum tantâ contentione diſputabant de additione ad ſymbolum, & poſtea non hoc tantum, ſed majora multo, de primatu Papæ, & Purgatorio &c. inſimul tradiderunt, citra ullam moleſtiam, vel certamen, non habitâ ſuper illis, nec ſingulis, nec omnibus, ullâ ſolemni aut ſeriâ diſputatione, nedum ſeſſione, vel Synodo. Vt quâvis aliâ re potius motos dicas Græcos in illorum aſſenſum, quam ex conſcientiâ veritatis. Actumque de illis non in Concilio, ſed poſt, in privatis congreſſibus, in quibus privata negotia atque emolumenta liberius feliciuſque tractari aſſolent. Quantum Græci reſtiterunt initio tum Latinis, tum eorum ſententiæ ac dogmati, unioni quoque dum conſtantes adhuc in ſuorum dogmatum defenſione perſtabant, tam ægre & invitis trepidiſque animis adacti poſtea in unionem fuerunt, quam variis cautelis moderari, ne ſuis nimis officeret, conabantur quidem, at fruſtra. Illud etiam quod Græcorum Patriarcha nunquam Synodo interfuit, qui ſolus Patriarcharum Orientalium aderat, cum reliquorum vicariis; & ſubitanea ejus mors; denique reperta ab eo ultimò ſcripta ſcheda, in quâ agnoſcere ſe dicit epiſcopi Romani ſuprematum, & ignem Purgatorium, eo majorem ſuſpicionem generant, quo necdum de his articulis actum, nedum definitum quid fuerat: quæ proinde tam deſidioſe tradidiſſe Patriarcham, illud inprimis de poteſtate Papæ, quæ vera & propria ſemper ſciſmatis aut diviſionis cauſa fuit, quis arbitretur? Quid-

Quidquid etiam his de rebus ſit, hoc conſtat, Græcis ad ſedes ſuas reverſis, nec alios, nec ipſos quoque probaſſe acta Florentina, ſed repudiatâ unionis formulâ, conſtanter recuſaſſe colla ſua ſubdere epiſcopo Romano, vel in ejus doctrinam & ſtatuta deſcendere. Quare dum hic non potuit coaleſcere ſciſma, & unio tam ægre obtenta probari ſervarique, deinceps negotium longius abiit, patuitque tandem fruſtra concordiam inter Romanam Eccleſiam, & Græcos Orientales quæri aut inſtitui. Ut minoris facienda ſint quæ jam & tam magno cum ſtrepitu jactat, vel fingit aliquorum Orientalium ad ſe acceſſum Romana Eccleſia, quorum nonnulla conficta, alia emendicata, vel paucorum hominum ſunt, pauca ſpontanea, vel libera, nedum univerſalia.

Et quam non mirum aliquos ſemper reperiri, qui ſpe beneficiorum impetrandorum, vel metu alienæ potentiæ, ad Romanam Eccleſiam vel confugiunt, vel confugere ſe ſimulant, ita minus hoc, quod ſincerâ mente nequeant alii impetrare à ſe ut cum Eccleſiâ ſe conjungant, quæ poteſtatem tyrannicam in quoſcunque exercet ſuo faſtuoſo *Papæ primatu*: qui articulus primus & perpetuus fuit disjuncti à Latinis Orientis. Ut ipſe Bellarminus dicat, in Præfatione, ad lib. de Rom. Pontifice; *Primi, qui ſerio primatum Romani Pontificis oppugnarunt, videntur fuiſſe Græci.* Eamque fere unicam divortii Græcorum à Latinis cauſam fuiſſe nil neceſſe eſt probare poſt Nilum Theſſalonicenſem archiepiſcopum, qui hoc ipſum ſingulari libello demonſtravit, *de cauſis diſſenſionum Eccleſiaſticarum.* Atque inter Romanos Papiſtas Abrahamus Bzovius, Annal. Tom. XVI. ad a. CIↃ CCCCXXXVIII. in initio, diſſidiorum inter Græcos Latinoſque cauſam conjicit in Conſtantinopolitanam Eccleſiam, quæ Romanæ ſedis ſemper æmulata fuerit poteſtatem. Nolo equidem Conſtantinopolitanorum tueri partes, qui & ipſi quoque nimis imprudenter affectarunt

runt Romani epiſcopi faſtum, eadem acti vanitate & ambitione. Quod tamen minus ferendum in Romano fuit, quo non in plures, uti ille, ſed in omnes, atque, quod ille nunquam in iſtum tentavit, hic in illum etiam, & reliquos omnes Patriarchas deberi ſibi ſupremam & Chriſti vicariam poteſtatem, temerè aſſeruit. Quis hoc æquo animo ferat uno in homine, in epiſcopo, ut non ſatis ei videatur ſuis dominari, niſi etiam exteris, alienis, & omnibus imperitet, & ſeu Vrbis ſe efferat principatu, ſeu vanâ Petri ſucceſſione, non cogitet, Petri Chriſtique ſucceſſores, ad eorum exemplum nil prius decere quam animi humilitatem, & dominationis fugam atque odium? Revera *doctores humilium duces ſuperbiæ*, uti Gregorius I. Romanus epiſcopus dicebat de Iohanne Conſtantinopolitano, quando ſe univerſalem epiſcopum incipiebat ſcribere; qui titulus æque Romano, & Conſtantinopolitano ab illo tempore uſurpatus, neque aliâ ex causâ ab illo in iſto reprehenſus, niſi quod ſibi ſoli arrogatum cuperet, ſaltem ejus ſucceſſores, *ſuperbi atque pompatici ſermonis inventionem*, uti de eo ipſe ille Gregorius ſcribit ad Imp. Mauritium. *Abſit à cordibus Chriſtianorum nomen blaſphemiæ, in quo omnium ſacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur.* Nolo ingredi de Primatu Papæ controverſiam, hoc tantum dico, illis rationibus eum à Græcis confoſſum, quibus à Proteſtantibus ſolet, ut unius ſententiæ appareat nos eſſe cum illis, & vix requiri ut aliis contundatur, quam quibus à Græcis factum id videmus argumentis. Quod ad Petrum Apoſtolum ſpectat, à cujus exemplo & ſucceſſione primatum ſuum deducunt Romani, reſpondet Barlaam monachus, quod Petro, idem reliquis conceſſum fuiſſe Apoſtolis ἰσοτίμως. Et non à Petro derivari illud, quodcunque is habuerit, ad ſucceſſores Romanos, cum nec Petrum Romæ epiſcopum fuiſſe, aut quod Clemens ordinarit primatum, unquam, quis dixerit: etiam quod hoc

non magis pro Romano poſſit adferri, quam pro Alexandrino, vel etiam Ieroſolymitano, quorum hic ſedem iſtam tenet, ubi Chriſtus (quod magis eſt, quam ſi forte Petrus Romæ) mortuus. Præterea, inquit Barlaam, *quam abſurdum illud eſt & à ratione abhorrens; cæterorum quidem Apoſtolorum unumquemque communem paſtorem orbis terrarum, perinde atque Petrum, fuiſſe: eorum autem neminem, præter ſolum Petrum, ſucceſſorem reliquiſſe?* Illo etiam argumento Nilus uſus, in lib. *de Primatu Papæ*, dicens: *Si vero, quia Petrus Romæ diem ſuum obiit, idcirco Romanam ſedem magnam cenſes; profecto Hieroſolymorum ſedes major digniorque erit, cum ibi ſervator noſter Ieſus Chriſtus vivificam mortem obierit.* Iam verò à Patribus & Regibus dicunt epiſcopum Romanum primariam dignitatem tenere, non à Chriſto, vel à Petro: illudque propter dignitatem urbis, ad exemplum ordinis politici, *διὰ τὸ βασιλεύειν εἶναι τὴν πόλιν*. Sed paria jura Patres conceſſerunt Conſtantinopolitano, ſecundo quidem à Romano, ordine, non dignitate vel poteſtate inferiori, non ut ab illo crearetur, *quandoquidem nec hic, nec alius quiſpiam Patriarcharum à Papa ordinabatur.* Nilus, *ſi vero, quia primus es in numeratione, idcirco dominatum accipis, concede hoc ipſum etiam Conſtantinopolitano, nam & hic præponitur Alexandrino. Alexandrinus vero eadem ratione ſub ſe habet Antiochenum, hic verò rurſum Hieroſolymitanæ ſedi præſcribit.* *Ὅλως δὲ τοῦ Πάπα πρωτεῖον συντεταγμένον ἐστὶ καὶ οὐκ ἐξῃρημένον*, *quod autem Papæ primatus coordinatus eſt, non exceptus, liquet.* Ipſumque non eſſe majoris ordinis quam epiſcopum, Nilus hinc probat, quia non modo epiſcopus à Patribus vocatur, ſed quoque ab epiſcopis ipſe ordinatur, *quod non fieret, ſi ipſe epiſcopo major eſſet. Neque enim quiſpiam alteri impertiri poteſt, quod ipſemet non habuit.* Deinde ex Dionyſio oſtendit, quomodo ejus tempore omnis eccleſiaſtica hierarchia diviſa fuit in diaconos, ſacerdotes, & epiſcopos, ut tum nulla dignitas

major

major vel ſuperior fuerit epiſcopali. Quod autem Romanam vocant ſedem apoſtolicam, quaſi hoc pacto ſingulare aut ſuperius quid ei attribuatur, oſtendit Nilus, appellationem illam aliis quoque catholicis fratribus communem eſſe, ut ipſorum ſedes dicantur ſedes apoſtolicæ; catholicam vero Eccleſiam Romanam temere dici, Barlaam probat. Atque contra infallibilitatem Papæ, objiciunt exemplum P. Honorii, à ſextâ Synodo propter hæreſim anathemate perculſi, quod apud Nilum aliquoties repetitur; & Papiſſam Iohannam profert Barlaamus. Atque ita in reliquis. Vt omnino conſtet, Græcos adferre adverſus Papæ principatum tam egregia ſolidaque arma, ac quis alius: præ quibus levia & inania ſunt, quæ ad aucupandam Papæ gratiam mercenarii Græci Beſſarion, aut Gennadius, protulerunt.

Quod deinde *Neſtorianam*, vel *Eutychianam*, aut hinc enatas hæreſes concernit, & Orientales infecit Eccleſias, id non adeo conſideramus ut quid ipſorum adverſus Latinos, quam quod adverſus veritatem, & communem Eccleſiarum orthodoxiam ſuas his Eccleſias deformarunt, quorum apud ſe, ac apud nos, alioſque habent adverſarios quamplurimos. Sed quia non exiguam Orientalium Eccleſiarum partem à longiſſimo tempore illa infeſtarunt, hodieque aſſeclas habent non paucos, eatenus attendenda illa nobis ſunt atque examinanda, omiſsâ diſputatione, quæ in Veterum ſcriptis hodieque extantibus copioſe legi poteſt. Videantur Gelaſius epiſc. Romanus, *de duabus naturis in Chriſto*, adverſus Neſtorium, & Eutychem: Vigilius, *contra Eutychem*, *libris* v. extant quoque in Bibliothecâ Patrum. Leontius Byzantinus, *contra Neſtorium, & Eutychem*, *libris* III. Maximi *Diſputatio*, cum Pyrrho Conſtantinopolitano; aliique.

In quæſtione de *conjugio*, vel cælibatu *Clericorum*, in præcipuo nobiſcum conveniunt, contra Romanos, quod

quod non repugnare contendunt, ut quis ſimul ſit conjugatus, & Eccleſiaſtico fungatur munere. At excipiunt, ne ſit bigamus; id eſt, ne ad alteras tranſierit nuptias, quod non admittunt in Clerico: non quidem damnant, ſed non coronant, etiam in laico: quartas omninò rejiciunt. Vnde in Vnione Ruſſorum Polonorum cum Romanâ Eccleſiâ, a. cIↃ IↃ xcv. expreſſo articulo ſtipulati fuerunt: *matrimonia ſacerdotalia ut integra conſtent, exceptis bigamis.* Novella cxxIII. cap. xII. *Clericos non aliter ordinari permittimus, niſi literas ſciant, & rectam fidem, vitamque habeant honeſtam: & neque concubinam aut naturales habuerint aut habeant filios, ſed caſtè viventes, aut uxorem legitimam, & ipſam unam & primam habentes, neque viduam, neque ſeparatam à viro; neque aliter legibus aut ſacris canonibus interdictam.* Tam pro hoc, quam illo, id eſt, quod uxorem habere liceat, & tantum unam oporteat, proferunt Scripturæ quædam loca. Confeſſio Æthiopum, apud Damianum à Goës: *Et id, quod Presbyteri apud nos uxores poſſideant, ex Paulo accepimus, qui mavult clericum & laicum nubere, quàm uri. Is quoquè inquit, oportere Epiſcopum virum unius uxoris eſſe, & irreprehenſibilem, ſobrium: parique modo vult eſſe diaconos.* Patres Trullani, can. xIII. pro non diſſolvendis Sacerdotum conjugiis, adferebant tum Chriſti illud: *quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet*; tum Pauli, *ligatus es uxori, ne quæras ſolutionem:* Quam ſit hodiernorum Græcorum hâc ſuper re conſtans ſententia, diſces optime ex Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinop. Reſponſo ad Tubingenſes Theologos: *Secundo dicitis, melius eſſe matrimonium contrahere, quam uri: ſecundum illud unius mulieris virum, & cætera D. Pauli præcepta. Ideò nos quoque illis Sacerdotibus, qui ſe continere non poſſunt, antequam Sacerdotes conſecrati ſunt, conjugii uſum permittimus. Deus enim conjugium præcepit. Nec ignoramus, conjugio Sacerdotibus interdicto, turpia ab ipſis committi. Qui vero caſtitatem*

tem vovit, caſtitatem ſervet: tali, poſt votum factum, marito eſſe non permittimus. Nemo enim qui manu ſuâ aratro impoſitâ, ſe retrò vertit, idoneus eſt ad Regnum cæleſte. Quod ſi infirmitate humanâ lapſus ſit, caſtigamus eum, pœnitendo, confitendo, cæteras frictiones ſubeundo, & à malis abſtinendo, donec ablutus ſit: tunc miſericordia Dei non reprobabit ipſum. In diacônum autem nemo conſecratur, niſi conjugatus. Vnde plerunque & nuptias celebrare, & in gradum diaconatus ſimul ordinari ſolent. Si vero ſponſa diaconi male audit, in diaconum ipſe', niſi integræ famæ uxorem duxerit, non conſecratur. Mortua conjuge, ſacerdos à ſacris obeundis prorſus ſuſpenditur: ſi caſte tamen vivit, officiis ac aliis rebus divinis, cum cæteris Eccleſiæ miniſtris, choro tanquam miniſter intereſſe poteſt. Erat quidem antea conſuetudo, ut vidui caſte viventes, ſine reprehenſio-„ne ſacra peragerent. Sed nunc mos invaluit, ut nul-„lus viduorum ad ſacra facienda permittatur, niſi „monaſterium aliquod ingrediatur, juxtàque regu-„lam vivat. Quicunque ſacerdos viduus, ad ſecun-„das nuptias, quod cuique liberum eſt, tranſierit, „is nihil habet cum clero commune. Hæc de illis Sigiſmundus Baro. Alexander Guagninus Veronenſis, in Deſcriptione Moſcoviæ, cap. 11. *Sacerdotes Romanos confundunt, qui cœlibem vitam ducere ſeſe juramento obſtringunt, cum ſancta Synodus, quæ fuit in Gangra, ſcribat in quarto canone: qui ſpernit ſacerdotem ſecundum legem uxorem habentem, dicens quod non liceat de manibus ejus ſacramentum ſumere, anathema ſit. Id eadem Synodus dicit, ut omnis ſacerdos & diaconus propriam uxorem dimittens, ſacerdotio privetur.* Ita & Scripturam, & canones pro ſuâ ſententiâ adferunt. Denique Latinis applicat illud Pauli 1 Tim. IV. 2. *doctrinis dæmonum prohibentium nubere*, Nicetas Pectoratus, in libello contrà Latinos, ad quem reſpondit Humbertus Cardinalis. Verùm quod ad locum Apoſtoli pro monogamis,

 qui

qui & pluribus, præter Græcos, difficultatem movit, 1 Tim. III. 2. *decet epiſcopum eſſe μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*, cum alii ita intelligunt, ut non liceat epiſcopo ſimul plures habere uxores, ſive ex uſitatâ *polygamiâ*, ſive ex temerario *repudio* aſſumtas; alii quod nunquam liceat epiſcopo plures habere aut habuiſſe, quem in ſenſum Græci illud capiunt, & ex Latinis plures: quibus hactenus accedunt Pontificii; Bellarminus, *lib.* I. *de Clericis, cap.* XXIII. ex Noſtris Salmaſius, lib. *de TrapeZitico fœnore, pag.* 51. *&c.* Priorem expoſitionem vulgo ſequuntur Theologi noſtri, ſeu locum illum interpretentur in ſuis Commentariis, ſeu vindicent in diſputatione cum Pontificiis: ortamque regulam ajunt ex perversâ ſive Iudæorum, ſive Gentilium conſuetudine, ubi uni marito plures, nec intercedente morte, ſed vel per polygamiam cumulativam, aut ex repudio diverſatum, contingebant aliquando uxores, quod in epiſcopo non tolerandum Apoſtolus cenſuit. Dicere, tum temporis bigamiam aut polygamiam cumulativam in uſu aut more non fuiſſe, valde dubito ne ſatis certum ſit: quum Seneca, cujus ætate Paulus vixit, in hunc morem invehatur, lib. III. de beneficiis, cap. XVI. poſtquam dixiſſet, quomodo pudorem rei tolleret peccantium multitudo, & commune maledictum deſineret eſſe probri loco, quod exemplo hoc commonſtraturus, *nunquid jam ulla*, inquit, *repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ, non conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii causâ, nubunt parricidii? Tam diu iſtud timebatur, quamdiu rarum erat.* Idemque Iuvenalis exprobrat, Satyra VI.

ſic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos: titulo res digna ſepulchri.

Iſti hominum mores erant, ea conſuetudo: & quod in mulieribus, id in viris quoque, & in his quidem pejus, iterabatur, utcunque contra leges in-

ter

ter ipſos latas, rectamque rationem, & placita ſapientum committeretur. Atque apud Iudæos ad ſua uſque tempora ſervatum memorat Iuſtinus, coram Tryphone Iudæo, ut ex Magiſtrorum ſuorum ſcitis liceret cuique quatuor aut quinque uxores habere: & quod ſiquis formoſam conſpicatus eam concupiſceret, Iacobi & aliorum Patriarcharum exemplo id excuſarent probarentque. Quod Iudæis, & Gentilibus uſitatum olim fuiſſe, ſcribit in Apoſtoli locum Theodoretus. Vt non tam alte inclamare opus ſit, quaſi hoc nuſpiam moris fuiſſet Apoſtolorum ævo, quod in Epiſcopo videtur Apoſtolus improbare, ſi plurium uxorum, & non morte ſuccedentium, vir fuerit. Quin in Conſultis Bulgarorum, ad quæ reſpondit P. Nicolaus 1. id adhuc fuit, cap. 11. *ſi liceat uno tempore habere duas uxores?* Atque ad Iudæorum morem Paulum reſpexiſſe Chryſoſthomus quoque indicat, dum locum exponens, ait: Iudæis autem licitum erat, *καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας*, id eſt, bigamis eſſe ſucceſſive & cumulative. Ita plerique paſſim exponunt, Apoſtolum velle ut epiſcopus ſit unius uxoris vir, non plurium, ſive per ſimplicem polygamiam, ſive quod propius accedit, per temerarium unius alteriuſve repudium, & amplexus promiſcuos. Quod in laicis reprehendit canon dictus Apoſtolicus xlvii. *εἴτις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλλων, ἑτέραν λάβῃ, ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω.* Ex verſione Gentiani Herveti: *ſi quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.* Quod multo magis reprehendendum in epiſcopo. Vt autem dicam quod ſentio, exiſtimo per iſtud *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα* Apoſtolum non velle an unius, an plurium uxorum poſſit eſſe epiſcopus vir, ſed ſimpliciter ut uxoratus ſit, non de neceſſitate quidem, ſed quantum ad *ἀνεπιληψίαν* requiri videtur: ut *μιᾶς* non ſit *unius*, ſed *alicujus* uxoris vir. Quemad-

modum εἷς, *μία*, in ſcriptis Novi Teſtamenti aliquoties ſumitur. Matth. VIII. 19. καὶ προσελθὼν εἷς γραμματεὺς, *& accedens ſcriba aliquis.* cap. XXI. 19. συκῆν *μίαν.* verſ. 24. *interrogabo & ego vos* λόγον ἕνα. cap. XXVI. 69. *& venit ad ipſum* μία παιδίσκη. Joann. VI. 9. ἓν παιδάριον. Luc. V. 12. ἐν μιᾷ τῶν πόλεων. Ex & *μία* pro τὶς, vel εἴτις, ut apud Marcum, XIV. 51. Ergo μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, alicujus uxoris vir. Vel pone, bigamiam Apoſtolus taxarit, cenſeo quod ſi tamen poſt primum conjugium epiſcopus videret ſe non poſſe vivere ἀνεπίληπτον extra nuptias, canon is (ſi nempe ita intelligendus) cedere deberet graviori iſti, qui in naturâ fundatus eſt, in religione matrimonii, de conjugio ineundo ad compeſcendos æſtus carnis: hæc enim moralis & naturalis lex eſt, illa modo Eccleſiaſtica, & ordinis, non naturæ, & quæ tenet modò ne priori obſit. Neque digamia damnatur, in quocunque etiam homine, quomodo fornicatio. Chryſoſthomus δευτερογαμίαν non carere quidem dicit criminatione, πολλὰς ἔχει τὸ πρᾶγμα κατηγορίας: haud tamen peccatum conſtituit, quum non contra leges ſit. Quâ ratione Hieronymus dixit, contra Iovinianum, quod eſt in Iure Canonico Gratiani c. XXXI. q. I. c. Aperiant. *Non damno digamos, imo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.* Alii locum Apoſtolicum explicarunt de matrimonio poſt *baptiſmum* contracto, ut tantum unum deberet eſſe in epiſcopo, quantumvis forte pluribus fuiſſet implicatus ante baptiſmum. In quem ſenſum profertur canon Apoſtolorum XVI. ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Atqui ſi de licitis nuptiis intelligatur, quare non ſemper licitæ? vel quomodo poſt baptiſmum offendunt, quæ ante baptiſmum licuerunt? ſi de illicitis, id eſt de verâ ac prohibitâ polygamiâ, ea meritò arcet ab epiſcopatu: atque ſimul-

tanea

tanea vel cumulativa ea videtur hic intelligi, quia dicitur quis iis συμπεπλεγμένος, unà irretitus, id eſt, duobus nuptiis ſimul. Quidquid ſit de loco Apoſtoli, Græci iniquiores ſemper adverſus digamos quoſcunque & trigamos ſeu polygamos ſucceſſivos fuerunt, pœnâ eccleſiaſticâ in eos conſtitutá remotionis à ſacrâ communione. De quo forte intelligendus canon III. Synodi Neocæſarienſis. Expreſſe autem Baſilius in canonicâ epiſtolá ad Amphilochium, can. IV. digamus anno, aliquando biennio extra communionem ponitur, trigamus ſæpe tribus, vel quatuor, imò & quinque annis. Non quidem illos omninò arcebant ab eccleſiâ, quamvis à S. communione, ſed dignabantur ἀκροάσεως auditione, ut inter audientes conſiſterent duobus vel tribus annis; tum συστάσεως inter fideles ut conſiſterent, tamen adhuc ἀπεχόμενοι τῆς τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίας, uſque dum probatâ pœnitentiâ ad communionis ſuo loco participationem admitterentur. Quartum verò matrimonium non ſolum eccleſiaſticè, ſed & politicè damnarunt, promulgatâ ſingulis annis menſe Iulio, ex ſuggeſtu definitione hâc Conſtantini Porphyrogennetæ: τέταρτον γάμον μηδενὶ τολμᾶσθαι, ἀλλ' εἶναι ἀπόβλητον παντελῶς: & *ſi quis ad ejuſmodi conjugium venire voluerit, eſſe omni eccleſiaſticâ congregatione privatum, & ab ipſo in ſanctum templum ingreſſu alienum, donec in conjugio permanſerit. Hoc enim etiam ſanctis Patribus, qui nos præceſſerunt, viſum eſt. Nos vero etiam ſententiam apertiorem reddentes, ipſum, ut à Chriſtianâ republicâ alienum abdicamus.* Quodque de trigamis, ita limitant, ut ſi quadrageſimum annum exceſſerit, & ex prioribus nuptiis liberos habuerit, ad tertias progredi nullo modo permittatur; ſin nullos, trigamus fit ſub pœnâ abſtentionis à S. communione uſque ad quinquennium. Qui verò triginta annis natus, & ex prioribus nuptiis liberos ſuſceperit, tertiæ mulieri conjungitur ſub pœnâ excommunicationis ad quartum annum; ſin autem non ſint ei liberi, a-

ſiquantum ei condonatur, & leviori in ipſum, pœnâ tamen etiam, animadvertitur. Omnia præter æquitatem rigida: uti paſſim duriorem exercuere diſciplinam, ubi nullam, vel mitiorem oportuiſſet adhibere. Vt nunc minus mirum alicui videri debeat, quod in clericis, bigamiæ ratione, Græci minus diſpenſant: quamvis & diſpenſare aliquando etiam hac in re Æthiopum patriarcham, propter bonum publicum, legitur in Confeſſione ipſorum factâ à Chriſtophoro Licanato, ſive Zaga zabo. Et nonnullos, quamvis bigamos, ad majores gradus aliquando promoveri, invitis canonibus, ſignificat Balſamon, ad can. XVI. Apoſtolorum. Græci in benedicendo conjugio adhibent coronationem, inde ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος in eorum Liturgia, ſeu euchologio, quando ſacerdos primum ſponſo, tum ſponſæ imponit coronas, adhibita ſolemni benedictione, cum qua eaſdem deponunt iterum octava die: at in bigamis hæc omittunt. Benedicit quidem illorum nuptiis ſacerdos, communibus uſus ad hoc formulis & precationibus; non verò coronat bigamos: neque inter ſacrorum celebrationem hoc officium, uti aliàs, peragitur; ad quod bigamus, niſi expleto pœnitentiæ tempore, non admittitur. Neque tamen illud de coronis univerſalis eſt obſervationis. Vnde in Reſponſis Nicetæ Heraclëenſis ad Conſtantinum epiſcopum eſt: An qui ad ſecundas convolat nuptias, accipere poſſit bigami precationem à regionis antiſtite? *Reſponſio*. Exacta quidem diſciplina bigamos coronare non novit: magnæ autem eccleſiæ conſuetudo hæc non obſervat, ſed bigamus etiam ſponſalitias coronas imponit: nec ullus unquam per eam cauſam incuſatus eſt. Ideoque calumniam non formidabit quiſquam, ſi tales coronaverit, niſi quod annum unum aut alterum à ſacrorum myſteriorum communione arceri debeant: nec eum qui precationem concepit, ſimul cum iis cibum ſumere oportet.

Ergo

Ergo Græci, qui à Romanis diſtant in eo, quod conjugia Eccleſiaſticis relinquunt, quæ iſti tollunt, à nobis vero diſſentiunt in hoc de *bigamis*; & quod *ante ordinationem* clericalem, non poſt eam, permittant conjungi; & in reliquis gradibus, excepto *epiſcopatu*: quum tamen de epiſcopo dicat Apoſtolus, quod debeat unius uxoris vir eſſe. & Chryſoſt. Apoſtolum hæreticorum ora obſtruere, qui damnabant nuptias, eumque contrà oſtendere, rem eam culpa carere, quin & adeo eſſe honoratam, *ut cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad S. epiſcopatus ſolium ſubvehi*, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον. Confer Novell. Iuſtin. CXXIII. c. XIII. Imp. Leonis Conſtit. II. & III.

Circa *Iejunium ſabbathi* Græci obſervatum volunt Apoſtolorum (ut dicitur) canonem lxv. ſec. alios lxvi. *ſi quis clericus inventus fuerit die dominico jejunare vel ſabbato, præterquam uno ſolo, deponatur: ſin laicus, ſegregetur.* Apud Ignatium, epiſt. ad Philippenſes: *quicunq; dominicam aut ſabbatum jejunaverit, præter unum ſabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Et Clemens, Conſtitut. l. VII. c. XXIV. *aut quintâ & ſextâ feriâ: Quoniam quarta quidem judicium in Dominum pronunciatum eſt, poſtquam Iudas proditionem pecuniâ promiſerat: Sextâ verò mortem in cruce ſub Pontio Pilato paſſus eſt. Sabbatum tamen, & Dominicum feſtos dies agitate, quod ille quidem dies recordatio ſit fabricationis mundi, hic verò reſurrectionis. Vnum verò tantummodo ſabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, ſabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti: quo quidem jejunare deceat, non autem celebrare feſtum. Dum enim auctor mundi ſub terra eſt, ſuperat luctus mortis lætitiam effectionis univerſi; quod ipſe effector præſtantior ſit naturâ, & dignitate rebus à ſe effectis.* Non die dominico jejunari volunt, in quo convenit orientali cum occidentali eccleſiâ, quod propter reſurrectionem Chriſti videatur dies lætitiæ: non ſabbato, ne cum Iudæis hoc pacto facere videantur, & teneri religione ſabbathi; excepto u-

no ſabbato magno, ante Paſcha, quo recolant ſcilicet Chriſtum in ſepulchro jacuiſſe, quaſi illud ſequentes quod dictum: quando ablatus ab eis fuerit ſponſus, tunc jejunabunt. Canonem illum adduxerunt Trullani Patres in Synodo quiniſexta c. lv. ubi Romanæ Eccleſiæ morem aperte taxabant, quod ſabbatis quoque, per totam quadrageſimam jejunarent; quod etjam reliquis extra quadrageſimam facerent. Hiſpani in Concilio Eliberitano, ſecuti morem Eccleſiæ Romanæ, jejunium ſabbaticum confirmarunt, can. XXVI. *Errorem placuit corrigi, ut omni ſabbathi die ſuperpoſitiones celebremus.* Sic Garcias Loaiſa: alia editio legit, *ut jejuniorum ſuperpoſitiones celebremus.* Superpoſitiones ſunt ὑπερθέσεις Græcis, dictaque ſic jejunia, quod cibariis ſuperponuntur. Iudaizare illâ ratione Latinos, Græci dicebant. Vnde Michaël Cerularius, in epiſt. ad Iohannem Tranenſem epiſcopum: *Sabbata vero quomodo in quadrageſima Iudaice obſervatis?* Atque *Sabbatianos* appellabat Nicetas Pectoratus. At vero quantumvis illa antiquiſſima inter utramque Eccleſiam ſit controverſia, ex diverſâ jejunandi apud utroſque à primis inde temporibus conſuetudine orta, non tamen tanti haberi debuit, ut ullam concitaret litem, abolendis potius utrimque ſtatis illis, neque ſuperſtitione carentibus jejuniis, de quibus nemo præceptum ullum divinum adferre potuit, οὐδεὶς ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα, uti loquitur Socrates, *lib.* V. *cap.* XXI. In aliis ſequendus potius mos ac conſuetudo Eccleſiæ, ubi quis degit, citra vel neceſſitatem aut ſuperſtitionem, alteriuſve Eccleſiæ aut moris inſectationem: ſicuti de hoc jejuniorum negotio diverſimode apud Eccleſias quoque occidentales obſervato reſponderunt Hieronymus, & Auguſtinus. Ille, epiſt. ad Lucinum: *De Sabbatho quod quæris, utrum jejunandum ſit, & de eucharistiâ, an accipienda quotidie, quod Romana eccleſia & Hiſpanica obſervare perhibentur, ſcripſit quidem & Hippoly-*

polytus vir diſertiſſimus, & carptim diverſi ſcriptores è variis autoribus edidere. Sed ego illud te breviter admonendum puto, traditiones eccleſiaſticas (præſertim quæ fidei non officiant) ita obſervandas ut à majoribus traditæ ſunt. Nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſemus, quod in Actis Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus. Iſte, epiſt. CXVIII. ad Ianuarium: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt. Credo te aliquando ex me audiſſe, ſed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me conſecuta, invenit eccleſiam ſabbatho non jejunantem: cœperat perturbari & fluctuare quid ageret. Tunc ego talia non curabam, ſed propter ipſum conſului de hâc re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit, ſe nihil docere me poſſe, niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet id potius obſervaret. Cumque ego putaſſem nullâ redditâ ratione authoritate ſolâ ſuâ nos voluiſſe admonere ne ſabbato jejunaremus, ſubſecutus eſt, & ait mihi: Cum Romam venio jejuno ſabbato, cum hic ſum non jejuno: Sic etiam tu, ad quam forte eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi. Hoc cum matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt. Ego vero de hâc ſententiâ etiam atque etiam cogitans, ita ſ[illegible] habui, tanquam eam cæleſti oraculo ſuſceperim. Senſi enim ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem & ſuperſtitioſam timiditatem, quæ in rebus hujuſmodi quæ neque ſcripturæ ſanctæ authoritate, neque univerſali Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum poſſunt terminum pervenire, tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſuâ patriâ ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem ſuam quò remotiorem à ſuis, eò doctiorem factam putat, tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt nihil*

rectum exiſtiment. Optimè. Cæterum in jejuniis, iiſque ſtatis frequentes ſunt Græci. Obſervant quadrageſimam, jejunium feſti S. Apoſtolorum, & natalis Chriſti, & obdormitionis S. Deiparæ, & Chriſti: idque non eâdem, ſed diverſimodâ ciborum abſtinentiâ. De quibus Balſamon, in Reſponſis ad Marcum Alexandrinum. De Moſcovitis, Sigiſmundus Baro, in *Commentario Rer. Moſcovit.* Paulus Iovius, in Legatione Moſcovit. *Vniverſus populus quater in anno, & pluribus ſemper diebus jejunare conſuevit, abſtinetque ab eſu carnium, ovorum, & lactis. In vere primum, more Latino, poſt diem Cinerum: mox adulta æſtate, in honorem divorum Petri & Pauli: & initio autumni demum, cum aſſumptæ in cœlum Mariæ virginis memoriam celebramus: poſtremò ſub ipſam hyemem, cum adventus Domini pronunciatur. Per hebdomadam vero, diem Mercurii ſine carnibus, Veneris autem ſine ovis lacteque traducunt, ſed Saturni dies menſa omnibus obſoniis opiparè referta hilariter excolitur. Cæterum ſecus ac nos ſolemus, nullas feſtorum dierum vigilias obſervant.* Additur Alexander Guagninus, in *deſcript. Moſcov.* cap. II.

In abſtinentia ab *eſu ſanguinis & ſuffocati* Græci primo loco objiciunt canonem Apoſtolorum, ex Actis cap. XV. 29. atque hâc in re olim convenerunt multi diuque, quamvis non pari omnes aut obſervantiâ, aut neceſſitate. Et quia hodieque nonnulli cum Græcis canonem illum intelligunt, de eo, ut de tota re attentius videndum nobis eſt, quid ſtatuere oporteat. *Act.* XV. 28. Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων. 29. Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτοῦ καὶ πορνείας ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε. Varia quæ circa hunc Synodi Apoſtolicæ canonem vel diſputantur, aut quæri poſſunt, omittimus: ut, quid εἰδωλόθυτον ſit? vide 1. Corinth. VIII. an αἷμα & πνικτὸν duo conſtituant capita, an unum? præcipue quum cap. XXI.

xxI. 25. hujus libri interciſum inter utrumque habeatur, καὶ τὸ αἷμα, καὶ πνικτὸν: verùm ſive interciſum ponatur, ſive non, eòdem res redit, ut ſanguinis eſus prohibeatur, ſive in ſuffocato, ſive extra illud: etenim propter ſanguinem eſt, quod ſuffocatum habetur illicitum, illudque generis, hoc ſpeciei communiſſimæ rationem obtinet. Per ſanguinem & ſuffocatum, humanum ſanguinem, ejuſque effuſionem intelligere, quod Patres, Tertullianus, Cyprianus, Theophylactus, nimis à propoſito abludit. Πορνείαν ſunt qui explicant non fornicationem ſimpliciter, ſed ejus ſpeciem & gradum turpiſſimum, adulterium atque inceſtum: exemplo, 1 Cor. v. 1. Ita Seldenus *lib.* VII. *de jure natur. Hebraor. cap.* XII. Alii fornicationem ſpiritualem, id eſt, idololatriam, quamque committebant accumbendo in idoleo. Heinſius, πορνικὴν θυσίαν victimam meretriciam, quam meretrices mercede pretioque meretricio emtam partamque Diis ſuis offerebant Nos ſimpliciter & juxta communem vocis acceptionem, fornicationem explicamus. Denique ſunt Codices, qui præter illa memorata capita in hâc Synodo conſtituta, legunt additam concluſionem: καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν. *& quæ non vultis vobis fieri, aliis nec facite.* Quomodo videntur legiſſe Irenæus, ac Cyprianus. Habent id quoque verſio Æthiopica, Complutenſis, Regia, Montani, exemplar Cantabrigienſe, & nonnulli MSS. de quibus Beza in Notis, Iunius, Lud. de Dieu, Seldenus, loc. cit. Nos illa non multum movent, qui ſtamus fide plurimorum, & vulgatiorum, atque probatiſſimorum codicum. Vt neque quod alii videntur non legiſſe præceptum de ſuffocato: Vide Baronium, *Tom.* I. *ad* A. 51. Verùm iſtis & aliis miſſis, interdictum illud ſanguinis & ſuffocati; quale eſt? an juris moralis, vel ſaltem perpetui? ita ut nunquam liceat comedere de ſuffocato, aut ſanguine? Certe multi ſemper fuerunt, de Chriſtianis lo-

quor,

quor, atque ii etiamnum, qui illicitum eſum putant, & contra præceptum, quod ut juris moralis, ita perpetuæ volunt eſſe obſervantiæ. *Græci* communiter: atque ex *Patribus* aliis etiam plurimi. Cujus argumento eſt, quod ad objectionem vel calumniam (de Thyeſteis epulis) ſibi à Gentilibus paſſim objectis, Chriſtiani vulgo ita reſpondebant, ut dicerent, ſe ab omni etiam animalis ſanguine religioſè abſtinere, neque illum inter edulia admittere, quanto magis ſanguinem humanum: quo in ſuis epulis veſci Chriſtianos, Ethnici palam calumniabantur. Deinde per botulos cruore diſtentos, vel inteſtina animalium ſanguine oppleta, farcimina, Chriſtianos probari ſolitos, Tertullianus ſcribit: adeo hinc dignoſcebantur, quòd illa refugerent. Tertulliani verba ſunt in Apologetico: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis & morticinio abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam crůore diſtentos admovetis. Porro quale eſt, ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? niſi fortè ſuaviorem eum experti.* Similiter Minutius Felix, in Octavio: *tantum ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Vnde Biblis martyr, apud Euſebium, lib. v. cap. 1. & Baronium, Tom. II. ad A. 176. reſpondet tortoribus: *Quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum ſanguine veſci licet?* Rem ita explicat Origenes, contra Celſum, lib. VIII. *Suffocata autem fuerint, ſanguine non expreſſo demortua: quam utique dæmonum eſſe aſſerunt cibum, ut ex cujus nitore hi nutriantur. Hac idcirco divinus prohibet ſermo ne in cibum ſumantur, ne fortè dæmonum cibis enutriamur: perinde ac nobiſcum iſtiuſmodi ſpiritus colantur ſi ſuffocatis veſcamur.* Inter Canones Apoſtolorum, LXIII. ita

ita habet: *ſi quis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex ſacerdotali catalogo, comederit carnem in ſanguine animæ ipſorum, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω, vel quid à feris captum, aut morticinium, deponatur, hoc enim lex prohibuit: ſi autem ſit laicus, ſegregator,* ἀφοριζέσθω. illud, carnes in ſanguine animæ ſuæ, eſt τὸ πνικτόν. Synodus VI. in Trullo, can. LXVII. *Divina nobis Scriptura mandavit, à ſanguine & ſuffocato & fornicatione abſtinere. Eos ergo, qui propter lautum & delicatum ventrem, cujuſcunque animalis ſanguinem arte aliquâ eſculentum condiunt ac inſtruunt, & ſic illo veſcuntur, ut par eſt, incuſamus ac punimus: ſi quis ergo deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem clericus, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur.* Propter illos hic canon conſtitutus, qui ſe à ſanguine abſtinere dicebant, interim eſculenta, in quibus ſanguis deliciarum cauſa admiſcebatur, cupiebant: quare noluerunt Patres, ullo modo ſanguine, ſive ſolo, ſive eduliis ἐκ τῶν ἄλλων καὶ ἐξ αἱμάτων factis, frui. Præterea & aliæ Synodi ſuffocati vel ſanguinis eſu quoque interdicunt. Photii Nomocanon, tit. XIII. de laicis, cap. XIII. *De Laicis, qui comedunt idolis immolata, vel carnes in ſanguine, vel ſuffocata, vel à feris capta, vel morticinia. Apoſt. can.* LXIV. *Syn. Ancyr. canon* III. *Gangr. Syn. canon* II. *Syn.* VI. *canon* LXVIII. *Gregorii Thaumaturgi epiſtola, quæ eſt de iis qui immolata comederunt. Baſilii canon* LXXXI, adde Concil. Aurelianenſe II. can. XX. Inde & Leonis Imp. Novella conſtit. LVIII, περὶ τοῦ μηδένα τὸ αἷμα βρῶμα ποιεῖσθαι, certe ſupra modum ſeverá, ſcelus vocans, ſiquis farciminibus, hodieque uſitatiſſimis, quin in pretio & honore aliquo, veſcatur; inſuper gravi & pecuniariâ, & corporali mulctâ illud vindicans: quæ videatur Conſt. ſiquidem prolixior eſt, quam ut illam deſcribamus. Inde Græci, & Moſcovitæ, Abyſſini, Armeni à ſuffocato & ſanguine communiter abſtinent: atque aliter facientes Roma-

nos, vel hanc ob cauſam, condemnant. Balſamon, ad can. Apoſt. lxiii. *Quæ autem à venatoris avibus vel canibus capiuntur, & ſuffocantur, quomodo ab aliquibus comedantur, neſcio. Nota ergo canonem, propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Epiſtola Michaelis Cerularii, contra Latinos, apud Baronium, *Tom.* xi. A. 1053. De Moſcovitis Sigiſmundus Baro, in ſuo rerum Moſcoviticarum Commentario, ex Canonibus cujuſdam Iohannis Metropolitæ, qui Propheta apud illos habitus: *Animalia, volucres ab avibus vel feris lacera, non comedantur: qui vero comederint, aut in azymis celebraverint, vel in ſeptuageſima carne uſi fuerint, vel animantium ſanguinem voraverint, corrigantur. Aves, animalia ſuffocata non comedantur.* Ieremias Patriarcha Conſtantinop. in Reſponſo I. ad Tubingenſes, circa finem: *hinc nec quod ſuffocatum eſt apud nos in cibum adhibetur, in hodiernum uſque diem: ſed averſamur, Patribus & Apoſtolis conſtanter obedientes.* De *Iudæis* res nota. Caput ſeptimum præceptorum Noachi eſt, אבר מן החי, de non comedendo membro animalis vivi. Mikkotzi, Præcepto negativo cxxxiii. *Caro animantis per ſe mortui non comedenda.* Deut. 14. *Et ſi animal non ſit ipſe ut debet mactatum, eſus ejus quoque eſt interdictus. Idem judicium eſt de vitulo aut agno qui octavum nondum attigit diem.* Præcepto ſeq. *Prohibitum eſt edere de animali rapto. Raptum vocatur, quod beſtia ſylveſtris laceravit, aut avis rapax unguibus diſcerpſit. Sic ſi animal rapiatur & non moriatur, adhuc prohibitus eſt eſus. Vt ſi lupus abducat capram auribus, & aliquis inſequens eripiat pecus ex ore lupi, prohibitus eſt eſus, ideoque canibus projiciendum eſt. Idem eſt judicium de bove aut alio pecore quod de tecto cadit, aut quod jaculo vulneratur.* Excipiunt tamen ſanguinem piſcium. Præcepto cxxxvii. *Nullus ſanguis comedendus* Levit. 17. *Excipitur ſanguis piſcium, qui licitus eſt.* Atque *Muhammedani* idem cavent. Muhammed in Alkorano ſæpius, cum carne porcinâ, ſimul prohibet eſum ſan-

ſanguinis, ac ſuffocati. Surata II. & V. & VI. *Prohibuit vobis morticinia, ſanguinem, carnem porcinam, & ſuper quod laudes dicta ſunt aliis quàm Deo.* Hoc eſt, idolothyta. *Diu* fuit, fateor, quòd Chriſtianorum multi, quaſi ex legis divinæ reverentiâ, ſuffocato ſanguineque inter edendum abſtinuerunt. *Hodieque* non deſunt viri cum primis erud.ti, pii, & maximi, qui idem cenſent, non licere ſanguine veſci, præceptumque illud Apoſtolicum conſtanter ac perpetuò omnes obligare. Beatus Rhenanus, in Tertulliani locum, ex ejus Apologiâ ſupra adductum: *Non diu eſt, quod Chriſtiani ſuffocato veſcimur & morticinâ carne. Nam Beatus presbyter, & item Rabanus in pœnitentiario, ſed & quotquot de hâc re ſupra* 400. *annos tradiderunt, certum pœnitentiæ tempus præſcribunt, ſi quis Apoſtolicam hanc legem fuerit prævaricatus. Exſtat in Actis, ſed & cadaver animalis tangere piaculum erat.* Hodie in illam ſententiam diſputant, Chriſtianus Becmannus, in *Exercit. Theologicis*, cap. XXVI. qui & multos ſe noſſe, legem illam religioſe cuſtodientes, teſtatur: inque eundem finem adducit Sebaſtianum Caſtellionem, & Danielem Angelocratorem. Claudius Salmaſius, lib. *de Trapezitico fœnore* pag. 438. præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine contendit non propter συγκαλύβασιν Iudæorum, ne hi à Gentilibus promiſcuè ſanguine & ſuffocato veſcentibus nimium offenderentur, ſed tanquam rem omnino neceſſariam poſitum, ut caput legis cæremonialis quod impoſterum ſemper, æque ut illud de non ſcortando, obſervandum eſſet. Ex adverſo plures cenſent, legem illam de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato temporariam fuiſſe, neque perpetuùm obligare. Sic diſputant, ſic vivunt plerique, nihil ut diſcriminis, propter conſcientiam ſcilicet, inter cibos obſervent, ſed & ſanguine ac ſuffocato peræque veſcantur. Baronius, Annal. Tom. I. ad A. 51. *Quidam Apoſtolici culminis reverentiâ, illud ipſum inſtitutum*

aliquandiu retinendum putarunt; quod demum totius Occidentalis Eccleſiæ conſenſu eſt æquè laudabiliter antiquatum. Tacitâ diſſuetudine, & quod nullum amplius à Gentilibus, vel Iudæis ſcandalum verendum videbatur, lex illa vulgo obſervari deſiit. Neque nunc demum, ſed & olim, quando etiam ab aliquibus obſervabatur, alii meliori freti libertate, eam omiſerunt, & promiſcue ſanguine quoque inter eſculenta uſi fuerunt. Iam tempore Auguſtini. Quod teſtantur ea, quæ habet adverſus Fauſtum Manichæum, lib. XXXII. cap. XIII. *Et in Actibus apoſtolorum hoc lege præceptum ab apoſtolis, ut abſtinerent gentes tantùm à fornicatione & ab immolatis & ſanguine: id eſt, nequaquam ederent carnem, cujus ſanguis non eſſet effuſus. Quod alii non ſic intelligunt, ſed à ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet. Hoc nunc diſcutere longum eſt, & non neceſſarium: quia & ſi hoc tunc apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus onerosam, in quâ cum Iſraëlitis etiam gentes, propter angularem illum lapidem, duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervârent: ſimul & admonerent, in ipſâ arcâ Noë, quando Deus hoc juſſit, eccleſiam omnium gentium fuiſſe præfiguratam: cujus facti prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctiùs eminebant: & ubi eccleſia gentium talis effecta eſt, ut in eâ nullus Iſraëlita carnalis appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos in hâc re*

tenuit

tenuit illa ſententia veritatis. Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit, nullam cibi naturam, quam ſocietas admittit humana, ſed quæ iniquitas committit, peccata condemnans. Obſerva, quod & pauci erant, & ab aliis paſſim irridebantur, quibus ſang uine veſci religio videbatur. Euantus, vetus auctor, ſed qui poſt tempora Gregorii vixit (hujus enim adducit librum Paſtoralem;) ſcripſit epiſtolam, contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicabant: cujus opinionis dicit extitiſſe quoſdam in partibus Cæſar Auguſtanis, adeo non communis aut conſtans ſententia vel praxis erat abſtinendi ab eſu ſanguinis: atque adverſus id quod ex hoc loco Act. xv. objiciebant, reſpondit, id pro tempore conſtitutum, propter infirmitatem Iudæorum, vel Chriſtianorum ex Iudæis: *Quod ſi fortè objiciunt, iſta in canonibus haberi. Nec ego me iſta fateor ignorare, ſed in antiquis canonibus iſta reperiuntur, quando eccleſia ex circumciſione & præputio ad fidem congregabatur; quando adhuc non ſolido cibo, ſed lacte nutriebatur. Tale quid ad Corinthios Apoſtolum dixiſſe noverint, & in Actibus Apoſtolorum facta invenient. Nunc vero eccleſia Dei ſolido cibo fide roborata conſiſtit, ut viriliter contra impetus hæreticorum pugnet, non in infantium mollitie enervata ſuccumbat.* Allegat quoque in ſuam ſententiam Auguſtinum, contra Fauſtum Manichæum; & Hieronymum: ne alia dicam. Epiſtola illa edita à Caniſio eſt, ex MS. monaſterii S. Galli, extatque Lectionum ejus Antiquarum *Tom.* v. *part.* II. Paſſim Auctores ſe illo Auguſtini loco expediunt. Nicolaus I. in *Reſponſo ad Conſulta Bulgarorum, cap.* xc. Vide & Humbertum Cardinalem, in Diſputatione adverſus Græcos, apud Baronium, in Appendice, *Tom.* XI. *pag.* 783. Adeoque nunquam communiter illa opinio & praxis obtinuit de abſtinentiâ à ſuffocato & ſanguine, quin plurimi ſemper contrarium ſectati fuerint. Scholaſtici in hanc ſententiam pronunciant: Thomas I. II. *qu.* CIII. *art.* IV. prohibita illa

Act. xv. dicit fuiſſe pro tempore ſolutum, non in perpetuum, quouſque coaleſceret unio Gentilium, & Iudæorum. Eraſmus, in Annotat. ad I. Cor. VII. de decreto iſto ſimiliter: *Quod ibi decretum eſt, adeo eſt antiquatum, ut nunc Iudaizare crederetur, qui abhorreret à gallina ſuffocata, aut fartis ſanguine diſtentis. Nec lædimus interim Apoſtolicam majeſtatem, tantùm exiſtimamus hoc ad tempus fuiſſe conſtitutum ob placandos Iudæorum animos.* Quid Commentatores dicant in locum ipſum Act. xv. quilibet viderit: nobis curæ non eſt impræſentiarum illos conſulere, vel evolvere. Auguſtana Confeſſio hujuſce meminit, art. ult. circa finem: *Apoſtoli juſſerunt abſtinere à ſanguine, quis nunc obſervat? neque tamen peccant, qui non obſervant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſervitute: ſed ad tempus prohibuerunt, propter ſcandalum. Eſt enim perpetua voluntas Evangelii conſideranda in decreto. Duo* ſunt potiſſima argumenta, quæ abſtinentiam à ſanguine imperare videntur. *Primum*, legis Noachicæ illud Gen. IX. 4. *Alterum* ex canone Apoſtolico Act. xv. 29. petitum Adferuntur & alia, ex lege Moſaicâ, Levit. III. 17. & VII. 26. & XVII. 26. Deut. XII. 16. 23. & xv. ult. I Sam. XIV. 32. ſed quæ ex communi regulâ de abrogatione cæremonialium facilè ſolvuntur. Illud urgere magis videtur, quod ante legem Moſaicam præceptum hoc tenuit, inde à Noacho: unde nonnulli exiſtimant, juris Noachici caput ab Apoſtolis hic confirmatum, & in canonem relatum fuiſſe: quod refellit Seldenus, *lib.* VII. *de jure Natur. Ebræor.* ſed ad illud Geneſ. IX. 4. ſimiliter reſpondetur, multa cæremonialia ante Moſem obtinuiſſe. Iam à primâ mundi ætate ſacrificia in uſu fuerunt, atque obſervata ratio primitiarum, decimarum &c. quæ non idcirco perpetuæ legis ſunt. Argumentum ex Act. xv. 29. validius eſt, neque nullam continet difficultatem. Nam & ab Apoſtolis, ſub N. Teſta-

men-

mento, ubi agitur de lege cæremoniali vel ſervanda, vel abroganda, ubi de inſtruendâ Eccleſiâ, imperatur, atque ex reliquâ lege retinetur, quin ut ἐπάναγκες, & juxtà cum ſcortationis cavendæ præcepto obſervandum. Reſpondemus autem, nobis haud videri canonem iſtum de ſanguine & ſuffocato perpetuæ legis habendum eſſe: ſed pro tali, qui quid iſto tempore, in gratiam Iudæorum χειμαζόντων à Gentilibus Chriſtianis fieri oportuerit, in facili cujuſdam actus omiſſione, edixit. Adeò ut ex capite de eſu libertatis Chriſtianæ, hoc quoque de eſu ſanguinis decidi & explicari debeat. Legis cæremonialis eſt, inter alia, ut à ſanguine & ſuffocato abſtineatur. Videtur ſubeſſe moralis ratio, & fundamentum analogiæ in deteſtatione omnis crudelitatis & feritatis morum: uti omnia cæremonialia in aliquo aut legis, aut Euangelii fundamento analogiam ſuam habent: ſed unde imperitè admodum argumentum fieret, ad ipſius legis obſervantiam, ad quam niſi mediatè per accedentem divinam juſſionem concludi nequit: ſed quod præcipuè Apoſtolos commoverit ad prohibendum ſanguinis & ſuffocati eſum, eſt rei facilitas, ſita in ſolâ omiſſione, in temperandâ libertate circa cibum: in quo argumento ut libertas procacius aliquando jactari contingit, ita ſæpius ab Apoſtolis circumſcripta. Vide Rom. XIV. 1 Cor. VIII. Atque in hoc noſtro canone primum caput eſt de idolothyto, videlicet non comedendo: an nunquam? non hoc vult doctrina Apoſtolica. 1 Cor. VIII. & X. 19. id tamen inter capita neceſſaria ponitur, & primo quidem loco. Sed quia quod ad cavendam fratris offenſionem debet fieri, ex neceſſariâ fit charitate & charitatis mutuæ lege, hinc quod offendiculi cavendi cauſa, ne fratrem temerè triſtemur, aut conſcientiam ejus verberemus, uti Apoſtolus loquitur, eſum idolotythi, ſimul etiam ſanguinis ac ſuffocati, ut omittamus, inter neceſſaria Apoſtolicæ diſciplinę capita recenſetur.

Sed, cur non potius, ſi gratificari hâc in re Iudæis Apoſtoli voluerint, eorumque infirmitati cedere libertatem Chriſtianam, indulſerunt vel injunxerunt circumciſionem? quam maximè quidem cupiebant Iudæi, & quæ cauſam συζητήσεως & concilio dederat. Nempe, quia immane quantum differt circumciſio, ab eſu ſanguinis, aut ſuffocati: & dum indulgendum duntaxat Iudæis aliquâ in re videbatur, non magni alicujus capitis, ſed leviculæ potiùs rei gratia facienda fuit, præcipuè quum negotium principale interim quoque agi commendarique debebat, de lege cæremoniali abroganda, ſepeliendaque. Accedit, quod circumciſio in tota hac quæſtione, ſive à Iudæis eam urgentibus, ſive ab Apoſtolis ei reclamantibus, ſemper conſiderata fuit non ut unum aliquod ſingulare legis caput, ſed tale, quod totius legis cæremonialis obſervantiam involveret, eſſetque ejus compendium. Gal. v. 3. Vnde quodvis potiùs aliud legalis cæremoniæ præſtari vel imponi potuit, quam iſtud. Præterquam quòd longè aliud ſit in omni diſpenſatione, rem quampiam, & licitam ſolummodò, omittere, præſertim in quotidianâ vivendi conſuetudine, circa cibum & eſum, ubi & aliorum copia abundat, quam committere, patrare, vel peragere aliquid, quodque in ſolo, ac præcipuo religionis capite verſatur, quale eſt circumciſio. Quare dum hoc negotium nunc incumbebat Apoſtolis, docere quomodo legis cæremonialis tempus exſpiraſſet, eaque non obſervanda eſſet ampliùs, interim etiam pro prudentiâ & charitate vellent agere cum Iudæis, id eſt Chriſtianis ex Iudaiſmo venientibus, qui hærebant, atque ad hunc præſertim allidebant vulgò lapidem, conſultum arbitrati fuerunt, ne intempeſtivo fortè aliquo zelo Chriſtiani reliqui libertate in contemtum atque offenſionem fratrum aliorum abuterentur, non ſut totam legem cæremonialem, omne ejus βάρος, vel maximum aliquod caput obſervarent, ſed abſti-

abſtinerent duntaxat pauculis & levioribus, in quibus cedebant ſolùm de ſuo jure, de eo quod aliàs licitum. erat, ab idololytho, à ſanguine, à ſuffocato comedendis. Quæ cauſa ubi ceſſat, ſcandali nempe, ceſſat autem hodie, quare non quibuſvis, & dictis illis rebus frui veſcique liceat, ego non video. Quamvis utcunque nunc deſinente offenſione Iudæorum ad religionem accedentium, nolim etiam eâ procaciter aut jactanter uti libertate, ubi quis Chriſtianus ex infirmitate, non ob legis cæremonialis reverentiam vel auctoritatem (quæ veriùs hæreſis eſſet, quam infirmitas) ſed propter canonem Apoſtolicum opinaretur abſtinendum ſuffocato & ſanguine eſſe. Vide Rom. XIV. 1 Cor. VIII. 13. Adeo faciles in re facili oportet nos eſſe, ubi multum refert, an de noſtro, idque nullo incommodo, cedamus, an verò fratiis conſcientia triſtetur, lædatur, corrumpatur. Et quamvis dicantur illa neceſſariò obſervanda, *ἐπάναγκες*, in decreto Apoſtolico (minimè placet, ex arbitrio mutare lectionem in *ἐπ' ἀνάγκης*), non tamen ſequitur pari vel æquali neceſſitate omnia iſta capita ſervanda eſſe. Scortatio de neceſſitate perpetuâ & morali cavenda eſt: eſus autem idolothytorum, & ſuffocati quidem neceſſariò aliquando, ſed demum, ubi caſus ponitur offenſionis aut ſcandali: extra eum non. Placet ergò magis obſervatio Cloppenburgii, in *Scholâ ſacrific.* circa finem, *ἐπάναγκες* adverbialiter ſumi, & notare aliquam *μείωσιν* neceſſarii, quomodo in *ἐπιθανὴς*, *ἐπίδασυς*, *ἐπίξανθος*, *moribundus*, *ferè mortuus*, *aliquantum denſus*, *ſubflavus*, aliiſque ejuſmodi. Præterea ad locum Apoſtolicum reſponderi poteſt, intelligi non ſanguinem & ſuffocatum in genere; ſed immolatitium, in Gentilium ſacrificiis; ubi non ſemel una cum carnibus, ſanguinem etiam victimarum devorabant. Vide Seldenum loc. cit. pag. 717. Certè alibi fit tantùm mentio idololatriæ & fornicationis, Apoc. II. 14. Maimonides, Mo-

re Nevochim , part. III. c. xlvI. illam rationem dat prohibiti ſanguinis , quod Sabii ſeu gentiles idololatræ ſoliti erant cum victimâ ejus ſanguinem comedere, in ſacramentum communionis cum Dæmonibus : obſervatque, eâdem phraſi Deum uti , quando adverſus comedentem ſanguinem , atque immolantem Molocho loquitur , & nuſquam alias : *ponam faciem meam contra virum illum.* Levit. xvII. 10. & xx. 3. *Quia* , inquit Maimonides,*illius comeſtio ad ſpeciem aliquam idololatriæ, Dæmonum videlicet cultum , anſam & occaſionem præbebat.* Et Mikkotzi , præcepto negativo clxxI. Atque juxta eam ſententiam reſpondet Thomas à Ieſu , lib. vI. de Converſ. Gent. cap. I. non advertunt Græci, inquit , contra quos ibi diſputat , *illud Apoſtolorum decretum contra idolorum cultores latum fuiſſe , qui immolatum & idolatitium edebant. Quare tantùm illud ſervandum erit ſicut à Catholicis ſervatur , ubicunque inter gentes quæ idola adorant immolatitia ſunt. Porro illo Apoſtolorum decreto tantùm immolatitia & non alia prohiberi , docent graviſſimi Orientalium Patres , B. Cyrillus Hieroſolymitanus in 4. Catecheſi. D Gregor. Nazianz. Serm. in ſanctum Paſcha. Iuſtin. Martyr q. 45 . Origenes , lib. 8. contra Celſum, & alii.* Argumenta pro ſententiâ noſtrâ hæc habeo.

I. Quia diſcrimen eduliorum,proinde abſtinentia à ſanguine & ſuffocato, non eſt *juris naturalis* , vel moralis ; quare nec perpetui uſus,vel obſervantię,vel ad nos ulla vi legis pertinens. Hoc fundamento nititur, quod diſputant Noſtri adverſum Pontificios , non licere Eccleſiæ, novas præter Dei verbum leges condere , neque alias Chriſtianis objicere, quàm quas Dei lex comprobat: & quod reſpondent ad Act. xv. non ibi novum quid Apoſtolos inſtituiſſe aut decreviſſe ; ſed tantùm legem mutuæ charitatis , & de cavendâ proximi offenſione explicaſſe ad prudentem libertatis , in Iudæorum gratiam, attemperationem , quatenus pro tempore expediebat ab idolothytho , ſanguine , & ſuffocato abſtinere. Vide

de Calvinum, *Inſtitut. lib.* IV. *cap.* X. §. 21. 22. Et Noſtrorum Diſputationes, adverſus Bellarminum, *lib.* IV. *de Rom. Pontifice*, *cap.* XVI. *Secundò* argumentamur, ex ſtatu Novi Teſt. ubi lex cæremonialis abrogata, diſcrimen ciborum ſublatum, & libertas hâc etjam in parte fidelibus acquiſita. Primò ergo hic conſideranda eſt legis *ceremonialis abrogatio*, cujus eſt caput illud de diſcrimine ciborum, de non edendo ſanguine. Quò minùs illorum ſententiam conciliare poſſum, qui exſerte fatentur legis cæremonialis hoc eſſe, & quoque adhuc obſervandum. Quum nihil certius, nihil in Theologiâ notius ſit, quàm cæremonias legis omnes cum Chriſto evanuiſſe, hodieque illarum obſervantiam ita eſſe mortiferam, uti antea fuit laudabilis. Quæ ante Chriſtum *debuit* obſervari lex, quamq; ante deſtructum templum, utcunque in Chriſto intermortuam, aliquâ tamen ratione *licuit ex parte* ſervare, ut nempe cum honore Synagoga ſepeliretur, hodie *nefas* eſt revocare, vel reſuſcitare bene ſepultam. Col. II. 16. 17. 20. 21. 22. 23. Heb. IX. 10. Ex illo deinde eſt, quod ſub Novo nunc Teſtamento omnes cibi quod ad uſum pariter ſunt *liciti*, nihilque illorum ultrà immundum. Matth. XV. 11. Act. X. 15. Rom. XIV. 2. 14 17. 20. 1 Cor. VIII. 8. & X. 25. 1 Tim. IV. v. 5. Tit. I. 14. Denique pars *libertatis* Chriſtianæ eſt, in quam per Chriſtum vindicati ſumus, quæque adeo, ne ullo cæremonialis legis onere nos iterùm ſinamus implicari, defendenda, nullum diſcrimen in cibo vel potu conſtituere aut obſervare. 1 Cor. VIII. 4. Gal. V. 1. 9. 13. & IV. 9. 10. 11. cum. Rom. XIV. 2. 5. Tertiò, ex hoc ipſo loco Act. XV. 28. ſic de Apoſtolorum mente arguo, quod ea non fuerit, omnibus & perpetuò legem figere de cavendo ſanguine: quia exſertè teſtantur ſe non poſſe, ideoque nolle ζυγὸν verſ. 10. βάρος, videlicet cæremoniarum imponere fidelibus, quale interim fatentur eſſe & hoc de vitando ſanguine: clarum ergo, non ſenſiſſe eos hoc,

quod

quod ex lege cæremoniali præſcribunt hic obſervandum, legis, aut perpetuæ obligationis vim ſortiri debere; ſed potius tempori indulgeri, citra præjudicium noſtræ ab illo onere liberationis. Præſertim quum alibi, ubi de cæremoniarum abolitione loquuntur Apoſtoli, quod non ſemel fit, integram & univerſalem eam docent, non excepto ullo legis capite, quod ex eâ ſervandum ulterius ſit, quodque ſimul arguat non illam ſublatam totam. Vti nec eum ullâ limitatione vel exceptione loquuntur hic Petrus & Iacobus, quando ad propoſitam quæſtionem ſimpliciter ſuis in orationibus vel ſuffragiis docent, legem cæremonialem fruſtra amplius urgeri. Tunc & id rogatum velim alios, an putent, idolothyti eſum interdictum ſemper & ubique eſſe, etiam extra periculum ſcandali & offenſionis? ſi ajant, velim ad contrariam Apoſtoli ſententiam 1 Cor. VIII. mihi tum reſponderi: ſin negent illicitum eſſe, tum quidni idem in ſuffocato? utraque capita conjunguntur, & ejuſdem generis cenſenda ſunt, ut utrumque canon non propter legem, ſed propter offenſionem caveri juſſerit. Leve eſt, quod objicitur, de ſcortationis addito interdicto: quod ſi â vi perpetuum eſt: neque eum aliis me hic torqueri ſinam, quomodo cum præcepto legis perpetuo, quale eſt prohibitio ſcortationis, junganturalia (noſtro judicio) non propter ſe prohibita, ſed pro tempore tantum cavenda. Quid enim difficultatis continet, quod res diverſi generis junguntur in unâ ſententiâ? id quod ſæpe contingit; præcipuè ubi aliquo modo conveniunt, ut una vel imperentur, vel prohibeantur, quantumvis non æqualiter? cogita, quod ſi pariter ex lege obſervari debeant omnia iſta capita, tam cavendi idolothytha, ſanguinem, ſuffocatum, quam idololatriam: ad quam legem referes priora? illud de prohibitâ ſcortatione conſtat, legis moralis eſſe, adeoque naturalis: cui junguntur alia legis cæremonialis: quæ ſi neceſſariò obſervanda, jam ſe-

ſequetur, legem cæremonialem, ſaltem quoad illa perpetuò obſervandam eſſe: quod quomodo cum analogiâ fidei conveniat, equidem non video. Idem de illis judicium, qui & ſuillâ carne ex religione abſtinent. Quales olim quoque fuiſſe nonnullos, ſi non etiam hodie, colligere eſt ex Baſilii canone XXVIII. quæ citatur in epitome Canonum Harmenopuli, ſect. v. de Laicis, tit. II. *Qui ſe promiſit abſtinere velle à ſuillis carnibus, ridiculus eſt. Quippe nulla Dei creatura rejicienda eſt, quæ cum gratiarum actione ſumatur.* Argumentum pro noſtrâ ſententià *tertium* inde ſumo, quòd, quando maximè viguit prohibitio ſanguinis, & ſuffocati, ſub V. T. licuit proſelytis tamen iſta comedere, Deut. XIV. 21. Unde apparet, non in ſe illud, aut ſuâ naturâ, tanquam ex vi legis perpetuæ illicitum habitum vel tum fuiſſe. Accedit, quod Iudæi interdictum de ſanguine non accipiunt niſi de ſanguine pecorum, ferarum, volucrum; non piſcium, locuſtarum, aliorumve id genus animalium, quæ edere quamvis cum ſanguine licitum ſibi habuerunt, nempe niſi immunda fuiſſent. Docet hoc Maimonides, Halach. Schecita cap. I. ubi inquit: *Non opus eſt ut adhibeantur ritus mactationis piſcibus & locuſtis. Cæterùm collectio eorum tantùm licitos eos facit. Nam Moſes*, Num. XXI. 22. *nunquid oves & boves mactabuntur pro eis, qui ſufficiant eis? vel omnes piſces maris colligentur pro eis? collectio* ſeu *congregatio*, ipſa captura *piſcium*, *velut mactatio boum & pecorum. Alibi item collectio locuſtarum memoratur, ut in Prophetis* Ieſ. XXXIII. 4. *ut quæ ſola ſufficeret. Unde etiam, tametſi ex ſe morerentur in aquis, liciti erant piſces, quos etiam vivos comedere* (ut oſtrea nos ſolemus) *licuit.* Adde Mikkotzi, præcepto ſupra allegato.

Circa *cultum imaginum* priſtina quidem Eccleſiæ Græcæ fuit ſententia, neque *faciendas*, neque *colendas* eſſe; ut ex Actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Conſtantino Copronymo a. D ccl IV. variiſque Impp. edictis videre

dere eſt, de quibus in Iuris Orientalis lib. 1. legitur ſub Conſtitutionibus Theophili: *Michaël pater ejus edixerat ne ulli pictæ imagini, ubicunque ea eſſet, nomen Sancti imprimeretur, quòd id nulli rei præterquam ſoli Deo congruere putabat. Leo autem, & filius ejus Copronymus, omni earum adoratione prorſus interdixerant. Theophilus autem ne pingi quidem eas coloribus conceſſit: abjecti dicens animi eſſe talium rerum admirationem; ipſamque ſolam ſpectandam eſſe veritatem.* Inde autem à priſtinâ puritate ac zelo adeo deſciverunt, ut deteſtari hoc duntaxat videantur, ſi quis fuſas aut ſtatuas veneretur, circa pictas alias, earumve cultum negligentiores: quamvis neque illud etiam ſatis obſervent, præſertim in figurâ crucis habendâ, venerandaque, & præſertim in S. Nicolai effigie Moſcovitæ: hi in *ſingulis ædibus & habitationibus habent imagines ſanctorum, pictas, aut fuſas, loco honorificentiore, & cum alius alium accedit, ingreſſus habitaculum, continuo caput aperit, ac ubi imago ſit, circumſpicit: quâ viſâ, ter ſe crucis ſigno munit, caputque inclinans inquit: Domine miſerere. Dein ſalutat hoſpitem:* uti refert Sigiſmundus Baro. Vide etiam in Chriſtiani VVoldimari Principis Daniæ, Reſponſo cap. VIII. ad ſcriptum Ioſephi Moſcovitarum Patriarchæ a. cIↃ IↃ cIↃ IV. Solas picturas venerantur Abyſſini, non ſtatuas. Armeni autem imagines non adorant: quin adoratores earum palam condemnant. Refert Edwin Sandis, Anglus, in Relat. *de Statu Relig. cap.* XLII. adeo diverſas eſſe effigies Chriſti, & Mariæ (quas unicè venerantur) apud Græcos, ab illis quas Latini colunt, ut nullâ ratione ſibi ſint ſimiles. Quodque magis mirum aut ridiculum, imaginem Mariæ in Laureto conſpici facie Æthiopiſſæ. Neque aliter oportuit proſtitui rei hujus turpitudinem ac ſuperſtitionem. Atque uti in hoc de imaginibus, ita etiam de cultu & *veneratione Sanctorum* (hæc enim ſibi mutuò affinia) à Scripturæ & veterum ſuorum Patrum doctrinâ immane quantum Græci deſci-

verunt, illos communi more invocando, præſertim Mariam. Cujus locuple teſtimonium in ipſorum Euchologio, ſive Rituali; & Horologio, ſive officio ſingularum horarum. Ieremias Patriarcha, *Reſponſ.* I. *cap.* XXI. & *Reſp.* II. *cap.* V. & *Reſp.* III. *cap.* IV. Addunt & alios pro ſanctis. Chaldæi Neſtorium invocant, & Theodorum Mopſveſtenum. Iacobitæ, Cophthi, & Æthiopes Severum, Dioſcorum, & Iacobum. Armeni Thaddæum Apoſtolum: à quo ajunt ſuos primùm converſos, S. Georgium Georgiani. S. Nicolaum, & Angelum Michaëlem Ruſſi. Omnes malè.

Quæſtio de *proceſſione Spiritus Sancti* à Patre, *Filioque*, gravis quidem præ cæteris viſa eſt, quia primarium fidei de Deo articulum tangere videtur, ſed benè introſpecta non hoc adeo impetebant Græci, ac quod ſymbolo particula illa addita fuiſſet, Latinorum arbitrio, non exſpectatâ Synodi generalis ſententiâ, neque audito Orientalis Eccleſiæ hâc ſuper re judicio: quare potiſſimùm hujus contentionis po[illegible]s ex alio fluxit capite, quod eſt de auctoritate Eccle[illegible] Romanæ, ejuſque primatu. Deinde in re ipſâ præjudiciis aberratum fuit, putantibus Græcis Latinos ſtatuere, quod ex duplici cauſa vel principio pendeat Spiritus Sancti proceſſio, & non ex uno oriatur: quum non aliter docerent Latini, quam à Patre Filioque procedere ex uno ſpirandi principio, à Patre per Filium. Denique nec hæc res ſola vel tanta, vel tam aperte deciſa in S. Dei verbo, ut propterea, ſiquidem in reliquis conveniretur, vel anathema mutuò dicendum, vel diſcerpendæ Eccleſię eſſent. Quomodo hâc in diſputatione convenerint Græci, Latinique in Concilio Florentino, cui mox Græci reclamarunt, ſupra diximus. Faciliùs concedunt, Spiritum S. procedere à Patre, per Filium, quam à Patre, Filioque. Cæterùm in profeſſione fidei, quam faciunt ſub tempus ordinationis Græcorum epiſcopi, & archiepiſcopi, dicunt inter alia, de Spiritu S. ſolummodò τὸ ἐκ τ̃

Πα-

Πατρὸς ἐκπορευόμενον, nil de Filio. Neque aliter Ieremias Patriarcha Conſtantinop. in Reſponſo ad Tubingenſes. Qui dum non procedere eum à Filio contendit, diſtinguit, uti Græcorum alii, inter proceſſionem perſonalem in Deo, & miſſionem externam ac temporariam Spiritus S. vel donorum ipſius in homines. Concedit quidem hoc à Filio fieri quoque: non autem inde rectè illud prius inferri exiſtimat. Ita nullo modo ſequuntur Græci ſuorum in Concilio Florentino factam cum Latinis unionem: juxta quam Gennadius Patriarcha, qui illi interfuit, ſcripſit defenſionem ejus ad ſuos Græcos, qui nihilo dimoti à ſententiâ, ſuos in Florentino Concilio ad faciendam unionem muneribus emptos fuiſſe, palam affirmarunt: quod proinde in Scripti ſui initio amovere à ſe Gennadius molitur. Atque hic utcunque Latinorum ſententiæ fuerit, tamen in Confeſſione fidei facta coram Mahomete II. non diu poſt captam urbem, a. cIↄ cccc l I I I, de Spiritu S. ſatis habuit dixiſſe: ἀλλὰ [illegible] ἀϊδίως προέρχεται ἐκ τοῦ Θεοῦ ὁ Λόγος καὶ Πνεῦμα αὐτοῦ, καὶ ἀϊδίως εἰσὶν ἐν αὐτῷ. Quidquid ſit, non videtur, prout à Græcis hæc quæſtio agitatur, aut ita fundamentalis eſſe, aut ita neceſſaria explicatu, ut eccleſias, ſi cætera conveniant, ſcindere debeat. Verùm, uti aliquoties jam diximus, non articulus ille vel quæſtio adeo fuit, quæ tantópere Græcos offenderit, quam ejus ad ſymbolum additio, inconſultâ inauditâque Orientali eccleſiâ, quæ hactenus idem cum Occidentali ſymbolum tenuerat, imo ab Orientali ſymbolum acceperat Occidentalis, id eſt, non ferebat hoc argumentum prætenſæ à Romanâ auctoritatis poteſtatiſque in alias Eccleſias Græca. *Quando verè*, verba ſunt Thomæ à Ieſu Carmelitani Monachi, lib. VI. de Converſ. Gentium, cap. III. *fuerit à Latinis facta illa additio* Filioque, *licet id clarè non conſtet, veriſimilius creditur fuiſſe facta circa annum ſexcenteſimum. Nam in Concilio Toletano octavo celebrato circa annum ſexcenteſi-*

mum

mum quinquageſimum tertium, recitatur ſymbolum cum hâc additione: & cum ante hoc tempus, non inveniatur cum illa, ut conſtat ex Concilio Toletano tertio, anno quingenteſimo octuageſimo nono celebrato, ſignum evidens eſt, illo medio tempore, fuiſſe à Romano Pontifice additionem factam, ut creditur in Concilio ingenti Latinorum Patrum propter diſſenſiones quaſdam exortas inter Galliam, & Hiſpaniam: quamvis non conſtet quale fuerit illud Concil. ut notavit D. Thom. 1.p.q.36.art.2. unde quamvis certò non poſſit explorari, neque locus neq; tempus hujus additionis, certum tamen eſt, vel in aliquo Concilio generali, vel authoritate alicujus ſummi Pontificis additum eſſe. Auctoritate Romani Pontificis Leonis ſymbolo ſuperadditum ſcribit Severinus Binius, in Notis ad Conc. Conſtantinop. I. Deque re, ſeu articulo illo arduo proceſſionis Spiritus Sancti diſputant ſubtiliter, pro more, Scholaſtici, ad Thomam, I. qu. XXXVI. Gabriël Vaſquez, *Diſput*. CXLVI. Iohannes de Rada, *Controverſ. inter Thomam & Scotum, Controv.* XV. & XVI. Theod. Smiſing, *de Deo Trino, Diſp.* IV. *qu.* I. & II. alii.

Super *azymo*, ſive an S. Cœna celebranda ſit in fermentato, ut Græci; an *infermentato*, ut Latini, eo minor ſupereſt contentio, quo hi concedunt, & in hoc, & illo æquè ſacramentum perfici: non ergo hic adeo impugnant Græcos Latini, ac ſuum de azymo tueri conantur morem. Nos cum Græcis facimus, utimurque fermentato, videlicet quia communis panis eſt, quali utendum res ipſa oſtendit. Non verò in hoc Græcis accedimus, quod ad probationem ſuæ theſis aſſumunt, vel azymum non eſſe panem, non ἄρτον, ſcilicet quia non αἴρεται tollitur fermento in altum; vel quòd Chriſtus in primâ Cœnâ fermentato fuerit uſus. Nam quod ajunt, Chriſtum diem Paſchatis anticipaſſe, & alio à Iudæis die lunâ decimatertia ſuum Paſcha, tum S. Cœnam celebraſſe, non ita ſtatuimus, ſed eodem quo ex lege comedendum Paſcha, tum Iudæis id Chriſtum

quoque obſervaſſe: quamvis non ejuſdem diei eo tempore, ſed pridie comederit, certum tamen quod quia in azymis Paſcha celebrabatur, quocunque demum die hoc Chriſtus peregerit, non alio pane, quam infermentato obſervaſſe. Res levior videtur, quàm ut de eà magnopere contendatur, vel ut per ſex integra ſecula ea habita fuerit ſciſmatis materia: nam incoepit quæſtio a. CIↃ LIII. uti Leo IX. ſcribit in epiſt. ad Michaëlem Conſtantinop. epiſcopum, de quo ſuprà vidimus. Neque adeo in Latinis reprehenderemus, quod azymo utatur in Cœnâ, ſi pane ſolido; ſed quod ejus ſpumam & minutias farinaceas leviſſimas, panis nomine vix dignas, adhibent, magis improbamus. Vti olim circa a. CIↃLX. de eo ſcripſit Bernoldus, Conſtantienſis presbyter, quem in Liturgicis adducit Caſſander, cap. XXVIII. qui illa *per contemptum minutias nummulariorum oblatarum appellat, imaginariam & umbratilem levitatem illis tribuit, & indignas eſſe panis vocabulo pro ſuâ tenuitate, ac propter eas officium atque religionem eccleſiaſtici officii multùm per omnem modum confundi aſſerit.* Deinde & hoc Græci meliùs quàm Latini, quod in Cœnâ communionem celebrant *ſub utrâque* Sacramenti parte: adeo ut Rutheni quoque, quando ſe cum Romanâ conjungerent Eccleſiâ a. CIↃ IↃXCV, ſtipulati inter alia fuerint: *ſacramenta ſanctiſſimi corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ut nobis ita, quemadmodum huc uſque uſi fuimus, ſub utrâque ſpecie panis & vini, temporibus perpetuis integre inviolabiliterque conſerventur.* Ieremias Patriarcha, cap. XXI. *Dicitis itaque primum, in S. Cœnâ percipiendam eſſe utramque ſpeciem: & rectè dicitis. Sic enim & nos facimus, quando veneranda percipimus myſteria, qui quidem digni ſumus.*

Similiter à Romanâ Eccleſiâ diſſident Græci ſuper *Purgatorio igne*, quem nullum eſſe ſingulari libro demonſtravit Nilus, idque ex Patrum ſuorum perpetuâ, uti ait, ſententiâ, qui nunquam talem ignem docuerunt.

runt. Quamvis nec per omnia Græci orthodoxè ſe gerant, ignem quidem purgandis animabus deſtruunt, interim tamen locum caliginoſum alium, triſtem, ac calamitoſum conſtituunt, in quo animę poſt hanc vitam purgentur, antequam ad Deum accedant. Ignem autem eſſe, & corporeum improbant, eò quòd animam à tali igne pati non poſſe videatur. Quare nullum niſi æternum ignem inferni norunt: deque eo explicant locum Apoſtoli, hâc in materiâ vulgò adferri ſolitum, 1 Cor. III. 15. *ſervabitur, quaſi per ignem*: in Concilio Florentino. Nilus exponit, de die judicii. Atque illic quidem ita ſe declararunt Græci; *nam ipſi purgatorium, non ignem, ſed obſcurum quendam locum, ac laborum plenum eſſe cenſemus, in quo quidem exiſtentes animæ lumine divino privantur, donec coadjuvante eccleſiâ, ut ſuprà dictum eſt expientur, ac liberentur.* Interceſſiones pro mortuis probant Græci, & faciunt. Ieremias Patriarcha, in *Reſp. ad Tubingenſes cap.* XV. Et liberatæ, vel ſanctæ animæ, juxta illos, ante judicii diem, non fruuntur divina in cœlo viſione ac fruitione, niſi poſt diem judicii, ſed alio quodam loco eo uſque continentur, quem paradyſum appellant: ſimiliter de animabus impiorum dicunt, ſervari eas in loco quodam alio ab inferno, in quem poſt judicii diem ſint conjiciendæ. Quâ de re diſputat Gennadius Conſtantinopolitan. *pro defenſ. Concil. Florent. cap.* IV. Thomas à Ieſu, *de Conver. Gent. lib.* VI. *cap.* VI. Sigiſmundus Baro, in Comment. Rer. Moſcovit. *Purgatorium nullum credunt: ſed dicunt, unicuique vitâ defuncto, ſecundum meritum ſuum eſſe locum: piis quidem lucidum, cum angelis placidis: impiis autem obſcurum, & cæcâ caligine obductum, cum angelis terribilibus deſtinatum eſſe, in quo extremum expectant judicium. Ex loco & angelis placidis cognoſcunt animæ gratiam Dei Semper petunt extremum judicium: aliæ contra. Neque animam à corpore ſeparatam, pœnis obnoxiam eſſe putant. Nam cum anima in corpore ſe contaminaverit, cum corpore eſſe expian-*

dam. *Quod autem pro defunctis funebre ſacrum faciunt, credunt eo poſſe tolerabiliorem animabus exorari ac impetrari locum, in quo facilius expectare futurum judicium queant.* Idemque de illis refert Alexander Guagninus. Mala-lia, in quæ Græci hodie poſt longam oppreſſionem, & ſequutam immaniſſimam barbariem prolapſi ſunt errorum capita, ea hactenus proſequutus quæ antiqua & communiter nota à multis ſeculis diſſenſionum argumenta fuere. Nunc verò iis ſubjugatis à crudeliſſimis tyrannis, eque parum religionis, ac libertatis apud ipſos videtur reliquum. Stupenda ſane rerum ſacrarum & Chriſtianæ religionis illic dominatur ignorantia, non in plebe ſolum & laicis, quos vocant; ſed & ſacerdotibus, ac clero. Retinent tamen aliquod σχῆμα ordinis hieratici, numerantque Patriarchas, Metropolitas, epiſcopos, hieromonachos, Presbyteros ſive Papas, Monachos, Diaconos, Hypodiaconos, & Anagnoſtas: Monachi ſuos Archimandritas, ſeu Abbates: ſuntque omnes ordinis Baſilii, fundatoris Monachatus in Oriente, uti Benedictus in occidente: calogeri dicti καλόγηροι, quod nomen à bonâ ſenectute primò datum ſenioribus & ætatis provectioris monachis, q. d. *boni ſenes*; inde omnibus Hęc ordinis. Quod ad religionem; vulgò ſervant preculas & liturgiam, ſermone ac precibus, ſuperſtitione non omnino vacuis, peræque fere barbaram: vixque ultra quid ſciunt, de vulgo loquor, quàm horulas ſuas, & diebus ſacris homilias, ægre ipſis intellectas: tanta apud illos hodie & litterarum & religionis ruditas, ſocietate aliorum meliorumque Chriſtianorum deſtitutos, atque tyrannide Turcarum oppreſſos nimis dejectoſque. Vnde & in reliquis fidei articulis aut probum ſenſum, aut confeſſionem ab illis temere expectes. Commentum habent *luminis in Chriſti ſepulchro* miraculoſe quotannis die ſabbati ſancti accenſi; quo mirum dictu quantopere homines ſimplices in fide erga Chriſtum retineant; abſque quo verentur eos ad Mahum-

hammediſmum defecturos. Quod falſum miraculum, ab aliquo ſacerdote templum ingreſſo, qui orando ſcilicet impetrarit luminis iſtius accenſionem, quodque tantum per horæ ſpatium durat, & ſuſtentatur in materia ceræ in lampade ardentis, patratum: uti videre eſt in Commentario Adæ, Archimandritæ Chaldæorum Babylonenſium, *de conciliatione fidei Orientalium, cum Romanâ, cap.* VII. apud Bzovium, Annal. Tom. XIV. ad a. CIↃ CCC XXX.

Miſerrimus à capta urbe, Græcorum, Eccleſiarumque Chriſtianarum in Oriente ſtatus fuit, quando Turcis corpora & animas fere Chriſtianorum, bonaque & religionem pariter in prædam ceſſiſſe cognovimus. Quæque adhuc habent miſeri homines, ſi quæ habent, quæque omnium pretioſiſſima merito computamus, vita & religio, vectigalia. Capiebatur urbs à Mahomete II. a. CIↃ CCCC LII. al. LIII. d. XXIX. Maji, tanta cum irruentium & obſeſſorum ſtrage, ut nec qui foris erant, ingredi, neque qui intus, egredi poſſent. Nullus, poſt Michaëlem Florentiæ mortuum, iis fuerat Patriarcha, quumque quæreret Mahometes, quis apud eos tunc Patriarcha eſſet, mirareturque nullum eſſe, copiam fecit eligendi quem vellent: quare coactâ Synodo conſtituerunt Patriarcham Georgium Scholarium, olim Iudicis munere functum, quique Concilio Florentino interfuerat, & pro unione ſteterat, unde & librum conſcripſit, in Defenſionem quinque Capitum Synodicæ unionis, à Fabio Benevolentio Latinè editum a. CIↃ IↃ LXXXI. Ex Georgio factum ei, pro Græcorum more, qui eorum quos in Patriarchas eligunt nomen commutant in aliud ab eâdem litterâ incipiens, nomen *Gennadii*: ſicut poſtea Manuëlis nomen in Maximi, qui octavus ab eo fuit Patriarcha. Gennadius de fide & religione interrogatus à Machomete *Confeſſionem* illam edidit, quæ *lib.* II. *Turco Græciæ*, & poſt Orationem Davidis Chytræi, *de Statu Eccleſiarum Orientis*, extat: quâ

auditâ Turcarum Imperator edictum pro Chriſtianis ededit, ne quis illos quocunque modo læderet vel conviciaretur. Sequutus Gennadium fuit *Iſidorus* hieromonachus. Poſt hunc *Ioaſaphus*. Tum *Marcus Xylocarabes*, ſub quo primò *πεσκέσιον peſceſium* introductum fuit, quod eſt tributum mille aureorum Sultano deinceps pendi ſolitum pro creando novo Patriarcha: ubi antea ſolerent Imperatores ipſi munera dare novo Patriarchæ. Affinxerunt nonnulli Marco iſti, quod Peſceſium primus promiſiſſet, ſed per calumniam, ut eum loco movere concitata contra ipſum hâc invidiâ, aliumque Simeonem hieromonachum Trapezuntium ejus loco conſtituere poſſent, oblato Sultano quoque peſceſio, dicentes: *quia Patriarcha Majeſtati tuæ unum ducatorum mille φλωρία χίλια promiſit, ecce damus id & nos, ut Patriarcham faciamus noſtrum Monachum: quia cunctus populus, & unà Clericorum chorus non ferunt Patriarcham Marcum*. Quæ lubenter arripiens Sultanus legem inde fecit, ut uniſquiſque Patriarcha iſtum cenſum ſuæ ordinationis perferret in fiſcum regium. Vnde factum poſtmodò, ut pro arbitrio Sultani, ejuſque πλεονεξία, aut populi tumultibus & ſtudiis, jam hunc tum illum cupientis Patriarcham, nihil levius uſitatiuſque fuerit quam Patriarchas amovere & revocare, proſtituentibus ſe ſuaque turpiter Sultano Chriſtianis, ejuſque adverſus ſe tyrannidem impudenter hoc pacto, cum religionis & facultatum ſuarum ſummo diſpendio, confirmantibus. Facto ità Patriarcha *Symeone* Trapezuntio, contendentibuſque inter ſe continuo pro Patriarchali ſede Marco, & Symeone, quibus hinc indè alii in populo ac clero adhærebant, Sultani noverca Maria lites aſtute diremtura, favens Dionyſio cuidam Philippopolitano Metropolitæ, tum ut huic, & Sultano gratificaretur, accepto peſceſio duorum millium ducatorum, impetravit, ut rejectis Marco atque Symeone, *Dionyſius* in illorum locum ſurrogaretur: quâ ratione confirmatus

peſce-

peſceſiiuſus, auctuſque duplo cenſus fuit. Dionyſius ille non ferens continuas ſuorum moleſtias & calumnias, dicentium ipſum à Turcis circumciſum eſſe, deſerto Patriarchatu, in Monaſterium aufugit: unde reſtitutus iterum in locum priſtinum fuit *Symeon* Trapezuntius, redditumque denuò peſceſium, quod Symeonis illius culpâ primò introductum in Eccleſiam fuerat. Quod quum nunc offerrent mille ducatorum, Quæſtor regius accipere noluit, reſpondens, ſe in rationibus fiſci reperire duo millia pro peſceſio à Dionyſio exhibita, quare tantundem nunc quoque præſtare illos debere, nec prius ſe acquieturum. Quare dandum fuit peſceſium bis mille aureorum: quod merito ab eo extortum, qui primus peſceſii auctor extiterat, cujuſque deinde bona omnia, & vaſa eccleſiaſtica fiſco regio, poſt mortem ſuam, ceſſerunt. Neque tamen hoc pacto quieſcere ei licuit, ſed quam artem prior excogitarat adverſus Marcum, eâdem uſus alius iterum adverſus ipſum fuit Raphaël, Hieromonachus Servius, qui *charatZium* introduxit, id eſt, annuum tributum duorum millium aureorum, pendendum regio ærario, pro patriarchio. Qui ratione detruſus iterum Symeon, inque ejus locum conſtitutus fuit *Raphaël*. Poſt hunc *Maximus*, primum vocatus Manuël, qui in Patriarchatus ſui exordio ad Sultanum adductus, obtulit pro peſceſio Iↄ. aureos; deinde & ſingulis annis bis mille aureorum, pro charatzio. Omniaque illa contigerunt, ſub imperio Machometis II. qui urbem occupavit: poſt quem ſucceſſit ejus filius Bajazetus, a. cIↄ cccc lxxxII. Poſtque Maximum Patriarcha in ordine illo decimus, videlicet à ſuperatâ urbe, *Nipho*, Metropolita Theſſalonicenſis: hoc ejecto revocatus prior ille *Dionyſius*; poſt hunc *Maximus*: hoc quoque retruſo, ſuperior iterum *Nipho* revocatur: quem excepit *Ioachimus*, ſub quo charatzium crevit ad trium millium ducatorum. Sequutus *Pachomius*, ſub quo charatzium auctum quingentis du-

catis. Eo ejecto reſtitutus ſuperior *Ioachimus*. Et hoc mortuo, prior iterum *Pachomius*, additis quingentis ducatis ſupra tria millia & quingenta; tum *Theoleptus*. Poſt eum *Hieremias*. Hinc *Ioannicius*, ſub quo charatzium auctum centum ducatis. Sequutus *Dionyſius*, ſub quo Peſceſium, quod initio aureorum quingentorum fuit, ad tria millia perductum. Succeſſor autem *Ioaſaphus* magno ſtudio atque effecit, ut ad bis mille reductum ſit. Poſt Ioaſaphum *Metrophanes*, & hunc *Hieremias*, Lariſſæ antèa Metropolita ſucceſſit, cum quo Tubingenſibus epiſtolaris illa concertatio fuit, quæ ſatis nota, & ſuo etiam loco à nobis memorabitur. Ita nunc Eccleſiæ Græcæ miſeram trahunt ſervitutem, & quidquid ultra ſunt vel poſſunt, in prædam cedit Turcis. Cujus ipſi Græci magna cauſa, niſi unica, dum nimis impotenti faſtu inanem dignitatem ambientes, eam conquiſitâ pecuniæ ſummâ à Baſſâ obtinent, qui novos emtores vel liberaliores avidiſſime admittit, quo unâ operâ ærarium ſuum ditet, atque Chriſtianos omni ſuâ vi, auctoritate & opibus exſugat. Sin minus Chriſtiani ex contentione & ambitione ſuos Patriarchas exagitent commutentque ipſi, artem nunc edoctus ipſe Chriſtianorum, priores deponit, ut ex novis ſemper alia tributa corroget cenſumque. Primò impertiens Patriarchæ, poſtquam à Metropolitanis & archiëpiſcopis electus eſt, (retinent adhuc σχῆμα iſtud) χρυσοβοῦλλον, vel ut hodie Græci loquuntur, μπεράτζιον, diploma Imperiale, quo poteſtas ſacrorum datur, & authoritas in omnes infra ſe Chriſtianos, ac Chriſtianorum eccleſias. Pro peſceſio accipit Turca duo ducatorum millia: præterea pro charatzio χαράτζιον, annui cenſus loco, die S. Georgii, quatuor mille & centum ducatos. Conſtantinopolitani Patriarchæ olim ampliſſima fuit diœceſis, cujus hodie vix umbram retinet. Quandiu Romanos vel Græcos habuit Imperatores (ſic quippe Græci Conſtantinopolitanos ſuos Romanos quoque: unde Roma-

orum

orum aut Romanorum Imperatores illos paſſim appellatos legas, propter νέαν Ῥώμην: Veteris Romæ Λατίνυς, aut φράγκυς Latinos, Francos dicunt) floruit, imo luxuriavit Patriarcharum poteſtas, habuitque ſub ſe, ex Veteri diſtributione, Ponticam, Aſiam, Thraciam; in quarum Eccleſias hodieque ſibi quid arrogat, præterea antiquum titulum œcumenici. Ex priſco adeo more, ab Heracleënſi Antiſtite confirmari ſolet, quod à primis inde temporibus obtinuit, quum Byzantium ante erectam Conſtantinopolim Heracleæ fuerit ſubjectum. Et Heracleënſis Antiſtes, poſt Conſtantinopolitanum, in ſubſcriptionibus adhuc ſecundum tenet locum. Ex Eccleſiarum ſubjectarum collectâ vivit hodie Patriarcha, reditibuſque illarum annuis. Subſunt ei ſeptuaginta quatuor Metropolitani, qui ſub ſe alios iterum habent epiſcopos, ut Theſſalonicenſis decem; Athenienſis pauciores, alii plures &c.

Suberant ei quoque olim *Moſcovitæ*, ſeu Ruſſi vel Rutheni. (nam Ruſſiæ maxima pars, *alba* vulgo dicta, Imperatori Moſcorum: cæteri Ruſſiæ *nigræ*, vel rubræ Regi Poloniç ſubjecti ſunt, horumque nonnulli cum Romanâ ſe conjunxerunt Eccleſiâ a. CIↃIↃXCV.) at nunc proprium habent Patriarcham, quem Princeps eligit, confirmant ſui ſuffraganei: quod inchoatum prçcedenti ſçculo à duce Baſilio M. qui, quem pro more Conſtantinopolitanus Patriarcha miſerat Metropolitam, eò quod ſua valde carperet vitia & peccata, in carcerem conjecit, neque eo, quamvis ipſius Turcarum Imperatoris fatigatus precibus, liberavit. Vnde deinceps ipſi ſuum conſtituere Patriarcham Moſcorum Duces: quem ſui epiſcopi tum ordinant. Mittit attamen in ſignum priſtini moris ac ſubjectionis Moſcorum Imperator Conſtantinopolitano Patriarchæ quotannis, ſed quaſi in eleëmoſynam, quingentos aureos. Duo ei ſubſunt Metropolitæ, Novogardienſis, & Roſtovienſis: his, alii epiſcopi. A Græcis, & ſtudio præſertim Conſtantinopolitani e-

piſcopi certum eſt, Ruſſos primam Chriſtianæ religionis inſtitutionem accepiſſe, quamvis ægrè hoc fateantur, & potiùs ab Andrea Apoſtolo ſe converſos ad fidem jactent: indeque eſt, quod ad Conſtantinopolitanum Patriarcham ipſorum Eccleſiæ ſemper ſpectarint, eique fuerint ſubjectæ, qui (uti Romanus in Occidente) per plurimarum gentium ad Chriſtum, operâ ſuorum, converſionem, juriſdictionem ſuam haud ſegniter quoque promovit. A quo, ejuſque obedientiâ deſciverunt Ruſſi, potiùs quàm ab ipſorum religione. Nam Græcam ſequuntur, niſi quod peculiaria nonnulla habeant. Præſertim venerantur S. Nicolaum Barenſem, ceu tutelarem ſuum. Pueros ſeptem annorum admittunt ad communionem Euchariſticam: quia eâ ætate dicunt quod peccare incipiant contra Deum. Diaconum vel ſacerdotem non habent niſi conjugatum, videlicet ante, non poſt ſuam ordinationem. Poſſevinus ait, eos negare, ſimplicem fornicationem peccatum eſſe; ut quoque uſuram. Uti politicè, ſic & Eccleſiaſticè diſtinguuntur Ruſſi. Hi qui Poloniæ Regi ſubjecti, vel eorum aliqui a. cIɔ Iɔ xcv. die xxIII. Decemb. unionem inierunt cum Eccleſiâ Romanâ, ejuſque Papâ Clemente VIII, de quo Baronius, ad calcem Tom. VII. Poſſevinus in Apparatu, voce *Rutheni*. Thomas à Ieſu, *l.* VI. Cardinalis Oſſatus, *l.* II. *epiſt.* XXXVII. Et ante omnia *Hiſtoria Eccleſ. Sclavon. lib.* IV. Atque antequam ad unionem accederent, primò expreſſè ſtipulati fuerunt illorum nomine Adamus VVlachinienſis, & Cyrillus Luceorienſis VVladicæ, ſuis varia à Romanâ Eccleſiâ concedi, inter quæ & hæc erant: *Sacramenta Sanctiſſimi Corporis & ſanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti ut nobis ita, quemadmodum hucuſque uſi ſumus, ſub utrâque ſpecie panis & vini, temporibus perpetuis integrè inviolabiliterque conſerventur. Sacramentum Baptiſmi & forma ipſius ut nobis integrè, prout in hunc uſque diem durat, ſine omni additamento conſtet. De Purgatorio nullam litem*

move-

movemus, ſed volumus doceri ab Eccleſiâ ſanctâ Romanâ. Calendarium novum, ſi ſecundum morem antiquum fieri poſſit, ſuſcipiemus. Ad proceſſionem pro feſto Corporis Chriſti faciendam ne adigamur: hoc eſt ne ſimili ratione proceſſionis cum Sacramento faciendæ nobis neceſſitas imponatur, quandoquidem apud nos alius eſt modus & uſus Sacramentorum. Tum & ante feſtum Paſcha, ad conſecrationem ignis, ac etjam pulſationem aſſeribus compactis loco campanæ, & alias ceremonias quibus hucuſque caruimus, ne compellamur: quin potiùs ſecundum ritum & conſuetudinem Eccleſiæ noſtræ integræ conſerventur. Matrimonia ſacerdotalia ut integra conſtent, exceptis bigamis. Propter literas confirmationis Romani ut Epiſcopi ritus Græci non mittant. Hæc illis indulgere Papa coactus fuit. Cæteri Ruſſi, qui Duci Moſcorum ſubjecti, horrent quam maximè Romanam communionem, & niſi ferente neceſſitate iiſcum comedere, vel celebrare minimè ſuſtinent. Vide hanc in rem epiſtolam Iohannis Metropolitæ Ruſſi ad archiepiſcopum, ut ipſi dicunt, Romanum; ejuſque canones, apud Sigiſmundum Baronem. Cujus & hæc pag. 12. verba ſunt: *nulli homini infenſior* Moſcus, *quam ſummo Pontifici, quem non niſi Doctoris titulo dignatur.* Cæterum de Ruſſorum religione plurimi ſcripſerunt, qui videri poſſunt. & ſingulari volumine extat *Theologia Moſcovitica*, variorum Auctorum, Spiræ edita a. cIↃ IↃ lxxx I I. Tum a. cIↃ IↃ c Francofurti, *Rerum Moſcoviticarum Auctores varii*: ubi, *Commentarii* Sigiſmundi Baronis Herberſteinii; Paulus Iovius, *de legatione Baſilii M. Principis Moſcoviæ*; Iohannes Faber, *de Religione Moſcovitarum*: Alex. Guagnini *Deſcriptio Moſcoviæ*. Præterea ejuſdem argumenti, Poſſevinus *de rebus Moſcoviticis*. Oderbornius, *de Ruſſorum Religione*, ad Davidem Chytræum.

Alexandrino epiſcopo (cujus hodie ſedes eſt Alcairi) olim ex Synodo Nicænâ attributa Ægyptus, Libya, & Pentapolis: tres enim primò Ægypti fuere provinciæ, poſtea ſex factæ, demum aliæ additæ, ut decem

in

in univerſum fuerint. Cum tot enim metropolitanis jubetur ad Chalcedonenſem Synodum venire Dioſcorus, Actione Synodi primâ: *Igitur & tua Sanctitas ſumtis ſecum decem metropolitanis epiſcopis, qui ſub tua degunt diœceſi, & aliis ſimiliter decem ſanctis epiſcopis, Kalendis Auguſti, Epheſum metropolim Aſiæ venire feſtinet.* Alexandrini primum ſuum epiſcopum Marcum dicunt Euangeliſtam, qui Hananiam poſt ſe ordinarit, & duodecim presbyteros, ex iiſque unum ſemper eligendum in protopresbyterum, ſive epiſcopum, alio ſemper in ejus locum cooptando presbytero. Quò reſpexit Hieronymus in celebri illo loco, epiſt. ad Euagrium: *nam & Alexandriæ à Marco Euangeliſtâ uſque ad Heraclam & Dionyſium epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum epiſcopum nominabant.* Vbi & illud non minus egregium, compeſcendæque epiſcoporum arrogantiæ, dictum: *ubicunque fuerit epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tunis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt ſacerdotii.* Morem eligendi epiſcopum vel presbyterum duraſſe ad tempora uſque Concilii Niceni, quando ejus loco Alexander qui Concilio interfuit, inſtituit ut Patriarcham (ſic loquitur) non presbyteri ex ſuo collegio, ſed epiſcopi quemcunque virum aliàs idoneum crearent, ſcribit Eutychius Patriarcha Alexandrinus, in *Eccleſiæ ſuæ Originibus*, quem Seldenus edidit, cum eruditiſſimis annotationibus. Additque, à Marco ad Demetrium, qui nonus in ordine Patriarcharum fuit, nullum in provinciis Ægypti fuiſſe epiſcopum, ſed eum primum tres; & poſt hunc, Heraclam viginti conſtituiſſe epiſcopos: à cujus tempore quoque Patriarcha dictus eſt Papa, ſeu avus: uti epiſcopus, abba. Atque ita etiamnum ſcribunt, ἐλέῳ θεοῦ πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας. Quia autem ex Alexandrinâ Eccleſiâ Dioſcorus, iſta Eccleſia præ aliis ſemper infecta ejus hæreſi fuit, quæcum Eutychianâ convenit, quamvis

ris diverſam contendant Dioſcori ab Eutyche fuiſſe ſententiam, juſteque hunc damnatum, at illum injuſtiſſimè. Confundere illum in Chriſto duas naturas; ſed hunc duas in Chriſto naturas unitas docere, unamque factam naturam perſonatam ex naturis non perſonatis, ſine mixtione tamen aut confuſione. Dioſcorum ſui pro Sancto habent, ac venerantur, minimeque patiuntur illum damnatum dici in Chalcedonenſi Concilio. Appellantur *Copti*, ſecundum aliquos quaſi Ægophthi, גפתי vel Ægyptii: alii dictos cenſent à circumciſione, quâ illa gens antiquitus uſa perhibetur, ſed quam hodie omittunt: alii à primo Ægyptiorum rege Chibe dicto: melius ab urbe Ægypti celeberrimâ olim, & Thebaidos metropoli, Copto. Vnde & Copti dicendi, vel Coptitæ, non Cophthi, quomodo illos Muhammedani appellant, per contemtum, quaſi dicas inciſos: unde & nomen hoc venire, & ſcriptionem eſſe *Cophthi*, ſive ab uſurpatâ olim circumciſione, ſive exprobratâ, nonnullis viſum. Habent ſuum Patriarcham nationis Coptorum dictum. Et Alexandriæ aliquando duo ſimul Patriarchę, Orthodoxorum unus; Coptorum alter, ſeu Iacobitarum: nam Copti Iacobitæ ſunt, & in liturgiâ ſuâ celebrant Severum, Dioſcorum, & Iacobum, Syrum illum, Iacobiticæ ſectæ auctorem. Quamvis *Iacobitæ* qui per Syriam, Meſopotamiam, & Babyloniam innumeri proprium habeant Patriarcham, in civitate Meſopotamiæ Caramit, qui ſe nuncupat patriarcham Antiochenum, ſectæque ſuæ eccleſias habeant frequentiſſimas atque epiſcopos, Ieruſalemi, Damaſci, Aleppi, aliiſque ibidem locis. De Coptis Thom. à Ieſu refert, quod à Pontifice Romano ſe ſegregarint jam inde à tempore Chalcedonenſis Concilii: quodque eum errare poſſe in iis quæ ſunt fidei, opinantur. Quod baptiſmum ratum non habent, ne quidem in ſumma neceſſitate, ſi ab alio quam ſacerdote conferatur. Quod in S. Cœna, ſeu miſſâ, uti loquuntur,

com-

communicant omnes ſub utrâque ſpecie. Infirmis non adminiſtratur oleum, &c. Et quantum in Orientali Eccleſiâ variæ ſectæ, Coptorum, Abyſſinorum, Armenorum, &c. in multis cum Proteſtantium doctrinâ ac Eccleſiâ conveniant, non in omnibus, à multis pridem annotatum fuit. Inter Anglos, à Richardo Field, in libris *de Eccleſiâ*. Eduardo Brerewodo, in *Inquiſitione diverſarum linguarum & religionum*. Ephramo Pagitt, in *Chriſtianographiâ*. Neque eſt quod in illorum cognoſcendis ſententiis doctriniſque Pontificios Scriptores, Alphonſum Caſtrenſem dico, Prateolum, aliosque horum ſectatores cæcos, inter quos & Bzovius, tutò conſulas vel ſequaris, niſi in iis quæ contra ipſos, ſolitos omnia ex placito Papatus ſui æſtimare, & pro hujus genio ac indole hæreſes interpretari, non ex veritate.

Patriarcham ſuum proprium habent (*Abuna* vocant, ſeu *Patrem noſtrum*, etiam Pius v. P. ep. xlii. *Catholicum* appellat) *Abyſſini*, qui Æthiopiam incolunt, ampliſſima natio, ſub Imperatore, cui temere nomen presbyteri Iohannis, vel Petro-Iohannis imponitur, quum hoc nomen & Imperium Preſtegani, longè alterius, quàm Abyſſinorum Imperatoris, nam in Aſiâ imperitavit, diu deſierit; ſed Luſitani Abyſſinorum Imperatorem, putantes eum eſſe decantatum illum Presbyterum Iohannem, magis famâ & nomine notum, quàm certi rei veritate, dum apud illum nonnulla viderunt, qualia de Presbytero Iohanne paſſim jactabantur, eum primò ſic nominarunt, atque inde manſit, ut Abyſſinorum Imperator ab Europæis habitus pro Presbytero Iohanne fuerit, ſed ex errore, quem utriuſque Imperii diſtantia, ætas, & Abyſſinorum propria confeſſio redarguunt. Presbyter Iohannes malè vulgo dicitur, quum ſit פרשתגאן *Preſtegan*, vox Perſica, ſignificans *Legatum*: vel quod aliis placet *mancipiorum regem*, פרסתר כאן *Preſtar chan*. Abyſſinorum ille Imperator epiſcopatus, & beneficia eccleſiaſtica, non patriarcha, confert; &

mor-

mortuo Patriarchâ, omnes ejus proventus, bonaque ad ſe rapit. Olim ſubjecti fuere Patriarchæ Alexandrino, hodieque nonnullam ab eo dependentiam agnoſcunt. Nam & ex ejus diœceſi Alexandrinum aliquem Patriarcham eligunt Abyſſini Monachi, qui Ieruſalemi ad S. ſepulchrum, uti dicunt, commorantur, Monachum ordinis S. Antonii, quem Alexandrinus confirmat: proque illo in liturgiâ precantur, ante ſuum Patriarcham. Et ab illo chriſma confectum ſingulo ſeptennio ad Æthiopes mitti, dicit Tecla Maria, Abyſſinus presbyter, apud Thomam à Ieſu, *lib.* VII. *cap.* XIII. Vnde & eadem cum Alexandrinis ſapiunt, id eſt, ſunt utrique Iacobitæ, dicentes, in Chriſto poſt unionem eſſe unam naturam, unam voluntatem, unam operationem, ſine tamen mixtione & confuſione: uti idem Tecla apertè profeſſus Romæ fuit. Quapropter neque Concilium Chalcedonenſe accipiunt: & Papam Leonem qui ejus patronus & magna pars fuit, condemnant: & Dioſcorum, Iacobum, ac Severum pro ſanctis habent & venerantur. Eâdem inſuper æra utuntur Copti & Æthiopes, quam appellant æram Martyrum, ab anno XIX. Diocletiani, Chriſti CCCII. quo gravis adeo in Chriſtianos & Ægyptios, Æthiopes, alioſque viguit perſecutio, ut Coptorum centum quadraginta quatuor millia trucidata, ſeptingenta in exilium acta dicantur: quam æram martyrum Copti; annum gratiæ Æthiopes vocant. Rogatuſque Tecla, an in aliquibus diſcreparent Copti, & Abyſſini, reſpondit, *nullam eſſe differentiam inter eos, & in omnibus rebus concordare. Sunt enim ſub ejuſdem Patriarchæ obedientiâ.* Idemque demonſtrat in *Prodromo Coptico cap.* II. Athanaſius Kircherus. Quæ illorum religio, qui mores, apud varios expoſitum reperias, præſertim apud Damianum à Goes, equitem Luſitanum, qui *Confeſſionem fidei Æthiopum* edidit, factam à Legato Imp. Æthiopum Davidis ad Iohannem III. Portugalliæ regem, Chriſtophoro Licanato, patriâ,

ſuâ lingua dicto Zaga Zabo, anno CIↃ IↃ XXXIV. Apud Thom. à Ieſu. Nicol. Codignum, *de rebus Abyſſinis*. Franciſc. Alvarezium, in *Hiſt. Æthiopum*. Matth. Dreſſerum, Lipſenſem, *de Eccleſiâ Æthiopicâ*. Bernh. Varenium, libello *de diverſis Gentium religionibus*, poſt deſcript. regni Iaponiæ, aliosque. Ipſi notarunt Pontificii, in quam multis Abyſſini à ſe diſcrepent. *Licet reverentiam aliquam Romano Pontifici exhibeant, non firmiter ſentiunt de primatu Romanæ Eccleſiæ*, inquit Thom. à Ieſu. Idemque, *de ſacramento confirmationis neque extremæ unctionis non invenio apud Æthiopum ſcriptores expreſſam aliquam mentionem*. Credunt, *animas infantium decedentium ante baptiſmum, eo ſolum ſalvari quia orti ſunt à parentibus fidelibus. Præterea traditiones ſanctas non admittunt, ſolumque verbo Dei ſcripto fidem dare ſe habere, ut Alvareſius cap. 78. Nullas pro defunctis oblationes habent, nec ſacra faciunt pro vivis, forte, vel quia exiſtimant illis non prodeſſe, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoſcunt. Miniſtraturque Eucharistia etiam laicis ſub utraque ſpecie.* Hæc de illis Thomas à Ieſu, monachus Carmelitanus. Adde Confeſſionem Zagæ Zabo, qui inter alia: *& ſacramentum Eucharistiæ non ſervatur apud nos in templis, ut fit hic apud Europæos. Nec in miniſterio ſacramentum Eucharistiæ oſtenditur, ut hic vidi fieri. Monachis non licet vicatim mendicare, nec à plebe aliquid eleemoſynarum extorquere. Et nullam pro remiſſione animarum facimus Miſſam. Præterea conſtitutum eſt à ſanctis Apoſtolis in Synodorum libris; Clericis uxores licere ducere. De animarum propagatione, omnes ſine ulla hæſitatione in hac ſententia verſamur, omnium hominum animas ab Adam profluxiſſe, & ut caro noſtra eſt ex ſemine carnis Adæ: ita quoque anima noſtra, quaſi lucerna in anima Adæ accenſa, originem ſuam & naturam ex Adam trahit. Ex quo apparet, nos omnes ſemen eſſe Adæ ex carne & anima, &c.* Communiter ſtatuunt animarum traducem. Atque circumciſionem olim quidem etiam admiſerunt,

non

non ita hodie, ſed & tum ex politicâ & nationis antiquâ conſuetudine, uti præter Hebræos plurimæ gentes, Ægyptii aliique, non ex religione, vel ſacramento illam obſervare ſoliti fuerunt, quamvis ad imitationem procul dubio Hebræorum. Pontificios adeo quidem execrantur, ut Ioh. Maffæus referat hiſtor. Indic. l. ult. ſub finem, quod quando ſuaſu Regis, Abyſſinorum Patriarcha diſputaturus eſſet cum Ieſuitâ Rhoterigio, id non ſolum abnuerit, dicens, *nullum ſibi cum hæreticis commercium ſermonis eſſe*, ſed Regi etiam graviter interminatus fuerit, ſi legere ſcripta illorum pergeret. Atque hæc de Eccleſiis Copto-Æthiopicis, ſive Abyſſinis.

Orientis numeratæ olim 7. diœceſes, Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia, Macedonia, & Dacia. Macedoniæ & Daciæ provinciæ communi Illyrici nomine comprehenduntur, uti ab uno olim Illyrici præfecto regebantur: dein ab uno utriuſque primate metropolitā Theſſalonicenſi: denique ad Bulgarorum reductæ diœceſim, quorum metropolita ſui juris diu fuit, nulli alii ſubjectus. Reliquas diœceſes cæteri Patriarchę inter ſe, non eodem ſemper modo, diſtribuerunt. Alexandrino, authoritate Synodi Nicænæ, ceſſit Ægyptus, Libya, & Pentapolis. Antiocheno Oriens, ſpeciatim ſic dictus. Vnde Orientis patriarcha vulgo à Veteribus appellatus. Orientis autem diœceſes fuerunt latiſſimæ, Syria prima, & ſecunda, Palæſtina, Phœnice, Cilicia, Meſopotamia, Arabia &c. Ex quibus Ieroſolymitano aſſignatæ tres Palæſtinæ, quibus ille poſſet *ἐπισκοπεῖν*. Quod definitum in Concilio Chalcedonenſi a. cccc l i. ubi obortâ quæſtione inter Maximum Antiochenum, & Iuvenalem Ieroſolymitanum epiſcopum, ſuper limitibus diœceſium, ſtatutum, ut Antiochenus haberet duas ſub ſe Phœnicias, & Arabiam, Ieroſolymitanus, tres Palæſtinas. Concilio dein Conſtantinopolitano, ſub Iuſtiniano Imp. a. Iↄ l i i i. ſuper tribus Capitulis Neſtorianiſmi, Ieroſolymitana epiſ-

 piſ-

piſcopalis in Patriarchalem erecta fuit, propter reverentiam (dicebant) ſanctæ reſurrectionis; ideoque dum in confinio Alexandrini Ieroſolymitanus habitaret & Antiocheni, utrique huic ſubtracti aliqui, & Ieroſolymitano conceſſi epiſcopatus, quibus ad formam aliorum quoque præſideret Patriarcha. Conſtantinopolitano Chalcedonenſe Concilium attribuit Aſianam, Ponticam, & Thraciam.

Atque hactenus de Orientalium ſectis egimus, juxta illorum ſedes patriarchales, quibus aut ſubjecti fuerunt, aut ad quas olim ſpectarunt, proximé referri poſſunt: uti ad Conſtantinopolitanum, qui urbis ratione primatum mox obtinuit, de Moſcovitis & Ruſſis: ad Alexandrinum, de Coptis, & Abyſſinis: nunc ſequitur ut ad Antiocheni diœceſim videamus de *Syris* ſeu *Melchitis*, qui per illam frequentes degunt, cujus archiepiſcopi ſedes hodie eſt, non Antiochia, ſed Damaſcus. Syri dicti à regione, quam incolunt: Melchitæ, à religione, quod eam tum ipſi, tum ipſorum epiſcopi ſequuti ſunt, quæ Regis ſeu Imperatoris erat. Id eſt, quum poſt Chalcedonenſem Synodum, in quâ Eutyches ac Dioſcorus fuere condemnati, alii Synodum ſequerentur, alii ſecus, Imp. Leo ſequenteſque Synodum amplectentes urgenteſque, cauſam aliis dedere, orthodoxos per calumniam Melchitas appellandi, quia nempè religionem tenebant Imperatoris. Cæterùm orthodoxi ſunt, Eutychianiſmum averſati, ſecus ac alii; & per Orientem frequentiſſimi. Communia Græcorum ſequuntur dogmata, de proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre, jejunio ſabbathi, conjugio & bigamiâ ſacerdotum; præterea adverſus Latinos Euchariſtiam celebrant ſub utrâque parte; negant Purgatorium ignem, aliaque, quæ in Latinâ Eccleſiá dudum carpſit & caſtigavit Orientalis. Primatum Romanum eo conſtantius rejiciunt, quo Petrum ajunt Antiochiæ ſediſſe, antequam ad Romanos proficiſceretur, unde ſe Romano

ſub-

ſubmittere epiſcopo omnino renuunt. Hinc de illis Gabriel Sionita, lib. de Vrbibus Oriental. cap. IV. teſtatur, quod *odium inteſtinum in ſummum Pontificem, atque in omnes ei in ſpiritualibus ſubjectos gerunt, quodque eidem primatum pertinaciter abnegant.* Contrà ac *Maronitæ*, montis Libani incolæ, qui ab aliquo tempore ſe Romanis ſubjecere, ab a. CIↃ C lx xx I I. quod refert VVilhelmus Tyrius, *de bello ſacro lib.* XXII. *cap.* VIII. A quo tempore iterum relapſi ad priorem Græcorum religionem & dogmata, ſed reverſi denuò ſunt, ſub Gregorio XIII. & Clemente VIII. Vnde autem ſic dicti ſint, incertum valde eſt. An à Marone hæretico Monothelitâ, cui errori olim una cum aliis fuerint deditiſſimi, ut VVilhelmus Tyrius, rerum iſtarum peritus, colligit: *cum per annos pene quingentos cujuſdam Maronis hæreſiarchæ errorem fuiſſent ſecuti.* Deinde: *Maronis autem error, & ſequacium ejus eſt, & fuit (ſicut ex ſextâ Synodo legitur, quæ contrà eos lata eſſe dignoſcitur, & in quâ damnationis ſententiam pertulerunt) quod in Domino noſtro Jeſu Chriſto una tantum ſit, & fuerit ab initio, & voluntas, & operatio.* Similiter Bernardus Lutzemburgenſis; & Prateolus, in Elencho hæreſ. voce *Maronitæ.* Quod alii ægerrimè ferunt, illorum inde derivari nomenclaturam, maluntque à Sancto quodam Marone, abbate deducere, cujus mentio occurrat in Concilio Conſtantinopolitano, ſub Mennâ, in ſubſcriptione libelli Monachorum Apameæ, Act. V. quæ in aliis editionibus eſt actio I. ubi primus Alexander presbyter & archimandrita monaſterii beati Maronis; à quo Maronitas nominatos, ut à Studio, Conſtantinopolitano monaſterio, Studitas, colligit Baronius, *Tom.* VII. *ad a.* IↃXVIII. Alii à terrâ Maroniâ dictos autumant, apud Gabrielem Sionitam, *de Vrbib. Arabiæ, cap.* VI. Baronium, *Tom.* XII. *ad a.* CIↃ CLXXXII. Quidquid de ipſorum nomine ſit, undecunque acceperint, exiguo præ aliis numero, in Cypro,

Aleppi, Damaſci, præſertim verò in Libano verſantur; atque à Turcis vehementer opprimuntur & exſugun-tur. Patriarcha ipſorum, qui ſe Petrum ſemper, uti Iacobitarum Patriarcha Ignatium, appellat, octo vel novem ſub ſe habet ſuffraganeos. Et hi *fidem erga Romanum Pontificem, & ſedem Apoſtolicam, ut ex omnibus Orientis populis ſat integram retinuerunt*, inquit Poſſevinus, in Apparatu, tit. *Maronitæ*: unde & Romæ ſeminarium Maronitarum, pro juvandis illis, erectum.

Quintum poſt quatuor Patriarchas olim locum in Synodis, earumque ſubſcriptionibus tenebat epiſcopus Seleucienſis, cujus authoritatem hodie arrogat Patriarcha Muzal, in Meſopotamiâ, qui *Chaldæorum* ſeu *Neſtorianorum* ſummus eſt epiſcopus, cognomine antiquo *catholicus*, ſeque ſcribit quintum Patriarcham. Elias Patriarcha Babylonis, in epiſt. ad P. Paulum v. a. cIↄ Iↄ cx. *Ego Elias &c. cui per gratiam, & præter mea merita, credita eſt ſedes quinta Babylonis.* Cujus modo nomen ac rudera ſuperſunt, ſedes ac dignitas Seleucienſi (nam in Babylonis antiquæ locum Seleucia conceſſit) contigit, cum quâ Seleucia quidam idem faciunt hodiernum Muzal, quæ ampliſſima Meſopotamiæ urbs eſt, Tygri adjacens; ſed non, verum è regione veteris Ninivæ ſita eſt, quæ ad orientalem Tigris partem in Aſſyriâ, hæc ad ejus occidentalem in Meſopotamiâ. In epiſtolâ a. cIↄ Iↄ l I I. ad P. Iulium I I I. ſcribunt, ſe convéniſſe ex omnibus civitatibus & pagis, *circum civitatem MoZal, hoc eſt Aſſur in vicinia Ninives.* Patriarchalis ſedes, quæ olim Seleuciæ, nunc in Muzal eſt, ejuſve proximo monaſterio: quodque olim illi Patriarchæ datum, hodiernus ſibi quoque arrogat. Quid autem id ſit, videri ex Synodo Nicænâ poteſt, can. XXIII. *Sit præterea honorandus, qui tenet ſedem Seleuciæ, quæ eſt in provinciâ Orientali, qui debeat etiam appellari nomine Catholici, ſitque obediendum ei, & poſſit is ordinare Archi-*

chi-

chiepiſcopos, ſicut faciunt Patriarchæ, & non fiet injuria Patriarchæ Antiocheno, ſiquidem ipſe conſenſit, poſtquam hoc ab eo Synodus petivit, ne de ſublatâ poteſtate iſtâ iraſceretur. Quod quidem factum eſt, ut illius provinciæ fideles pace & quiete fruerentur, ſimul etiam, ut is, qui tenet ſedem Seleuciæ, nomine catholici honoraretur. Et cap. XXXIV. *Si convenerint Epiſcopi ad habendum Concilium in Græciâ, & fuerit præſens prælatus Seleuciæ, quæ eſt provincia Babylonia, in aditu Zabur, quæ hodiè vocantur civitatula: oportet honorare eum multum, & magnificare atque extollere ſupra omnes epiſcopos Græciæ. Siquidem ipſe tenet locum Patriarchæ in Oriente, & ſedes ejus in Concilio debet eſſe ſexta poſt epiſcopum Hieroſolymitanum. Et quicunque hanc conſtitutionem violaverit, ſynodus eum excommunicat.* ex Actis Concilii Nicæni Arabici, Alphonſi Piſani, *lib.* II. De hoc ergo Patriarchâ, poſt Antiochenum, & Ieroſolymitanum, jam ſuo loco agimus. Eſt vero is Neſtorianorum, qui regionis iſtius ratione appellantur vulgò, caput, atque latiſſimas occupant regiones, non Meſopotamiam ſolum & Aſſyriam, ſed in Tartariam, & Indiam uſque ſuæ ſectæ profeſſores diffundunt. Chaldæorum Neſtorianorum nonnulli, ſub P. Iulio III. ſe Romanæ Eccleſiæ ſubjecerunt, ab eâque acceperunt Patriarchas; quorum primum confirmavit Sulakam, ordinis S. Pachomii monachum a. CIↃIↃLII. Cui ſucceſſit Abdieſu, obtentoque à Papâ Pio IV. pallio, ad Concilium Tridentinum perrexit, ubi habuit orationem, contra quam proteſtatus Orator Luſitaniæ fuit, Regem ſuum, apud Antiſtites Orientales ſibi parentes neminem Patriarcham ſuperiorem ſcire: quę proteſtatio multorum excitabat animos ad varia abſurda in oratione Patriarchæ excutienda, quæ alii haud ſegniter ſupprimebant, & occultabant. Hiſtor. Conc. Trident. lib. VI. Sed hi Romanenſes Chaldæi nequaquam comparandi cum reliquis numero, à quibus ſunt repulſi fugatique: Neſtorianis Chaldæis, ipſorumque Patriarchâ,

nomen, ſedem poteſtatemque priſtinam retinente. Demùm a. cIↄ Iↄ cx. Patriarcha Babylonis Elias, per Adam Archidiaconum, ad P. Paulum V. ſe contulit, eique ſe ſubmiſit: quo apud ſuos conſenſu aut eventu, incertum. Hiſtoriam habes inſertam Annalibus Bzovii, *Tom.* XIV, & apud Petrum Strozam, qui cum Adà iſto, Legato Eliæ, ſæpius Romæ contulit, & hinc diſputationem ſuam conſcripſit, *De dogmatibus Chaldæorum.* Neſtoriani Chaldæi, potentiſſimi ac numeroſiſſimi ſequuntur dogmata Græcorum, & Neſtorianorum, de quibus quia dictum à nobis in præcedentibus, hic multa addere ſupervacuum. Et quidquid ſit de Neſtorio, & cujus ille ſententiæ doctrinæque ſuper eo quod in Epheſino Concilio ei attributum fuerit, Neſtoriani hodie tenent damnatam in Neſtorio hæreſim, neque ſolùm Neſtorium tuentur ac prædicant. Hæc enim excerpta articulorum controverſorum inter ſe & Latinos exhibuit Patriarchæ ſuo Eliæ Ada archimandrita: *Dominus Papa, cum omnibus Patribus magnæ Eccleſiæ Romæ vocant Virginem ſanctam Mariam, Dei Genitricem, Nos verò Orientales eam Genitricem Chriſti vocamus. Illi duas naturas Chriſti confitentur, duas virtutes, & duas voluntates. Nos autem fatemur unam virtutem & unam voluntatem. Illi etiam unam perſonam fatentur in Chriſto. Nos quidem fatemur duas perſonas. Et dicunt, quòd Spir. ex Patre & Filio procedit. Nos verò fatemur, quod ex Patre Spir procedat.*

Armenii ſcio olim pertinuerunt ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, quia erant provinciæ Ponticæ, ſed à longo tempore ab eo deſciverunt, & loca vicina incolentes iis, in quibus modo verſamur, de illis jam dicemus. Binos habent Patriarchas, quos quoque *Catholicos* vocant, nemini ſubjectos: alterum Armeniæ majoris, dictæ ab occupatione Turcarum, Turcomania; alterum minoris, cis Euphratem: utramque enim fluvius iſte diſſecat & diſterminat. Illius antiqua ſedes fuit Sebaſtia, Armeniæ majoris metropolis; hodierna

in

in monaſterio Ecmeazin, apud civitatem Perſiæ Ervan: hujus olim ſedes Melitene, Armeniæ minoris metropolis, hodie in civitate Sis, Ciliciæ prope Tarſum: nam per hanc etiam, dictam nunc Caramaniam, ſe diffundit Patriarchæ illius jurisdictio. Armeni, præterquam hic, in variis per Aſiam locis, Europæ etiam, in Tartariâ, Ruſſiâ, Lithuaniâ, ubi propria habent templa, diſperſi ſunt, præſertim in locis mercatus, nam ad mercaturam præ aliis valent, unde & apud Turcas paſſim acceptiores: addunt alii & hanc rationem, quare Turcæ magis faveant Armenis, quàm ullis aliis Chriſtianorum, quia ſcilicet Armenus quidam Sacerdos Muhammedi aliquando prædixit & vaticinatus fuit illam ſuam, quam deinde obtinuit, poteſtatem. Theologia & dogmata ipſorum valde incerta ſunt, compertumque abſona & dira nonnulla, præter veritatem, iis impacta fuiſſe. A qualibus ipſe eos Genebrardus purgat, *Chronolog. lib.* IV. *pag.* 927. an bonâ & propriâ motus causâ, non dico: hoc interim de Græcis Scriptoribus addit, ſe eos ſuſpectos habere, quotieſcunque de Syris, Maronitis, Æthiopibus, Perſis, Indis, Georgianis, Ægyptiis ſcribunt, eosque vel Iacobitas, vel Neſtorianos aſſerunt: quum qui apud illos peregrinantur, ſæpius orthodoxos deprehendant ac catholicos. Conſtans autem ſcriptorum conſenſus eſt, eſſe Iacobitas, & poſt quartum concilium Chalcedonenſe, operâ Echanii cujusdam Armeni, qui & Mandacumes appellabatur, ſententiam Eutychis, Dioscori & Monophyſitarum ſequutos: uti ſcribit Euthymius monachus Zigabenus, ubi adversus illos disputat, *Panopliæ part.* II. *tit.* XX. Vtebanturque hoc ſimili, quod quemadmodum gutta aliqua mellis vel aceti in mare demerſa non amplius ſervat ſuam naturam, neque cernitur ultra, aut ſubſiſtit; ita corpus Chriſti in divinitatis pelago demerſum quaſi abſumtumque non amplius ſuam ipſius naturam ſervaſſe ac proprietates, atque inde non duas in

Chriſto eſſe naturas, ſed unam, eandemque divinitatis. Quidquid hâc de re ſit, pro peſſimis hominibus habitos Armenios ſcimus, ſuone merito, an aliorum invidiâ, incertum. Hinc Niconis ſcriptum, *de peſſimâ Armenorum religione*, in Bibliothecâ Patrum; & apud Balſamonem, *iii Can. epiſt. pag.* 1097. Baron. *Tom.* x. cujus ſtare judicio nolim, præſertim in iis, quæ Armenis in articulo de Trinitate objicit. Rogatus Iohannes Cypri epiſcopus, à Conſtantino Cabaſilâ, Dyrrachii archiepiſcopo, de tolerandis Armenis, & permittendo iis ædificare templa, reſpondet, quod inter Reſponſa Patriarcharum, Tom. III. Iuris Græco Latini, nec abs re eſt, ut hic legatur: *Ab initio quidem indultum eſt, ut in Chriſtianorum regionibus & civitatibus diverſæ linguæ & religionis homines habitarent, ut puta Iudæi, Armeni, Iſmaelitæ, Agareni, & alii ejuſmodi, non promiſcuè tamen, ſed ſeorſim. Vnde etiam harum tribuum cuique intra civitatem, vel extra, loci determinantur: ut his circumſcribantur, nec ulterius eorum habitationes extendantur. Illud autem veteribus principibus excogitatum eſt, tribus, ut opinor, de cauſis. Vna quidem, ut habitationis anguſtiis & definitione, ſenſum capiant, ſe propter hæreſim rejiciendos judicari. Alia autem, ut propter frequentem cum Chriſtianis conſuetudinem paulatim ad mutationem convertantur: ſi non omnes, aliqui ſaltem, quos ſalus dilexerit. Tertia etiam, ut induſtriæ ipſorum fructus referant, qui iis ad vitam opus habent. Armeni ergo, ſi quo loco circumſcripti ſunt, templa ædificant, & faciunt quæ ad hæreſin ipſorum pertinent, extra calumniam manent. Idem enim Iudæis licet & Iſmaelitis, qui Chriſtianicas civitates incolunt. Quòd ſi definitæ ſibi habitationis egrediuntur terminos, non ipſi tantum prohibebuntur, ſed & ædificia eorum, qualiacunque fuerint, diruentur. Indulgentiam enim talium & licentiam jampridem amiſerunt.* Vnde quo loco Armeni habiti dudum fuerint, pari fere cum Iudæis, & Agarenis, liquet. Tantumque Græcis cum Armenis odium eſſe ſcribit Varenius, ut illi

illi cibum ſumere cum iis, aut eodem ex poculo bibere recuſent. Interim hi ipſi Armeni pluria habent vetuſtæ ὀρθοδοξίας monumenta. Iuxtaque ea, quæ ipſi de illis Pontificii referunt, aliique imagines nec crucem adorant: ſed adorantes feriunt anathemate. Negant, verum Chriſti corpus realiter in ſacramento Euchariſtiæ ſub panis; & ſanguinem, ſub vini ſpeciebus contineri. Præterea etiam ſacramentis virtutem conferendi gratiam, negant. Rursùs ſic vinum in calice apponunt, ut nullam penitus miſceant aquam, eam aſſerentes minimè miſcendam eſſe. Negant, in nuptiis contrahendis aliquod eſſe ſacramentum, aſſeverantes, illam maris & fœminæ indiſſolubilem conjunctionem non eſſe ſacramentum, neque per illam, aliquam gratiam conferri conjunctis. Dicunt etiam, eſſe aliqua peccata ita prorſus irremiſſibilia, ut à nullo ſacerdote remitti poſſint. Aſſerunt prætereà, nullum eſſe purgatorium locum, in quo animæ ab hâc luce migrantes purgentur à ſordibus, quas in corpore contraxerant, antequàm in æterna tabernacula recipiantur. Item, beatos eſſentiam Dei non videre, ſed claritatem quandam illius eſſentiæ; in quâ viſione aſſerunt ſupremam conſtare beatitudinem. Diem natalis Domini neſciunt, nullaque feſta, nec Vigilias cuſtodiunt, nec quatuor tempora. Præterea in ſabbatho, & in Dominicâ carnes comedunt. Rebaptizant eos, qui ſemel baptiſma ſuſceperunt in eccleſiâ Romanâ, dicentes, in eâ non eſſe verum baptiſma, propterea quod apud Latinos non eſſe veram catholicam eccleſiam credant, ſed ſolùm penès ipſos. Proprium habent Primatem, quem Catholicum appellant, & cui velut ſummo Pontifici per omnia optemperant. Romanum ſiquidem antiſtitem contemnunt, cumque dicunt non eſſe cæteris ſuperiorem. Hæc ex Nicone, Prateolo, Thomâ à Ieſu, Armeniorum adverſariis. Chytræus quoque in Orat. de Statu Eccleſ. pag. 22, 23. in ſacris non alia quàm

ipſis vernaculâ & vulgò notâ linguâ utuntur. Quem morem, Ruthenos, ac Moſcovitas, & Moldavos, aliasque gentes, Byzantino Patriarchæ ſubjectas, & alias in Oriente & Africâ eccleſias Chriſtianas, hodie etiam ſervare ſcimus. Habentque Biblia ſuâ Armenorum linguâ, quæ verſio facta dicitur à Chryſoſthomo, apud ipſos exulante. In Liturgiâ ſuâ omnibus integrum ſacramentum diſtribuunt; nec ulla, ſine diſtributione ſacramenti, Miſſa celebratur: neque ſacerdotes mariti ab adminiſtratione ſacrorum arcentur. Vnde facilè credo, à ſcriptoribus Pontificiis nonnulla temerè Armenis affi-cta fuiſſe. Quomodo quæſo convenit, Armenos imagines religioſas earumque cultum vehementer execrari; & ſimul effigiare imagines Patris, Filii, & S.S.? illis attribuere, quod peccatum originale negant; & quod dicerent quoque omnes homines ante paſſionem Chriſti fuiſſe damnatos ob primorum parentum peccatum atque transgreſſionem? Quod faterentur Deum eſſe mendacem? talia ac iis admodum ineptè adſcribit Prateolus. Operæ pretium foret, ut quis nos certiùs de ipſorum religione & fide doceret, quos ſuſpicor magis reformatos eſſe, quam quidem communis ferat opinio. Eugenius P. perquam ſtudioſè conatus fuit illos in unionem ſecum attrahere, quâ formâ Græcorum alios, extatque in Florentinâ Synodo formula unionis Armenorum, ſed parem illa apud hos ſucceſſum habuit, quem apud Græcos altera: quod teſtatur Thomas à Ieſu, lib. VII. cap. XIX. *At poſtea in Concilio Florentino, tempore Eugenii IV. celebrata eſt Armenorum unio cum Eccleſiâ Catholicâ, quamvis nunc apud Armenos ipſos, ſicut nec apud Græcos, unionis in illo celeberrimo Concilio, præſente Imperatore Palæologo factæ, nullum ferè exiſtat veſtigium.*

Supra Armenos ad Septentrionem, inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium, degunt qui vulgò dicuntur *Georgiani*, iique, ſicut illi, olim Conſtantinopoli-

ta-

gano peruerunt Patriarchæ; ſed jam proprium habent, in monte Sinâ, in clauſtro S. Catharinæ. Tantum autem inter utroſque odium eſſe dicitur, ut hi jubeant: *Si quis veſtrum habeat ſpinam in pede fixam tranſiens ante Armenorum Eccleſiam, debet ſpinam ſuſtinere, nec ſe ad pedem ſuum evellendi causâ inclinare, ne per hoc videatur ante Armenorum Eccleſiam, ab omnibus Chriſtianis vilipendendam, inclinare.* Referente Thomâ à Ieſu, *lib.* VII. *cap.* XVIII. Georgianos à S. Georgio dictos communiter ſcribunt, quia eum ſupra modum venerentur, quaſi primum apud ipſos Euangelii prædicatorem, cujus ideoque ſignum in vexillis circumferant adverſus alios præliaturi. Eſt certè gens bellicoſiſſima, & Schytharum more, quorum contermini, vivens. Nomen hoc non à S. Georgio ipſorum regio, ſed jam à tempore Melæ, ac plinii habuit. Neque Georgianos & Iberos eosdem cenſeo, quamvis non longe diſſitos. Mela: *ſuper Schytas Schytarumque deſerta*, inquit, *ac ſuper Caſpium ſinum, Comani, Maſſagetæ, Caduſii, Hircani, Hiberi. Super Amazonas & Hyperboreos, Cimmerii, Scythæ, Eniochæ, Georgi, Moſci* &c. Diverſos facit Hiberos, & Georgos. Hi ſunt, quos nunc Gorgianos appellamus. Regio ipſorum vulgò Gorgeſtan, vel Georgia. Videſis Antoninum, *hiſtor. part.* III. *tit.* XIX. *cap.* VIII. §. IX. X. Cujus princeps Teimurazes, totaque natio impudenter deluſa fuit haud ita pridem anno cIↄ Iↄ CXIV. à Ieſuitis, qui Reginæ Cetabæ, matris, apud Perſas ob religionem Chriſtianam interfectæ, caput ſe mittere Regi perſuaſerant, quod magno aliquamdiu honore omnes proſequuti, uſque dum Cetabæ ancilla & fraudem Ieſuitarum, & corpus Dominæ produxit, quod Rex à Perſis magnâ dein pecuniâ redemit. Hiſtoriam deſcripſit Gregorius Hieromonachus, Trapezuntinus; eamque alii ad illum annum commemorant. Converſos autem Iberos primum exemplo & operâ captivæ alicujus mulieris Chri-
ſtia-

ſtianæ, quæ pietate ſuâ & religioſâ admodum vitâ, tum miraculis tantum ſtuporem incuſſerat Reginæ aliiſque ejus loci, ut religionem Chriſtianam edoceri hinc ardentiſſime expetierint, paſſim ſcribunt Hiſtorici. Ruffinus, *lib.* II. *cap.* X. Sozomenus, Socrates, alii. Georgios illos vel Georgeſtanos hodie cum Græcis convenire in religione atque liturgia, aſſerunt.

Varia autem Græcorum & Orientalium eſt *Liturgia*, ordoque agendorum Eccleſiaſticorum, poſtquam nimis in formulas & formalitates λειτουργικῶν dediti, tot tandem librorum ſacrorum nacti ſunt genera, ut numerare moleſtum ſit. Præter Liturgias Iacobi, Clementis, Petri, Matthæi, quæ Æthiopum, Marci, de quibus alias diximus, earumque oſtendimus vanitatem & vitia, tenent præſertim Liturgiam Chryſoſthomi, ac Baſilii: ſed quas omnes temere illis auctoribus adſcribi, viri docti copioſe oſtendunt. Rivetus, in *Critico ſacro.* Rob. Cocus, in *Cenſurâ ſcriptorum veterum.* Hoſpinianus, in *hiſtor. Sacramentariâ.* Mornæus, *de Miſſâ lib.* I. *cap.* II. Molinæus, *de Miſſâ lib.* IV. Caſaubonus, *Exercit.* XIV. *in Baronium*, *num.* 8. Ioh. Gerhardi, *Confeſſ. lib.* I. *part.* II. *cap.* VIII. Et nos de illis agimus, ubi *de Theologiâ Patrum.* Vulgatam præterea habent liturgiam, præſertim in quadrageſima, τῶν προηγιασμένων, *ante ſanctificatorum*, id eſt ſanctificatorum panum, vel panis partium in die dominico, quas per hebdomadam ſingulis diebus capiunt, ante jam ſanctificatas. Cæteraque ipſorum officia videre licet, in *Euchologio*, quod variis additis diverſorum exemplarium lectionibus, & notis, edidit nuper Iacobus Goar, Pariſinus, Miſſus antehac Apoſtolicus (quemadmodum ſcribunt) in Orientem. Præterea habent libros, *horologium*, officiorum ad ſingulas dei horas: *Diurnale* dicerent Latini: uti & *Typicum* totius anni: *Paracleticum*, *Pſalterium*, *Triodium*, *Pentecoſtarium*, *Anthologium*, aliaque, de quibus Leo Allatius, ſingulari libro, vel diſſertatione una,

nâ,

nâ, & alterâ *de libris Eccleſiaſticis Græcorum.* Omnibus illis ſubſervit *Menologium*, quod eſt Calendarium ſacrum, à menſe Septembri, unde Greci annum inchoant, incipiens; totius anni feſta digerens ac ſolemnitates. Quale ex verſione Cardinalis Sirleti, Caniſius in Lectionibus antiquis, & Bibliotheca Patrum aliud ex verſione Genebrardi exhibet: nam pluria, eaque valde diverſa paſſim occurrunt. Arcudium indicarem, qui multa de hodiernis Græcorum Eccleſiis ſcripſit, deque *Conſenſu Græcæ Eccleſiæ cum Romanâ*, ſed hactenus mihi quæſitus quidem, at non viſus: interim Leonem Allatium, & Iacobum Goar video in plurimis eum non leviter carpere & caſtigare. Ille in fine Diſſertationis 1. de Arcudii *Anthologio novo* loquutus, hanc ſubdit cenſuram: *ſane ſi intra Sanctorum Patrum terminos ſe continuiſſet Arcudius, neque plus ſapere, quam ipſe divinus ſpiritus voluiſſet, opus neque inutile, neque incommodum Orientalibus etiam Græcis fuiſſet. Verumtamen cum vetera immutat, integra obtruncat, perfecta immiſcet, & de ſuo addit incompta atque inſulſa, neque cum Græcis ipſis communia, ſtomachum ſapientibus movit, & opus alias laudabile dehoneſtavit.* Iſte, in ſuis ad Menologium Notis, haud ſemel Arcudium quoque perſtringit: quorum judicium uſque dum lectio Auctoris iſtius mihi contingat, ſepono. Scripſit & Allatius, *de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetuâ conſenſione* libros tres, ad votum ſuum & Papatus magis, quam ad veritatem, ut ab Eccleſiâ ſuâ amoliatur crimen, quo laborat, defectionis nempe à Græcis: dignum opus altiori diſcuſſione & cenſurâ. Neque jam dicere de variis Græcorum in peragendis ſacris ritibus eſt animus, qui & pro ſectis diverſi ſunt, & apud Auctores indicatos videri poſſunt: adde Ioh. Bapt. Caſalium, *de ſacris Chriſtianorum ritibus*, *cap.* XCI, & Chriſtophorum Angelum, Grecum, *de Statu & ritibus Græcæ Eccleſiæ*, Latine verſum à Georgio Fhelario, Dantiſcano. Duo præcipue in Græcorum Liturgi-

gicis reprehendimus, *formalitates* omnium & ſingulorum officiorum nimias; ad quas hoc pacto homines ſupra modum adſtringuntur; & multifaria; quæ in illis intercurrit *ſuperſtitio*, ac ſanctorum, aliarumque rerum improbanda veneratio. Quippe turpiter hodie ſe proſtituunt in ſanctorum cultu Orientales. Quæ eò magis nunc excrevere, quò oppreſſi ſævâ Turcarum tyrannide, & reſtincto inde valde ſtudiorum omnium ac religionis apud eos ardore, in paucis ejuſmodi preculis, earumque ferè ſolâ recitatione ſegniter vulgò amant acquieſcere & immori. Tanta apud illos hodie regnat barbaries, & rerum optimarum neglectus ac torpor. In quo propius accedunt ad Pontificios, & Eccleſiæ Papalis morem, quàm noſtrum: eoque ab iis facilius alliciendi, & ſecum conjungendi: quod pauci tamen etiam ex tantâ Orientalium copiâ hactenus fecerunt. Ruſſi aliquot, & Maronitæ. Reliqui Papatum tane pejus & angue oderunt. Quin Papam Græci quotannis, feriâ quintâ ante Paſcha, palam excommunicare ſoliti. Quodque in Concilio Lateranenſi, a. cIↄ cc xv. annotatum, adeo deteſtati Latinos fuerunt Græci, ut in altari, quo Latinus fortè celebraſſet, non prius ſacra perageret Sacerdos Græcus, antequam altare ab illo inquinamento aqua fuiſſet bene expurgatum. Quocum convenit, quod Balſamon, Patriarcha Antiochenus reſpondit, ad Interrogata Marci Alexandrini: an Latinis captivis, accedentibus ad Græcorum eccleſias, communio concedenda eſſet, nec ne? *Qui non eſt mecum, contra me eſt (inquit divinum Evangelium) & qui non colligit mecum, diſpergit. Quoniam igitur ante annos multos, occidentalis eccleſia (Roma inquam) celebris conventus diviſus eſt ab aliorum quatuor ſanctorum patriarcharum ſpirituali communione, & ad mores inſtitutaque divertit à catholicâ eccleſiâ, & ab orthodoxis aliena: quam ob cauſam neque Papa in divinis ſacrificationibus communi patriarchalium nominum relatione dignus habetur: non debet Latino-*

rum genus manu ſacerdotali per divina & immaculata myſteria ſanctificari, niſi deponat priùs, ſe à Latinis inſtitutis & conſuetudinibus abſtenturum, & ſecundum canones inſtructus fuerit, & orthodoxis adæquatus. Nobiſcum in pluribus conveniunt, & convenire poſſunt Græci: ſiquidem apud nos obſtacula illa non ſunt, quæ ipſis Romani objiciunt: nos enim etiam Papatum Romanum oppugnamus, ignem purgatorium, aliaque quæ ipſi non ferunt; iterum communionem ſub utrâque Cœnæ parte, conjugium Eccleſiaſticorum, uſum Linguæ vulgaris in ſacris, & plura tenemus, in quibus ipſorum nobiſcum tum doctrina, tum praxis concordant. Inque plurimis articulis principalibus conſenſum inter Noſtros & Orientales Eccleſias eſſe, à pluribus demonſtratum. Varii hodie in iſtis Eccleſiis defectus, erroreſque vigent, ſed ex iis multi non ſunt univerſales omnium, neq; antiqui adeo, & quos non pertinaciter eſſent retenturi, ſi ab externâ tyrannide libertas, & ab aliis rectior pleniorque inſtitutio obtingeret. Iam verò hinc deſtituti, oppreſſi inde, minùs mirum quod omnia refrigeant apud ipſos & dilabantur. Pontificii haud ſegniter huic negotio incumbunt, ut eos ad ſe pelliciant, eorumque ad ſe acceſſu Eccleſię ſuę amplitudinem diſtendant, commendentque. Neque etiam fraudibus in hoc parcunt, dum vera deſunt, ut Orientalium ad ſe Legationes miras magnaſque fingant & mentiantur: præſertim ut nobis ſcilicet hæreticis illa objiciant, quaſi aliunde tantundem illis accederet, ac nos illis auferimus & nocemus. Vnde magnâ pompâ introductus in Concilium Tridentinum Chaldæorum Legatus Abdieſus: in cujus narratione Patres varia notaſſent abſurda, niſi totum negotium protinus ſuppreſſum, conſilio atque aſtutiâ Luſitanorum Præſulum, fuiſſet. Et ut fallere alios illo excogitato artificio Romani ſolent, conducto fortè qui ſe mentiatur regionum longiſſimè ſitarum legatum accedere, præſtiturum obedientiam ſedi Romanæ, ubi fal-

falſus facile deprehenditur Legatus, falſum quod aliorum nomine veniat, aut integrarum nationum, fidem ſubjectionemque Romanæ eccleſiæ amplectentium; ita nec mirum, nec novum, decipi aliquando & ipſos ab ejuſmodi circumcellionibus, qui tali aucupio illorum vanam ambitionem ludere, & magná mercede ſuâ ipſis mendacia venditare ſciunt. Quod factum inter alia tempore Clementis VIII. quando magnifica Eccleſiæ Alexandrinę ad Romanum Pontificem venire viſa legatio, à Gabriele Patriarchâ ſcilicet, ut Ægypti & Æthiopes primatum ac fidem Romanæ Eccleſiæ agnoſcerent: magnâq; pompâ à Legatis facta fidei confeſſio: quæ immenſum quantum deprædicat Cæſar Baronius, in Appendice Tomi VI. nobiſque ſuperbè inſultans magno effert encomio: at deprehenſa poſtea (quod Annaliſta tum neſcivit: ſed unde cum pudore pòſt diſcere potuit, quam vana plerumque ejus contra illos, quos hæreticos & Novatores criminatur, ſit gloriatio, præſertim ex conſenſu vel concordiâ Orientalium ſecum) omnia falſa eſſe & conficta à mendaci quodam Bartone. Sic Thomas à Ieſu Carmelita Monachus, *lib.* VII. de converſ. Gent. cap. VI. pag. 364. (qui male legationem à Patriarchâ Marco adornatam ait, quum à Gabriele Patriarcha inſtituta fuerit, at qui ſe, quemadmodum Alexandrini omnes, S. Marci Euangeliſtæ ſcribebat ſucceſſorem): *ſummum Eccleſiæ caput univerſalemque Paſtorem agnoſcebant ut late in fine* 6. *Tomi Cardinalis Baron. ſcribit : re tamen poſtea diligentius examinata cujuſdam Bartonis impoſtoris fuiſſe mendacium ac figmentum apparuit.* Hoc lemma faſtuoſæ Cardinalis gloriationi adjiciendum fuerat. Idem Thuanus indicat, *Hiſtor. lib.* CXIV. ad a. cIɔ Iɔ xcv.

Ad nos autem quod ſpectat, exiſtimo omnino majorem curam impendendam eſſe Orientalibus, eorumque Eccleſiis, pluſque opis noſtræ & auxilii, quam hactenus ſoleat. Oportet magis conſtare nobis & *nota* explorata-

que eſſe iſtarum ecclesiarum negotia, ſtatum ac res: tum quoque *juvare* illos; & qua civilem, qua eccleſiaſticam & ſpiritualem iis offerre operam. Nimium certe ab aliis Eccleſiis & longius diſſitis avulſos nos gerimus atque alienos: & vix aliquid certi ſcimus de præſenti illarum ſtatu. Quod contra communionem Sanctorum videtur, ubi nempe major haberi poteſt ac debet; & præter diſciplinam Eccleſiarum. Quanto eſſet melius, quam nobis, quamque illis utilius & ſuavius, communionem habere magis intimam frequentemque, & commercium inter nos exiſtere arctius & ſolidum ad mutuam in fide & charitate ædificationem, atque conſolationem! Tale inter Eccleſias Orientis & Occidentis vinculum fuit Apoſtolorum ævo, diuque in Eccleſiâ manſit per multa ſæcula; nihilque ad Eccleſiam aliquam deſtruendam efficacius eſſe, quam ſi à reliquo corpore nimis temere aut deſeratur, aut recedat ſponte, vel quoquo pacto divellatur, obſervatum plurimis exemplis fuit. Hoc Diabolus negotium ſumit, ut dirimat animos, & Eccleſias ſcindat: contrà divini ſpiritus opus eſt & argumentum, tenere *σύνδεσμον* unionis & communionis ſacræ inviolabile. Aut quid tantæ difficultatis eſſet, vel quotannis, vel quâ aliâ occaſione, ſi non per Legatos, Apocriſiarios olim dictos, Eccleſiarum aut Synodorum mutuos; per litteras, quales encyclicæ olim fuerunt, vel communicatorias, & formatas, ea quæ pacis & ædificationis curare ac promovere ad invicem? de quo Optatus Milevitanus dixit, lib. II. Eccleſias per totum orbem commercio formatarum in unâ communionis ſocietate potuiſſe concordare. Sed de hoc alias dicendi uberior erit locus. Certum eſt, quod cum Europæis propius conjungi orientales amant: deinde, quod cum nullis in Europâ Eccleſiis in conſenſum melius reduci poſſunt, ac cum noſtris, modo in nonnullis rectius inſtruantur. Oſtendunt hoc ipſorum cum Noſtris crebræ tractationes. Conſtantinop. Eccleſ. epiſtola ad

Bohæmos ſcripta, biennio ante captam urbem, die XVIII. Ianuar. anno cIↄ ccccLI. ex bibliothecâ Pragenſi Carolinâ primò edita in lucem, inde variis in ſcriptis exhibita ac memorata, ad unionem ſecum ineundam Bohæmos, qui Romanorum innovationibus reſiſtebant, id eſt, fratres Huſſitas jam tum exhortabatur: *certiores facti ſumus, ut nullis attenditis innovationibus adverſus Eccleſiam Chriſti per nonnullos factis, ſed in fundamento fidei ſubſtructi eſtis, quæ nobis tradita eſt à noſtro Domino, ſuiſque diſcipulis; quare decrevit illico hæc ſacroſancta Eccleſia ad vos ſcribere, & ad unionem pariter ſecum adhortari, haud ſecundum illam Florentiæ unionem ſimulatam, à recto veroque conſilio abalienatam, quæ diremptio à veritate appellanda eſſet. Quamobrem illam minimè admiſimus, imò prorſus annihilavimus: at ſecundum inobliteratum & immutabile decretum, in quo ſolo verè ac tutò uniri poſſumus. Nec ambigit Chriſti Eccleſia ex his, quæ de vobis lata accepit, ut dictum eſt, quod, cùm equidem periculoſis Romæ innovationibus obſtare cenſuiſtis, concordes huic per omnia eritis, mediante adeò ſacra ſcripturæ vero judice: etſi dubiam antè de vobis famam habebamus, vos quaſi haud Romanis innovationibus reſiſtere ſolere. Itaque dilectiſſimi fratres atque filii, ſi ſic eſt, ut audimus & ſperamus, maturate pariter nobiſcum unionem.* Fratres autem Bohæmos valde ſollicitè ac diligenter per multas terræ regiones, in Occidente non ſolùm, ſed & in Oriente, apud Græcos quoque inveſtigaſſe cœtus fidelium ſecum Papatui reclamantium, ſcimus ex illorum hiſtoriâ editâ à Camerario; & Hiſtoria Eccleſiaſtica Sclavonicorum. Forte nimiâ ſollicitudine illos quæſiverunt, quoad hunc finem, ut ab illis ordinatos reciperent miniſtros. Nec defuere Græci tempore Reformationis quoque rebus noſtris, quin & ſuis, atque VVittembergam Patriarcha Conſtantinopolitanus Ioſephus miſit Eccleſiæ ſuæ diaconum Demetrium, qui in res Reformatorum, & doctrinam Eccleſiaſque inquireret, deinde referret ad ſuos

ſuos. Hic ubi per ſemeſtre VVittembergæ commoratus fuiſſet, ad ſuos reverſus a. cIↄ Iↄ l I X, Græcum Confeſſionis Auguſtanæ exemplar, à Melanthone conſcriptum, ſub nomine Pauli Dolſcii, ad Patriarcham ſuum retulit; de quo in quâdam ad Bordingum epiſtolâ Melanthon: *mitto tibi interpretationem Gracam confeſſionis, ſine meo conſilio editam. Probo tamen phraſin, ac miſi Conſtantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, & totâ æſtate noſter hoſpes fuit, ac narravit, multas adhuc ecclesias in Aſiâ & in Thraciâ & vicinis regionibus eſſe; ſed paulatim propter ſervitutis ærumnas diminui frequentiam.* Epiſtola illa Melanthonis edita Baſileæ a. cIↄ Iↄ lxvI. cum Poëmatibus &c. Græcis Mart. Cruſii. Sequutus fuit in Patriarchatum Ieremias, vir juxta doctus ac humanus, quocum Tubingenſibus (ἐγγυδιώκτως Stephano Gerlachio, & Martino Cruſio) ab a. cIↄ Iↄ lxxIV. ad a. cIↄ Iↄ lxxxI. commercium litterarum, & epiſtolaris concertatio fuit ſuper nonnullis fidei articulis, Confeſſione Auguſtanâ comprehenſis, quam Græcam Tubingenſes miſerant Patriarchæ. Omniaque Græcè & Latinè ab illis edita VVittembergæ, anno cIↄ Iↄ lxxxIV. vindicata à criminationibus Staniſlai Socolovii, qui Patriarchæ Reſponſum ad miſſam ei Auguſtanam Confeſſionem, quaſi Cenſuram contra Lutheranos, ediderat biennio ante, acerbiſſimis annotationibus inſtructam. De quo videri etiam poteſt Thuanus, Hiſtor. lib. lxxIII. ad a. cIↄ Iↄ lxxxI. Et quamvis de graviſſimis inter ſe diſputarint, Patriarcha tamen ſemper unionem atque concordiam urgere haud deſtitit, gratulatuſque in ſecundo Reſponſo fuit, ſtatim ab initio, quod doctrina Eccleſiarum in adeo multis inter ſe concordet. Atque Iohannes Zygomalas, in litteris ad Cruſium, anno cIↄ Iↄ lxxvI. die xv. Maji: *perſpicuum tibi & omnibus futurum eſt, quòd in continuis & cauſam fidei præcipuè continentibus articulis conſentiamus. Quæ autem videntur conſenſum inter vos & nos impedire,*

dire, talia ſunt, ſi velit quis, ut facilè ea corrigere poſſit, &c. *Gaudium enim in cœlo & ſuper terram erit, ſi coibi in unitatem utraque eccleſia, & idem ſentiemus & ſimul vivemus, in omni concordiâ & pace ſecundum Deum, & in ſincera caritatis vinculo.* Ægre etiam inter alia ferebat Zaga zabo Abyſſinorum in Luſitaniam Legatus, ad Iohannem III. Portugalliæ Regem, a. cIↃ IↃ XXXIV. exponens Æthiopum ſuorum fidem, quod ob diſcrepantiam nonnullam in fide ac moribus infenſos adeo ſe præberent Orientalibus alienigenis Europæi: *Quamobrem indignum eſt, peregrinos Chriſtianos tam acriter ac hoſtiliter reprehendi, ut ego de hâc re, & de aliis, quæ minimè ad veram fidem ſpectabant, reprehenſus fui: Sed multo conſultius erit, hujuſmodi Chriſtianos homines, ſive Græcos, ſive Armenios, ſive Æthiopes, ſive ex quâvis ſeptem Chriſtianarum Eccleſiarum, in charitate & Chriſti amplexibus ſuſtinere, eos ſine contumeliis permittere inter alios fratres Chriſtianos vivere & verſari, quoniam omnes filii baptiſmi ſumus, & de verâ fide unanimiter ſentimus. Nec eſt cauſſa, cur tam acriter de ceremoniis diſceptetur, niſi ut unuſquiſque ſuas obſervet, ſine odio & inſectatione aliorum, nec commerciis Eccleſiæ ob id excludendus eſt, ſi peregrè in alienis provinciis domeſticos ritus obſervet* &c. Ac ne quis maleſanus nos ſugillet, quod illa quæ Lutheranis oblata, nobis applicamus, ſciat, præter alia quæ ad hoc dici poſſunt, ad Generalem Synodum Torunenſem in Poloniâ, a. cIↃ IↃ XCV. in quâ ſyncretiſmus Reformatorum cum Lutheranis ante quindecim annos Sendomiriæ initus confirmabatur, legationem ab Eccleſiâ Græca veniſſe, pro feriendâ ſecum pace ac concordiâ: uti hâc de re in actis Synodi illius perſcriptum: *Præterea multæ inſignes legationes hinc inde ad eandem Synodum miſſæ, cum literis & commendatione fraterni amoris, nec non promtitudinis animi in recipiendis & amplectendis iis omnibus, quæ in hâc Generali Synodo ex Verbo Dei, juxta priorum Synodorum Decreta concordibus ſuffragiis ſancita eſſent.*

ſent. Inter quas altera erat *ab Illuſtr. Domino Conſtantino Duce ab Oſtrog. Palatino Cijovienſi, Græcæ Religioni addicto, officia amicitiæ Eccleſiis Euangelicis offerente, & cum iis nomine ſuo ac ſuorum conjunctionem in verâ Religione expetente, ſatis honorificè miſſa, & per Legatum præſentem Dominum Caſparum Luſzkovium expedita.* Hoc ſeculo a. CIƆ IƆ C XVI. ad Cantuarienſem in Angliâ Archiepiſcopum Georgium Abbotum ſcripſit Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, & alumnum miſit Græcum, presbyterum, ut in religione plenius inſtitueretur, in Academiâ Oxonienſi. In litteris ſuis, quas ita ſubſcripſit, *Cyrillus Dei gratiâ Papa, & Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ, & Iudex œcumenicus*, gratulatur ſuis Eccleſiis pacem contingere à Turcâ, Chriſtiani nominis inimico infenſiſſimo, verùm à Papiſtis dicit haud exiguum ipſis metum eſſe, *à canibus & operariis ſubdolis, hypocritis dico, quibus ſolenne eſt, aliud clauſum habere in pectore, aliud promptum in linguâ; qui Deum ipſum projecta audacia impetere haud erubeſcunt, dummodo Romani pontificis tyrannidi quoquo modo velificentur: hi emiſſarii terrorem mirum in modum nobis incutiunt, noſtræque imponunt ſimplicitati, cui mancipandæ varias admovent machinas, maxime freti eruditionis fuco, & ſpinoſarum diſputationum aculeis, cum nos interea eruditorum penuriâ laboremus, qui cum ſciolis iſtis æquo marte congrediantur. Etenim propter peccata noſtrà deſpicabiles facti ſumus præ omnibus gentibus, & cum imperio artes quoque liberales amiſimus.* Quo majòr incumbit cura & ſollicitudo, providere ut quovis mòdo, ſive per noſtrum ad ipſos, ſive ipſorum ad nos acceſſum, cum in aliis doctrinis, tum præcipuè in religione uberius inſtruantur, & illud à nobis referant ſuorum erga nos olim beneficiorum fructum (quippe ab illis nos ſtudia, & religionem accepimus), ut noſtrâ juventur doctrinâ & doctoribus. Vlterius poſt Patriarcham Ieremiam, cum Noſtris convenit Meletius, Alexandrinus primùm, tum Conſtantinopolitanus Patriarcha,

qui quando impoſtores aliqui Græci a. cIↄ Iↄ xcv. ficto nomine Patriarchæ Alexandrini Gabrielis, Confeſſionem Romæ, ad placitum Papæ, edidiſſent, quo tempore Meletius, non Gabriel aliquis Patriarchatum tenuit, audito ille negotio valde infremuit tale quid de Alexandrinis, ſe inſcio, ſpargi, qui ab illiuſmodi Confeſſione, vel ſubjectione Papæ Romano facienda erat alieniſſimus. Quæ attingit Thuanus, lib. cxiv. & plenius ex litteris Junioris Douzæ, ad Janum Douzam patrem, conſtant. Quamque in noſtras Eccleſias, non Pontificias, propenſus fuerit Meletius, vir in linguis, Hebraâ, Syrâ, Arabicâ, & Theologicâ cognitione doctiſſimus, oſtendit tum in litteris ad Hypatium Pociey, Ruſſiæ primatem, a. cIↄ Iↄ xcix. tum Sigiſmundum III. Poloniæ Regem, ſcriptis a. cIↄ Iↄ c. quando adhuc erat Patriarcha Alexandriæ, ſuper negotio unionis cum Romanâ Eccleſiâ initæ, à Ruſſo-Græcis aliquibus regno Poloniæ ſubditis, invitis quamvis & reclamantibus aliis: *Perſpiceret Majeſtas Tua, Nos, cum Majoribus noſtris, non ignorare (quem precario ut agnoſcamus) Romanum Pontificem, (id quod ſeſe autumat) Pontificem ſcilicet Romanum, veluti & Conſtantinopolitanum Pontificem, Pontificem Conſtantinopolitanum, cæteroſque Apoſtolicarum Sedium Pontifices, cæterarum certarumque ſedium Apoſtolicarum Pontifices. Qui non unus omnium, ſed inter omnes & ipſe unus, &c. Unum Univerſale Caput, quod ſit D. N. Jeſus Chriſtus eſt, alius eſſe non poſſit, niſi biceps aliquod ſit corpus, aut potiùs monſtrum corporis. Perſpiceres, Rex Sereniſſime, (ut interim de Concilio illo Florentino, veluti de re ſilentio digna, taceam) non Nos, è Patriâ, tum Orientalium tum Occidentalium dogmatibus, traditionibuſque, quæ per ſeptem Univerſalia Concilia Nobis conſignarunt, atque obſignarunt, egreſſos. Illos egreſſos, qui novitatibus in dies delectantur.* Quibus iiſdem litteris Cyrillum commendat Regi, de quo ſtatim dicturi ſumus, exarchum tum temporis Alexandrinum: *A Tuâ verò Clementiâ, hoc quidem tempore*

peti-

petimus, ut Reverendum Patrem Cyrillum Lucari, Exarchum hujus Apoſtolicæ Sedis, & Filium noſtrum favore Regio dignetur, hominem & probitate & eruditione Regio favore digniſſimum. Sub hoc Meletio conventus fuit habitus Vilnæ Polonorum anno cIↄ Iↄ xcix. die xv. Maji, inter Euangelicos, id eſt, juxta Conſenſum Sendomirienſem, Auguſtanos, Bohæmos, Reformatos unà, & Græcos vel Ruſſos non unitos (duum quippe generum Ruſſi ſunt, alii unionem cum Romanis ſequuntur; horrent eam alii: de quibus Auctor *Hiſtor. Eccleſ. Sclavon. lib.* iv.) & primo politica confœderatio pro mutuâ adverſus quaſcunque, præſertim Romanenſium, oppreſſiones, facta, tum ad eccleſiaſticam quoque progreſſum, ſcriptumque eâ ſuper re ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Meletium, à Noſtris, hanc in formam: *Nobis cum primis in votis eſt, ut cum iis quoque coaleſcamus, qui à Nobis remotiores, Pontifici Romano jam dudum nuntio remiſſo, puriori doctrinæ favent; & licet locis disjuncti, pietatis profeſſione & religione ad nos propiùs accedunt. Qualem quidem ſemper putavimus eſſe Eccleſiam Orientalem in Græciâ, & inter ejuſdem nobiſcum linguæ homines in Moſcoviâ, in Ruſſiâ & Lituaniâ, cui non ſine inſigni laude R. P. V. tempeſtate noſtrâ præeſſe ſcimus. Quamobrem etiam hoc ſummoperè expetimus, ut datâ occaſione, cum R. P. V. de Religionis negotio agamus, & rationem, quâ cœtus Noſtri Orthodoxi Veſtris Eccleſiis, per ſanctam in Jeſu Chriſto conſenſionem uniri, & arctiore quodam charitatis vinculo in poſterum conglutinari poſſent, collatis ſententiis ineamus. Vnde etiam cum ad Nos crebris nuntiis rumor is delatus eſſet, quoſdam harum Regionum Antiſtites Veſtrates, qui anteà ſoliti ſunt in omnibus ſuffragiis R. P. V. accedere, eique obedire, obſervantiæ jugo excuſſo, Pontifici Romano, itinere ad ipſum ſat longinquo ſuſcepto, obedientiam, fidelitatem, & ſubjectionem omnem, idque nomine omnium Eccleſiarum Græcarum Religionem in Poloniæ Regno profitentium, (ſed falſo, utpote inſciis pleriſ-*

quo, multis contradicentibus & invitis) promiſiſſe, ſeque ei addixiſſe, doluimus ſanè, pro eo, ac debuimus, ipſos à puriori doctrinâ, ad peſſimos errores, & jugum Antichriſti deſciviſſe. Quia verò, tum profeſſio noſtra Chriſtiana, tum pericula undique immanentia Nobis ſuadent, ut cum Veſtris Eccleſiis Græcis, quarum non exiguum numerum Oræ Lituanicæ & Ruthenicæ continent, pacem foveamus & concordiam colamus: de eo imprimis R. P. V. cum Reverendiſſimo Patriarcha Alexandriæ compellandum, & ab eo conſilium piamque operam petendam exiſtimavimus: ut ſi quâ ratione fieri poſſit, ſublatis omnibus quæ ab Euangelica veritate abhorrere videantur, Deo Uni & Trino, ſub uno Capite Chriſto, in fidei unitate & ſincerâ fraternâ charitate ſerviamus. Reſcripſit Patriarcha per Cyrillum ſuum: qui quia minus gratum reſponſum Regi, & Pontificiis intellexerat, id nec reddidit nec publicavit: uti ipſe teſtatus eſt in epiſtolâ, relicta apud Archiepiſcopum Leopolienſem, quam in Concionibus ſuis Miſcellaneis refert Ieſuita Scarga. Atque ita hoc opus, diſcedentibus noſtris Vilna die v. Iunii, intermiſſum. Cyrillus autem Lucaris, qui primum Rector Scholæ Ruthenorum Oſtrogenſis, inque ea Linguæ Græcæ Profeſſor, poſtea exarchus & Archimandrita, tandem Patriarcha Conſtantinopol., conſenſum cum noſtris Eccleſiis, earumque doctrina pleniſſimè perfecit, edita eleganti Confeſſione, primum Latinè a. cIↄ Iↄ cxxxi. tum Græcè quoque, ſuo & Eccleſiæ Orientalis nomine, cum variis in fine Reſponſionibus, a. cIↄ Iↄ cxxxi. Quæ condemnata quidem à ſucceſſoribus ejus *Cyrillo* Berrhoëenſi, & Parthenio; ab illo a. cIↄ Iↄ cxxxviii. ab hoc, a. cIↄ Iↄ cxli. at non alium ferè in finem, quam ut hinc certius conſtaret, illam Cyrilli Confeſſionem eſſe, de quâ nonnulli antea malitioſe, imprudenter alii dubitabant, ſedulo id foventibus hinc Pontificiis, inde Remonſtrantibus, ideo quod Cyrillus in noſtram iviſſet ſententiam de Dei Prædeſtinatione, in

quem

quem finem Grotius edi curavit famoſas & latrocinales contra Cyrillum, tum Berrhoëënſis, tum Parthenii Synodos: qui ipſi Pſeudo-Patriarchæ ſcelerum quoque pœnas, ſedibus ſuis ejecti, poſtea dederunt: quemadmodum antea Anaſtaſius Pattelarius Cretenſis, Cyrilli beneficio factus Metropolita Theſſalonicenſis, pulſo in exilium Cyrillo, ſedem vix menſem tenuit, revocato in ſuum locum Cyrillo, & in eandem inſulam Tenedum relegato Pattelario. Atque ita variis primum fractus injuriis, exiliis, & perſequutionibus Cyrillus noſter, tandem a. cIↄIↄcxxxv i i i. infatigabili inimicorum ſuorum malitiâ, à Ieſuitis excitati, ultimum ſuſtinuit veræ religionis martyrium, à Turcico Baſsâ nefariè ſtrangulatus. Quod ideo facinus omnino partem facere debuit in *Appendice myſteriorum Patrum Ieſuitarum.* In Tenedo inſulâ quum exul degeret, mortem continuò operiens, ne de fide ejus & conſtantiâ ulli dubitarent, ſcripſit ad amicum epiſtolam, quam exhibet Rivetus in libro adverſus Silveſtrum Petraſanctam cap. x i. *Per cio ho voluto ſcriver à V. R. è proteſtarvi che mi ſiate teſtimonio ſe jo more que jo moro Catholico Orthodoxo nella fede del N. S. Ieſu Chriſto, nella dottrina Euangelica conforme la confeſsione Belgica, la confeſsione mia, & le altre d'ello chieſe Euangeliche che ſono tutti conformi: abhorriſco li errori delli Papiſti & le ſuperſtitioni delli Greci, provo & abbraccio la dottrina del Dottori meritiſſimo Giovanni Calvino, & di tutti che ſentono con lui. In queſto voglio che mi ſiate teſtimonio, perche con ſincera conſcienza coſi tengo, coſi profeſſo è confeſſo, come anco la mia confeſſione moſtra: & recommando à voi queſto depoſito, caſo che moriſsi, di farne partecipi tutti li fratelli Chriſtiani orthodoxi, è mi recommando alle preghiere di. V. R. alli 15. 25. Marzo. Cyrillo Patriarcha di Conſtantinopoli.* Ipſiſſima ſunt Cyrilli noſtri verba. Cujus cum Calvino in religionis articulis conſenſus unicum fuit, quod tantum ei Papiſtarum, & aliorum conflavit odium: & ob quod Parthe-

nius palam profeſſus fuit ſe (optimi ſenis & martyris) Cyrilli doctrinam ferire anathemate, perquam diro & horrendo, in illum non modo, ſed & Confeſſionis ejus Lectores: *ſunto æterno anathemati obnoxii, & ſegregati à Patre, Filio, & Spiritu Sancto uno ſecundum naturam ſolo Deo; & in hoc futuroque ſæculo maledicti, & expertes veniæ, & inſolubiles poſt mortem, & æternæ damnationis participes.* Quam vero levis, ingratus, crudelis, improbus homo iſte Parthenius fuerit, oſtendit in vindicando Cyrillo à contumeliis Remonſtrantium Abrah. Heidanus, in *Præfat. ad Cauſam Dei.* Adde Ioh. Henrici Hottingeri Diſſert. VIII. *Analect. Hiſtorico-Theologicorum.* Alter ſequutus illos Parthenius fuit, qui Cyrilli partes & famam adverſus hoſtes tutatus fuit. Certe optima, atque examuſſim convenit cum noſtrâ Confeſſio Cyrilli, pro quâ multum ei, multum Græcis Patriarcham ſuum ſequentibus, debemus. Vnde etiam operis noſtri cum Græcis peragendi major apparet, cum neceſſitate, facilitas. Duo autem præſertim hâc in cauſâ accuranda: primum, ut illos in religionis articulis uberius *inſtruamus*; deinde nobiſcum arctius *conjungamus*. Non hoc abſque illo curatum volo: verùm ἀληθεύειν ἐν τῇ ἀγάπῃ. Quemadmodum in Colloquio Vilnenſi a. cIↄ Iↄ XCIX. noſtri dicebant, conſenſum cum Græcis pari ratione ſtabiliendum eſſe, ac cum hominibus Auguſtanæ Confeſſionis; quos, etſi in quibuſdam diſcedant à nobis, toleramus tamen & pro fratribus agnoſcimus. Illud autem ſi obtineri contingeret, quantam (bone Deus!) illis Eccleſiis ſalutem, noſtris ſolamen, & contra hoſtes omnes robur ac gloriam, cœlo denique ipſi gaudium conciliaret? Quare ut huc tandem conſilia ac ſtudia noſtra dirigantur, præſens à me inſtituta de Græcis atque Orientalibus Eccleſiis diſſertatio fuit. Nihil etenim mihi antiquius, quam compoſitis apud nos Eccleſiæ rebus, ad exteros & remotos hinc cogitationes operamque

que convertere, & pro illis convertendis, juvandis, & nobis propius conciliandis, miſſis levioribus, iſtique negotio noxiis ſæpe contentionibus, laborare. Quod noſtri eſſe officii, & non in noſtris ſolis hærere aut rebus aut diſputationibus, ſemper exiſtimavi. Atque hoc pacto conſtabit etiam, quam non ſit tanta Pontificiæ Eccleſiæ amplitudo, vel noſtræ tenuitas, ac Adverſarii putant, Orientalibus Eccleſiis ſe cum noſtris, contra Papales, aſſociantibus. Quare probo, ut *Seminaria* apud nos (ne Roma in hoc diutius ſe extollat) habeantur pro Orientalibus juvandis, in quibus aut noſtri homines eò mittendi, aut ab illis huc ad ſtudia ablegati, probè erudiantur, & ſic nobis curæ eſſe Eccleſiæ Catholicæ ſtatum ac communionem, omnibus probemus. Romæ & ſeminaria illorum habent, & inter Cardinales Protectorem Eccleſiarum Orientalium. Quod vel ſolum exemplum ad æmulationem excitare oportebat, & ſtudium noſtrum provocare erga illos, quos Romanis infenſos, ipſi haud ignorant. *Romanis univerſiſque Latinis, inſito quodam odio infenſiſſimi ſunt*, inquit de illis Socolovius, in Præfat. ad P. Gregorium XIII. ante ſuam *Cenſuram Orientalem*, de quâ ſupra loquuti fuimus. Hoc & ipſis Iudæis obſervatum: Benjamini Tudelenſi, in Itinerario, ubi de Conſtantinopoli: *& hic Græcorum Papa eſt; quia religioni Papæ Romani non conſentiunt.* Huc ergo, uti diximus, flectendi oculi & cura noſtra, quò à nobis erudiri & juvari queant, atque ad Eccleſiæ communionem poſtliminio reduci. Huc quilibet quodcunque, pro loco quem tenet, & donis ſibi à Deo conceſſis, poteſt, conferat oportet: & nos ut ad hoc officium omnes cohortaremur, in præſenti negotio diuſcule fuimus verſati. Deſideramus autem, ut in compendium contraham, fermè iſta. I. ut certior uberiorque contingat *notitia* præſentis ſtatus Eccleſiarum Orientalium & Græcarum, ſive per litteras, ſive per exploratores eò miſſos. II. majorem

jorem apud nos *curam* & ſtudium pro illis juvandis: apud Eccleſias noſtras, politias, & Academias. Quem in finem ſeminaria, quæ diximus, fructu haud carerent. III. *Inſtitutionem* pleniorem uberioremque illis à nobis impartiendam. IV. Tum de propius illis nobiſcum *uniendis* prudens ac ſanctum conſilium. V. Continuamque cum illis *Correſpondentiam*, ſeu communionem, aut per epiſtolas, aut legatos Eccleſiaſticos. Nullo autem modo prætereundum nobis ſtudium DD. Ordinum Belgii in hanc rem haud ita pridem demonſtratum, quando ſuis ſumtibus N. Teſtamentum, & Catechiſmum noſtrum curarunt hic à Græcis in vulgarem ipſorum linguam converti, poſtquam conſenſum ſuum cum doctrinâ & Eccleſiis noſtris declaraſſent, ab a. cIↃ IↃ c xlv. deinceps. In erudiendis illis disputationi locus erit, eique non rixoſæ, non aſperæ, ſed quæ collationem magis, quam contentionem referat, atque ad compoſitionem tendat, & conjunctionem. Quomodo Noſtri ſe expoſuerunt in Colloquio Vilnenſi: *Quod ſi aliquam evolverint Confeſſionem, & diſputare voluerint, de aliquo articulo, fiat ſane, ſed quàm mitiſſime ac molliſſime, in ſpiritu lenitatis, velitatione quâdam amicâ, magis ad intelligendum eorum argumenta, (quæ diligenter conſignanda, etiam minutiſſima.) quam ad confundendum eos, ut omnes Chriſto lucrifacere queamus.* Dixerant initio: *Quandoquidem nos Evangelici Græcorum Religionem cenſemus eſſe veriorem & propiorem doctrinæ Apoſtolicæ, in pleriſque Articulis, quàm Romanam; eoſque ita pro Fratribus Chriſtianis reputamus, ut cum eis converſari, in concordiâ & charitate vivere, in iis quæ faciunt ad commonſtrandum viam ſalutis, juxtà & in temporalibus preſtò adeſſe, injurias communi conſilio & auxilio propulſare, & planè cum eis, tanquàm cum Fratribus dilectis unire & fœdus pangere juxta Canonem Scripturæ S. parati ſimus. Quærendum ex eis. I. Utrum & illi ejuſdem ſint in nos affectus, talemque συζυγίαν eſſe bonam, gloriæ Dei,*

incremento Eccleſiæ ejus, communi ſolatio, ac paci adverſus hoſtes inſervire intelligant? Et, Utrum eam, æque ac Nos, exoptent atque cupiant? Ita diſſimili ratione cum his agendum, ac cum aliis. In diſputatione permultum ſtant authoritati Patrum Græcorum, in quorum proinde lectione bene verſatum decet eſſe, qui illos ſit aggreſſurus. Super ardua & contentioſâ quæſtione de proceſſione Spiritus S. benè hoc etiam Vilnenſes propoſuerunt: *In Articulo, de fide in Spiritum S. poſſumus acquieſcere in eo, quod majores eorum confeſſi ſunt: Spiritum S. procedere à Patre per Filium, & tàm à Patre quàm à Filio mitti & dari; S. S. id palàm aſſerente.* Cumque aut de religionis articulis diſputandum, aut de ritibus, de his pro re natâ agendum, neque eorum à noſtris moribus diſcrepantium catalogum dare multum opus, ſuffecerit, pro ratione inſtituti, ſubnectere præcipuas ſuper doctrinâ aliorum controverſias, quæ ſunt:

I. Num in Chriſto ſint duæ perſonæ? *Neg.*

II. An duæ in Chriſto diſtinctæ ſemper naturæ, voluntates, atque operationes? *Aff.*

III. Annon quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis conceſſum ſit matrimonium, & quandocunque, ſive antè, ſive poſt ordinationem contrahere liceat, ſeu ſemel, ſeu aliquoties? *Aff.*

IV. Num illicitum ſit, edere ſanguinem aut ſuffocatum? *Neg.*

V. Num liceat imagines ſeu pictas, ſeu fuſas vel ſtatuas religioſè colere? *Neg.*

VI. Spiritus S. in Deo an procedat à Patre, & Filio? *Aff.*

VII. Num Sancti cœleſtes ullo modo à nobis invocandi? Neg.

A D-

ADDENDA.

Ad pag. 266. Pariſiis inſtituta primùm diſputatio erat in ædibus Ducis Mompenſerii, propterea quod ejus filia nupta erat Duci Bullionæo, & religionis reformatæ: non verò habita diſputatio, quia Pontifici Noſtris, ut preces dicerent, vel in ædibus, vel ſe præſente, omni vi obſtabant, dicente Ruſæo, doctore Pontificio, quod ſi Miniſtris precari placeret, ipſe interim mictitatum iret, *que ſi les Miniſtres vouloyent prier, il irois piſſer, durant la priere*: tandem reſumpta diſputatio fuit, in ædibus Nivernianis, die IX. Iulii: cumque diſputandum eſſet de Miſſâ, aliis rebus, vid. controverſiâ de authoritate Eccleſiæ, de Dei omnipotentiâ, ſermone primum, dein ſcripto ad XIV. Auguſti, à quo tempore ægrotante Vigoreo, & abeunte de Sanctes, Noſtris etiam diſcedendi poteſtas à Nivernæ Duce facta fuit, die XXVI. Auguſti. Acta impreſſa extant Argentorati, anno clↄ Iↄ lxv I I.

Pag. 303. A. clↄ Iↄ lxxx I X. Colloquium Badenſe, inter Iacobum Andreæ, cum Iacobo Heerbrando; & partis Pontificiæ Ioh. Piſtorium Niddanum, & Theod. Buſæum, Ieſuitam. Diſputarunt de Eccleſiâ, & Iudice Controverſiarum. Acta utrimque edita fuerunt, Tubingæ, a. clↄ Iↄ xc. & Coloniæ.

Pag. 304. clↄ Iↄ xcv I I I. Diſputatio Thononii habita, in Ducatu Sabaudiæ, prope Genevam, die XIV. Martii, inter Hermannum Lignardum, Profeſſorem Genevenſem, & Capucini ordinis Monachum: de Romanâ eccleſiâ.

A. clↄ Iↄ c I X. d XI. Aprilis, Pariſiis, inter Molinæum, & Gontierum, qui cum probare vellet, epiſcopos in N. T. facultatem accepiſſe inſtituendi ſacerdotes, nominans cap. I I. & V. ex I. ad Timotheum, neque ipſum, quem intendebat, locum aſſignare valens, ab ipſo tandem Molinæo adjutus fuit, qui locum Adverſario

ario ſuggerebat, haberi eum nempe, non capitibus ab ipſo dictis, ſed cap. IV. 22. *manum ne cupiam cito imponere.*

Eodem anno, die XIV. Septemb. Fonteniaci, inter Petrum Valladum, & Capucinæ ſectæ Angelum Raconis, de libris Machabæorum apocryphis.

A. CIↃ IↃC XI. In Xantonibus, æde nobili Romettanâ, inter Guiljelmum Rivetum, & P. Vergerium, de notis Eccleſiæ.

A. CIↃ IↃC XIII. die XX. Iunii. Durlaci, inter Georgium Fridericum, Marchionem Badenſem, & Franciſcum Lotharingiæ ducem, qui ſecum adduxerat P. Gontierum, diſputatum fuiſſet de variis Auguſtanæ Confeſſionis articulis, nova methodo Ieſuitica, ut ex Scripturâ & Bibliis, æquivalentibus verbis, & *iiſdem in terminis* controverſiarum deciſio oſtenderetur: quod quum ineptum merito videbatur, & contra omnes diſputandi leges, in fumum abiit totum negotium.

A. CIↃ IↃC XV. die XXIV. & XXV. Aprilis, Burdegalæ, inter Johannem Cameronem, & Parent, notario Sam. Bocharto, de Romanæ Eccleſiæ fallibilitate.

A. CIↃ IↃC XVIII. die XXVI. Novembris, inter Ioh. Maximilianum Anglæum, Miniſtrum Rothomagenſem, & Fr. Verronum, de Miſsâ.

Eodem anno, die XIX. Decembris Vezeſi, prope Tolleburgum, inter Guilj. Rivetum, cum D. de Londe, atque Teſſierum Ieſuitam, & Deſpruels, de poteſtate Petri Papali.

A. CIↃ IↃC XIX. die XXIX. Aprilis, & V. VII. X Iunii, in Caſtello Montis, in Galliâ, inter Cuvillum Eccleſiæ Reformatæ miniſtrum, & Nicolaum Chichon, ex ordine Minimorum, de Iudice controverſiarum.

A. CIↃ IↃC XXVIII. d. XXII. Septembris Cadomi, inter Sam. Bochartum, & Fr. Verronum, de falſificationibus Bibliorum Genevenſium; deinde, de Euchariſtiâ.

A. CIↃ

A. cIↄ Iↄ c xxxiii. d. xix. Auguſti, Limburgi, inter Godefridum Hottonum, cum Ioh. Iacobo du Bois, notario Henrico Blancheteſte; & partis Pontificiæ Matthiam Hauzeur, & Iohannem Pery: de invocatione Sanctorum.

FINIS.

ADDENDA

Ad pag. 461. ante lineam ultimam.

Judicium Facultatis Theologicæ IN ACADEMIA LEYD. *de Sectâ Fratrum Roſeæ Crucis.*

AD

Nobiliſſimum, Ampliſſimum, *Curiæ Præſidem, & Senatum Curiæ.*

Quum Nobiliſſimus, Ampliſſimus & Clariſſimus Curiæ Provincialis Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ Senatus, pro ſuâ, quâ erga Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Eccleſiam, ejuſque integritatem fertur, pietate & ſtudio, per Clariſſimum Virum & Conſiliarium Dom. de VVitte atque ejus Conſeſſus Secretarium, à Facultate noſtrâ Theologicâ, de Fraternitate Roſeæ Crucis (ut vocant) ac potiſſimùm de ejus Religione, ſententiam noſtram; deinde modum rationemque, quâ gliſcenti, & ſeſe in Belgium quoque noſtrum effundenti, obviam iri poſſit, exquireret; Facultas noſtra, toto pectore & animo hanc ſanctam curam & ſolicitudinem Curiæ amplectens, ſui eſſe officii, Clariſſimi Ampliſſimique Conſeſſus poſtulationi, quoad ejus fieri potuit, ſatiſfacere.

Ad primum itaque propoſiti Membrum quod attinet; libris à Clariſſimo Senatore prędicto ſibi exhibitis, lectis, excuſſis, dijudicatiſque; ac inprimis eo, qui Famæ & Confeſſionis Roſeæ-crucis nomen inſcriptum habet, quem omnes pro publico ac genuino Fratrum illorum ſcripto agnoſcunt, reliquis eorum fautorum

potiùs, quàm Myſtarum ſeu Myſtagogorum exiſtentibus; eadem Facultas, quantum quidem ex eo illorum mentem, quam uſquenùm obſcuris & generalibus terminis involvere & cælare ſatagunt, indagare & perſcrutari potuit, hæc ex illis capita enotavit; quæ, ſi opus fuerit, eadem Facultas parata eſt uberiùs declarare. Cujuſmodi ſunt:

1. Biblia ſacra commendant quidem; ſed eorum ſententiam à ſuis pendere, & ad ſuos viam ſternere volunt; eoſque, qui ad ea vitam inſtituunt, ſui ſimillimos & maximè propinquos faciunt. p. 40. & 41. Vnde patet eos aliquam perfectionem ſupra ſacram Scripturam in Sectâ ſuâ conſtituere.

2. Librum Patris ſui Roſencrucii, prænotatum T. (putamus eſſe Theologiam) ſibi poſthâc à ſacris Bibliis ſupremum ſuum theſaurum fore, ac jure meritoque non facilè cenſuræ ac reprehenſioni mundi ſubjiciendum eſſe, ſcribere non verentur. p. 20. Quo etiam ſacris Bibliis eum adjungunt, & authoritate comparant.

3. Eum Librum talem eſſe pronunciant, ut ex eo ſolo, omnia ſimul quæ in omnibus qui antehâc fuerunt, adhuc ſunt, & dehinc ſuccedent aut edentur, reperiuntur, aut poſthâc reperientur, legere, intelligere & retinere poſſis. p. 32. 33. Quin cogitationes, inquiſitiones & obſervationes Patris ſui evehunt ſuper omnia quæ inde à principio mundi ab humano intellectu, ſive Divinâ revelatione & patefactione, ſive Spirituum & Angelorum miniſterio, ſive ingenii ſubtilitate, aut longâ & diuturnâ obſervatione, exercitio & experientiâ, inventa, excogitata, producta, emendata, & uſquenùm prolata & propagata ſunt; imò tam eximias & grandes fuiſſe ajunt, ut ſi omnes cujuſcunque ſapientiæ libri periiſſent, eam ex hoc ſolo poſteri certiùs & meliùs reparare poſſent. p. 31. 32. Quibus illum ſacris Bibliis quoad perfectionem longè præferunt.

4. Divinam hanc revelationem non tantùm in *Patre*

ſuo,

ſuo, quem ajunt Divinis revelationibus ad cœleſtia & humana myſteria admiſſū, ut eſt in Sepulchrali Eulogio, p. 20; ſed & in ſociis ejus & fratribus conſequentibus jactitant. p. 10. Spirituſque Divini impulſum, p. 44. ac paſſim pręſidenter propheticum Spiritum jactitant, ut p. 40. Et dum ajunt, ut Mathematici Eclipſes Lunæ, ita ſeſe obtenebrationem, obſcurationem Eccleſiæ, (prænunciare), prophetas agunt. p. 37. & alibi.

5. Angelorum inſuper bonorum alloquio & patefactione ſe frui, p. 42. In Diabolos verò ſe plenam poteſtatem habere & exercere gloriantur. p. 19. & 25. Ita ut illorum miniſterio, horum verò ſervitio, ut quos vi cogant, utantur: Quæ omnia enthuſiaſmum & fanaticum quid extra Dei Verbum exhibent.

6. Adeoque & Magiam, ut ſcientiæ & potentiæ ſuæ effectricem, profitentur; quam occultam Philoſophiam vocant. p. 12. eamque Patrem eorum ab Arabibus unà cum Lib. M. (id eſt Magias) prænotato, & à ſe verſo, & inde à Fezenſibus in eâ mirè exercitatis, accepiſſe, p. 4. 5. 8. 11. Quam non tantùm naturalem, ſed & curioſam & improbam eſſe, conſtat ex ſupernaturalibus actibus, qui pag. 4. de illis referuntur; puta, quòd Roſencrucium ad ſe ex Germ. in Damaſcum accedentem, non ut hoſpitem, ſed ut notum ſuo nomine ſalutarint, & Cœnobii aliaque arcana panderint. p. 4. quę publico teſtimonio, & Dei, & Apoſtolicâ authoritate damnantur in Simone & Elyma mago, Act. 8. in puellis illis Pythonicis, quę Paulo teſtimoniū dabant, c. 16. 16. in iis qui curioſas artes exercuerent, qui inſolitos libros ſuos maximi precii exuſſerunt, c. 19. 18. quin quòd Fezenſiū Magiam non omninò puram ipſorum Pater confeſſus ſit, p. 6. deniq; ex iis quæ de Diaboli ſervitute & uſu antè annotata ſunt, quòdque p. 33. dicitur; Quàm hoc mirandum foret ſi ita canere poſſis, ut loco animantium & ferarum Spiritus ad te allicere, & loco infernalis Plutonis potentes Principatus mundi commoveres? In qui-

bus magna incantatio & Diab. impoſtura ſeſe profert.

7. Magiæ & Caballam adjungunt, quam ipſe Roſencrucius à præceptoribus Mahometanis Arabibus & Africanis hauſerit, ac fatetur contaminatam fuiſſe illorum Religione: ſed utramque & Magiam & Caballam pulchrè in ſuum uſum, & ad majus fundamentum ſuæ fidei accommodaſſe ajunt. p. 5. & 6. quæ & ipſa vanitatis habet plurimũ; & ex quo de genere doctrinę ac diſciplinæ, curioſo ſcilicet & ſuperſtitioſo ex Mahometanis deducto, judicare licet.

8. Iſtis Principiis Sectæ hujus Pater, Fratres & Socii univerſalem rerum omnium ſcientiam ſibi, & quidem tantam quantam Deus homini ſcire permiſit, p. 8. arrogant. p. 3. Ac plura & majora à Deo edoctos, quàm humana mens poſſit capere, aſſerunt. p. 18. imò talem, qualem Sapientia ipſa de ſe in libro Sap. pronunciat; quamq; Adam in Paradyſo habuit & neglexit; atque Enoch, Abraham, Moſes, Salomon ſingulari Dei gratiâ acceperunt. In præfat. ad Fraternitatis Famam & p. 24. 31. Eamque certò & finaliter Deum per ipſos mundo ante ejus interitum, qui brevi inſtat, decreviſſe communicare & tribuere, prędicunt & prædicant. ibid. & p. 37. Quæ ſanè præſumptuoſa, & ſupra conſuetum modum humanæ naturæ & infirmitatis ſunt.

9. Ac proinde perfectionem & reformationem rerum omnium Divinarum & humanarum ſeſe inſtituere jactitant. p. 23. Inprimis verò Theologiæ. Et ut id totum quale ſit intelligatur, in Fornice ſepulchrali quatuor ætates & revelationes inter ſe conferunt, quatuor figuris in uno circulo concluſis deſignatas, quarum in ambitu hæc inſcripta fuerint. 1. Nullo modo inane. 2. Iugum Legis. 3. Libertas Euangelica. 4. Immaculata Dei gloria. p. 18. quorum poſtremum ad ſuam doctrinam ejuſque explicationem referunt. Atque ita perfectionem ad ſe ſuumque ſeculum transferunt, quam futuro ſeculo deputavit Deus.

10. Ad Theologiam & Religionem quod attinet; quamvis Chriſtianos ſe profiteantur, Machometem & ejus aſſeclas; (quos tamen Pater ipſorum præceptores habuit. pag. 20) Papam, hæreſeſque omnes, deteſtentur. pag. 27. atque Euangelicis & Reformatis ſeſe in ſpeciem aggregent. p. 23. attamen quidam eorum in lib. cui Echo nomen, nomina Lutheri & Calvini refugit, ut ſingularia. Ita ut peculiarem Religionem ab iis videantur meditari; ac dum Theoph. Paracelſi Theologiam commendant in præfat. fanàticam ſe meditari indicent.

11. Sacroſanctam Trinitatem verbis ſaltem agnoſcunt, Chriſtum Sapientiam & Verbum Dei ſe purè & ſyncerè confiteri dicunt, adeò ut pater ipſorum pro Symbolo habuerit; Chriſtus mihi omnia. p. 18. Sed qualem nobis Chriſtum fingant ſatis indicant; dum ajunt, ſe talem Philoſophiam agnoſcere, quæ cum Ieſu penitus & planè omnibus partibus conveniat; ita ut quemadmodum ipſe ipſiſſima Imago Patris, ita illa ipſius ſit. p. 24. Quod eſt pro Chriſto neſcio quod mentis figmentum ſupponere.

12. Perfectionem Eccleſiæ, ejuſque à tyrannide Papæ reformationem, Patrem & Fratres, (quamvis Eccleſiâ ipſorum ævo nondum repurgatâ) agnoviſſe & ad eam anhelaſſe, atque poſtremis hiſce ſeculis ex parte inſtitutam approbare, teſtantur. p. 12. 13. 23. ſed ejus plenam & totalem reformationem ad ſe ſuaque tempora referunt. p. 23. 40. 43. inſigni ſc. præſumtione & auſu.

13. Eandem reformationem & perfectionem in reliquis Facultatibus, totâq; Philoſophiâ, promittunt. p. 7. 24. 29. quod ſi non manifeſtam impietatem, plurimam tamen habet vanitatem.

14. Ac primùm in Matheſi, cujus & ſcientiam & reformationem omni ex parte ſibi arrogant, multum Aſtrologiæ judiciariæ tribuere videntur. p. 36. 39. 40. quæ ſanè ſcientia ut eſt vaniſſima, ita à pietate non parum abeſt.

15. In Phyſicis paria pollicentur. Et de Chymiâ & Alchymiâ, (cujus abuſum, ut videri volunt, execrantur) hæc pronunciant, Artem *conficiendi aurum ſe nunquam deprimere, ſed eam ipſam parergum & rem levem ac ludicram eſſe; cujuſmodi multa millia, eaque meliora, habeant.* p. 25. Atque *ejuſmodi ſocietatem in Europâ inſtituere, quæ auri,* argenti & precioſorum Lapidum habeat plus ſatis; adeò ut & Regibus, ſi ita uſus ferret, communicare poſſit, p. 8. Loquuntur de abundantiore auro, quàm Rex Hiſpaniæ ex utrâque Indiâ reportat. p. 14. Summo capiti Romani Imperii præter preces & Myſteria ſua, offerunt ingentes auri theſauros. p. 29. Iactitant ſe totum mundum poſſe ditare; ac promittunt magna bona ac divitias illis, qui ſe ipſis adjungunt. p. 45. Adeò ut à paupertate futuri immunes. Vnde & inter promiſſiones illas ampliſſimas hæc eſt; Nonne *bonum foret, ut quis ſibi à fame & paupertate non metuat?* p. 32. Item, *Quàm jucundum eſſet, ut ita cauere poſſis, ut loco rupium metas margaritas & precioſos* Lapides ad te attrahas? p. 33. Quæ omnia impoſturam & ludificationem habent: ne quid deterius dicamus.

16. Medicinæ quoque maximam ſcientiam & reformationem ſibi venditant; quam ex Lege Patris ſui Fratres & facere, & gratis facere, tenētur. p. 12. Paracelſum paſſim laudant. p. 8. 19. Panaceam, ſeu Medicinam profitentur, quæ omnibus ſimul morbis medeatur. 45. Imò inter ampla illa promiſſa, pag. 32. inquiunt; Bonum foret, ut quis non habeat quòd ſibi à ſenio & morbo metuat: & in præfat. Famæ. Perfectiſſima hæc medicina ad omnem morbum, &c. ab hominibus amovendū. Vnde de Societatis authore commemorant, quòd annos 106. natus, naturæ, non morbi neceſſitate, quem nunquam in corpore ſenſerit, Divini Spir. evocatione, animam ſuam Deo reddiderit, illiuſque corpus 120. annis pulchrum, præclarum, illæſum & planè inabſumptum permanſerit. p. 20. 21. quódque reliquorum patrum ſuo-

ſuorum corpora à morbo & doloribus vacua fuerint; quamvis momentum reſolutionis animę ipſorum à corpore tranſilire nequiverint. Quæ omnia contra Dei humano generi ex peccato impoſitam, ut mortis, ita morborum neceſſitatem, ſunt; & adeò inſolentia, inuſitata; & quiddam naturâ hominéque ſuperius habent.

17. In Ethicâ ſeu Morum Philoſophiâ, ſimilia de ejus perfectione & reformatione ingerunt. p. 7. Atque ſigillatim de Politiâ dicunt quidem, ſe in nullius propoſiti & auſus contra politiam ſuſcepti ſuſpicionem venire poſſe. p. 29. agnoſcere ſe in Politiâ Rom. Imperium, & quartam Monarchiam, pro ſuo & Chriſtianorum capite. p. 23. & 24. Attamen aſſerunt univerſum mundum renovandum & reformandū, tum in Iuriſprudentiâ tum Politiâ; adeò ut novus ſe proferat & appareat. p. 30. & 24. Quamvis, inquiunt, ſatis noverimus quales mutationes propinquæ ſint, quas etiam aliis theodidactis ex animo & libenter communicare volumus; attamen id quod in manibus habemus, noſtra ſubſignatio & ſigillum eſto. Imò diſertius, p. 31. Vbi propoſito exemplo Arabum in civitate Damear degentium, qui longè aliam politiam habent atque cæteri Arabes, hæc ſubjiciunt; Ad horum exemplar etiam Regimen in Europâ (qualiter illius deſcriptionem habemus à quodam Patrum noſtrorum conſcriptam) inſtituetur, poſteaquam illud fiet & peragetur quod antecedere neceſſe erit, & noſtra buccina ſonoro clangore & ingenti clamore perſonabit; hoc eſt, quando id quod à paucis in præſentiâ indicatur, & ut futurum in ſignis & imaginibus arcanè proponitur, totum terrarum orbem implebit, & liberè ac publicè proclamabitur, &c. p. 35. Vnde ſanè illos non modò mutationē in Imperio prædicere, ſed & ſecundùm ſuam imaginationem moliri evidens eſt. Imo dicunt ſe ita tectos Divinâ nube, ut nullius publicæ cognitioni, animadverſioni, proſcriptioni, violentiæ ſubje-

cti ſint. p. 24. 34. 37. ut pleniùs à nobis pòſt dicetur; quæ manifeſtam ſeditionem præ ſe ferunt.

18. Præter hanc Philoſophiæ & Facultatum omnium ſcientiam, Linguarum quoque ſimiliter omnium, præſertim earum gentium inter quas degunt, notitiam & uſum ſibi vendicant. Fatentur quidem, ſe in aliis Linguis non perinde eſſe eloquentes: neque id mirum eſſe, ut qui ſciant, eas nullatenus cum primi parentis noſtri Adami aut Enochi Linguâ convenire; utpote quæ Babylonicâ confuſione tota ſit abſcondita. p. 40. Interea tamen & aliarum Linguarum, quamvis non diſertè, generaliter tamen cognitionem ſe habere indicant: quum p. 26. ajunt, cujuſcunque judicium, quâcunque Linguâ fiat, ad ſe perventurum eſſe. Quin in illo programmate, quod Fraternitatis illius ſocii Pariſiis affixerunt, declarant, ſe & omnes Scientias ſine libris docere; & loqui Linguis in populis, inter quos habitant, uſitatis. Quod & ipſum ſupra humanam ſortem eſt, ac ſemel tantum Apoſtolis in univerſum orbem emittendis ad Evang. omnibus gentibus prædicandum, divinitùs tributum eſt.

19. Neque in his, nempe generalium rerum atque Linguarum omnium notitiâ ipſorum ſcientia conſtat ac terminatur; ſed inſuper ſe profert ad ſingularum rerum, cogitationum, actionum & eventuum, ſcilicet præteritorum, præſentium, & futurorum cognitionem. Ut diſertè declaratur in ampliſſimis illis promiſſis, p. 32. *Nonne*, inquiunt, *res precioſa foret, ſi omni horâ itaviveré poſſes, quaſi jam inde à principio mundi uſq; in præſens tẽpus vixiſſes, & ad finem uſque mundi victurus eſſes? Nonne id foret magnificum & eximium, ut in aliquâ mundi parte ita habitare poſſis, ut neque populi qui ultra fluvium Gangem degunt res ſuas te celare, neque qui in Peruanâ vivunt conſilia ſua abs te abſcondere poſſint?* Excluditur tantum infelicitas & mors cujuſque, ut eſt p. 14. *Sed id, ajunt, in laudem Dei hoc ipſo publicè profitemur, quicquid ſanè arcani ex Libro M*, (id eſt Magias) *reperimus, quamvis ingens*

ginem & picturam totius mundi ante oculos habere poſſimus; tamen noſtra uniuſcujuſque & infælicitas & hora mortis nobis ignota eſt: quod magnus ille Deus ſibi reſervavit, ut nos paratiores perpetuò habeat. Quæ ſanè omnia modulum humanæ ſcientiæ cum excedant, facile cognoſcere eſt, quis hujus cognitionis ſit modus & ratio; nempe eadem illa, quâ Arabes illi Roſencrucium hoſpitem ad ſe adventantem, ut antè commemoravimus, non ut hoſpitē, ſed ut notum ſalutarunt, & cœnobii arcana enarrarunt. p. 4. ſcilicet Magiam; ut aperto ipſorum judicio hîc teſtatiſſimum eſt.

20. Denique non tantùm rerum omnium & generalium, ſeu univerſalium, & particulariū ſeu ſingularium ſcientiam, ſed & potentiam ac virtutem ſibi ſingularem & naturâ ſuperiorem attribuunt, puta, ſe ut omnia cognoſcunt, ita à nemine videri aut cognoſci, nedum lædi poſſe, ſed exemtos ab externâ vi & potentiâ. Sic p. 34. Deus nos ſuâ, ut inquiunt, luce obtexit, ut nobis ſuis ſervis nulla vis inferri poſſit. Vnde etiam à nemine, etiamſi haberet oculos aquilinos, videri & cognoſci queunt; & de ſuis illis pronunciant, quòd inviſa, intactaque manebunt. p. 24. 26. & 27.

His omnibus conſideratis, riteque expenſis, colligimus & concludimus hanc Sectam (ſi non potiùs commentum eſt capitis cujuſdam malè feriati Fraternitatem hujuſmodi ementiti) à Patre Chriſtiano Roſencrucio inſtitutam, à Fratribus verò propagatam & confirmatam, & quę hoc jam agit ut maximè ſe proferat, eſſe in Religione quidē erroneam, neq; abeſſe ab hæreſi; quinimò, Fanaticam, ſuperſtitioſam, Magicamque: In Philoſophiâ autem præſumptuoſam, malè comparati cerebri phantaſiam, & animi chimæram vanam inutilemq;, atque impoſturę plenam; in Republ. deniq; ſeditioſam; adeoque ei in Belgio noſtro contra Eccleſiam & Rempublicam gliſcenti maturè occurrendum eſſe. Atque id quidem reſpondendum duximus ad primum conſultationis

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Senatus caput.

Alterum verò quod attinet, de modo quo huic Sectæ occurri poſſit, cenſemus, Prudentiæ veſtræ eſſe, de illo diſpicere, quomodo huic modum ponat. Hoc tantùm Dignitati veſtrę ſubjicimus, quùm tota ferè hæc Secta vanitatis ſit plena, & à delirio vix abeſſe videatur, vanis & inſanis Magiſtris id remedium videri adferendum, quod ipſorum morbus depoſcit. Verùm, ſi qui ſunt qui vanam & inſanam hanc ſuam opinionem & imaginationem ad malitiam traducant, aliorumque ſimplicitate abutentes Eccleſiæ integritatem violare atque Reipublicę juxtà tranquillitatem turbare ſatagant, ſeveriùs paulò coërceri poſſe; ne quid Eccleſia aut Reſpubl. detrimenti accipiat. Dat. Lugd. Batav. x. Maji Anno 1625.

Ita cenſemus nos Sacræ Theologiæ Doctores & Profeſſ. Acad. Leydenſis.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
In
Summam Controverſiarum.

A*Byſſini, eorumque religio.* 958, 959.

Acephali quales? p.884.

Adiaphora p. 650.

Admonitio Neoſtadiana.p. 660.

Adolphus Venator.p.539.

Adverſaria faciat ſtudioſus. p. 48.

Agricola (*Ioh.*) Iſlebius *antinomus*.p. 802, 809.

Alcoran. quid ſignificet. p. 77, 78.*ejus origo*. p.74, 77. & 82. *ſectiones*. p. 78.*verſiones*. p. 78 &c. *confutatores*. p. 81, 82. *nulla illius veracitas aut authoritas*. p. 120 &c.

Alexandrinus Epiſcopus.p. 955. *Qualis*? p. 842 &c. *vocatur* Papa. p. 956.

Ali *vide* Hali.

Amſdorfius *qualis*? p. 648 &c. & 810.

Anabaptiſta quales pag. 11. *eorum origines*. p. 331.*tumultus ab illis excitati Amſtelodami*. p. 345. *Monaſterii* 346 &c. *In Friſiâ*. p. 350. *illorum ſecta*. pag. 355. *quare coërciti*? pag.360. *judicium de illorum erroribus*. pag.363 &c. *quomodo habendi*? p.369, & *convincendi*? p. 372 &c.

Anglicana Eccleſia ſub Epiſcopis p. 742. *num orthodoxa ſit dicenda*? p. 757. & *ſeparatio ab eâ licita fuerit*? p. 757 &c. & p. 765 &c.

Anſelmus *Cantuarienſis* p. 222, 223. *ejus formula interrogationum*. p. 223 &c.

Antinomorum origo, p. 800. *eorumque tres periodi*. ibid.*ſub Patribus*. p.801. *tempore Reformationis*. p. 802 &c. *nuper in Angliâ*, p. 812. *Fontes ſolutionum errorum eorundem*, p. 803 &c. *Anglici à ceteris longe differunt*. p. 812 &c. *hi non contemnunt legem & bo-*

na

na opera.p.824 &c.*judicium de illis*. p. 827 &c.
Antiocheni Epiſcopatus limites. p. 962.
Apocryphorum librorum uſus.p. 745.
Apologia Remonſtrantium. p.577.
Apoſtaſia.p.474.487 &c.
Arabs *quid ſignificet*. p.83.
Arabicæ linguæ utilitas. p. 180 &c.
Archiepiſcopi à Patriarchâ diſtinctio. p. 848.
Arius condemnatus in concilio Niceno. p. 842.
Armenii, eorumque religio. p. 966 &c.
Arminius (*Iacobus*) p. 575.

B.

B*Aptiſmus circa infantes adminiſtrandus?* p. 799.
Barbari quinam? p. 835.
ברך *quid ſignificet*. p. 12.
Barrow (*Henricus*) *Browniſtarum patronus*. p. 739.
Belga qualem religionem. p. 391.
Bellum ruſticanum. p. 333 &c.
Bellum in Turcas qui movendum? p. 168 &c.
Bergenſis concordia, *vide* Formula concordiæ.
Blaſphemia quid ſit, & quotuplex. p. 11 &c.
Blaſphemia in S. Spiritum; *vide* peccatum.
Bocoldus *vide* Iohannes.
Bolton (*Robertus*) *Browniſtarum princeps*. p. 738.
Bona operä neceſſaria ad ſalutem: p. 649. 731. 736. & 807. & 812. 811.
Bona opera an & quando urgeant Antinomi in Angliâ. p. 824 &c. an *illa confirment certitudinem ſalutis?* p. 826. & 831.
Borrhæus *qualis?* p. 337.
Browne (*Robertus*) *Browniſtarum patronus*. p. 739.
Browniſtarum authores. p. 739 &c. *origo* p. 74[illegible] *non habuere ſufficientes cauſas ſciſmatis*. p. 7[illegible] ad 771. *rationes illorum, quare ſe etiam ſeparent à Eccleſiis Belgicis*. p. 767. *eorum confeſſiones de orthodoxiâ Eccleſiarum Reformatarum etiam Angliæ*. p. 765. 768 &c. *eorum dogmata*. p. 831.
Bucerus; p. 663, 671 &c. 704. 717.

Ca.

C.

Cælibatus clericorum. p. 199.
Ceremoniæ an abrogandæ? p. 728.
Campana nulla apud Turcas. p. 145.
Capito? p. 664.
Caroloſtadius *qualis?* p. 613 &c.
Caro porcina quare Turcis abominanda. p. 151.
Catechiſationes pag. 553 &c.
Catholicum *quid ſit?* p. 193.
Cenſura librorum & Scriptorum laudanda eſt. p. 32 &c.
Chalcedonenſe concilium. p. 878.
Calipha חליפה *quid ſignificet*. p. 87.
Charatzium annuum tributum pro patriarchatu, Turcæ datum p. 951.
Chemnitius, p. 658.
Chriſtus; *quid de eo Turcæ credant?* p. 129 &c.
Chriſtus an non tantum pœnas ſed & peccata noſtra tulerit? p. 814.
Circumciſio Turcarum unde orta ſit p. 135 &c. *fœminæ an circumcidantur à Turcis?* p. 137.
Clenardus (*Nicol.*) *qualis fuerit*. p. 79, 80. & 180, 181.
Cnipperdolling *Anabaptiſta Monaſterienſis*. p. 347.
Colloquia cum Pontificiis varia. p. 240 &c. p. 302. *quomodo inſtituenda?* p. 305 &c.
Conciliatio in religione, *vide* Syncretiſmus.
Conciliatio in religione periculoſa. p. 250 &c. & p. 265.
Concilium Tridentinum vide Tridentinum. & *alia loca ubi habita ſunt ſcil*. Nicænum, Conſtantinop. Ferrarienſe &c.
Conciones hodiernæ Eccleſiaſticæ an abolendæ? p. 466 &c.
Confeſſiones quales eſſe debeant. p. 494 &c. *cujus ſint authoritatis?* p. 746.
Confeſſionis Auguſtanæ origo, Authores. p. 620 &c. *ea nimis ad pontificiorum dogmata, accommodata*. p. 625. 628 &c. *poſtea emendata* p. 62, *eaque emendatio approbata*, p. 626 &c.

Con-

Confeſsioni Auguſtanæ quo modo noſtri ſubſcripſerint. p. 633 &c.

Conjugium clericorum à Græcis permiſſum. p. 886. & 915 &c.

Conſtantinopolis. p. 838. *epiſcoporum poteſtas.* p. 853. *ſucceſsio.* p. 856. *Concilia Conſtant.* p. 855 & 886. & 889. & 895. *Conſtantinopolis à Turcis ſubacta.* p. 910. 949.

Contradictoriorum conciliatio. p. 415. & 431.

Controverſiæ quotuplices ſint. p. 2, 3, 4. 25 &c. *earum neceſsitas* ibid. *origo & author* p. 4 &c. *quæ primæ fuerint controverſiæ.* ibid. *momentum illarum* p. 27, 28. *controverſiæ ſtatus accuratè figendus* p. 51. & 178 &c.

Controverſia cum Pontificiis quales ſint? p. 211, 212.

Converſio Turcarum procuranda. p. 166 &c.

Coornhert (*Theodorus*) *qualis?* p. 468 &c.

Copti, eorumque religio. p. 957.

Cottonus *independentium patronus qualis?* p. 777.

Creationem qualem ſtatuant Turcæ? p. 133 &c.

Cyrilli *Lucaris orthodoxia, martyrium.* p. 984 &c.

D.

DAvid Chytræus, p. 658.

David Georgii *qualis?* 350. & 351. & 387, 388. *ejus dogmata.* p. 389.

Deiſtæ in Galliâ quales? p. 392.

Diabolus primus author controverſiarum & dubitationis. p. 4 &c.

Dierum nomina idololatrica mutanda. p. 747 &c.

Diligentia ſtudioſo neceſſaria. p. 36. 48.

Diſputatoris officia. p. 25. &c.

Diſputatio voce quomodo inſtituenda p. 30. *ſcripto quomodo.* 31 &c. *quæ methodus ſervanda ſit eâ.* p. 52 &c.

Diſputationes contra gentiles neceſſariæ. p. 56. 57. *quomodo inſtituendæ.* p. 58 &c.

Diſputationes voce contra pontificios habendæ. v. Colloquia.

Dolor de peccato an ad juſtificationem præquiratur? p. 823 &c. & 827.

Du-

Dubitatio origo omnium controverſiarum. pag. 5 &c. *unde illa ſit.* ibid. *aliquando hæretica eſt.* p. 557. *vide* Sceptici.
Duræus, *vide* Iohannes.

E.

ECcleſia Anglicana, vide Anglicana.
Eccleſia hodierna omnis an apoſtatica? p. 466 &c. 518. 531.
Eccleſia conniventia quæ? p. 499 &c.
Eccleſia quales ad communionem ſacram debeat admittere? p. 761 &c. *quale fœdus ad eam conſtituendam requiratur?* p. 759. *an rectè dicatur dependens?* p. 780.
Eccleſia particularis an uno loco debeat convenire? p. 788.
Eccleſiarum Orientalium cum Reformatis unio affectanda p. 977 &c. *eaque ab his & illis aliquoties tentata.* p 981 &c.
Eccleſiaſtica poteſtas quibus competat? p. 771.
Eckhardus *notatus.* p. 738.
Enthuſiaſta quotuplices? p. 378 &c. *quomodo ſint refutandi?* p. 382 &c. 386. *eorum mores.* 421 &c.
Epheſinum concilium. p. 868 &c.
Epiſcopius (*Simon*) p. 576 &c.
Epiſcoporum & presbyterorum diſtinctio in antiquâ Eccleſiâ. p. 843.
Error quid ſit, & quotuplex. p. 9.
Eſus ſanguinis & ſuffocati an licitus? p. 926 &c.
Euangelium præciſè ſumptum non habet præcepta. p. 805. *quomodo prædicandum?* p. 804 &c.
Eutyches *qualis?* p. 877. *quomodo condemnatus?* p. 878 &c.
Eutychianiſmus. p. 450.

F.

FAmiliſtæ aut familia charitatis quales? p. 393 &c.
Ferrarienſe concilium. p. 896. & 905 &c. *ubi unio cum Græcis infideliter peracta.* ibid.
Feſta quomodo apud Reformatos? p. 752.
Fides an ſit conditio novi fœderis? p. 817 &c. *an dentur præparationes ad eam?* p. 816 &c. *quomodo juſtificet ſecundum Antinomos.* p. 821.
Flacius *qualis?* p. 652. 736.

Florentinum concilium, vide Ferrarienſe.
Fœdus Dei quotuplex? p. 820. *ejuſque diverſa œconomia.* ibid.
Fœdus explicitum an ad eſſe Eccleſiæ abſolutè neceſſarium? p. 759.
Formula concordiæ Lutheranæ, p. 655. 659 &c.
Formula confeſſionum, precum, conſolationum &c. an formandæ? p. 496, 497. & 795 &c.
Formula precatoria moribundis propoſita. à p. 224. *ad* 238.
Francofurtenſis conventus. p. 660.
Fratres roſeæ crucis? pag. 434 &c. p. 459 &c. 530. 993.
Funccius *qualis?* p. 735.

G.

G*Aur quid Muhammedanis ſit?* p. 92.
Gentilium ſcripta an legenda? p. 753.
Georgiani, eorumque religio. p. 970 &c.
Georgius Major. v. *Major.*
Gradus Academici an ambiendi? p. 753 &c.
Græca Eccleſia ſciſma ab Occidente ejuſque origo. p. 837 &c. & 893 &c. *ejus epiſcopi* ibid. *diſſenſus à Romanis.* pag. 886. *ad* 893. *unio fruſtra tentata cum Romanis* p. 902 &c.
Græcorum hodiernorum in religione ſtatus. p. 948 &c. & 974. *an rejiciant purgatorium?* p. 946. *vide* Orientales.
Granvellanus (*Perenotus*) p. 249.
Gregorius VII. *Papa qualis?* p. 195 &c.

H.

H*æreſis quid & quotuplex* p. 9, 10. *unde oriatur?* p. 405.
Hagareni *unde dicti.* p. 83 &c.
Hali *Perſarum patronus* pag. 87 &c.
Hebræa lingua Theologo neceſſaria. p. 38 &c. & p. 64. & 184.
Hegera *Muhammedanorum quid ſit.* p. 72.
Henrici Nicolai *vita & dogmata.* p. 393 &c.
Hieroſolymitanus Epiſcopus qualis? p. 852.
Hoggii *Turcarum quid ſit?* p. 145.
Hubmeierus (*Balthaſar*) p. 338.

I.

I*Acobitæ.* p. 957. 959. *Quales?* p. 824.

Iacobus Andreas. p. 658.

Iacobus Böhme p. 455 &c.

Idololatriam Turcæ horrent. p. 176 &c.

Iejunia Turcarum. p. 146. 147.

Iejunium ſabbaticum an Græci obſervant? p. 923 &c.

Ieſuitarum fraudes. p. 971.

Imagines colunt hodierni Græci. p. 941, 942.

Imaginum cultus Turcis deteſtandus. p. 176 *&c. in Synodo Græcâ Conſtantinop. prohibitus.* p. 889.

Imagines quando introductæ & adoratæ? p. 213, 214.

Independentiſmi origo. p. 775. *patroni.* 776. *quales Synodos admittant?* p. 778. *an bene denominentur independentes?* p. 776, 782. *eorum aliquæ collationes cum noſtris.* p. 784.

Infallibiles Miniſtri an hodie requirantur? p. 482 &c.

Infernus Turcarum qualis? p. 165.

Iohannes Bocoldus *Leydenſis, Rex Anabaptiſtarum Monaſterii.* p. 346 &c.

Iohannes Duræus. p. 693

Iohannes Matthæus *propheta anabaptiſtarum.* p. 344. *ad* 347.

Iohnſonus *qualis?* p. 740.

Iudæorum miſeria. p. 62.

Iudaicarum controverſiarum ſtudium neceſſarium. p. 62 &c.

Iudicium quotuplex ſit, & quodnam poſſit conſiſtere cum peccato in Spiritum S. p. 15, 16.

Iudicium extremum quale ſtatuant Turcæ? p. 156 &c.

Iulianus Imp. *an peccarit in Spiritum S.?* p. 21, 22.

Iuſtificatio quando & quomodo peragatur? p. 815, 816 &c. *quod ejus certitudo probetur ex ſanctificatione negant Antinomi in Angliâ.* p. 826.

L.

L*Apidum projectio in honorem Mercurii & aliorum* p. 142, 143.

Legatio quid & quotuplex? p. 544 &c.

Legis divinæ uſus & abuſus ſub N. T. p. 804 &c. *ea quoque urgenda ſub N. T.* p. 808 &c. 807.
Libero arbitrio quas vires Lutherani adſcribant? p. 724 &c.
Libertini & eorum authores ac errores. p. 389 &c.
Libri apocryphi, vide Apocryphi.
Librorum uſus. p. 49, 50.
Linguæ v. Philologia.
Liturgia Græcorum. p. 972 &c.
Lotiones Orientalibus uſitatæ. p. 138, 139.
Ludus latrunculorum v. Schach.
Lutheri *vita* p. 610 &c. *ejus vehementia* p, 613, 614, 665, 682, 705. *moderatio* p. 668. 712.
Lutherus *an bellum cum Turcis improbarit?* p. 168 &c.
Lutherani in Reformatos iniquiores. p. 256 & 261. & 451. 682 &c. 688, 694. 700. *illorum dogmata.* p. 720 &c. *quomodo cum iis diſputandū?* p. 729. *Lutheranorum ſciſmata.* p. 731 &c.

M.

Major (*Georgius*) p. 810.
Maria Virgo; *quid de ea Turcæ credant?* p. 128.
Maronitæ quales? p. 963.
Marpurgenſis conventus. p. 664.
Martyr. *p.* 671.
Matrimonii confirmatio quomodo peragenda ſit? p. 791 &c.
Mecca *Muhammedis patria* p. 72.
Meditationis utilitas. p. 49.
Melanthonis *vita.* p. 635 &c. *ejus orthodoxia.* p. 634, 641 &c. *odio habitus à Lutheranis.* p. 646 &c.
Melchitæ quales, vide Syri.
Menno Simonis. p. 352 &c.
Menſium idololatrica nomina mutanda. p. 750.
Metropolitani. p. 845.
Miniſterium Eccleſiaſticum an inutile? p. 513. 535 &c.
Miniſtri quotuplices? p. 544 &c.
Miſſio ad docendum pag. 185.
Moderatio in religione periculoſa. p. 250 &c.
Mompelgartenſe colloquium. p. 723.
Monachi Myſtimici. p. 154. 155.

Monothelitæ. p. 884.
Mornęi *colloquium cum* Perrono. p. 271.
Moſcovitarum religio. p. 953 &c. *diſſenſus à Pontificiis*. p. 954, 955.
Muhammedis *familia* p. 71. *nativitas*. p. 72, 73. *vita*. p. 73 &c. *viſiones* &c. ibid. *mors*, & *ſepultura*. p. 87. *quantus* & *qualis fuerit*. p. 104 &c.
Muhammedanorum *ſectæ*, & *inter has odia* p. 87, 88, 89. *veſtimenta* p. 91, 92. *dogmata fundamentalia religionis illorum*. p. 93 &c. pag. 135 &c. *magni eorum progreſſus unde*? p. 118, 119. & 174. *quomodo convertendi*? p. 166. *an bello*? 168 &c.
Muſulmannus quid ſit? p. 93.
Muncerus (*Thomas*) *qualis*? p. 333 &c.

N.

NAzianzenus (*Gregorius*). p. 856.
Neſtoriani, p. 964, 966.
Neſtorius. p. 866 &c. *an juſte damnatus*? ibid.
Nicænum concilium, *ejuſque acta*. 839 &c.
Nomine Dei *quid ſignificet*? p. 483. 544.
Non-Conformiſtæ in Angliâ. p. 742.

O.

ORatio *Dominica eſt formula precationis*. p. 796.
Orientales Eccleſiæ multa dogmata Proteſtantium tenent. p. 954. 957. & 960 & 962 & 969 & 975 & 977 &c. *vid.* Primatus & Græci.
Oryza *quid*? p. 153.
Oſiander (*Andreas*) *qualis*? p. 732 &c. *ejus dogma de juſtificatione*. ibid.

P.

PAnis *an fermentatus debeat eſſe in S. Cœna*? p. 945.
Papæ *nomen tribuitur Alexandrino Epiſcopo*. p. 956.
Papæ origo, p. 194, 195. *ejus tyrannis in Eccleſiaſticis & temporalibus* p. 195, 196, 197. *abſolvit ſubditos à juramento fidelitatis*: ibid. *ejus primatus* p. 284 &c. *vide* Primatus & *infallibilitas* ibid.

ad 301. *ejus faſtus & aſſumpata Tyrannis in Eccleſiam Græcam.* p. 894 &c.

Papiſmi origo, proceſſus p. 192 &c. *declinatio* p. 292 &c.

Papiſtæ quomodo convertendi? p. 220, 221, 222 &c.

Papiſtæ multi in reformatorū confeſſione moriuntur, p. 224 ad 238. *eorundem conceſſiones & confeſſiones.* p. 308 &c. *contra Papiſtas quomodo ſcribendum?* p. 314 &c.

Papiſtarum ſtudium & malæ artes in polliciendis Græcis. p. 971. & 975 &c.

Paracelſus *qualis?* p. 400.

Paradyſus ut à Turcis deſcribatur? p. 169 &c.

Paraſynagoga. p. 476.

Paſcha an & quando celebrandum? p. 840 &c.

Paſtorem Eccleſiæ qualem requirat Nazianzenus? p. 857.

Patriarchæ Græciæ quales? 859.

Peccatum in Spiritum S. quid ſit. p. 13. &c. & *quæ ad id requirantur,* ibid. *quomodo irremiſſibile,* p. 18, 19. *quomodo dignoſcatur.* pag. 20, 21. *qui illius rei ſint.* p. 21 &c.

Peregrinationes Turcarum, religionis causâ. p. 141. 142 & 148.

Peſceſium, quod Patriarche Conſtantinopolitan Imperatori ſolvunt. p. 952.

Peucerus *qualis?* p. 656.

Phariſæi an peccarunt in Spiritum S.? p. 20, 21.

Philologiæ utilitas p. 38 &c. 64, 65. & 180 &c.

Philoſophiæ utilitas p. 42 &c.

Podoniptria an à Chriſto mandata? p. 366.

Porcina, vide caro.

Poſsiacenum colloquium p. 257.

Prædicatio Evangelii an infallibilis debeat eſſe? p. 513 &c. 541 &c.

Præparationes ad fidem & converſionem an dentur? p. 816 &c. & 826.

Precationes Turcarum. p. 140 &c.

Precum formulæ, vide Formulæ.

Proſelyti non omnes ſunt docentes. p. 774. *ſequentes poſſunt eſſe papam & ſtatiſtipendiarii ibid.*

Pri-

Primatus Papæ, quomodo intruſus? p. 844 &c. *non eſt confirmatus in concilio Nicano, aut ab Africanis.* p. 847 &c. *primatus Papa primus articulus diſſenſionis Græcorum à Latinis.* p. 912.

Primatus etiam conceſſus Epiſcopo Conſtantinopolitano. p. 860. & p. 879. 880 & 888.

Purgatorium an Græci admittant? 946.

Q.

Varentes in Angliâ quales? p. 534.

Quiniſexta ſynodus Conſtantinopolitana. p. 886.

R.

Atisbonenſia colloquia. p. 250 &c. 273.

Raynoldi *colloquium cum Harto.* p. 267.

Reformata religio ante Lutherum fuit in ipſo Papiſmo. p. 223. ad 239.

Reformatio Tigurina: p. 241. *Haſſiaca.* p. 246. *Friſia Orientalis.* p. 247. *Suecia.* ibid. *Bernenſis* ibid. *Vlmenſis.* p. 248. *Genevenſis* ibid. *Anglia* p. 256.

Religio quid ſignificet, & unde ſic dicta. p. 7, 8, *quotuplex ſit:* p. 8, 9.

Religioſi Turcarum. p. 154. 155.

Remonſtrantes unde dicti? p. 576. *Socinianis addicti.* p. 577, 585. & *Scepticis.* p. 581 &c. *tolerantia eorum qualis?* p. 579.

Reſpondentis officia. p. 28, 29.

Rheticum colloquium. p. 268.

Robinſonius (*Ioh.*) *independentiſmi patronus.* p. 741. & 743 &c.

Roſenkreutzius *qualis?* p. 434, 435.

Ruſſorum religio. p. 953 &c.

S.

Acramentaria quæſtio de S. Cœna. p. 664 &c. 673. 680. 685. 687. 714. & *ſequ.*

Sanctitas vitæ & actionum an fundet aut confirmet certitudinem ſalutis? p. 826 & 831.

Saraceni *vox unde orta.* p. 83, 84, 85.

Sceptici quales? p. 526. 534. 558.

Schach *quid ſignificet.* p. 92. & 153.

Schiſma quid ſit & quomodo ab

ab hæreſi differat p. 10, 11. *magnum peccatum eſt*. p. 475, 476.
Scbyta quales? p. 835.
Scriptura S. lectio & ſtudiū. p. 46, 27, 238, 239.
S. Scriptura non eſt corrupta. p. 98 &c.
Scriptura S. ignorantia & contemtus inter Pontificios. p. 243. *an pro concione non ſit explicanda, ſed tantum legenda*? p. 466 &c. 503. 525.
Sæculum Spiritus S. p. 432 &c. 530.
Seleucienſis Patriarcha. p. 964.
Sendomirienſis conſenſus inter Reformatos & Lutheranos p. 673. *& ſequ*.
Separatiſtæ, vide Browniſtę.
Signa in negotio ſalutis quomodo adhibenda? p. 826 & 831.
Smith (*Ioh.*) *Browniſta qualis*? p. 740.
Socinianorum hæreſis. p. 562. *dogmata*. p. 570.
Socinianorum malæ artes. p. 565. *quomodo obſiſtendum illis*. p. 568, 569. *unde orti in Belgio*. ibid.
Socinus (*Fauſtus*) p. 564. 566.
Socinus (*Lælius*) p. 563.
Sophi *Perſarum quid*. pag. 90.
Spira (*Franc.*) *an peccavit in S. Spiritum*? p. 23.
Spiritus S. an procedat etiam à Filio p. 903 &c. & 943.
Stancarus *qualis*? p. 732, 735.
Stifelius (*Ieſaias*) pag. 462.
Studioſus controverſiarum qualis eſſe debeat. p. 31 &c. *à precibus incipiat*. p. 45.
Studia linguarum, Philoſophiæ, Theologiæ Scholaſticæ, utilia. p. 38 &c.
Suburbicaria Eccleſia quæ? p. 847.
Swenkfeldius *qualis*? p. 438. *ejus dogmata*. p. 445 &c.
Syncretiſmus cum Papiſtis hodie impoſſibilis. p. 218 &c. & 281 &c. *an affectandus*. p. 308.
Syncretiſmus univerſalis cum omnibus impoſſibilis. p. 485. 493.
Syncretiſtæ maximè ſchiſmatici p. 485. 493. 498. 527.
Syncretiſmus cum Lutheranis quouſque intelligendus? p. 663. *aliquoties in-*

initus. pag. 664. & 673 &c. 680. *tentatus* 693. *propter furores aliquiorum vix poſſibilis.* p. 624 &c. *quomodo ineundus.* p. 700 &c.

Synodi qualem poteſtatem habeant? p. 781. *quales admittant Independentes?* p. 778, 780 &c.

Syrorum religio p. 962.

T.

TEmpla Papiſtica an deſtruenda? p. 789.

Theologia Germanica qualis libellus? p. 385.

Theologia Scholaſtica quouſque laudanda? p. 42 &c.

Thomas Aquinas. *p.* 903.

Thornenſe colloquium, p. 276 &c.

Tigurinum colloquium. p. 241 &c, & *Reformatio inde ſecuta.* ibid.

Tituli Doctorum academici an ambiendi? p. 753 &c.

Tolerantia Remonſtrantium qualis? Vid. Remonſtr.

Torgenſis conventus primus. p. 655. & *ſecundus.* p. 657.

Tranſubſtantiatio introducta p. 199, 200. & 215 &c.

Tridentinum concilium. p. 205. *quomodo in Gallia receptum?* p. 206, 207. *commentarios in illud ſcribere prohibitum.* p. 210.

Trinitas perſonarum in Deo. p. 125 &c.

Turcarum origo p. 85. *diſtinctio à Perſis, & illorum inter ſe odium.* p. 88.. 92. *religionis diverſitas.* p. 92, *modeſtia.* p. 186. *diſputationes religionis inter illos prohibitæ* p. 188. *vide* Muhammedani. *illorum animus erga Chriſtianos* p. 188 &c.

V.

VAlerianus Magnus, & *ejus colloquium.* p. 284 &c.

Vbiquitatis dogma ſtabilitum. p. 657 &c. *ſed ab omnibus non receptum.* p. 689 &c. *multorum abſurdorum cauſa.* p. 721, 722.

Veneris *cultus.* p. 141, 144.

Vino cur abſtineant Turcæ? p. 152, 153.

Vlubairam *feſtum Turcarum.* p. 148.

Vorſtius *qualis?* p. 568. 576.

Vxores Turcæ plures habent, quomodo eas tractent. p. 149, 5

VVal-

VV.

WAldenſes p. 201, 202, 203. *eorum confeſſio de S. Cœnâ.* p. 716.

VVeigelii *mores*, p. 397-407. *dogmata*, p. 407 &c.

VVittembergenſis conventus & concordia. p. 666.

VVittembergenſes Theologi moderatiores. p. 654. &

ideo vocati à cæteris Lutheranis. p. 656.

Z.

ZAm Zam *Turcarum quid?* p. 149.

Zuinglii *vita, & prudentia* p. 616 &c.

Zuinglius ante Lutherum reformavit. p. 204.

Zuinglii colloquium cum Pontificiis. p. 241 &c.

Errata.

Pag. 64. l. 19. tempoſuit: lege *temporibus*. p. 67. l. ult. il lege *illa*. p. 68. l. 22. tebotve ſophe l. *tebot veſophe*. p. 94. de puncta ante *accepturus*, pone poſt *accepturus*. p. 98. l. 8. il bros l. *libros*. p. 120 l. 6. à fine l. prædeceſſoribus. *ibid.* l. à fine l. comprobavit. p. 131. l. 4. l. teſtatus *ibid* l. quandi egi. p. 135. l. 8. l. extrahi p. 143. l. 16. l. lapidem. p. 16 l. penult. l. *μεϑὸν* p. 168. l. 23. l. ſuperſtitiom. p. 170. l. 2 l. ſolvantur p. 180. l. 16. l. Poſſevinus, in. p. 185. l. 4. à fi l. credent. p. 192. l. 15. l. Papiſmi. p. 251. l. 26. l. Tandem *ibid* leg. Contarenum. p. 263. l. ult. l. miniſtris. p. 292. lin. p nult. l. inviolabiliſque. p. 298. l. 1. l. conſummationem *ib* l. 2. l. ſuam. p. 313. l. ult. l. tum. p. 314. l. 1. l. ipſi. p. 402. 28. l. amatis. p. 468 l. 4. à fine l. multis p. 516. l. 16. l. genere & lin. 17. d. nere. p. 525. l. 26. l. abominanda p. 559. 15. l. ſcribi. p. 576. l. 1. l. circulum. p. 689. l. 1. l. litteras. 700. l. 18. l. quavis. p. 703. l. 15. l. fruſtraneos. p. 704. l. l. ab. p. 707. l. 5. à fine. l. obediant. p. 720. l. 20. l eâ. ib l. ult. dele aliam. p. 747. l. 5. à fine l. decere ibid. l. 4. à fine eccleſiaſticos. p. 748. l. 5. à fine l. iſtius. p. 766. l. 17. l. linquimus. p. 769. l. 13. l. ſupereſſe p. 884. l. 4. lege acepha

Io

VV.

VV*Aldenſes* p. 201, 202, 203. *eorum confeſſio de S. Cœnâ*. p. 716.

VVeigelii *mores*, p. 397–407. *dogmata*, p. 407 &c.

VVittembergenſis conventus & concordia. p. 666.

VVittembergenſes Theologi moderatiores. p. 654. & *ideo vocati à cæteris Lutheranis*. p. 656.

Z.

Zam Zam *Turcarum quid?* p. 149.

Zuinglii *vita, & prudentia* p. 616 &c.

Zuinglius ante Lutherum reformavit. p. 204.

Zuinglii colloquium cum Pontificiis. p. 241 &c.

Errata.

Pag. 64. l. 19. tempoſuit: lege *temporibus*. p. 67. l. ult. illa lege *illa*. p. 68. l. 22. tebotve ſophe l. *tebot veſophe*. p. 94. duo puncta ante *accepturus*, pone poſt *accepturus*. p. 98. l. 8. illibros l. *libros*. p. 120 l. 6. à fine l. prædeceſſoribus. *ibid*. l. 4. à fine l. comprobavit. p. 131. l. 4. l. teſtatus *ibid* l. quamdiu egi. p. 135. l. 8. l. extrahi p. 143. l. 16. l. lapidem. p. 166. l. penult. l. μισθὸν p. 168. l. 23. l. ſuperſtitiom. p. 170. l. 14. l. ſolvantur p. 180. l. 16. l. Poſſevinus, in. p. 185. l. 4. à fine l. credent. p. 192. l. 15. l. Papiſmi. p. 251. l. 26. l. Tandem. *ibid* leg. Contarenum. p. 263. l. ult. l. miniſtris. p. 292. lin. penult. l. inviolabiliſque. p. 298. l. 1. l. conſummationem *ibid* l. 2. l. ſuam. p. 313. l. ult. l. tum. p. 314. l. 1. l. ipſi. p. 402. l. 28. l. amatis. p. 468 l. 4. à fine l. multis p. 516. l. 16. l. in genere & lin. 17. d. nere. p. 525. l. 26. l. abominanda p. 559. l. 15. l. ſcribi. p. 576. l. 1. l. circulum. p. 689. l. 1. l. literas. p. 700. l. 18. l. quavis. p. 703. l. 15. l. fruſtraneos. p. 704. l. 1. l. ab. p. 707. l. 5. à fine. l. obediant. p. 720. l. 20. l. ea. *ibid* l. ult. dele aliam. p. 747. l. 5. à fine l. decere ibid. l. 4. à fine ecclesiaſticos. p. 748. l. 5. à fine l. iſtius. p. 766. l. 17. l. relinquimus. p. 769. l. 13. l. ſupereſſe p. 884. l. 4. lege acephali